R. BIBLIOTECA UNIVERSITARIA ALESSANDRINA
B
i
15
ROMA

60/1

T. m. 8.

B. i - 15

# GEORGII RAGVSEII VENETI,

## IN PATAVINA ACADEMIA PHILOSOPHI ORDINARII,

# PERIPATETICAE DISPVTATIONES.

In quibus difficiliores Naturalis Philoſophiæ Quæſtiones examinantur.
Præcipua, obſcurioraq; Ariſtotelis loca illuſtrantur.

*Eius animi ſenſa, qualiacunque tandem fuerint, ingenuè aperiuntur.*
*Et veritas Catholicæ Fidei vbiq; inuiolata ſeruatur.*

# MARIAE VIRGINI, CAELORVM REGINAE, DICATAE.



VENETIIS, Apud Petrum Duſinellum, M DC XIII.

Superiorum permiſſu, & cum Priuilegio.

# GEORGIVS RAGVSEIVS CANDIDO, BENEVOLOQ; LECTORI.

ECCE tibi volumen, humaniſſime Lector, præcipuas, & difficiliores Naturalis Philoſophiæ diſputationes complectens. Has, ſi attente legeris, nō mediocrem fortaſſe, cùm in Ariſtotele, tùm in eius interpretibus, tibi eruditionem comparabis. Ariſtotelis ſententias puras, ſynceras, nec vllo modo fucatas reperies: quibus tamen in rebus arduis, adiecta ſemper erit veritas Catholicæ Fidei, vt ſimul quid verè ſcias, & quid veri Ariſtoteles docuerit. Doctores varios, Græcos, Arabes, Latinos, tàm veteres, quàm recentiores, diſputantes audies; quorum ſententiæ mòdò approbantur, mòdò improbantur, necnō etiam nouę interdum adijciuntur; hincq; ingenij aciem non parum exacues, & liberam philoſophandi rationem addiſces; iuxta illud Horatianum, *Nullius addictus iurare in verba Magiſtri*. Si qua tibi longior diſputatio videbitur, æquo animo id feras; ordine enim, & docendi facilitate, longitudo compenſabitur. Sententias multas diuerſorum Autorum, quæ in pluribus voluminibus ſparſæ ſunt, paucis hìc collectas, & enucleatas habebis. Si S. Thomæ, Scoti, Auerrois, Alexandri, aut alterius cuiuſpiam Autoris, vel meam etiam de re aliqua opinionem quæras; ſi argumenta præcipua, quibus illa firmetur, aut reſponſiones ad argumenta, quibus eadē labefactatur; vnum & alterum caput tibi ſufficiet. At ſi rem totam cumulatiùs intelligere cupis, ſenſim legito integram diſputationem: finis enim abſque principio, & medio obtineri non poteſt. Inſigniores Ariſtotelis locos, ex Logica, Naturali, & Diuina Philoſophia decerptos, qui frequenter in Diſputationibus adducuntur, maxima, qua fieri potuit, diligentia explanatos inuenies: quos, ne ſuſpiceris, me, alicuius opinionis defendendæ gratia, violenta expoſitione ad meum ſenſum

detorſiſſe; abs te etiam, atque etiam peto, vt ipſummet Ariſtotelem conſulas, & non ſolùm aliqua eius verba, verùm integros contextus, & integra capita perlegas: hinc enim agnoſces, quàm longè multi, in illis explicandis, ab eius mente receſſerint; teque certè laboris non pœnitebit. Vale.

# C O P I A.

*Gli Eccellentiſſimi Sign. Capi dell'Eccelſo Conſ. di Dieci infraſcritti, hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoua, per relatione à loro fatta dalli due à queſto deputati, cioè dal Reuer. Padre Inquiſitore, & del Circ. Secretario del Senato Gio. Maraueglia con giuramento, che nel libro intitolato;* Georgij Raguſeij Veneti in Patauina Academia Philoſophi ordinarij, Peripateticæ Diſputationes; *non ſi troua coſa contra le leggi, & è degno di Stampa; concedono licentia, che poſſa eſſer ſtampato in queſta Città.*

*Dat. die 25. Octob. 1612.*

D. Conſtantin Renier.
D. Marc'Ant. Valareſſo. } Capi dell'Eccelſo Conſ. di X.
D. Franceſco Corer.

Illuſtriſs. Conſ. X. Secret.
Barthol. Cominus.

*1612. 26. Octob.*
*Regiſtrato in libro à carte 115.*
*Ant. Lauredanus Officij*
*cont. Blaſph. Not.*

# INDEX DISPVTATIONVM QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.


DE Naturalis Philoſophiæ ſubiecto, Diſputatio Prima. pag. 1.
De Primo cognito, Diſputatio Secunda. 20
De Exiſtentia Materiæ, Diſputatio Tertia. 39
De Potentia Materiæ, Diſputatio Quarta. 60
De Mundi æternitate, Diſputatio Quinta. 78
De Libera primi motoris actione. Diſputatio Sexta. 105
In quonam genere cauſæ ea, quæ Ariſtoteles æterna poſuit, à Deo pendeant, Diſputatio Septima. 117
De Motore primi orbis, Diſputatio Octaua. 135
De Motu grauium, & leuium, Diſputatio Nona. 149
De Primi motoris infinitate, Diſputatio Decima. 165
De Subiecto librorum de Coelo, Diſputatio Vndecima. 180
De Numerorum virtutibus, Diſputatio Duodecima. 193
De Coeli ſubſtantia, Diſputatio Decimatertia. 211
De Coeli animatione, Diſputatio Decimaquarta. 219
De Formis Elementorum, Diſputatio Decimaquinta. 250
De Formarum origine, Diſputatio Decimaſexta. 337
De Formarum pluralitate, Diſputatio Decimaſeptima. 355
De Subiecto accidentium, Diſputatio Decimaoctaua. 366
Quomodo maneant elementa in mixto, Diſputatio Decimanona. 376
Quod rationalis anima, ſecundum Ariſtotelem, ſit forma informans, Diſputatio Vigeſima. 409
De Animi immortalitate, Diſputatio Vigeſimaprima. 433
De Intellectu Agente, Diſputatio Vigeſimaſecunda. 467
De Cognitione ſingularis, Diſputatio Vigeſimatertia. 477
De vnitate ſingularis naturæ, ſeu de Principio, quod vocant, indiuiduationis, Diſputatio Vigeſimaquarta. 486

# INDEX CAPITVM OMNIVM, QVAE IN SINGVLIS Diſputationibus continentur.

## De Naturalis Philoſophiæ ſubiecto, Diſputatio Prima.


Diſputationis introductio. pag. 1
Quid, & quotuplex ſit ſubiectum, quotq; potiſſimum conditiones requirat, cap. 2. 2
De ſubiecto naturalis ſcientiæ opiniones variæ. cap. 3. 3
Relatæ opiniones nonnullis excluſis ad duas tantùm reuocantur, & vtra illarum verior ſit, explicatur. cap. 4. 4
Validiſſimo argumento oſtenditur, ſubiectum naturalis Philoſophiæ non eſſe corpus naturale, cælo, mortalibusque commune. cap. 5. 5
Communis reſponſio ad prædictum argum. reijcitur, ſimulq; illud Auerrois autoritate firmatur, cap. 6. 6
Pro confirmatione argumenti ſuperiùs adducti, explicantur duo Ariſtotelis loci, quibus puram analogiã concedere videtur. cap. 7. 7
Cum Aegidio diſſeritur, qui puram analogiam probare contendit. cap. 8. 9
Propoſita concluſio de naturalis ſcientiæ ſubiecto ſecundo argumento principali roboratur, atque illud à communi reſponſione vindicatur. cap. 9. 10
Adducitur pro eadem concluſione tertium argumentum principale, quod nonnullorum recentiorum reſponſionibus minimè ſolutum eſſe oſtenditur, cap. 10. 11
Corpus generabile, & diſſolubile, verum, & adæquatũ eſſe naturalis Philoſophiæ ſubiectum, argumento cõmuniſſimo demonſtratur. cap. 11. 11
Duæ Franciſci Piccolominei ad hoc argumentum reſponſiones reijciuntur. cap. 12. 12
Iacobi Zabarellæ ad prædictum argumentum reſponſio, atque eiuſdem confutatio, cap. 13. 13
Federici Pendaſij, & aliorum ad idem argumentum ſolutiones refutantur. cap. 14. 14
Firmiſſimum Zabar. argumentũ contra iam probatam concluſionem notabili digreſſione diluitur. cap. 15. 15
Argumentum Pendaſij contra eandem concluſionem, atque eiuſdem ſolutio. cap. 16. 16
Duæ obiectiones præcipuæ contra Autoris ſententiam diluuntur. cap. 17. 18


## De Primo cognito, Diſputatio II.


Diſputandi ratio. Cap. 1. pag. 20
Quæſtionis intellectus explicatur. cap. 2. 21
Opinio Sancti Thomæ. cap. 3. 22
Opinio Scoti. cap. 4. 23
Opinio Durandi, & Nominalium. cap. 5. 25
Opinio Zimarræ, & Genuæ. cap. 6. pag. 26
Vtra de primo cognito opinio verior ſit. cap. 7. 27
Notabilis diſtinctio, qua optimè ceſ propoſita veritas illuſtratur. cap. 8. 28
Scoti diſtinctio de triplici notitia actuali, habituali, & virtuali iure à Zabarella reprehenditur. cap. 9. 29
Vera ſententia de primo cognito, cognitione actuali, confuſa, originali. cap. 10. 30
Zabarellæ argumentum ad veram de primo cognito ſententiam confirmandam recitatur, eademque validiore ratione roboratur. cap. 11. 31
Quodnam ſit primum cognitum, cognitione actuali, confuſa, ex habitu. cap. 12. 32
Præcipuum Scoti argumentum ſuperiùs propoſitum diluitur. cap. 13. 33
Hieronymo Girello, Scoticum argumentum protegenti, obuiam itur. cap. 14. 34
Experientia oſtenditur, propoſitum iam Scoti argumentum de ſola notitia ex habitu vim, & efficacitatem habere. cap. 15. 35
Duo alia Scoti argumenta diluuntur. cap. 16. 36
Cæterorum argumentorum ſolutio, quæ veram de primo cognito ſententiam oppugnare videntur. c. 17. 37
Totius diſputationis epilogus, omniumque relatarum opinionum conciliatio. cap. 18. 38


## De Exiſtentia materię. Diſput. III.


Agendorum diſpoſitio. Cap. 1. pag. 39
Sancti Thomæ ſententia rationibus præcipuis, atque Ariſtotelis autoritatibus confirmatur. cap. 2. 39
Scoti ſententia de materiæ exiſtentia duabus diſtinctionibus explicatur. cap. 3. 40
Scoti ſententiam de materiæ exiſtentia catholicæ Theologiæ, Peripateticæq; Philoſophiæ conſentaneam eſſe, atq; rurſus à celeberrimis philoſophis approbari. ca. 4. 41
Scoti ſententia de materiæ exiſtentia rationibus, & autoritatibus confirmatur. cap. 5. 43
Præcipuum Zabarellæ argumentum contra actum entitatiuum materiæ primæ ab Scoto poſitum. cap. 6. 44
Prædicti argumenti ſolutio. cap. 7. 45
Explicatur breuiter quid ſit eſſentia, & quid exiſtentia, oſtenditurque, quomodo duo hæc in prima materia diſtincta reperiantur. cap. 8. 47
Potentiam obiectiuam à Scoto excogitatam Iacobus Zabarella euertere conatur. cap. 9. 48
Zabarellæ conatus comprimitur, oſtenditurq; potentia obiectiua ſecundum Scotum non eſſe realẽ potentiã actiua, & à paſſiua diſtincta. cap. 10. 48
Tribus rationibus à Zabarella oſtenditur, Scoti ſententiam de materiæ exiſtentia ſecundum catholicam


Theo-

*Theologiam defendi non poſſe. cap. 11.* 50
*Scoti ſententia de materiæ exiſtentia ſecundum catholicam Theologiam defenditur, rationeſque à Zabarella propoſitæ diluuntur. cap. 12.* 50
*Tres diſtinctiones Zabarellæ, quæ ſunt eius fundamenta Scoticæ opinionis euertendæ. cap. 13.* 51
*Quinque concluſionibus Iacobus Zabarella veram de re propoſita ſententiam ſe explicare, Scoticæque ſententiæ rationes diluere profitetur. cap. 14.* 52
*Prima Zabarellæ diſtinctio expenditur, atque in multis reprobatur. cap. 15.* 53
*Aliæ duæ Zabarellæ diſtinctiones erroribus notantur. cap. 16.* 54
*Quinque concluſiones à Zabarella propoſitæ examinantur, & earum nonnullæ reijciuntur. cap. 17.* 54
*Reſponſiones Zabarellæ ad argumenta Scoti, rationibus firmiſſimis rem quæſitam concludentibus, refutantur. cap. 18.* 55
*Rationes, & autoritates, pro S. Thom. ſententia ſuperiùs adductæ diluuntur. cap. 19.* 57
*Materia an poſſit exiſtere ſine forma. cap. 20.* 58
*Vbi nam eſſet materia, ſi abſque forma conſiſteret. cap. 21.* 59

## De Potentia materię. Diſput. IV.

*Authoris in hac diſputatione conſilium. Cap. 1.* 60
*Quæ de potentia diſputandum ſit. cap. 2.* 61
*Auerroiſtarum opinio. cap. 3.* 61
*Auerroiſtarum opinio confutatur, rationeſq; ab Auerroë propoſitæ diluuntur. cap. 4.* 62
*Thomiſtarum opinio. cap. 5.* 63
*Thomiſtarum opinio confutatur. cap. 6.* 64
*Solutio primi argumenti Thomiſtarum. cap. 7.* 65
*Quò firmior euadat prædicti argumenti ſolutio, forma oſtenditur non eſſe formaliter, & quidditatiuè actus, ſed ſolùm denominatiuè. cap. 8.* 66
*Solutio ſecundi, & tertij argumenti Thomiſt. cap. 9.* 67
*Solutio quarti argumenti Thomiſtarum. cap. 10.* 67
*Quæ à Franciſco Piccolomineo de re propoſita dicta ſunt, expenduntur. cap. 11.* 69
*Zabarellæ ſententia de eadem re compendio colligitur. cap. 12.* 69
*Zabarellæ ſententia quoad ſingulas partes eiuſdem autoris rationibus confirmatur. cap. 13.* 70
*Primum caput opinionis Zabarellæ examinatur, planumque fit, Ariſt. in ſecunda ſpecie qualitatis interiorem habilitatem, ſeu (quod aiunt) aptitudinem, vel propriam paſſionem non poſuiſſe. cap. 14.* 71
*Secundum caput opinionis Zabarellæ perpenditur, vbi actum, & potentiam non priuatiua, ſed relatiua oppoſitione opponi, demonſtratur. cap. 15.* 72
*Duæ rationes Zabarellæ ſuperiùs poſitæ, quibus ipſe probant, actum, & potentiam relatiua oppoſitione non opponi, diluuntur. cap. 16.* 73
*Tria poſtrema opinionis Zabarellæ capita, tanquam rationi conſentanea, ab autore cōfirmantur. c. 17.* 73
*Quæ Pendaſius, & Vicomercatus circa propoſitā difficultatem protulerint. cap. 18.* 74
*Franciſci Bonamici explicatio perpenditur. cap. 19.* 75
*Vera ſententia de difficultate propoſita quatuor concluſionibus explicatur. cap. 20.* 76
*Notabilis diſtinctio totam diſputationem iam planè conficiens. cap. 21.* 77

## De Mundi æternitate. Diſput. V.

*Dicendorum propoſitio. Cap. 1.* 78
*Veterum Philoſophorum placita de mundi exordio. cap. 2.* 79
*Ariſt. ſententia de mundi æternitate. cap. 3.* 80
*Fidei noſtræ catholicæ veritas explicatur. cap. 4.* 80
*Ariſtotelis, multorumque Peripateticorum argumenta, quibus mundi æternitas ſuadetur. cap. 5.* 82
*An Ariſtotelicæ rationes pro mundi æternitate propoſitæ ſint ſolubiles. cap. 6.* 85
*Tres priores rationes pro mundi æternitate propoſitæ, diluuntur. cap. 7.* 86
*Solutio quartæ, & quintæ rationis. cap. 8.* 88
*Soluuntur tres vltimæ rationes, cap. 9.* 89
*An noua mundi creatio naturalibus rationibus demonſtrari poſſit. cap. 10.* 91
*Eorum opinio rationibus confirmatur, qui mundum ab æterno ædificari potuiſſe defendunt. cap. 11.* 93
*Oppoſita ſententia defenditur, quæ ſtatuit contradictionem inuoluere, mundum ab æterno fuiſſe. cap. 12.* 95
*Sancti Thomæ reſponſio ad primam rationem, atque eiuſdem confutatio. cap. 13.* 96
*Scoti reſponſio ad argumentum propoſitum de infinita animarum multitudine, atque eiuſdem confutatio. cap. 14.* 96
*Bacconis reſponſio ad idem argumentum, atque eiuſdem confutatio. cap. 15.* 98
*Recentiorum reſponſio ad idem argumentum, & eiuſdem confutatio. cap. 16.* 99
*Aduerſariorum reſponſiones ad ſecundam, & ſextam rationem, atque eiuſdem confutationes. cap. 17.* 100
*Aduerſariorum rationes diluuntur. cap. 18.* 102
*Totius diſputationis epilogus. cap. 19.* 104

## De Libera primi Motoris actione. Diſp. VI.

*Diſputationis origo. cap. 1.* 105
*Quæſtionis intellectus explicatur. cap. 2.* 105
*Philoſophorum argumenta præcipua, quibus probare nituntur, Deum agere neceſſitate naturæ. cap. 3.* 106
*Deum eſſe cauſam liberam firmiſſimis rationibus ſuadetur. cap. 4.* 106
*Philoſophorū arg. ſuperiùs propoſita diluuntur. c. 5.* 107
*Opinio ſtatuentium, Deum ex Ariſt. ſententia extrinſecùs agere neceſſitate naturæ. cap. 6.* 108
*Opinio ſtatuentium, Deum, quoad aliquos effectus, liberam agendi poteſtatem habere. cap. 7.* 109
*Cuiuſdam recentioris opinio. cap. 8.* 110
*Refellitur eorum opinio, qui ex Ariſt. ſententia, exiſtimarunt, Deum, quoad particulares effectus liberam agendi poteſtatem habere. cap. 9.* 111
*Recentioris opinio reijcitur. cap. 10.* 111
*Reſponſiones quædam Card. Toleti refutātur. c. 11.* 113
*Explicantur illa Ariſtotelis loca, quibus probatum eſt, Deum, ex illius ſententia, habere libertatem agendi. cap. 12* 113
*Quid hac de re Ariſtoteles ſenſerit, opinio Autoris. cap. 13.* 114

## In quonam genere cauſæ ea, quę Ariſt. æterna poſuit, à Deo pendeant. Diſp. VII.

*Apparatus ad diſputationem. cap. 1.* 117

Scitu quædam neceſſaria ante diſputationis examen. cap. 2. pag. 118
Opinio ſtatuentium, æterna apud Ariſt. habere cauſam efficientem. cap. 3. 118.
Opinio ſtatuentium, æterna ſecundum Ariſtot. non habere cauſam efficientem. cap. 4. 119
Explicatur modus, quo cælū, & intelligentia à Deo pendent, vt à cauſa finali. cap. 5. 120
Decernitur, vtra prædictarum opinionum magis Ariſto. conſentiat. cap. 6. 121
Fundamenta præcipua defendentium, æterna habere cauſam efficientem. cap. 7. 122
Duo priora aduerſariorū fundamēta reijciūtur. c. 8. 123
Duo poſteriora aduerſariorum fundamenta refutantur, cap. 9. 124
Thomiſtarum reſponſio ad argumenta, quæ pro opinione Gregorij, & Bacconis adducta ſunt. cap. 10. 125
Confutatio primæ reſponſionis. cap. 11. 126
Confutatio cæterarum reſponſionum. cap. 12. 127
Reſponſio multiplex ad primam rationem aduerſariorū. cap. 13. 127
Reſponſio ad ſecūdam rationem aduerſariorū. c. 14. 128
Reſponſio ad tertiam rationem. cap. 15. 129
Reſponſio ad quartam rationem. cap. 16. 130
Reſponſio ad quintam rationem. cap. 17. 131
Nonnullorum argumentorum ſolutio, quæ contra iam explicatam Ariſt. ſententiam fieri ſolent. cap. 18. 133
Ariſtotelicæ ſententiæ defectus oſtenditur, & fidei catholicæ veritas declaratur. cap. 19. 134

## De Motore Primi Orbis. Diſp. VIII.

Diſputationis introductio. cap. 1. pag. 135
De re propoſita opiniones præcipuæ. cap. 2. 135
Probabilior ſententia explicatur, primoq; Deus oſtenditur mouere primum cælum in genere cauſæ finalis. cap. 3 136
Oſtenditur, Deum mouere primum Orbem etiam in genere cauſæ efficientis. cap. 4. 137
An Deus, ex Ariſt. ſententia, primum orbem proximè moueat, opinio Ianduni. cap. 5. 138
Intelligentiam, primum orbem proximè mouentem, ex Ariſt. ſententia, Deum eſſe. cap. 6. 139
Ianduni, & aliorum ſuperius propoſitæ rationes explicantur. cap. 7. 140
Franciſci Bonamici obiectiones aduerſus prædictas ſolutiones. cap. 8. 141
Bonamici obiectionibus occurritur. cap. 9. 142
Quonā pacto Deus primi orbis motum efficiat. c. 10. 143
Quam nā vim habeat finis abſolutè mouendi. c. 11. 145
Quomodo Deus primum cælum, & reliquæ intelligentiæ inferiores orbes in genere cauſæ finalis circunducant. cap. 12. 145
Præcipuæ obiectionis ſolutio, quæ Ariſt. iam explicatā ſententiam labefactare videtur. cap. 13. 147
Ariſtotelicæ ſententiæ defectus oſtenditur, & fideiq; catholicæ veritas declaratur. cap. 14. 148

## De Motu grauium, & leuium. Diſput. IX.

Diſputationis præparatio. cap. 1. pag. 149
Quæſtionis intellectus explicatur. cap. 2. 150
Veterum philoſophorum de motu grauium, & leuium opiniones præcipuæ. cap. 3. 150
Opinio Alberti, S. Thomæ, Aegidij, & aliorum, ſtatuentium, grauia, & leuia corpora non moueri à ſe ipſis. cap. 4. pag. 151
Grauia, & leuia corpora ex eorundem autorum ſententia, tanquam à principe cauſa moueri à generante. cap. 5. 152
Grauia, & leuia corpora, vt prædictis autoribus placuit, ab eorum ſubſtantiali forma, atque itidem à grauitate, aut leuitate, tanquam ab inſtrumento generantis, moueri. cap. 6. 152
Opinio ſtatuentium grauia, & leuia corpora non ab externo, ſed ab interno motore, hoc eſt à ſe ipſis moueri. cap. 7. 153
Prædicta opinio ab Auer. explicatur. cap. 8. 154
Eadem ſententia explicatur à Scoto. cap. 9. 155
Explicatio Gregorij Ariminenſis. cap. 10. 156
Explicatio Iacobi Zabarellæ. cap. 11. 156
Grauia, & leuia corpora non moueri à cælo. cap. 12. 157
Grauia, & leuia corpora non moueri à loco. c. 13. 158
Grauia, & leuia corpora non moueri à medio. c. 14. 159
Neque generans eſſe præcipuam cauſam motus grauiū, & leuium, neque formam, aut grauitatem, & leuitatem eſſe inſtrumentū generantis. cap. 15. 159
Grauia, & leuia corpora nō ex accidenti, vt voluit Auer. ſed per ſe à ſemetipſis moueri. c. 16. 160
Scoti, & Gregorij explicationes ſuperius poſitæ, perpenduntur. cap. 17. 161
Iacobi Zabarellæ explicatio examinatur. cap. 18. 161
Vera ſententia de motu grauium, & leuium quinque propoſitionibus indagatur. cap. 19. 162
Quintæ propoſitionis explicatio, & cōfirmatio. c. 20. 163
Solutio duarum obiectionum, quæ iam explicatam ſententiam labefactare videntur. cap. 21. 162

## De Primi motoris infinitate. Diſput. X.

Diſputationis deſignatio. cap. 1. pag. 165
Quæſtionis intellectus explicatur. cap. 2. 165
Fidei catholicæ veritas declaratur. cap. 3. 166
Nonnullorum errores in Ariſtote. ſententijs referendis. cap. 4. 167
Ariſt. ſententia de quacunque re propoſita quomodo recenſenda. cap. 5. 168
Opinio ſtatuentium, Deum, ex Ariſto. ſententia, infinita virtute pollere. cap. 6. 168
Opinio ſtatuentium, Deum, ex Ariſt. ſententia, non rigore, ſed ſola duratione infinitum eſſe. cap. 7. 169
Vtra prædictarum opinionum magis Ariſtotelica. caput. 8. 170
Soluuntur illorum argumenta, qui ex Ariſt. ſententia, Deum infinita virtute præditum eſſe, ſtatuerunt. cap. 9. 172
Conſentiat ne cum Ariſtotelica philoſophiæ principijs primi motoris infinita virtus? cap. 10. 173
Inualidas eſſe rationes ex motus æternitate depromptas ad primi motoris infinitatem demōſtrandā. c. 11. 175
Varias Scoti rationes, quibus primi motoris infinitatem ſe demonſtrare arbitratus eſt, ſuaſorias tantùm, non etiam demonſtratiuas eſſe. cap. 12. 176
S. Thomæ, Bacconis, & Gregorij Ariminenſis eiuſdem generis rationes idem confirmantes. cap. 13. 177
Pauli Soncinatis, & Frāciſci Suarez rationum imbecillitas oſtenditur. cap. 14. 178

## De ſubiecto librorum de Cęlo. Diſp. XI.


*Dicendorum propoſitio. cap. 1.* pag. 180
*Alexandri opinio. cap. 2.* 180
*Alexandri opinionis confutatio. cap. 3.* 181
*Solutio argumentorum, quæ pro Alexandri ſententia adducta ſunt, cap. 4.* 182
*Latinorum opinio, eiuſdemq; diſquiſitio. cap. 5.* 183
*Opinio Iamblici, & Syriani, eiuſdemque confutatio. cap. 6.* 183
*Opinio Simplicij. cap. 7.* 184
*Sententia Simplicij à Iacobo Zabarella minus rectè explicata. cap. 8.* 185
*Vera explicatio ſententiæ Simplicij de ſubiecto librorum de cælo. cap. 9.* 186
*Recentium Alexandræorum obiectiones aduerſus ſententiam Simplicij. cap. 10.* 187
*Propoſitarum obiectionum dilutio. cap. 11.* 188
*Solutio notabilis obiectionis, quæ etiam ab Autore cōceſſis contra ſententiā Simplicij fieri poſſet. c. 12.* 189
*Opinionum omnium conciliatio. cap. 13.* 191


## De Numerorum virtutibus. Diſp. XII.


*Autoris in hac diſputatione conſilium. cap. 1.* pag. 193
*De origine, atque excellentia numerorum, deque Arithmetica duplici. cap. 2.* 193
*Exemplar, & veluti imago quædam Pythagoricæ numerorum diſciplinæ. cap. 3.* 194
*Modus per numeros philoſophandi, quo Pythagorici vtuntur, breuiter explicatur. cap. 4.* 195
*Numerorum virtus à recentioribus Pythagoricis vniuerſalibus rationibus comprobatur. cap. 5.* 195
*Numerorum virtus à recentioribus Pythagoricis naturalibus obſeruationibus confirmatur. cap. 6.* 196
*Teſtimonia, è diuinis rebus deſumpta, quibus recentiores Pythagorici numerorum virtutem oſtendere nituntur, cap. 7.* 197
*Illuſtrium virorum, atque etiam Sanctorum Patrum autoritatibus Pythagoricorum ſententia de numerorum virtutibus roboratur. cap. 8.* 197
*Recentium Pythagoricorum ſententia de numerorū virtutibus Peripateticis rationibus refutatur. ca. 9.* 198
*Vt nulla virtus in numeris, ita nec in verbis, carminibus, ſignis, characteribus, aut id genus alijs reperitur. cap. 10.* 200
*Quæcunque numeris, verbis, aut characteribus inſanum vulgus à Magis effici credit, ea omnia proximè à virtute Dæmonum exoriri. cap. 11.* 209
*Recentium Pythagoricorum rationes ad probandam numerorum virtutem ſuperius propoſitæ diluuntur. cap. 12.* 203
*Inanes eſſe naturales obſeruationes, quibus recentiores Pythagorici numerorū virtutē cōfirmarunt. c. 13.* 204
*Teſtimonijs, è diuinis rebus deſumptis, ad numerorum virtutem oſtendendam, occurritur. cap. 14.* 206
*Illuſtrium virorum, & Sanctorum Patrum autoritatibus, numerorum virtutem confirmantibus, ſatisfit. cap. 15.* 207
*Quænam virtus fuerit numeris à Pythagora, veteribuſque Pythagoricis aſſignata. cap. 16.* 208
*Cur Pythagoras numeris, & ſymbolis philoſophatus ſit. cap. 17.* 209


## De cęleſti ſubſtantia. Diſp. XIII.


*Diſputandi ratio. cap. 1.* pag. 211
*S. Thomæ, & Aegidij ſententia de ſubſtantia cæleſti. cap. 2.* 212
*Prædictæ ſententiæ confutatio. cap. 3.* 212
*Scoti cum Aegidio diſputatio. cap. 4.* 213
*Autoris diſputatio cum Aegidio. cap. 5.* 214
*Sancti Thomæ defenſio reijcitur. cap. 6.* 215
*Vera ſententia de re propoſita. cap. 7.* 215
*Prædicta ſententia Ariſtotelis, & Græcorum Interpretum autoritatibus confirmatur. cap. 8.* 216
*Rationibus, & autoritatibus, pro oppoſita ſententia adductis, obuiam itur. cap. 9.* 217


## De Cęli animatione. Diſput. XIV.


*Quid agendum in hac diſputatione. cap. 1.* pag. 219
*De re propoſita opiniones variæ. cap. 2.* 219
*Platonis opinio de anima mundi. cap. 3.* 220
*Platonicorum rationes eorum ſententiam de mundi anima confirmantes. cap. 4.* 221
*Platonis opinio de mundi anima refutatur. cap. 5.* 222
*Platonicorum rationes, pro anima mundi propoſitæ, diluuntur. cap. 6.* 223
*Opinio Stoicorum. cap. 7.* 225
*Stoicorum opinio reijcitur. cap. 8.* 225
*Opinio Ioannis Grammatici, & Auicennæ. cap. 9.* 227
*Prædictæ ſententiæ confutatio. cap. 10.* 227
*Soluuntur rationes, & autoritates, quæ pro Ioan. Grammatici, & Auicen. ſententia adductæ ſunt. c. 11.* 228
*Opinio Alexandri Achillini. cap. 12.* 229
*Alexandri Achillini opinio refellitur. cap. 13.* 230
*Soluuntur rationes Alex. Achillini. cap. 14.* 231
*Opinio Alexandri Aphrodiſienſis. cap. 15.* 232
*Animam cæli, ſecundum Alexandri ſententiam rationalem eſſe, ab eaque cæli motum, tanquam ab interno principio proficiſci, cap. 16.* 234
*Alexandræorum ſententia de rationali cæleſtis corporis anima Ariſt. autoritatibus roboratur. cap. 17.* 235
*Alexandræorum præcipua ratio, probans, intelligentiam cælo aſſiſtentem, ipſum tantummodo vt finem, non etiam vt efficientem mouere, cap. 18.* 236
*Alexandri ſententiæ confutatio. c. 19.* 236
*Soluuntur duæ primæ rationes Alexandræorum, deque poſitionum differentijs, cælo congruentibus, diſſeritur. cap. 20.* 239
*Reſponſio ad tertiam rationem Alexandræorum, ex qua elicitur, num cæleſtibus corporibus organa competant. cap. 21.* 241
*Ariſtotelis autoritatibus ab Alexandræis adductis ſatisfit. cap. 22.* 243
*Soluitur Alexandræorum ratio, quæ probant, intelligentiam non mouere cælum niſi vt finem. cap. 23.* 244
*Vera de cæli animatione ſententia, cap. 24.* 246
*Fiat ne ex orbe, & intelligentia magis vnum, quàm ex materia, & forma. cap. 25.* 247
*Quid de propoſita quæſtione ſentiat catholica fides. caput 26.* 249


## De Formis elementorum. Diſput. XV.


*Præfatio.* 250

## Pars Prima, in qua Grecorum opinio explicatur.

*Græcorum, & Latinorum doctrina cōparatio.c.1.* 251.
*Opinio de formis elementorum Græcis Autoribus communiter aſcripta.c.2.* 252
*Loci aliquot Ariſt. à Nouo Autore adhibiti, ad Græcorum ſententiam roborandam.c.3.* 253
*Aliæ Ariſt. autoritates, quæ validiùs Græcorum ſententiam confirmare videntur.c.4.* 255
*Duæ rationes Noui Autoris, quas, ad probandam Græcorũ ſententiã, putauit eſſe demonſtrationes.c.5.* 256

## Pars Secunda, in qua Latinorum opinio expenditur, ſimulque Grecorum ſententię fundamentum euertitur.

*Quid Latini philoſophi de formis elemẽtorum ſenſerint, paucis explicatur.c.1.* pag. 257
*Argumenta communia, quæ pro Latinorum ſententia afferri ſolent.cap.2.* 258
*Rationes Autoris, ad eandem ſententiam confirmandam.cap.3.* 259
*Latinorum ſententia Ariſtot. autoritatibus roborantur. cap.4.* 260
*Fundamentum opinionis Græcorum, quoad primam propoſitionem euertitur.cap.5.* 260
*Oſtenditur in doctrina Ariſt. non dari corpus ter dimenſum.cap.6.* 261
*Euertitur fundamentum opinionis Græcorum quoad ſecundam propoſitionem.cap.7.* 262
*Euertitur fundamentum opinionis Græcorum quoad tertiam, & quartam propoſitionem, c.8.* 262

## Pars tertia In qua noui Autoris reſponſiones ad argumenta latinorum refutantur.

*Noui Autoris fundamentum, è Simplicio ſumptum, ad latinorum rationes diluendas.c.1.* pag. 263
*Quæ ex Nouo Autore ſuperiore capite relata ſunt, confutantur, primoque fundamentum illud, è Simplicio ſumptum, debile eſſe oſtenditur.c.2.* 265
*Perperam à Nouo Autore qualitatis definitionẽ, in prędicamentis ab Ariſt. traditã, expoſitam eſſe.c.3.* 266
*Neque in omnibus prædicamentis qualitatem reperiri, neque naturam qualitatis, vt qualitas eſt, in participari conſiſtere, eo modo, quo Nouus Autor putauit. cap.4.* 267
*Tres gradus participationis à Nouo Autore ſuperiùs poſiti reprobantur.c.5.* 268
*Duæ inſtantiæ Noui Autoris, aduerſus primam Latinorum rationem, reijciuntur.c.6.* 269
*Monſtrum eſſe in Peripatetica philoſophia aſſerere, rotunditam figuram in cœlo ſubſtantialem eſſe, vt de ipſo in primo mōdo dicendi per ſe prædicetur.c.7.* 270
*Maiorem propoſitionem, à Latinis aſſumptam, in prima eorum ratione, quicquid Nouus Autor aſſerat, Ariſtotelicam eſſe.c.8.* 272
*Optimam eſſe hanc Latinorum conſecutionem, quod vni eſt ſubſtantia, alteri eſt accidens; ergo ſubſtantia eſt accidens.c.9.* 273
*Prima Latinorum ratio ab alijs Noui Autoris calumnijs vindicatur.c.10.* 273
*Formalis Noui Autoris reſponſio ad primam Latinorũ rationem, atque eiuſdem confutatio.c.11.pag.* 274
*Triplex Noui Autoris reſponſio ad ſecundam Latinorũ rationem.cap.12.* 276
*Confutatio prima reſponſionis.c.13.* 276
*Confutatio ſecunda reſponſionis.c.14.* 277
*Confutatio tertia reſponſionis.c.15.* 277
*Noui Autoris reſponſio ad tertiam latinorum rationem, atque eiuſdem confutatio.c.16.* 279
*Noui Autoris reſponſio ad quartam Latinorum rationem, atque eiuſdem confutatio.c.17.* 280
*Multiplex Noui Autoris reſponſio ad quintam Latinorum rationem reijcitur, primoque planum fit, proprietatem illam ſubſtantiæ, qua dicitur, ſubſtantię nihil ſe contrarium, non de ſola ſubſtantia compoſita, vt ipſe exiſtimauit, ſed de toto ſubſtantiæ genere, intelligẽdam eſſe.c.18.* 281
*Contrarietatem, quæ in ſubſtantialibus differentijs reperitur, ab ea longè diuerſam eſſe, quam Nouus Autor exiſtimauit.c.19.* 283
*Expoſitionem proprietatis ſubſtantiæ à Nouo Autore traditam, neque ad mentem Græcorum eſſe neque ea ipſa ſeruari poſſe, quatuor primas qualitates eſſe formas ſubſtantiales elementorum.c.20.* 283
*Secundas ſubſtantias, quatenus ſubſtantias, non quatenus compoſitas, vt Nouus Autor voluit contrarietate carere.cap.21.* 285
*Haud rectè Nouũ Autorem ex Alberto elicuiſſe, ſolam ſubſtantiam compoſitam non habere contrarium. cap.22.* 286
*Explicantur duo Ariſtotelis loci, quibus Nouus Autor contrarietatem in ſubſtantia, & eam quidem poſitiuam, inuehere conatus eſt. cap.23.* 288
*Noui Autoris reſponſio ad ſextam Latinorum rationẽ, atque eiuſdem confutatio.cap.24.* 288
*Oſtendit Autor, ſeptimam rationem pro Latinis additã, ad rem propoſitam minimè pertinere.c.25.* 289
*Noui Autoris reſponſio ad ſeptimam rationem pro Latinis allatam, refutatur.cap.26.* 290
*Noui Autoris reſponſio ad octauam Latinorum rationem, atque eiuſdem confutatio.cap.27.* 291
*Noui Autoris reſponſio ad nonam Latinorum rationem.cap.28.* 292
*Eiuſdem reſponſionis confutatio.cap.29.* 293
*Noui Autoris reſponſio ad decimam Latinorum rationem. cap.30.* 295
*Locum à Nouo Autore expoſitum in cap. de odore, & ſapore, neque cum Ariſtotele, neque cum Alexãdro, vt ipſe credidit, conſentire. cap.31.* 296
*Grauiter Nouum Autorem errasse, dum ex cap. de odore, & ſapore elicuit, caliditatem eſſe formam ſubſtantialem ignis. cap.32.* 297
*Quæ à Nouo Autore pro ſolutione decimæ rationis Latinorum poſtremo loco tradita ſunt, reijciuntur. cap.33.* 298
*Noui Autoris reſponſio ad vndecimam Latinorum rationem. cap.34.* 299
*Eiuſdem reſponſionis confutatio.cap.35.* 299
*Quæ pro ſolutione duodecimæ Latinorum rationis à Nouo Autore tradita ſunt, explodantur; primoque oſtenditur, Latinos Philoſophos melius, quàm ipſum, Ariſt. intellexiſſe, dum ſubſtantiam per ſe ſenſibilẽm non eſſe, èx eodem elicuerunt.cap.36.* 300
*Vel ex Simplicio oſtenditur, ſubſtantiam per ſe ſenſibilẽ nõ eſſe, Noniq; Autoris incõſtantia notatur.c.37.* 302

D. Thomas à Noui Autoris reprehenſione vindicatur. cap. 38. 303
Noui Autoris ratio, qua probare contendit, ſubſtantiam per ſe ſenſibilem eſſe, atque eiuſdem ſolutio. cap. 39. 303
Tres aliæ Noui Autoris rationes, idem probantes, diluuntur. cap. 40. 305
Multiplex Noui Autoris reſponſio ad poſtremam Latinorum rationem, atque eiuſdem confutatio. cap. 41 306.

## Pars quarta, In qua autoritatibus, & rationibus, pro Græcorum ſententia propoſitis, ſatisfit.

Reſponſio ad primam autoritatem. cap. 1. 307
Reſponſio ad ſecundam autoritatem. cap. 2. 307
Reſponſio ad tertiam, & quartam autoritatem. cap. 3. 308.
Reſponſio ad quintam autoritatem. cap. 4. 310
Reſponſio ad ſextam, & ſeptimam autoritatem. c. 5. 311
Reſponſio ad octauam autoritatem. cap. 6. 311
Reſponſio ad nonam, & decimam autoritatem. c. 7. 313
Reſponſio ad vndecimam, & duodecimam autoritatem, cap. 8. 313
Reſponſio ad decimamtertiam autoritatem. cap. 9. 314
Reſponſio ad decimamquartam autoritatem. c. 10. 315
Reſponſio ad tres poſtremas autoritates. cap. 11. 316
Reſponſio ad primam rationē Noui Autoris. c. 12. 316
Reſponſio ad alteram Noui Autoris rationē. c. 13. 317

## Pars quinta, In qua nonnulla Latinorum dicta, ad hanc diſputationem attinentia, à Noui Autoris obiectionibus vindicantur.

Noui Autoris argumenta, quibus accidentales affectiones, ſubſtantialem formam in materia præcedentes, tollere nititur. cap. 1. 318
Quinque priores Noui Autoris rationes diluuntur. cap. 2. 320
Reſponſio ad ſextam, & ſeptimam rationem. cap. 3. 322
Cæterarum rationum ſolutio. cap. 4. 323
Vulgatiſſimum eſſe apud Peripateticos axioma, vltimas differentias nomine carere. cap. 5. 324
Subſtantiales elementorum formas prorſus innominatas eſſe, rectèque ab Ariſtot. qualitatibus circunſcriptas. cap. 6. 325
Nonnulla Noui Autoris argumenta, quibus probare contendit, elementorum formas apud Ariſtotelem innominatas non eſſe. cap. 7. 326
Quatuor argumenta priora diluuntur. cap. 8. 327
Cæterorum argumentorum ſolutio. cap. 9. 329
Tres Noui Autoris rationes diſſoluuntur, quibus oſtendere nititur, ſubſtantiales elementorum formas non fuiſſe ab Ariſtotele qualitatibus circunſcriptas. cap. 10. 330
Elementorum diſtinctionem, qua & vt elementa, & vt tales ſubſtantiæ ſunt, conſiderantur rectè à Latinis traditam, malè à Nouo Autore impugnatam fuiſſe. cap. 11. 330
Elementorum conſiderationem in libro de Cælo, quicquid Nouus Autor afferat, abſolutiſſimam eſſe. cap. 12. 332

## Pars ſexta, In qua opinio Auerrois examinatur.

Auerrois opinionis varietas. cap. 1. 334
Opinio Auerrois communiter aſcripta quatuor rationibus comprobatur. cap. 2. 335
Prædictæ opinionis confutatio. cap. 3. 335
Quatuor rationes, ſuperiùs poſitæ, diluuntur. c. 4. 336

## De Formarum origine. Diſp. XVI.

Diſputationis typus. cap. 1. 337
Obſeruationes nonnullæ, ante diſputationis examen. cap. 2. 338
De re propoſita opiniones variæ. cap. 3. 339
Argumenta præcipua eorum, qui tuentur, formam habere aliquod eſſe reale in materia, antequam de eius poteſtate educatur. cap. 4. 340
Argumenta præcipua aſſerentium, formam nullum habere eſſe reale in materia, antequam de eius poteſtate educatur. cap. 5. 341
Opinio ſtatuentium, formam habere actu aliquod eſſe reale in materia diligentiùs perpenditur, & fundamentis denuò roboratur. cap. 6. 342
Prædicta opinionis confutatio. cap. 7. 343
Eiuſdem opinionis fundamenta euertuntur. cap. 8. 344
Opinio Bacconi, ſtatuentis, formam ante ſui eductionem, habere in materia aliquod eſſe reale, quod appellauit potentiale. cap. 9. 345
Bacconi argumenta, ſuam ſententiam confirmantia. cap. 10. 346
Prædictæ opinionis confutatio. cap. 11. 347
Reſponſio ad argumenta Bacconi. cap. 12. 347
Vera ſententia de re propoſita ſenſim introducitur, primòque formæ, cuius originem quærimus, ſubſtantiam eſſe oſtenditur. cap. 13. 349
Subſtantialem cuiuſque corporis formam ſimpliciſſimam eſſe. cap. 14. 349
Formam educi de poteſtate materiæ, ſicut actus educitur de habitu. cap. 15. 350
Naturalis corporis ſubſtantialem formam à genitore minimè produci. cap. 16. 352
Formæ ſubſtantialis originem cæleſtem, atque diuinam penitus eſſe. cap. 17. 352
Soluuntur argumenta, ſuperiùs poſita, quibus probatum eſt, formam habere aliquod eſſe reale in materia antequam de eius poteſtate educatur. cap. 18. 354

## De Formarum pluralitate. Diſp. XVII.

Diſputationis origo. cap. 1. 355
Quæſtionis ſenſus explicatur. cap. 2. 355
Opinio Thomiſtarum. cap. 3. 356
Opinio Scotiſtarum. cap. 4. 357
Opinio Scotiſtarum, tanquam verior, approbatur, Theologicisque rationibus confirmatur. caput 5. 358.
Solutio quædam Cardinalis Caietani refellitur. cap. 6. 359.
Herui fundamenta præcipua, quibus rationes pro Scotiſtarum ſententia propoſitas, ſoluere nititur. cap. 7. 361
Prædictorum fundamentorum euerſio. cap. 8. 362

Argu-

Argumenta Franciſci Suarez contra opinionem Scotiſtarum.cap.9. 362
Prædictorum argumentorum ſolutio.c.10. 363
Soluuntur argumenta,pro ſententia Thomiſtarum ſuperiùs adducta.c.11. 364

## De ſubiecto accidentium Diſput. XVIII.

Diſputationis propoſitio.cap.1. 366
Opinio ſtatuentium,proximum accidentium ſubiectum eſſe materiam primam.cap.2. 367
Prædictæ opinionis fundamentu præcipuu.c.3. 368
Vera ſententia de ſubiecto accidentium nonnullis concluſionibus explicatur.cap.4. 369
Primum argumentum, pro altera ſententia adductum, explicatur.cap.5. 371
Reliquorum argumentorum ſolutio.cap.6. 372
Alterius ſententiæ fundamentorum euerſio.c.7. 374
An vllum accidens,quod in re diſſoluta præfuerat,idem numero in re genita maneat.cap.8. 374

## Quomodo maneant elementa in miſto, Diſput. XIX.

Quid agendum in hac diſputatione.c. 1. pag. 376
De elementorum miſtione opiniones præcipua.c.2. 376
Auerrois opinio à Iacobo Zabarella explicatur,fundamentiſque ſtabilitur.cap.3. 378
Zabarellæ defenſio quoad priorem partem reijcitur. cap.4. 379
Reijcitur Zabarellæ defenſio quoad partem poſteriorē. cap.5. 381
Alia explicatio reſponſionis Zabarellæ, atque eiuſdem confutatio.cap.6. 382
Præcipuum Auerrois fundamentum euertitur,nullaque ſubſtantia intendi, neque remitti poſſe oſtenditur. cap.7. 383
Elementorum formas non eſſe medias inter ſubſtantiales,& accidentales.cap.8. 385
Miſtionis definitio ad Ariſtot. tradita explicatur, quæ præcipuum eſt opinionis Auicennæ fundamentum. cap.9. 387
Auicennæ ſententia tribus concluſionibus explicatur. Prima concluſio.cap.10. 388
Secunda concluſio explicans opinionem Auicennæ. cap.11. 389
Tertia concluſio, Auicēnæ ſententiam planè confirmās, ſatiſque dilucidè patefaciens.cap.12. 390
Auicennæ ſententia rationibus fulcitur, Ariſtoteliſque autoritatibus roboratur.c.13. 392
Aduerſariorum reſponſiones ad argumenta propoſita. cap.14. 393
Quæ ab aduerſarijs,pro prædictis rationibus diluendis, adducta ſunt,confutantur.c.15. 394
Non rectè ab aduerſarijs, Ariſtotelis autoritatibus,pro Auicenna ſuperiùs adductis,ſatisfieri.c.16. 397
Latinorum Philoſophorum,atque potiſſimùm Scoti ſententia de miſtione explicatur; iiſque ipſis argumentis fulcitur, quibus Auicennæ ſententia labefactatur. cap.17. 398
Auerrois, recentiorumque Philoſophorum argumenta contra ſententiam Auicennæ.c.18. 399
Solutio argumentorum Scoti.c.19. 400
Quinque Auerrois, recentiorumque philoſophorum argumenta priora diluuntur.c.20. pag. 401
Reliquorum argumentorum ſolutio.c.21. 403
Archangeli Mercenarij aduerſus tertiam concluſionem obiectiones.cap.22. 404
Duo priora Mercenarij argumēta diluuntur.c.23. 405
Mercenarij confutationes variæ reijciuntur.c.24. 406
Soluitur tertium argumentum Mercenarij.c.25. 408

## Quod rationalis anima, ſecundum Ariſtot. ſit forma informans, Diſp. XX.

Diſputationis argumentum.c.1. pag. 409
Forma informans,atque aſſiſtens quid ſint.c.2. 409
De re propoſita opiniones variæ.cap.3. 410
Auerrois opinio ab eius ſectatoribus argumentis roboratur.cap.4. 411
Auerrois opinio Ariſtotel. autoritatibus confirmatur. cap.5. 412
Auerrois opinio validiſſimo, inſolubilique argumento confutatur.cap.6. 412
Ianduni reſponſio pro Auerroe,atque eiuſdem confutatio.cap.7. 414
Bacboni,& aliorum reſponſiones pro Auerroe adducuntur.atque reijciuntur.c.8. 414
Franciſci Piccolominei pro Auerroe reſponſio,atq; eiuſdem confutatio.c.9. 415
Auerrois opinio tribus alijs argumentis euertitur. cap.10. 417
Auerrois opinio apertiſſima Ariſtotelis autoritate reijcitur.cap.11. 417
Auerrois opinio duabus alijs autoritatibus confutatur. cap.12. 419
Non eſſe vnum numero in omnibus hominibus rationalem animam.cap.13. 420
Antonij Bernardi Mirandulani opinio breuiter explicatur.cap.14. 421
Eiuſdem ſententiæ confutatio.c.15. 422
Vera ſententia duabus Ariſtotelis propoſitionibus explicatur,propoſitio prima.c.16. 424
Propoſitio altera.cap.17. 425
Verum ſententiam de rationali anima informante Ariſtotelis doctrinæ ad eiuſdem immortalitatē minimè repugnare.cap.18. 426
Soluitur primum argumentum, pro Auerrois opinione propoſitum, nonnullaque breuiter de principio indiuiduationis tractantur.c.19. 427
Solutio ſecundi,tertij,& quarti argumenti.c. 20. 429
Reliqua argumenta pro Auerrois opinione propoſita diluuntur.cap.21. 430
Ariſtotelis autoritatibus pro Auerroe adductis, ſatisfit.cap.22. 431

## De animi immortalitate, Diſput. XXI.

Tractanda in hac diſputatione.cap.1. pag. 433
Modus agendi in hac diſputatione.cap.2. 433
Immortale quot modis dicatur.cap.3. 434
De animi noſtri diuturnitate.cap.4. 434
Illorum opinio explicatur,qui animum, ſecundum Ariſtotelem mortalem eſſe cenſuerunt.cap.5. 435
Animæ immortalitas apud Ariſtotelem,& autoritatibus,& rationibus oſtenditur.cap.6. 437
Aduerſariorum reſponſiones ad duas primas Ariſtotelis autoritates adducuntur,& confutantur,c.7. 439

Cap.

*Confutantur aduerſariorum reſponſiones ad tertiam, & quartam Ariſt. autoritatem. cap. 8.* 440

*Confutantur aduerſariorum reſponſiones ad quintam, & ſextam Ariſtotelis autoritatem. cap. 9.* 443

*Confutantur aduerſariorum reſponſiones ad ſeptimam, & vltimam Ariſtot. autoritatem. cap. 10.* 445

*Soluuntur quinque priores rationes aduerſariorum, mortalitatem animæ ſuadentes. cap. 11.* 447

*Nonnullorum reſponſio ad ſextam aduerſariorum rationem, eiuſdemque confutatio. cap. 12.* 448

*Alia communior ſextæ rationis ſolutio, atque eiuſdem reprobatio; vbi etiam diſſeritur, an infinitum re ipſa vllo pacto reperiri poßit. cap. 13.* 450

*Vera ſextæ aduerſariorum rationis explicatio. cap. 14.* 452

*Septima aduerſariorum rationis explicatio, vbi diſquiritur, an inter creationem, atque de poteſtate materiæ eductionem, aliqua media productio danda ſit. cap. 15.* 454

*Productionem mediam inter creationem, atque de poteſtate materiæ eductionem admittendam non eſſe. cap. 16* 455

*An in doctrina Ariſtotelis ſit admittenda creatio. cap. 17.* 456

*Soluuntur tres vltimæ aduerſariorum rationes. cap. 18.* 457

*Autoris opinio circa Ariſtotelis ſententiam de Animi immortalitate. cap. 19.* 460

*Notabilis obiectio contra ſententiam Autoris, atque eiuſdem ſolutio. cap. 20.* 462

*An rationalis animæ immortalitas ſola naturali ratione concludi poßit. cap. 21.* 464

*Tres validißimæ rationes, quibus rationalis animæ immortalitas naturali lumine ſuadetur. cap. 22.* 466


## De Intellectu agente. Diſp. XXII.


*Tractanda in hac diſputatione. cap. 1.* 467

*Detur ne in rationali anima intellectus agens. c. 2.* 467

*Quid ſit intellectus agens, opiniones variæ. cap. 3.* 468

*Alexandræorum ſententia de intellectu agente. cap. 4.* 469

*Alexandræorum ſententia de intellectu agente reijcitur, primoque planum ſit, intellectum agentem non eſſe formam, à materia abiunctam; aduerſariorumq; argumenta, oppoſitum oſtendentia, diluuntur. cap. 5.* 470

*Intellectum agentem non eſſe Intelligentiam, aut aliam quamuis ſubſtantiam, ab anima ſeparatam. c. 6.* 471

*Intellectum agentem non eſſe Deum. cap. 7.* 472

*Soluuntur rationes Alexandræorum, pro tertia eorum concluſione propoſita. cap. 8.* 473

*Agentem intellectum eſſe facultatem animæ rationalis, ab intellectu patibili, non re ipſa, ſed formali tantùm ratione diſtinctam. cap. 9.* 474

*De munere intellectus agentis. cap. 10.* 475


## De Cognitione ſingularis. Diſp. XXIII.


*Diſputandi ratio. cap. 1.* 477

*Non nulla ante quæſtionis explicationem conſideranda. cap. 2.* 477

*Singulare quocunque modo accipiatur, eſſe per ſe intelligibile. cap. 3.* 478

*Singulare non ſolùm ab intellectu ſubſtantiarum abſtractarum, verùm etiam ab intellectu humano intelligibile eſſe. cap. 4.* 479

*Singulare ſecundum propriam ſingularitatis rationem, nec à ſenſu, nec ab intellectu percipi poſſe. ca. 5.* 480

*Nonnullorum argumentorum ſolutio, quibus præcipuè probari ſolet, ſingulare ſenſibile ab intellectu noſtro percipi non poſſe. cap. 6.* 481

*Singulare ſenſibile ſecundum proprium conceptum intellectui noſtro notum fieri. cap. 7.* 482

*Vtrum ſingulare per propriam ſpeciem intelligibilem, an per ſpeciē intelligibilem naturæ communis, intellectui præſens fiat. cap 8.* 483

*De modo, quo ſingulare ab intellectu noſtro percipiatur, Latinorum opinio. cap. 9.* 484

*Vera ſententia de modo, quo intellectus noſter percipit ſingulare, quæ Græcis interpretibus, & ipſimet Ariſtoteli aſcribitur. cap. 10.* 485


## De vnitate ſingularis Naturę, ſeu de Principio, quod vocant, indiuiduationis. Diſput. XXIV.


*Proœmium diſputationis. cap. 1.* pag. 486

*Proluſiones aliquot, huic quæſtioni diſcutiendæ neceſſariæ. cap. 2.* 487

*Opinio Aureoli. cap. 3.* 488

*Confutatio opinionis Aureoli. cap. 4.* 489

*Oſtenditur, dari in re vnitatem, minorem vnitate numerali. cap. 5.* 490

*Argumenta nonnulla Franciſci Sarez contra realem vnitatem naturæ, proponuntur, ac diluuntur. cap. 6.* 492

*Duo argumenta, pro Aureoli opinione ſuperiùs propoſita, diluuntur. cap. 7.* 493

*Opinio Henrici. cap. 8.* 494

*Confutatio opinionis Henrici, eiuſdemque argumentorum ſolutio. cap. 9.* 494

*Opinio Rogerij Bacconis. cap. 10.* 495

*Confutatio opinionis Rogerij Bacconis. cap. 11.* 496

*Opinio Gotfredi. cap. 12.* 497

*Confutatio opinionis Gotfredi. cap. 13.* 498

*Opinio, Porphyrio, atque Boetio aſcripta. cap. 14.* 499

*Prædictæ ſententiæ confutatio. cap. 15.* 499

*Solutio rationum prædictæ opinionis. cap. 16.* 500

*Opinio S. Thomæ. cap. 17.* 501

*Rationes, probãtes, materiam ſignatã eſſe principium indiuiduationis. cap. 18.* 502

*Thomiſtarum ſententia Ariſtotelis autoritatibus roboratur. cap. 19.* 503

*Thomiſtarum opinio quatuor concluſionibus reijcitur. Prima concluſio. cap. 20.* 504

*Secunda concluſio. cap. 21.* 505

*Tertia concluſio. cap. 22.* 505

*Quarta concluſio. cap. 23.* 507

*Rationes, ſuperiùs pro ſententia Thomiſtarum propoſitæ, diluuntur. cap. 24.* 508

*Solutio prima Ariſtotelis autoritatis. cap. 25.* 509

*Solutio ſecunda autoritatis. cap. 26.* 510

*Solutio tertia, & quarta autoritatis. cap. 27.* 510

*Solutio quinta, & ſexta autoritatis. cap. 28.* 511

*Opinio recentium Philoſophorum. cap. 29.* 512

*Prædicta ſententia rationibus, & autoritatibus confirmatur. cap. 30.* 512


Confu-

*Confutatio opinionis recentium Philoſophorum.ca.31. 514.*

*Solutio rationum, quæ à recentioribus Philoſophis propoſitæ ſunt. cap.32.* 515

*Vera ſententia de Principio indiuiduationis.ca.33.* 516

*Fundamentum præcipuum prædictæ opinionis defendenda.cap.34.* 517

*Prædicta ſententia tribus validiſſimis Scoti rationibus confirmatur.cap.35.* 519

*Thomiſtarum reſponſiones ad argumenta Scoti reijciuntur.cap.36.* 520

*Cardinalis Caietani argumenta contra Scoti ſententiam de Principio indiuiduationis.cap.37.* 521

*Solutio argumentorum Caietani.cap.38.* 521

*Duæ ſubtiliſſimæ rationes, contra Scoti ſententiam, ex Aureolo deductæ, diluuntur.cap.39.* 523

*Sueſſani argumenta contra Scotum.cap.40.* 524

*Prædictorum argumentorum ſolutio.cap.41.* 525

*Archangelo Mercenario, Scoti ſententiam reprobanti, ſatisfit.cap.42.* 527

*Franciſco Piccolominco, nonnullas Scoti propoſitiones reijcientis, occurritur.cap.43.* 528

*De Principio indiuiduationis ſubſtantiarum immaterialium.cap.44.* 529

*Totius diſputationis epilogus.cap.45.* 530

# INDEX PRAECIPVORVM
## ARISTOTELIS LOCORVM,
*Frequenter inter diſputandum vſu venientium, quæ paßim in hoc opere explanantur.*


*Primi Phyſicorum.*

TExtus Quartus explicatur. pag.30
Textus Vigeſimus ſeptimus. 272
Textus Quadrageſimus quintus. 328
Texus Quadrageſimus ſeptimus. 317
Textus Quinquageſimus. 272
Textus Sexageſimus ſeptimus. 287

*Secundi Phyſicorum.*

Textus Decimus quintus. 297
Textus Trigeſimus octauus. 522

*Octaui Phyſicorum.*

Textus Decimus quintus. 129
Textus ſeptuageſimus octauus. 171
Textus Septuageſimus nonus. ibid.

*Primi de Cœlo.*

Textus Quartus. 189
Textus Quintus. ibid.
Textus Decimus quintus. 17
Textus Vigeſimus. 287
Textus Nonageſimus ſecundus. 511

*Primi de Generatione.*

Textus Vigeſimus tertius. 304
Textus Vigeſimus quartus. 375
Textus Trigeſimus tertius. 261
Textus Quinquageſimus quintus. 311
Textus Octuageſimus quartus. 397

*Secundi de Generatione.*

Textus Sextus. 315
Textus Septimus. 316

Textus Quadrageſimus octauus. 407
Textus Quadrageſimus nonus. 314

*Primi Meteororum.*

Caput Secundum. 309

*Primi de Anima.*

Textus Sexageſimus quintus. 439
Textus Sexageſimus ſextus. ibid.

*Secundi de Anima.*

Textus ſeptimus. 418
Textus Vndecimus. 431
Textus Vigeſimus. 440
Textus Vigeſimus octauus. 301

*Tertij de Anima.*

Textus Nonus. 529
Textus Decimus ſeptimus. 441
Textus Decimus octauus. ibid.
Textus Decimus nonus. ibid.
Textus Vigeſimus. ibid.
Textus Sexageſimus primus. 229

*Libri de Senſu, & ſenſibili*

Caput de Odore, & Sapore. 296

*Secundi de Partibus Animalium.*

Caput primum. 241.404

*Secundi de Generatione Animalium.*

Caput Tertium. 444

*Quarti de Generatione Animalium.*

Caput Tertium. 407


*Secundi*

*Secundi Metaphyſ.*

Textus Quartus. 128.130

*Quinti Metaphyſ.*

Textus Sextus. 119
Textus Duodecimus. 428
Textus Vigeſimus quartus. 321

*Septimi Metaphyſ.*

Textus Vigeſimus octauus. 510
Textus Trigeſimus quintus. ibid.

*Octaui Metaphyſ.*

Textus Decimus. 289

*Noni Metaphyſ.*

Textus primus. 123

*Duodecimi Metaphyſ.*

Textus Decimus ſextus. 419.443
Textus Decimus ſeptimus. 443
Textus Quadrageſimus nonus. 429.518
Textus Quinquageſimus primus. 245
Textus Quinquageſimus ſecundus. 131

# GEORGII RAGVSEII VENETI, IN PATAVINA ACADEMIA PHILOSOPHI ORDINARII, Peripateticæ Diſputationes.

## DE NATVRALIS PHILOSOPHIAE Subiecto, Diſputatio Prima.

*Diſputationis introductio.* *Caput Primum.*

Naturalis Philoſophia contẽplatrix ſcientia eſt.

NAturalem Philoſophiam ſcientiam eſſe contemplatricem, eiq; cælum, elementa, animalia, plantas, atque id genus alia, vnà cum eorum principijs, & affectionibus ſubijci, omnibus puto exploratiſſimum eſſe, qui eam vel (vt aiunt) à limine ſalutarunt. Horum omnium, vt cumulatiſſimam nobis doctrinam Ariſtoteles relinqueret, libros edidit multos, plurima quidem eruditione refertos, ſed admirabili arte, ac ratione conſcriptos, pulchroq; adeò ordine digeſtos, vt vnumquemque dixeris perfectam quaſi ſcientiam, numeris omnibus abſolutam. Verum, ne in tot partes naturalis Philoſophia, quaſi diſcerpta, atq; diſtracta, diuagaretur, pluresque diſtinctos habitus continere videretur, cum vnus tantum re vera ſit; neceſſe fuit, genus aliquod reperiri, in quo vno, veluti in totius contemplationis fonte, ea omnia continerentur, quæ ad naturalem conſiderationem pertinent; atque ab hoc genere naturalis Philoſophia vnitatem acciperet ſuam, eodemque veluti ſigillo quodam obſignata, ab alijs contemplatricibus ſcientijs diſtingueretur. Hoc genus (quod non eſt propriè logicum, ſed ſcibile dici ſolet) illud eſt, quod Philoſophorum ſcholæ ſubiectum ſcientiæ appellare paſſim conſueuerunt: de quo in præſentia diſputatio à nobis inſtituenda eſt; quærentibus, quodnam ſit illud vnũ, cuius gratia ea omnia, de quibus in naturali Philoſophia diſſeritur, conſiderantur, & ad quod ea ipſa, tãquam ad commune genus referuntur? Diſputatio ſatis trita, & ab omnibus Philoſophis, quamuis minutis, agitata; quæ tamen Philoſophiæ tyronibus ſcitu neceſſaria eſt: ea enim rectè cognita, multis difficultatibus, paſſim in tota philoſophia occurrentibus, obuiã itur. Eadem præterea viris etiam doctiſſimis non paruã oblectationem allatura eſt: multa enim continebit, ab alijs fortaſſe ſcriptoribus minimè excogitata, & quæ rem totam omnino explicent, & niſi meum me fallit iudiciũ penitus euoluant.

Subiecti neceſſitas i qualibet ſciẽtia.

Quæſtio diſputanda.

Ordo in diſputatione ſeruandus.

Hanc igitur quæſtionẽ de vniuerſæ naturalis philoſophiæ ſubiecto, hoc ordine diſcutiendã proponio. Primò in iuniorum gratiam, quid, & quotuplex ſit ſubiectum, quotq; potiſſimum cõditiones exigat, breuiter patefaciam. Deinde omnes, quas legi hactenus de naturalis philoſophiæ ſubiecto opiniones paucis, & abſq; vllo verborum ambitu, in medium adducam.

Præterea ex omnibus allatis opinionibus, duas tantum, quæ maiore animos probabilitate percutiunt, diligenter expendendas eliciam. Demum eam confirmabo, atque ab obiectionibus, dubitationibusq; vindicabo, quæ mihi cũ Ariſt. & cũ veritate ipſa conſentire videbitur.

## *Quid, & quotuplex ſit ſubiectum, quotq; potiſſimum conditiones requirat.* Cap. II.

VT igitur à ſubiecto ipſo exordiamur, pluribus omiſſis eiuſdem ſignificationibus; quæ ad præſens negocium minimè pertinent, ſubiectũ in hac diſputatione accipimus pro genere ſcibili; hoc enim (vt omnes norunt) & à ſubiecto accidentium, & à ſubiecto propoſitionis, quod predicato opponitur, & ſummatim ab omnibus alijs ſubiectis diſtinguitur. Eſt inquam genus ſcibile; quia vt in genere ſpecies poteſtate continentur; ita in ſubiecto ſciẽtiæ ea omnia virtute, & poteſtate cõprehenduntur, quæ in tota illa ſcientia conſiderantur. Hoc genus ſcibile dicitur interdum materia, circa quam artifex verſatur. Dicitur etiam ſcopus, in quem illius ſcientiæ autor totam mentem, & cogitationem defigit. Sed potiſſimum appellatur ſubiectum; tum quia affectionibus ſubijcitur, quæ de eo demonſtrantur; tum etiã quia noſtræ ſubeſt contemplationi. Sunt qui inter ſcopum, & ſubiectum nonnihil diſcriminis ſtatuant, vt Franc. Bon. & Iacobus Zab. Sed alijs ego diſputationibus, ſatis, vt arbitror, planum feci, ſubiectum, & ſcopum, ſeu autoris conſilium, pro eodem vſurpari, nec inter ſe vllo reali diſcrimine diſſidere; afferam nihilominus hic breuem inductionem. Subiectum Primæ Philoſophiæ, de cõi grauiorum philoſophorum conſenſu, eſt ens, quatenus ens; conſilium autem Ariſtotelis in illa facultate, eſt agere de ente, de partibus, & affectionibus eius. Subiectum librorum de cælo eſt corpus ſimplex; & conſilium Ariſtotelis in ijs libris eſt naturam corporis ſimplicis explorare. Subiectum tertij lib. de anima eſt anima, rationis particeps; & conſilium Ariſtotelis in eo libro, eſt agere de anima, rationis participe: idem in multis alijs dici poteſt: ſubiectum igitur, & autoris conſilium re ipſa non differunt, quemadmodum etiã Fedéricus Pendaſius, & Franc. Piccol. arbitrati ſunt. Porrò ſubiectum ſolet eſſe triplex, Communiſſimum, quod & prædicationis à nonnullis appellatur, Adæquatũ, & Principale. Subiectum cõmuniſſimum eſt illud, quod de omnibus contentis in ſciẽtia prædicatur; quo modo in naturali philoſophia eſt ens reale, & in Logica ens rationis: nihil enim eſt in naturali philoſophia, quin ſit ens reale; nihil in Logica, quin ſit ens rationis. Subiectum adæquatum eſt illud, quod tantam cum ſcientia proportionem habet, vt illam non excidat, nec ab eadẽ excedatur; ſicut in Sacra Theologia eſt Deus; in Metaph. ens, & ſic de alijs, & de hoc potiſſimum ſubiecto hæc diſputatio futura eſt. Subiectum principale eſt pars præcipua ſubiecti adæquati; vt ſubiectum principale in Metaph. eſt ſubſtantia, quæ eſt præcipua pars entis; aut in Logica demonſtratio, quæ eſt præcipua pars ſyllogiſmi. Rurſum ſubiectum diuidi ſolet in materiale, & formale. Subiectum materiale eſt res ipſa, in ſcientia conſiderata, & à nonnullis appellatur ſubiectum quod: vt ſubiectum materiale in Medicina eſt homo. Subiectũ formale eſt modus ipſe conſiderandi & à nonnullis dicitur ratio formalis ſubiecti, atq; ab alijs ſubiectum quo; vt ſubiectum formale in Medicina eſt (vt ſic loquar) ſanabilitas: homo enim ſub ratione, qua ſanabilis eſt, ſubiectum in Medicina ſtatuitur. Duo hęc ſubiecta, materiale, ſcilicet, & formale, ſe habent inuicem, vt genus, & differentia, atq; ex his duobus ſimul iũctis, veluti ſpecificum quoddam ens conſtituitur, & eſt illud, à quo ſcientia ſpeciem, atq; vnitatem accipit. Cæterum tàm ſubiectũ formale, quàm ſubiectum materiale ſuas vnũquodque conditiones habet; & quidem ſubiecti formalis duæ conditiones ſtatuuntur. Prima eſt, vt materiale ſubiectum ad aliquod inferius contrahat, & ratione huius contractionis, multę ſcientiæ, quæ in materiali ſubiecto conueniunt, differunt in ſubiecto formali. Exempli gratia, linea eſt res tàm à Geometra, quàm à Perſpectiuo conſiderata: coinciderent hi duo artifices, niſi conſiderandi modus eos diſtingueret; etenim Geometra lineam conſiderat, quatenus linea eſt: Perſpectiuus verò eandem, vt aſpectabilem cõtemplatur. Altera conditio eſt, vt ſubiectum formale, ſeu ratio formalis, ſit intima ſubiecto materiali, adeo vt inter ipſam, & ſubiectum materiale, nullum prorſus medium intercedat, nec vlla prior affectio, quæ de materiali ſubiecto demonſtretur. Conditiones autem materialis ſubiecti, ab Ariſtotele primo lib. Poſt. traditæ, quinq; præcipuè ſunt. Primò ſubiectum debet eſſe vnum; alioquin ab eo ſcientia ſuam vnitatem non caperet. Deinde, cum ſit vnum, vniuocum ſtatuas non æquiuocum

Subiectũ in hac diſputatione accipitur pro genere ſcibili.

Subiectum ſciẽtiæ quandoq; appellatur materia circa quã interdũ ſcopus.

Cur dicatur ſubiectum.

Franc. Bona. lib. 1 de motu cap. 13 & Iac. Zab. lib. de præcogn. & 1 q. de ſubiecto octo li. Phyſ. diſtinctionẽ faciũt inter ſubiectũ, & ſcopũ.

Autor tenet oppoſitum.

Idẽ ſuſtinẽt Feder. Pend. in Appar. ad Phyſ. text. p. 2. & Frã. Piccol. 1 Introd. ad ſcientiam de nat. c. 23.

Subiectũ cõmuniſſimum ſeu prædicationis.

Subiectũ adæquatum.

Subiectum principale.

Subiectũ materiale.

Subiectũ formale.

Duæ conditiones ſubiectũ formalis.

Quinq; cõditiones ſubiecti materialis.

cum;alias definiri non poſſet. Præterea ſit primò notum, hoc eſt, de eo ponatur, quòd eſt, & quid eſt: nam in rerum natura conſiſtere debet, aut ſaltem repugnantiam nullam habere, quo minus aliquando conſiſtat, hincq; ei iure optimo competit, vt apta ſit definitione illuſtratum. Affectiones inſuper ei neceſſarię ſunt, quę de ipſo demonſtrentur. Poſtremò eiuſmodi eſſe debet, vt eo ipſo ſcientia, cuius eſt ſubiectum, à cæteris quibuſcunque diſcriminetur. Plures fortaſſe ſubiecti conditiones, & ex Logica, & ex alijs Ariſtotelis locis, afferri poſſent; hæ tamen, quas recenſui, præcipuę ſunt, atq; omnes, virtute, in hac ſubiecti definitione continentur. Subiectum eſt illud, quod primò intenditur in ſcientia, cuius cauſæ, affectiones, & ſpecies, in ſcientia conſiderantur, à quo ſcientia vnitatem, atque diſtinctionem ſumit. Hæc de ſubiecto ſatis.

Abſolutiſſima ſubiecti definitio.

### *De ſubiecto naturalis ſcientiæ, opiniones variæ.* Caput III.

DE re propoſita variæ autorum ſententiæ circumferri ſolent, quas melius fortaſſe eſſet ſilentio præterire, ne tanta varietate, atque opinionum permiſtione, intellectus addiſcentium confundantur: eas tamen breuiter proponere decreui, vt ijs leuiter apprehenſis, intellectus ad veram ſententiam intelligẽdam faciliùs adducatur. Prima igitur fuit opinio Auerrois in præfatione primi libri de phyſico auditu, qui naturalis ſcientiæ ſubiectum, res ſenſibiles eſſe exiſtimauit, hac potiſſimum ratione ductus, quia naturalis Philoſophus res conſiderat, materiæ penitus adhærentes.

Opin. Auer.

Secunda fuit opinio S. Thomæ, qui pro vniuerſali huius ſcientiæ ſubiecto, ens mobile conſtituit: tale enim præcipuæ affectionis, in naturali Philoſophia conſideratæ, puta motus, proximum ſubiectum exiſtit, cum Ariſtot. 3. phyſ. lib. motum, entis in potentia, quatenus in potentia, actum eſſe definierit.

Opin. S. Th.

Tertia fuit opinio Auicennæ, 1. lib. ſufficientiæ ſuæ, atque etiam Algazelis, libro de ſcientiarũ diuiſione, quã deinceps Magnus Albertus, Aegidius, & alij plures ſecuti ſunt: qui corpus mobile, vniuerſè acceptum, adęquatum naturalis ſcientiæ ſubiectum eſſe ſtatuerũt. Quod enim mouetur, atque vt mobile à naturali Philoſopho conſideratur, non eſt (inquiunt) ens latè ſumptum, ſed ad inferius aliquod contractum, nimirum ad corpus; & propterea potius corpus mobile, quàm ens mobile naturalis Philoſophiæ ſubiectum eſſe exiſtimarunt; ne Philoſophiam naturalem, aut metaphyſicæ partem, aut eidem ſubalternatam ponere, cogerentur.

Opin. Auic. Algazelis. Magni Alb. Aegidij, & aliorum.

Quarta fuit opinio Scotiſtarum, qui hac in re nõ omnino concordes extiterunt: aliqui enim naturalem ſubſtantiam, vt Antonius Andreas, libro de tribus principijs q. 1. immò Scotus ipſe lib. 6. metaph. q. 1. alij ſubſtantiam finitam, vt Io. Canon. & Anton. Trombeta: alij ens finitũ, vt Petrus Tataretus, ſubiectum naturalis ſcientiæ ſtatuere: hac potiſſimum ratione, vt vel Intelligentias ipſas, quæ materiæ expertes ſunt, nec vllo modo corpora, ſed abſtractæ ſubſtantiæ nuncupantur, atq; de loco ad locum mouentur in contẽplatione ſcientiæ naturalis includerent.

Opi. Scotiſt. apud ipſos diuerſa.

Quinta fuit opinio Ioan. Maioris, quam etiã ſecutus eſt Franc. Toletus: qui putarunt, ſubiectum huius ſcientiæ debere ſtatui ens naturale; idq; vt veram ſubiecti formalẽ rationẽ exprimerent: quæ non poteſt eſſe mobilitas, ſed ipſa naturalitas, tanq̃ ea, quæ materiali ſubiecto, puta enti naturali, propior eſt, quàm mobilitas: hæc enim à naturalitate, tanquam effectus à ſua cauſa proficiſcitur; cum ſit natura principium motus, & quietis, vt eam Ariſt. 2. phyſ. lib. definiuit.

Opin Ioan. Maioris, & Toleti.

Sexta fuit opinio Alex. Achillini, Lucilli Philalthæi, Flaminij Nobilij, Nicolai Boneti, & aliorũ: qui putarunt, ſubiectum naturalis ſcientiæ eſſe naturam ipſam: ducti in eam ſententiã verbis Ariſt. initio 1. lib. de Cęlo, qui naturalem philoſophiã de natura ſcientiã appellauit.

Opin. Achil. Philalthæi, Flaminij Boneti, & aliorum.

Septima fuit opinio Theophraſti, Alex. Them. Simpl. Philop. & omnium ferè Græcorum, qui cenſuerunt, naturalis ſcientiæ ſubiectum eſſe corpus naturale, quatenus naturale eſt: tota enim naturalis ſcientiæ contẽplatio circa naturalia corpora eſt, quẽadmodum Ariſt. loco nuperrimè citato affirmat, deq; eius partibus, principijs, atq; affectionibus potiſſimum diſputat.

Opi. Græcorum.

Hæc eſt cõior ſententia, quam oẽs ferè recentiores Philoſophi amplexati ſunt, præſertim Buccaferreus, Pendaſius, Bonamicus, Zabarella, & Piccolomineus; tametſi varijs nominibus rem eãdem ſignificarint. Aliqui enim ſubſtantiã mobilem potius, quàm corpus mobile, vt Bonamicus: alij ens mobile, vt Pendaſius: alij phyſicum corpus potius, quã naturale, vt Piccol. pro huius ſcientiæ ſubiecto, ponendum eſſe cõtendunt; quanuis (vt ijdem ſemetipſos explicant) nihil re vera aliud, hiſce nominibus, quàm

Hanc opinionem tanquã communem ſecuti ſunt, Buccaferr, Pendaſius, Bonamicus, Zabarella, Piccolomin.

Opin. aliquorũ recentiorum.

naturale corpus intelligendum eſſe arbitrantur. Octaua fuit opinio quorundam recentiorum, qui exiſtimarunt, naturale corpus, abſolutè acceptum, atque vt ſub ſe tam æterna, quã mortalia corpora comprehendit, nimis amplum eſſe ſubiectum, atque adeo minus idoneũ, quàm vt naturalis Philoſophię ſubiectum ſtatuatur: & propterea in eam ſententiam venerunt, vt corpus generabile, & diſſolubile verum, & adæquatum eſſe totius naturalis ſcientię ſubiectum exiſtimarint. Eorumq; ratio in promptu eſt: quoniam Ariſt. in libris phyſicorũ, qui de principijs inſcribuntur, de principijs corporis generabilis, & diſſolubilis, non itẽ ęterni, & immortalis, cuiuſmodi ſunt cœleſtia corpora, diſputauit. Poſtrema fuit opinio, quæ M. Antonio Genuæ tribuitur, qui magis huius ſciẽtiæ ſubiectum in anguſtum deduxit: nõ enim naturale corpus, quatenus naturale eſt, neq; rurſus naturale corpus, quatenus eſt generationi, interituique obnoxium, ſed præcipuè naturale corpus, quatenus ex elementis coagmentatum eſt, naturalis Philoſophiæ ſubiectum eſſe pronunciauit. Nam ſi, ſecundum alios, cœlum non eſt pars ſubiecti, ſed principium efficiens; ita etiam elementa in naturali ſcientia, non tanquam ſubiecti ſpecies, aut partes ſubiectiuæ, ſed tanquam materiale principiũ conſideranda ſunt: cœlo igitur, atque elementis excluſis, ſolum relinquitur corpus miſtum, quod, de doctoris huius ſententia, verum, proprium, & adæquatum naturalis ſcientiæ ſubiectum ſtatuendum eſt.

Opin. M. Anton. Genuæ.

*Relatæ opiniones, nonnullis excluſis, ad duas tantum reuocantur, & vtra illarum verior ſit, explicatur.* Caput IV.

PRopoſitis his opinionibus, tanquam quibuſdam, veluti proluſionibus ad hanc quæſtionem delucidandam; eas nunc paulò diligentiùs expendemus, atque nonnullis præciſis, tanquam ab Ariſt. mente alienis, reliquas omnes ad duas tantum reuocari, & contrahi poſſe oſtendemus: quarum alteram, ſeu probabiliorem, explicandam primùm, mox defendendam ſuſcipiemus. Omittemus igitur primò opinionem ſcotiſtarum, quippe quæ ad diſputationem noſtram minimè pertineat: nos enim ſubiectum naturalis Philoſophię, ab Ariſt. traditæ, indagare contendimus; cumq; de mobilibus rebus diſputamus, motum in ea ſignificatione accipimus, quam cõiter naturales omnes Philoſophi accipere ſolent, quatenus ſcilicet corporibus, ex materia, & forma concretis, potiſſimum congruit. At vero Scotiſtæ, cum naturalem ſubſtantiam, aut ſubſtantiam mobilem, vel finitam, aut etiam ens finitum, pro ſubiecto naturalis Philoſophiæ conſtituunt, non accipiunt naturalem Philoſophiam, pro ea, quæ ab Ariſt. tradita eſt, ſed pro Philoſophia (vt aiunt) completa, omnibuſque numeris abſoluta. Rurſus cum de motu loquuntur, non eum tantum accipiunt motum, qui corporibus conuenit, ſed eum ẽt, qui Angelis, ſeparatiſque ſubſtantijs attribuitur; quippe qui non phyſicus, ſed metaphyſicus, aut metaphoricus eſt. Eſto igitur ipſorum ſententia de ſubiecto philoſophiæ perfectæ, & abſolutæ, vera ſit, cum illis modò ne contendamus. Omittemus ſecundò opinionem poſtremam, quæ fuit M. Antonij Genuæ; propterea quòd naturalem philoſophiam nimis coarctate, atque in anguſtum cõtrahere videtur: ab ea enim ſimplicia corpora, & potiſſimum elementa ſecernit, quæ neſcio, in quanam alia facultate tractentur, ſi ad ſubiectum non pertinent philoſophiæ naturalis. Falſum igitur abſolutè exiſtimo, ſtatuere, miſtum corpus adæquatum eſſe naturalis ſciẽtiæ ſubiectum. Reliquas omnes opiniones ad duas tantum reuocari facile poſſe putarim: nimirum ad opinionem Alberti, & Aegidij, qui corpus mobile; & ad opinionem Græcorum, qui corpus naturale, huius ſcientiæ ſubiectum eſſe dixerunt. Opinio Alex. Achillini; Philalthæi, Flaminij, & aliorum; qui pro ſubiecto naturam conſtituunt, partes ſubſtantiales exprimit corporis naturalis: natura enim de materia dicitur, & de forma; non longè igitur ab opinione Græcorum diſtare videtur. Opinio S. Tho. ponentis ens mobile pro ſubiecto, conuenit cum opinione Alberti: vt. n. ante diximus, non eſt ens, vniuerſè acceptum, quod ſubiectum motus exiſtat, ſed ens contractum ad corpus; ſicque illud Ariſt. accipitur 3. lib. phyſic. motum eſſe actum entis in potentia; ac ſi dixiſſet, motum eſſe actum eius, quod eſt in potentia; id autem eſt ipſum corpus. Et fortaſſe S. Tho. hoc idẽ conſiderauit, cũ primo de cœlo, non amplius ens mobile, ſed corpus mobile, naturalis philoſophiæ ſubiectũ eſſe cõſtituit: tametſi inter Thomiſtas non deſint, qui S. Tho. à cõtradictione vindicare contendant, nulloque pacto admittere velint, eã ſententiam

Scotiſtarum opin. nõ pertinet ad hãc diſputationẽ.

Opin. M. Antonij Genuę, vt ab Ariſt. mente aliena penitus excluditur.

Opin. Achil. Philal. & aliorũ facilè reuocari põt ad opin. Græco.

Opin. S. Th. reuocari põt ad op. Alber.

S. Th. 1. de cęlo poſuit corpus mobile, p ſubo totius naturalis Philoſophiæ.

tentiam mutaſſe, aut (quod aiunt) pallinodiam cecinisse. Sed hoc nihil ad nos. Duæ igitur ſunt præcipuæ ſententiæ de naturalis philoſophiæ ſubiecto, quarũ altera ſta tuit, illud eſſe corpus mobile, altera corpus naturale. Conueniunt hæ duæ ſententiæ in re conſiderata, quæ eſt ipſum corpus; differuntq; in modo conſiderandi; prior enim ſñia mobilitatem, tanquam rationem formalem ſubiecti conſtituit: poſterior verò naturalitatem. Vtra ſñia verior? Id facile ex formalis ſubiecti conditionibus elicere poſſumus, in quibus, hanc diximus eſſe præcipuam, vt, ſcilicet, materiali ſubiecto ita proximè adhæreat, vt nihil ſit, quod propius illud attingat: conſpicuum eſt autem, naturalitatem propiorẽ corpori, quàm mobilitatem eſſe; immò hanc ab illa, vt diximus, tanquam effectum à propria cauſa fluere: erit ergo naturalitas ratio formalis ſubiecti, non autem mobilitas. Hæc igitur tanquam vera, ſolidaque ſñia relinquitur, ſcilicet, adæquatum naturalis philoſophiæ ſubiectum eſſe corpus naturale, quatenus naturale eſt.

Duæ tãtum sũt præcipuè ſentẽtię de ſubiecto naturalis philoſophiæ, cũ in re cõſiderata cõueniũt, differũt aũt i modo conſiderandi.

Vera ſñia de ſubiecto naturalis philoſophiæ.

*Validiſſimo argumento oſtenditur, ſubiectum naturalis Philoſophiæ non eſſe corpus naturale, cœlo, mortalibuſq; commune.* *Cap. V.*

VIdemur nunc diſputationem hanc penitus abſoluiſſe, atque id, quod præcipuè quærimus, inueniſſe; cum iam concluſum ſit, ſubiectum naturalis philoſophiæ eſſe corpus naturale, quatenus naturale eſt: Sed tamen hactenus nõ niſi quædã quaſi rudimenta poſuimus, quibus & commodius, & facilius propoſitam difficultatẽ explicare poſſemus. Nodus enim implicatiſſimus nobis adhuc ſupereſt diſſoluendus, qui recentioribus præſertim philoſophis negocium maximum faceſſit, quique niſi expediatur, in grauiſſimos tãdem nos errores deducet. Enimuerò naturale corpus bifariam accipi poteſt, vno modo in ſua latiſſima cõmuniſſimaq; ſignificatione, quatenus, ſcilicet, ſub ſe tã cęleſtia, quã ſublunaria corpora cõprehendit: altero præſſius, atq; anguſtius, prout generabilia tantũmodo, diſſolubiliaq; corpora includit. Vocatur nũc in dubiũ, cũ naturale corpus ſubiectum eſſe philoſophiæ naturalis aſſeritur, in priori ne ipſum, an in poſteriori accipiatur ſignificatione? Hæc eſt quæſtio maximi momenti, & difficiles admodum explicatus habet; ceteræ aũt, huc ſpectantes, ſunt controuerſię de nomine tantum. Illi, qui cælum ex materia, & forma concretũ eſſe defendũt; habere illud materiam, eiuſdem rationis cum materia horum inferiorum; eidemq; naturæ definitionem lib. 2. de phyſico auditu, ab Ariſtotele traditam, cõuenire; facile tueri poſſunt, naturalis philoſophiæ ſubiectu m eſſe corpus naturale, in priore ſignificatione cõſideratum, & ego quoq; aliàs, pręceptorum opinionem ſecutus, hanc eandem ſñiam amplexatus ſum. Verùm vbi libera mihi philoſophandi facultas data eſt, re maturius conſiderata, ea omnia, quæ nuper de cœlo tetigi, falſiſſima eſſe cognoui, atq; ab Ariſtotelis mente penitus abhorrentia, quemadmodum ſępe in publico hoc Patauino Gymnaſio auditoribus meis apertiſſimè demonſtraui: ac deinceps falſam eſſe opinionem illam, de philoſophiæ ſubiecto, quæ inde robur, fundamentumq; accipit ſuum, nimirum ſubiectum naturalis ſciẽtiæ eſſe corpus naturale, in ſua latiſſima ſignificatione ſpectatum. Relicta igitur præceptorum ſñia, difficillimam quidem, ſed tñ, niſi me ratio fallit, veriſſimam, de re a nobis propoſita, opinionem defendere decreui, quę ſtatim conſpicua fiet, hac concluſione probata. Subiectũ naturalis philoſophiæ non eſt corpus naturale, latè ſumptum, quatenus cęleſtibus, & ſublunaribus corporibus cõe eſt; ſed illud ipſum preſſius acceptum, quatenus tantummodo generabilia, diſſolubiliaq; corpora complectitur. Priorem partem huius concluſionis probo primum cõmuniſſimo hoc, facillimoq;, ſed tñ, vt opinor, validiſſimo argumento, quodq; aduerſus nonnullos haud infirmam arbitror eſſe demonſtrationem. Subiectum vniuſcuiuſq; ſcientiæ debet eſſe vniuocum: hęc enim vna eſt ex pręcipuis ſubiecti conditionibus, vt ſecundo huius diſputationis cap. ex Ariſtotele patefecimus: ſed naturale corpus, quatenus cęleſtia, ſublunariaque corpora comprehendit, eſt quid æquiuocum; ergo naturale corpus, ſic acceptum, naturalis philoſophiæ ſubiectum eſſe non poteſt. Minor propoſitio clara eſt ex Ariſtotele lib. 10. metaph. textu vltimo, vbi aſſerit, æternum, & diſſolubile inter ſe genere differre: non habent igitur vnam naturam communem, quæ de illis vniuocè dici, pędicariue poſſit.

Corpus naturale dupliciter accipi poterit.

Dubiũ pręcipuũ in pſenti diſput.

Autoris opi.

Cõcluſio defendenda.

Argumentũ validiſſimũ.

### *Communis reſponſio ad prædictum argumentum reijcitur, ſimulq; illud Auerrois autoritate firmatur.* *Cap. VI.*

Reſpōſio cōmunis ad pṙedictū argumentum.

Pro huius rñſionis cōfutatione, Vniuoci, Aequiuoci, & Analogi definitiones ſpræmittuntur.

HVic argumento alterius ſententię autores, preſertim Pendaſius, Zab. Piccol. & alij recentiores, cōi quadam reſponſione ſatisfacere, conantur: quæ tamen, mea quidem ſententia (pace omnium dixerim) argumentum nō diluit, queq; potius effugij nomen, quàm reſponſionis meretur. Concedunt omnes, naturale corpus, cęlo, mortalibuſq; cōe, non eſſe quid vniuocum: fateri tamen nolunt, illud eſſe æquiuocum: Sed eſſe aiunt, quid dictum ab vno, quod familiariore vocabulo, ſolet analogum appellari, quaſi cōe hoc corpus, de cęlo, & mortalibus, ſecundum quandam ſimilitudinem, & proportionem, aut ſecundum prius, & poſterius, dicatur, hacq; reſponſione omnia ferè argumenta, quę pro ſnīa noſtra adduci ſolent, ſoluere ſe poſſe arbitrantur. Aliàs ego hanc ipſam reſponſionem reieci: ſed qm̄ video, eam veluti cōem quandam regulam, multis argumentis diluendis adhiberi, idcirco nunc paulò enixius in eiuſdem confutationem arbitror incumbendum, Quod facilè me facturum exiſtimo, ſi oſtendero, hoc, quod dr̄ ab vno, & ad vnum, non eſſe medium quiddam inter vniuocum, & ęquiuocum, vt prędicti Doctores arbitrantur, ſed cum illorum altero neceſſario coniunctum eſſe. Hoc vt euidentius probem, vniuoci, æquiuoci, & analogi nominis definitiones, paucis in medium afferre non grauabor. Sciendum igitur eſt, ex Ariſtotele in Antepredicamentis,

Vniuocum quid ſit.

Vniuocum nomen illud eſſe, quod pluribus rebus cōe eſt, & ratione illius nominis, res omnes, ſub eo contentę, eandem rōnem ſubſtantiæ, hoc eſt (vt omnes exponunt) eādem definitionem habere dicūtur. Vt animal nomen quoddam homini, boui, leoni, & alijs ſpeciebus cōe eſt, & ſm hoc animalis nomen, homo, bos, & leo eandem prorſus definitionē habent: nam homo, quatenus animal, eſt ſubſtantia animata ſenſibilis: Sic bos eſt ſubſtātia animata ſenſibilis, atq; idem de leone, & de reliquis ſpeciebus, ſub animalis genere contētis, dicendum eſt. Animal igitur nomen quoddam vniuocum eſt, ad omnes ſuas ſpecies, de quibus prędicatur.

Aequiuocū quid ſit.

Æquiuocum, nomen pariter dr̄, rebus pluribus cōe, (dicitur enim æquiuocum quaſi equè plura vocans) tamen ſm hoc cōe nomen, res plures, ſub eo contentę, eandē definitionem minimè habere dicuntur. Afferamus exemplum cōe: canis eſt nomen quoddā commune, quod ſub ſe canem latrabilem, piſcem marinum, & ſidus cęleſte comprehendit: conueniunt tria hęc in nomine canis; attamen, ſecundum hoc nomen, eandem definitionem non habent, immò ne vllam quidem habent: quia canis, vt nomen ęquiuocum eſt, definiri non poteſt; & propterea ſi nomen canis definitionem non habet, nullam profectò definitionem cum ſuis inferioribus cōicare poterit, quemadmodum communicat animal, quod vniuocum eſt. Animal ſubſtantia dr̄ animata ſenſibilis, & vnumquodq; quod eſt animal, quatenus animal, hac eadem definitione gaudet. Canis aūt, vt nomen cōe eſt, & illud quidem ęquiuocum, nulla definitione circumſcribi poteſt: nam ſi ex. gra. latrabile animal eſſe dicatur; hęc definitio piſci marino, & ſideri cęleſti non erit cōis: ita de alijs dicendum eſt.

Analogum quid ſit.

Analogum, nomen quoddam eſt, quod multa ſignificare dr̄, idq; vel propter aliquem vnius ad alterum ordinem, ſimilitudinem, & proportionem, vel propterea quod multa ab vno pendeant, & proficiſcantur. Huius nominis meminit Ariſto. pluribus locis, ſed potiſſimum lib. 3. phyſ. tex. 70. lib. 4. metaph. tex. 2. & 7. eiuſdē operis libro, textibus 14. & 15. vbi docuit, Analogū non propriè vnam quandam naturam, pluribus cōem, ſed ordinem, & proportionem quandam multorum ad vnum, vel multorum ab vno ſignificare. Rem illuſtremus exemplis. Hoc nomen homo, ſi ad viuum, pictumq; hominem referatur, analogum eſt; quia primò, & precipuè de homine viuo, poſtea verò per quandam ſimilitudinem, quę eſt homini picto cum homine viuo, de picto etiam homine dr̄: conſtat autem, hominem viuum, & hominem pictum, in nulla cōi natura, quę proximè de illis dicatur, cōuenire.

Homo viuus & homo pictus cōuenire pſſt in ente, in ſubſtantia, in corpore, tanq̃ in vniuoco remoto.

Rurſus hoc nomen ſanum, vt exemplis Ariſto. vtamur, cōe eſt horum trium, ſcilicet, animalis, medicinę, & vrinę, deque illis analogicè prędicatur. Primò enim, & per ſe de animali dicitur, tanquam de eo, in quo ſanitas ineſt (Analogorum enim ea eſt regula, vt quotieſcunq; nomen aliquod analogū de pluribus dicitur, illud de eo primum, quod ſub ſe primo continet, enuncietur) Deinde de medicina, tanquā de ea, quę ſanitatem efficit. Deniq; de vrina, tanquā de ea, quę ſanitatem ſignificat. Hęc enim ad ſanitatem ordinem habent, & propterea, quę hoc ſanitatis nomine ap-

Analogorū regula.

Zab. li. de naturalis ſcien-

pellan-

pellantur, non propriè vniuoca; quia nullam habent naturam cõmunem, ſed ad vnum, ſeu analoga nuncupantur. His definitionibus premiſſis, oſtendam nunc apertiſſimè, inter vniuocum, & æquiuocum, nullum re vera medium interiectum eſſe poſſe; ſed hoc, quod dicitur ab vno, & ad vnum, ſeu analogum, ſemper vniuocationem, aut æquiuocationem quandam redolere. Accipiamus igitur aliquod analogum, ſitque ex. gra. naturale corpus, de quo modo diſſerimus: analogicè, inquiunt iſti doctores, de cęlo, & mortalibus dicitur. Sciſcitor ego ab illis, nomen hoc, ſcilicet corpus naturale, dicatur ne, ſecundum eandem rationem, de cœlo, & mortalibus, an ſecundum rationem diuerſam? Fingant ipſi inter hæc duo medium aliquod ſi poſſunt: nam certè non poſſunt; quoniã idem, & diuerſum, vt habet Ariſt. 10. metaph. tex. 12. ſunt differentiæ maximè oppoſitæ circa ens, atque inter ſe contradictoriam oppoſitionem habent, ſicut idem, & non idem: contradictoria verò medium non recipiunt, vt elicitur ex 4. metaph. tex. 9. & 27. ſi dicatur ſecundum eandem rationem; erit igitur vniuocum; ſi ſecundum diuerſam, æquiuocum, quemadmodum ex vniuoci, & æquiuoci definitionibus elicitur. Dicere igitur, cõe hoc naturale corpus, de cœlo, & mortalibus, non vniuocè, ſed analogicè prædicari, eſt disertè fateri, illud eſſe nomen aliquod æquiuocum, cum analogia coniunctum, quod à naturalis ſcientiæ ſubiecto, ex Ariſt. decreto, excludendum omnino eſt. Neque verò miretur quiſpiam, nomen aliquod ſimul vniuocum, & analogum eſſe, aut analogum, & æquiuocum: dabo enim exempla, rem apertè, atque dilucidè oſtendentia. Ens, quod metaphyſ. ſubiectum ſtatuitur, cõe quoddã nomen eſt, quod ſub ſe tam ſubſtantiam, quàm accidens comprehendit; de illis ſecundum eandem rationem affirmatur, & propterea vniuocum eſt, ſaltem vniuocatione metaphyſica, vt multi defendunt (ſcio etiam, alios oppoſitum tueri, ſed hoc nunc parui refert) ſed tamen analogiæ quaſi ueſtem induit; quandoquidem ſubſtantiam priùs, quàm accidens olet, ac ſonat. Rurſum nomen canis terreſtri animali, piſci marino, ſiderique cœleſti commune dicitur, deque illis non ſecundum eandem, ſed ſecundum diuerſam rationem prædicatur, & quod hinc ſequitur, æquiuocè. Verùm nomen illud primò, & præcipuè ad terreſtre animal ſignificandũ impoſitum eſt, deinde verò, ob quandam proportionem, aut ſimilitudinem, quam cum eo habent piſcis marinus, ſiduſque cœleſte, ad eã quoque ſignificanda extenſum eſt; hincque fit, vt de illis etiam analogicè enuncietur. Quòd ſi quis pertinaciter tueri velit, nomen canis, ad canem latrabilem, piſcem marinum, & ſidus cœleſte purum ęquiuocum eſſe; exemplũ aliud afferri poſſet, iam paulò ſuperiùs allatum, nimirum de homine, qui de viuo, atque de picto analogicè dicitur; nemo tamen negabit, nomen illud viuo, pictoque homini æquiuocum eſſe. Quare iam ſatis oſtendiſſe videor, analogiam puram reperiri minimè poſſe, ſed illam neceſſario aut cum vniuocatione, aut cum æquiuocatione coniunctam eſſe; ac deinceps argumentum ſuperiùs propoſitum, prædictorum Doctorum reſponſione haudquaquam labefactari, ſed adhuc in ſua vi, & robore permanere. Quod etiã libet, cumulationis doctrinæ gratiæ Auer. autoritate firmare, qui initio ſecundi lib. de phyſ. auditu, principium, aſſeruit, de cœleſtibus, mortalibuſque corporibus, non vniuoce, ſed quaſi æquiuocè dici. Liberiùs tñ, & apertiùs in calce ſecundi metaph. id ipſum pronunciauit, vbi ore rotundo, naturale corpus, de cœleſti, atque mortali, æquiuocè dici, aſſeuerauit.

…tię cõſtitu. c. 10. diſcrimẽ ponit iter id, q eſt ad vnũ, & analogũ, cõiter tñ pro eodẽ accipi ſolent.

Argumẽtum probãs inter vniuocum, et ęquiuocũ nõ dari mediũ.

Nõ eſt abſurdũ nomẽ aliquod ſimul vniuocũ, & analogũ eſſe.

Oſtendit nomẽ aliquod ſimul æquiuocũ, & analogum eſſe.

Corpus naturale ſcdm Auer. de cœlo, & mortalib. ęquiuocè dicitur.

*Pro confirmatione argumenti, ſuperiùs adducti, explicantur duo Ariſt. loci, quibus puram analogiam concedere videtur. Caput VII.*

TOta vis argumenti, à nobis ſuperiùs propoſiti, ad probandum, corpus naturale, cœlo, mortalibuſque commune, pro vero, & adæquato naturalis ſcientiæ ſubiecto ſtatui nõ poſſe, in eo poſita erat; quia corpus naturale, ſic acceptum, eſt æquiuocum, & nullum æquiuocum ſubiecti rationem habere poteſt. Soluebant hoc argumentum prædicti Doctores, negando, eiuſmodi corpus eſſe æquiuocum: & quanuis neque vniuocum dici poſſit; dicebãt nihilominus, non eſſe illud à naturalis ſcientiæ ſubiecto penitus excludendum, propterea ꝙ eſt analogum, quod medium quiddam eſt inter vniuocum, & æquiuocum. Eam nos reſpõſionem ſatis commodè in ſuperiore capite confutauimus, oſtendimuſque, nullũ re vera medium inter vniuocum, & æquiuocum interiectum eſſe poſſe. Verùm quoniam duo ſunt Ariſt. loci, quibus puram analogiam concedere videtur, ideo ij nobis in præſenti capite excutiendi,

tiendi ſunt, vt propoſitum iam argumentum demonſtrandi vim habeat penituſque inſolu-

Duo Ariſ. loci valde notã d, quib. ipſe cõcedere v purã analogiam.

bile iudicetur. Ariſtote. igitur lib. 4. metaph. tex. 2. volens oſtendere, quonam pacto ens ad ſubſtantiam, & accidens ſe habeat, ens, inquit, multipliciter quidem dici, verum ad vnũ, hoc eſt ad vnam quandam naturam, non tamen æquiuocè. Quibus verbis nihil planè aliud docere videtur, niſi ens ad ſubſtantiam, & accidens non vniuocum, nec æquiuocum, ſed analogum eſſe. Id ipſum apertius declarauit 7. eiuſdem operis lib. tex. 15. vbi docuit, ipſum quod quid eſt, de ſubſtantia, & accidente nec vniuocè, nec æquiuocè dici, ſed medio modo, & exẽ-

Nota hoc exemplũ Ariſtotelis.

plum repetit, quod attulerat lib. 4. tex. 2. quo puram, ſimplicemq; analogiam manifeſtè concedit. Medicinale, inquit, nomen quoddam eſt, quod de tribus enunciari ſolet. ſ. de corpore, tanquam de eo, quod medicinam recipit: de opere, quod. ſ. per medicinam exercetur, cuiuſmodi eſt purgatio, ſanguinis miſſio, vel id genus alia: & de vaſe, tanquam de eo, quod medicinam continet. Iam verò nomen hoc de iſtis tribus non vniuocè dicitur; quia vnam quandam naturam, illis cõem non ſignificat: nec æquiuocè; quia in æquiuocis nullus eſt ordo, nulla ſimilitudo, nulla comparatio: ſed ad vnum, hoc eſt analogicè. Concedit igitur Ariſtote. puram analogiam, ac deinceps argumentum, à nobis ante propoſitum, langueſcere iam, atque debilitari, præcipuumque ſnīæ noſtræ fundamentum omnino ruere videtur. Fateor equidẽ,

Explicatio locorũ Ariſtot.

has Ariſt. autoritates, ad noſtram ſnīam euertendam, maximi momenti eſſe; ſi quidem oſcitanter, & abſq; vlla ratiocinatione percurrantur: at verò ſi diligenter, attenteq; animo perluſtrentur; non modo ſnīam noſtram nullo pacto euertere, ſed illam potius validiſſimè confirmare videbuntur. Tota vis in exemplo cõſiſtit: nam vtrobiq; ferè eadem autoritas eſt. Itaque ad illud explicandum, lubet veritatem ipſam, vel ipſiuſmet Ariſt. teſtimonio firmatam, veluti notiſſimam quandam regulam adhibere: ita enim errorem omnem procul abfore, cre-

Tria, ab autore præmiſſa pro nota locorũ Ariſ. explicatione.

dendum eſt. Tria igitur præmitto, quæ & per ſe vera, atq; etiam ab Ariſtot. orta, pronunciataque ſunt. Primum eſt vniuocum illud eſſe, quod de pluribus dicitur, ſecundum eandem rationem: æquiuocum verò, quod de pluribus dicitur, ſecundum rationem diuerſam, vt iã ſupra ex Anteprædicamentis, docuimus. Secundum eſt, idem, & diuerſum inter ſe contradictoria oppoſitione opponi, ſicut idem, & non idem, vt habet Ariſtotel. 10. metaph. tex. 12. Tertium eſt, inter contradictoria nullum re ipſa medium reperiri poſſe, vt autor eſt Ariſtot. lib. 1. poſteriorum tex. 5. lib. 5. Phyſ. tex. 26. lib. 4. metaph. tex. 15. Hæc cùm ita ſe habeant, niſi Ariſtot. & veritati, & ſibimetipſi contradicere velit, nullum certè reale mediũ inter vniuocum, & æquiuocum ipſe ſtatuere poteſt: accipio enim nomen illud, cuius ipſe meminit in ſupra poſito exemplo. ſ. Medicinale, & quæro, dicatur ne de illis tribus. ſ. de corpore, opere, & vaſe, ſecundum eandem rationem, an ſecundum diuerſam? Profectò non dici ſecundum eã-

Primum.

Secundum.

Tertium.

Exemplũ ab Ariſt. adductũ, quo intelligendum.

dem rationem, ex eo manifeſtum eſt, quoniam non eſt vna quædam natura, illis cõis: dicetur ergo ſecundum rationem diuerſam, atque ita erit illis æquiuocum. Cur igitur Ariſt. aſſeruit, Medicinale nec vniuocè, nec æquiuocè dici, ſed ad vnum? Reſpondeo, non docuiſſe Ariſtotelem, Medicinale eſſe aliquod medium, quod re vera neque vniuocum, neque æquiuocum ſit: ſed docuiſſe, illud nec vniuocum, nec purè æquiuocum eſſe: ſed rectius medio modo dictum: hæc enim ſunt eius verba: ***Nam rectius eſt, neque æquiuocè dicere, neque eodem modo:*** quaſi dixiſſet, rectè quidem alteram iſtorum re vera dici debet, æquiuocum. ſ. aut vniuocum, ſed tamen rectius ad vnum appellabitur. Hinc elicio, medium, vt ad rem noſtram facit,

Inter vniuocũ, & æquiuocũ nõ põt dari mediũ rei, bene tñ ſignificationis.

duplex eſſe, vel rei, vel ſignificationis: inter vniuocum, & æquiuocũ nullum poteſt dari medium rei, vt iam probauimus: at verò poteſt dari medium ſignificationis, vt in citatis cõtextibus Ariſt. affirmat. Quare analogum eſt nomen quoddam ſignificatiuum, medium inter vniuocum, & æquiuocum, atque ab illis diſtinctum, quemadmodum ex eorum definitionibus elicitur: tamen nulla res eſt, vel nullus realis conceptus, qui analogicè de aliquibus dicatur,

An cõceptus entis ſit vniuocus ad ſubſtantiã, & accidẽs, vel æquiuocus, cõtrouerſia præcipua iter Thomiſtas, & Scotiſtas.

quin ſimul neceſſariò aut æquiuocè, aut vniuocè de eiſdem enũcietur. Solet autem analogi nomine nuncupari, cùm nec purè vniuocus, nec purè æquiuocus eſt, cuiuſmodi eſt cõceptus entis ad ſubſtantiam, & accidens. Dicet aliquis, huiuſmodi conceptus entis eſt ne re vera vniuocus ad ſubſtantiam, & accidens, an æquiuocus? Hac de re controuerſia eſt inter Scotiſtas, & Thomiſtas. Eliciunt Scotiſtæ ex quarto Metaph. tex. 2. illum eſſe vniuocum; quia inquit, Ariſtot. ens multipliciter dici, non tamen æquiuocè. Thomiſtæ verò, exemplo tùm ibidem, tùm etiam lib. 19. tex. 15. ab Ariſtot. allato, eundem probant æquiuocum eſſe, quoniã, me-

dicinale

dicinale,ſecundum diuerſam rationem,de corpore,opere,& vaſe dicitur; quamuis etiam di catur ad vnum,atque adeo analogum ſit. Verùm hæc eſt diſputatio,aliàs tractanda; nobis nunc ſatis ſit,ex citatis Ariſt.locis elicuiſſe,conceptum entis ad ſubſtantiam,& accidens nec purè vniuocum,nec purè æquiuocum eſſe;ſed coniunctam analogiam habere.Quod autem ad exemplum attinet,illud ab Ariſt.adductum fuit,vt analogiam potiſſimùm oſtenderet; ad concludendam tamen entis æquiuocationem,non eſt ſatis, quemadmodum nec autoritas,à Scotiſtis adducta,ſatis eſt,ad concludendam perfectam vniuocationem: eſt enim ens veluti in confinio vniuocationis, atque eiuſdem gradum minimum poſſidet,vt ipſi quoque affirmant.Sed hac de re aliàs.

Ens poſitum eſt veluti in confinio vniuocationis.

*Cum Aegidio diſſeritur,qui puram analogiam probare contendit Cap. VIII.*

OMittere hic non poſſum ea,quæ ſatis ingenioſè ab Romano Aegidio lib.4.metaph. q.3.ad probandam puram,ſimplicemque analogiam,ſcripta ſunt. Cum,inquit,nomē aliquod,per comparationem ad vnam aliquam formam,pluribus imponitur,aut illa forma æquè ſeruatur in omnibus,aut non:ſi ſeruatur,tunc nomen,pluribus impoſitum, ſimpliciter vniuocum eſt:vt homo de omnibus indiuiduis humanæ ſpeciei vniuocè dicitur, quia forma hominis in omnibus æquè ſeruatur. Si verò forma illa vna in omnibus non æquè ſeruetur,hoc tribus modis contingere poteſt. Aut quia illa forma ſeruatur in pluribus ſimpliciter;ſed nobiliori modo in vno,quàm in alio: vt forma animalis ſeruatur ſimpliciter in omnibus ſpeciebus; ſed tamen nobiliori modo in homine,quàm in aſino; & tunc oritur analogia quædam, quæ maximè ad vniuocationem accedit. Aut ſecundò forma illa vna in pluribus non æquè ſeruatur;quia in vno ſimpliciter,in alio verò ſecundum ſimilitudinem inuenitur:vt de picto,viuoque homine manifeſtum eſt;& tunc altera oritur analogia,quæ æquiuocationi valde proxima eſt. Aut tertiò forma illa vna non æquè ſeruatur in plurib. quia in vno ſimpliciter,in alio autem ſecundum quid reperitur;cuiuſmodi eſt entitas, quæ in ſubſtantia ſimpliciter inuenitur,in accidente autem ſecundum quid;& tunc tertia oritur analogia,quæ neque ad vniuocationem,neque ad æquiuocationem accedit,ſed media, pura,ſimplexque eſt.Doctè quidem,& valde ingenioſè ab Aegidio hæc ſcripta ſunt,ſed tamē quæ,argumento,à nobis ſæpiùs repetito,quàm facillimè corruant; præſertim quoad illam partem,vbi Aegidius probare contendit,ens ad ſubſtantiam, & accidens purum analogū, non item æquiuocum,neque vllo modo vniuocum eſſe. Quæram enim ex Aegidio, ens dicatur ne de ſubſtantia,& accidente,ſecundum eandem,an ſecundum diuerſam rationē? Reſpondebit fortaſſe Aegidius,ens ſecundum priùs,& poſteriùs,ſimpliciter, & ſecundū quid, de ſubſtantia,& accidente dici;priùs quidem,& ſimpliciter de ſubſtantia;de accidente verò poſteriùs,& ſecundum quid. Ne fugias quæſò Aegidi,non quæro ego,vtrū ens dicatur priùs de ſubſtantia,vel de accidente,an de vtriſque dicatur ſimpliciter,vel potius de vno ſimpliciter,de altero verò ſecundum quid:ſed quæro,vtrum ens dicatur de ſubſtantia, & accidente,ſecundum eandem rationem,an ſecundum rationem diuerſam? Hic nodus nunc tibi diſſoluendus eſt. Cogita quantum velis,nunquam certe inter hæc duo vllum reale medium inuenire poteris. Si admittas,ens de ſubſtantia,& accidente ſecundum eandem rationem dici,illud fateberis vniuocum;ſi ſecundum diuerſam,æquiuocum. Non igitur re vera analogū dari poteſt,quod penitus vniuocationem,aut equiuocationem excludat,vt Aegidius probare contendebat. Nec ſatisfacit illa reſponſio,ens nimirum de ſubſtantia ſimpliciter,de accidente verò ſecundum quid enunciari;& propterea nullam entis rationem ſubſtantiæ,& accidenti communem eſſe;quia illa particula ( ſecundum quid ) eſt particula quædam diminuens:non enim omnibus fortaſſe notum eſt, in quonam ſenſu accipienda illa ſit,cùm accidentibus tribuitur. Enimuerò hæc particula(ſecundum quid) duplicem minuendi vim hēre dicitur.ſ.ab entitate ſimpliciter,& abſolutè,atque à perfectione entitatis;tūc habet vim minuendi ab entitate,cum dicimus,ea,quæ ſunt in potentia,quam vocant obiectiuam, vt roſam,vel hominem generandum,non eſſe entia,niſi ſecundum quid:hæc enim re vera vſquequaque non exiſtunt,ſed tamen illis exiſtentia non repugnat. At verò cùm dicimus, accidētia eſſe entia ſecundum quid,illa particula,ſecundum quid,non ab entitate diminuit; quoniam accidentia,iam producta,ita in rerum natura exiſtunt,ſicuti ſubſtātia; ſed à perfectio

Aegid.4.metaph.q 3.nititur probare puram analogiam.

Quæ ab Aegidio, qđ ad purā analogiā attinent, dicta sūt, argumēto ſuperius adducto, reprobatur.

Quo itelligēdū ſit,accidētia eſſe entia ſcđm quid.

Particula,ſecūdum quid, duplicem minuendi vim hr̄e dicitur.

ne entitatis:ideo enim accidentia entia ſecundum quid appellamus; quia non ita perfecta ſunt entia, ſicuti ſubſtantia:quo modo aliquod animal ex inſectorum genere, rectè animal ſecundum quid diceremus;quoniam natura ſua imperfectum animal eſt;non ideo tñ ſequitur,quin illi animalis ratio,ac definitio conueniat. Sed hæc iam ſatis de analogia dicta ſint: his enim arbitror,primum argumentum, pro confirmatione propoſitæ concluſionis, ſuperiùs adductum,ſatis confirmatum eſſe.

An inter vniuocũ,& æquiuocum detur mediũ, vide Scotũ in prædicam. q. 4. & lib. 1. ſent. d. 8. q. 3.

### *Propoſita concluſio de naturalis ſcientiæ ſubiecto ſecundo argumento principali roboratur, atque illud à communi reſponſione vindicatur. Cap. IX.*

2. arg. principale.

SEcundum argumentum,ad propoſitam concluſionem firmandam,eſt huiuſmodi; Naturale corpus illud eſt,quod naturam habet, quodque naturam habet, vt Simplicius exponit,ex materia,& informante forma concretum eſt;atqui cœlum ſimplex corpus eſt,nec ex materia,informanteque forma concretum,vt Auer.atque Ariſt.placet, immò vt eſt reuera, quod alia diſputatione apertiſſimè demonſtrabo, igitur naturale corpus, propriè acceptum,cœlo conuenire non poteſt;atque adeo ſubiectum naturalis Philoſophiæ nõ eſt quid cœlo,mortalibuſque commune. Reſpondent prædicti Doctores,cœlum quoq; ex materia,& forma,ſaltem ſecundum quandam analogiam,& proportionem conſtatum eſſe:conſtat enim ex orbe,tanquam ex materia,& ex intelligentia,tanquam ex forma. Non deſunt etiam,qui cęlum ex materia,& informante forma compoſitum eſſe,defendant;illudque rurſum rationali anima præditum eſſe:ſed cum his modò nobis non eſt diſputandum, aliàs id præſtabimus opportuniore loco. Diſputationem nunc cum illis ineamus,cum quibus nobis conuenit, cęlum eſſe corpus ſimplex,atque ab informante forma alienum,vt Zab.lib.de natura cœli,per totum,& Piccol.lib.de cœlo c. 10.defendunt. Nõ ne obſecro Solis eſt luce clarius,naturale corpus,iam definitum,cœlo non niſi æquiuocè competere poſſe? Eſt,ait Ariſt. 2.phyſ.circa initium,naturale corpus, quod naturam habet:& quod naturam habet, iuxta Simplicij,aliorumque Græcorum explanationem,eſt quod ex materiæ,& informantis formæ coniunctione conſurgit;naturale igitur corpus,quod ibi definitum eſt, factum aliquando eſt,vel fieri aliquando poteſt:habetque materiam illam,quam ſcholæ appellant ex qua tanquam ſui partem;& formam,quæ tanquam internum principium,eius naturam, atque ſubſtantiam conſtituit. At vero cœlum;corpus omnino diuerſum eſt: nunquam enim eſt factum,ſed eſt æternum:non habet materiam illam,ex qua,quæ græcè dicitur hyle, ſed habet materiam in qua,ſupple,recipitur motus,quam ſcholæ vocant materiam ad vbi. Neq; rurſus habet formam,quæ ſit eius principium internum, aut illius ſubſtantiam quoquomodo conſtituat;ſed habet tantummodo intelligentiam,quæ extrinſecus manet,ei aſſiſtit, perpetuoque illud in orbem ciet. Corpus igitur naturale,ab Ariſt. 2. phyſ.lib.definitum, de cœleſtibus,& mortalibus æquiuocè dicitur;atque ita,ſi illud ipſum pro naturalis ſcientiæ ſubiecto ſtatuendum eſt,vt concors eſt omnium aſſertio,cœleſtia ſub ſe corpora comprehendere nulla ratione poteſt.

Quære diſputat. de cœleſti ſubſtantia.

Reſponſio prædictorũ Doctorũ,præſertim Zab. & Piccolom.

Confutatio.

Hēs hic paucis certã doctrinã de natura ſubſtãtię cæleſtis Quære plura in diſputatione ſupra citata.

### *Adducitur,pro eadem concluſione,tertium argumentum principale, quod nonnullorum recentiorum reſponſionibus minimè ſolutum eſſe oſtenditur. Cap. X.*

3. arg. principale.

SOlet etiam,in primam propoſitæ concluſionis partem hoc argumentum adduci : ſi cœlum eſſet pars ſubiecti naturalis philoſophiæ, ſequeretur, definitionem eius,quod habet naturam,ab Ariſt. 2. lib. phyſ. traditam,eidem neceſſario competere:ſed illi non competit,ergo cælum non eſt pars ſubiecti naturalis philoſophiæ. Conſecutio eſt perſpicua : illud enim naturale corpus,naturalis philoſophiæ ſubiectum cenſendum eſt,quod Ariſtot. lib. 2. de phyſico auditu definiuit, atque ab artificioſis corporibus ſecreuit:eius igitur definitio omnibus partibus, quæ illi ſubijciuntur,conueniat,neceſſe eſt. Minor autem propoſitio ſic probatur:corpus enim naturale,ibi definitum,interno motus principio præditum eſt,cęlum verò internum ſui motus principium nullum habet,ſed extrinſecus ab aſſiſtente, intelligentia circumuoluitur,non igitur definitio habentis naturam illi competit. Hoc etiam euidentiſſima Ariſt.autoritate confirmatur, qui initio libri ſecundi de phyſico auditu, naturalia corpora recenſens,numerauit animalia,& partes ipſorum,plantas, & ſimplicia corpora,terrã,

Cõfirmatur idẽ argumentum autoritate Ariſtot. 2. phyſ.

aquam,

aquam, aerem, & ignem, nullam autem cæli mentionem fecit, quod certè non omiſiſſet, ſi in eorum naturalium corporum numero illud includere voluiſſet. Huic argumento nonnulli recentiores philoſophi, in diſputatione quadam de ſubiecto naturalis philoſophiæ, tribus reſponſionibus ſatisfacere nituntur, quæ tamen omnes ex Pendaſij doctrina, veluti à quodam fonte hauſtæ ſunt, vt apud ipſum, in apparatu ad phyſicam texturam, parte ſexta, videre licet.

Triplex reſpōſio nōnullorū recētiorū ex doctrina Pendaſij elicita.

Prima.

Primò inquiunt, Cælum ſiue ſit forma, quantitati ſubiecta, ſiue ſit ex materia, & forma conflatum, ſiue ſit orbis cum Intelligentia aſſiſtente, aliquam nihilominus ſemper compoſitionem habere, qua ratione habens naturam dici atque in definitione habentis naturam, licet ſecundum quandam analogiam, & ſecundaria quadam intentione comprehenſum eſſe, poteſt.

Secunda.

Aiunt ſecundò, recto ſanè conſilio, cælum inter cætera naturalia corpora, ibi ab Ariſtot. numeratum non eſſe, idque ob multas ambiguitates, quæ poterant excitari, quibus non expedit, ſcientiæ principium inuolutum eſſe.

Tertia.

Tertiò dicunt, Ariſt. non omnino cælū omiſiſſe, ſed illud in verbis ſequentibus reſpexiſſe; vbi enim quatuor ſimplicia corpora enumerauit, ſtatim ſubdit, *Hæc enim, & huiuſmodi natura eſſe dicimus*, Verum enimverò triplici hac reſponſione, non ſatis arbitror propoſito iam argumento factum eſſe.

Confutatio primæ reſpō.

Prima reſponſio iam ex antedictis refutata eſt: ſi enim definitio habentis naturam non vniuocè, ſed ſecundū analogiam cęlo competit, æquiuocè igitur illi competit, atque ita id, quod cęlo, & mortalibus hiſce corporibus cōe eſt, pro ſubiecto naturalis philoſophiæ conſtitui non poteſt, aut quod in idem recidit, non erit cęlum pars ſubiecti naturalis philoſophię.

Confutatio ſecūdæ reſp.

Minus valida eſt ſecunda reſponſio: quoniam ſi Ariſ. cęlum inter illa naturalia corpora numeraſſet, multas certè ambiguitates, multoſque ſcrupulos nobis ex animo euelliſſet; primò enim difficultas hęc, quam modo tractamus, orta nequaquā eſſet; quoniam certò ſciremus, corpus naturale, cęlo mortalibuſque cōe, totius naturalis philoſophię verum ſubiectum eſſe.

Nota hæc diligenter.

Rurſus conſtaret, cęlum, inſtar cęterorum naturalium corporum ex materia, & informante forma conflatum eſſe, ſui orbiculati motus internum principium habere, & alia plura, de quibus quotidie Doctores inter ſe magna contentione decertant, At verò nullam cęli Ariſtot. mentionē fecit, cùm tamen ei vnum verbum addere haud difficile fuiſſet. Quin etiam, ne putaremus, illud in ſimplicibus corporibus incluſum eſſe; quamuis ſat ei fuiſſet dicere, *Et corpora ſimplicia*, nihilominus quò res nota magis fieret, quęnam pręcipuè corpora intelligi deberēt, exprimere voluit, itaque addidit terram, aquam, aerem, & ignem.

Confutatio tertiæ reſpō.

Tertia reſponſio, communi probatiſſimorum interpretum explanatione reijcitur, vt Aegidij, Alberti, & aliorum, qui per illam particulam, *Huiuſmodi*, miſta corpora intelligunt, animæ expertia, vt lapides, metalla, & id genus alia: immò nonnulli textus, loco, *Huiuſmodi*, habent, *Et his ſimilia*, omnia enim miſta corpora, quæ ad motum pręualentis elementi concitantur, naturam elemento illi ſimilem habere dicuntur.

## *Corpus generabile, & diſſolubile verum, & adaquatum eſſe naturalis philoſophia ſubiectum, argumento communiſſimo demonſtratur.* Cap. XI.

PRimam partem propoſitę concluſionis iam ſatis commodè confirmauimus, nimirum corpus naturale, cęlo, mortalibuſq; cōe, pro naturalis philoſophiæ ſubiecto ſtatui nulla ratione poſſe. Probanda nunc eſt altera pars, vid. huius ſcientiæ ſubiectum eſſe corpus naturale, quatenus. ſ. ſub ſe generabilia tantummodo, diſſolubiliaq; corpora comprehendit.

Argumentū cōmuniſſimū, ſed tñ validiſſimū, quo verū naturalis philoſophiæ ſubiectum concluditur.

Hāc igitur probo communiſſimo hoc argumento, quod tñ maximam vim habere exiſtimo demonſtrandi, Illud eſt ponendum naturalis philoſophię ſubiectum, cuius principia in primo phyſicorum lib. quęruntur, cuiuſq; affectiones in cęteris eiuſdem operis libris conſiderantur; Sed hæc ſunt principia, & affectiones corporis naturalis, generabilis, & diſſolubilis, ergo tale corpus, vniuersè acceptum, illud eſt, quod pro ſubiecto naturalis ſcientię ſtatuitur. Maior propoſitio eſt manifeſta: conſentaneum enim rationi eſt, Ariſ. in ipſo philoſophię limine, illius corporis principia, & affectiones exploraſſe, quod tāquam finem, & ſcopum ſtatuit ſuæ meditatæ commentationis, Minor autem propoſitio multis eiuſdem Ariſ. autoritatib. cōprobatur.

Ariſt. autoritates valdę notandę.

Primò, ſi totū primi libri progreſſum obſeruemus, inueniemus, Ariſ. aſſerere, ſe loqui de principijs eorum, quę fiunt. cęlū aūt non fit; cum ſit æternū. Deinde multa Ariſ. inter diſputandum, de cęteris mutationibus exempla adduxit, de motu locali nullum omnino

attulit;

attulit:quod certè fieri oportuiſſet,ſi cęlum in ea diſputatione comprehẽſum voluiſſet. Sed præterea clara eſt Ariſ.autoritas in tex,63,eiuſdem libri, vbi omnia recẽſens,quæ ſimpliciter fiunt,omnium mutationum meminit,ea excepta,quæ ſecundum locum fit. Adhæc materiam definiens,eam dicit eſse illud,ex quo aliquid fit: immò definitionem illam generationi acõmodat,& eam rurſus in ipſamet generatione exponit. Apertiſſimus quoque eſt text. 68.vbi affirmat Ariſ.ſe de principijs diſseruiſse,quæ circa generationem, & interitum accidunt. Euidentiſſima tandẽ eiuſdẽ minoris probatio ex vltimo cõtextu eiuſdẽ primi libri de phyſico auditu elicitur, vbi Ariſ.in naturali ſcientia de phyſicis, & diſsolubilibus formis diſputandũ proponit. Hiſce igiř autoritatibus,quæ paſſim à noſtrę ſententiæ ſectatoribus adducuntur,manifeſtum iam fit,naturale corpus, quod Ariſ.in naturali philoſophia conſiderandum accepit,non eſse cælo,mortalibuſque commune,ſed generabilia tantum diſsolubiliaque omnia corpora continere.

### *Duæ Franciſci Piccol.ad hoc argumentum reſponſiones reÿciuntur. Cap. XII.*

PRo huius argumenti ſolutione, multos inuenio noſtri temporis celeberrimos philoſophos vehementer elaboraſse, Franciſcum Piccol. Iacobum Zabar. Federicum Pendaſ. & alios etiam recentiores, Pendaſij diſcipulos:ſuam quiſque,ſed tñ diuerſam reſponſionem attulit. Piccolomineus in introductione ad ſcientiam de natura, cap.27. duplicem affert ſolutionem. Primò ait, Ariſ.in primo lib.de phyſico auditu,principia cõia,ſaltem facultate,& virtute declaraſse,quia ex mortalium rerum principiorum declaratione, cęli quoque principia refulgent,vt ei ortus quidam,& interitus competit,nempe motus ſecundum locũ. Ponderemus quęſo hanc reſponſionem,vt inueniamus, quid illa roboris, aut firmitatis habeat. Ariſ.in 1.phyſ.vbi methodum,& rationem propoſuit,quam in ſcientia de natura adhibiturus eſſet,nimirum à cognitione principiorum ſe exordiri debere,vt ea tandem, quæ ex principijs conflata ſunt,optimè cognoſcãtur,naturale corpus,veluti ſuæ tractationis metã, & ſcopũ,ſibi ante oculos conſtituit,ſtatimque de eius principijs diſputare cæpit. Quæro nunc, quodnam eſt illud corpus naturale,cuius principia in primo phyſ.veſtigare cæpit:eſt ne corpus aliquod determinatum,an corpus cęlo,mortalibuſque commune? Si eſt corpus aliquod determinatum,puta corpus generabile,& diſſolubile,iam mecum facit. Si autem dicatur eſſe corpus cõe,vt Piccol.in ſua reſponſione affirmare videtur;igitur ea ipſa principia,de quibus Ariſt.in 1.phyſ.diſputat,vnicuique naturali corpori, ſub ſe contento, non facultate, & virtute tantum,vt Piccol.ait,ſed actu, & energia competere debent. Probo hanc conſequentiam:in ea enim tota vis huiuſce argumentationis conſiſtit. Ponamus ex.gra.in vniuerſa animalium doctrina,animal,vniuersè acceptum,ęquatum eſſe ſubiectum(vt verè eſt)quatenus ſ.ſub ſe animalia omnia,cuiuſuis generis comprehẽdit;introducaturque initiò de principijs animalis,ſic accepti,diſputatio,quæ ſunt anima,& corpus; dubio procul hæc ipſa principia adeo omnibus animalibus actu,& energia conueniunt,vt nullum inueniatur, quod non ex corpore,& anima, tanquam ex materia,& forma conflatum ſit. Si igitur materia,& forma, quæ ſunt prima principia corporis naturalis,dicũtur principia corporis,generatim accepti; illa neceſſariò vnicuique corpori naturali,ſub illo eodem corpore contento, atque adeo ipſi cęlo,competere debent:quod tamen falſum eſſe,iam ſupra oſtenſum eſt; quoniam cęlũ nunquam eſt factum,ac proinde ex coniunctione materiæ cum forma nunquam ortum, neç vnquam etiam,propter formæ à materia receſſum,interibit,cùm formam nullam, tanquã ſui ſubſtantialem partem,obtineat. Reſpondet Piccol.cęleſti corpori ortũ,& interitum, ratione motus ſecundum locum quodammodo conuenire. Iam puto,omnes animaduertere, hũc ortum,& interitũ,qui ratione localis mutationis cęlo tribuitur,ab ortu,& interitu,qui reb.generabilibus,& diſſolubilibus aſcribitur,omnino diuerſum eſſe;ac proinde mortalium quoq; cęleſtiumque corporum principia,atque rurſus ipſamet cęleſtia,atque mortalia corpora inter ſe plurimum diſtare;adeo vt nullum ſupra ſe communem conceptum habere poſſint,niſi nomen aliquod æquiuocum,quod ineptum erit,pro totius naturalis ſcientiæ ſubiecto conſtitui,eſto etiam coniunctam habeat analogiam,vt viri iſti celebratiſſimi affirmant. Quid enim,obſecro,nomine naturalis corporis intelligendum nobis eſt? Si cęlum ſuſpicimus,vtiq; corpus aliquod ſimplex concipimus,non ex materia,& forma concretum,ſed quod tantum

Prima ſolutio Piccol.ad prædictũ argumentum, Confutatio.

Explicatio Piccol.reſpõſionis. Cõfutatio explicationis.

modo

modo ſubiectum eſt orbicularis motus; atque rurſus æternum,& immortale, vt eorum etiã plerique confitentur. Si verò inferiora hæc corpora reſpiciamus,corpus aliquod compoſitũ intelligimus,ex coniunctione materiæ cum forma exortum, quodque tãdem, propter vnius ab altero abſceſſum,interibit. Corpus igitur naturale,nomen quoddam æquiuocum eſt,qua tenus ſub ſe cęlum, ſublunariaque corpora comprehendit. Afferamus nunc alteram Piccol, reſponſionem. Addit clariſſimus iſte Doctor, Ariſ.in 1.phyſ.principia communia cunctis, quibus competunt, declaraſſe; cęlo autem non propriè competunt, ſed ſolum per relationem ad motum. Gratias agamus ſapientiſſimo ſeni, cui tandem inuito fortaſſe, necopinanti veritas excidit. Principia, quæ Ariſt,in 1.phyſ.lib.declarauit, ſunt principia corporis naturalis; hæc, ſecundum Piccol.cęlo non propriè competunt; ergo cęlum non eſt pars corporis naturalis, quod pro ſubiecto ſtatuitur naturalis Philoſophiæ: vel ſi corpus naturale dr, ab eo, de quo modò diſſerimus, omnino diuerſum eſt, quemadmodum nos demonſtrare cõtendimus, Hęc ad Piccolomineum ſatis,

Altera Piccoll reſpõſio q̃ tñ abeſt, vt argumentũ diluat, vt potius Autoris ſñiam cõfirmet.

*Iacobi Zabarellæ ad prædictum argumentum reſponſio, atque eiuſdem confutatio.* Cap. XIII.

IAcobus Zabarella libro de naturalis ſcientiæ conſtitutione, c. 5. concedit abſolutè, Ariſt. in primo lib. phyſ. de principijs rerum mortalium tantum diſputare; ac proinde minorem propoſitionem argumenti, iam à nobis propoſiti, veriſſimã putat. Aſſerit tñ, maiorem illam negandam eſſe, qua illud eſſe ſubiectum naturalis Philoſophiæ dicebatur, cuius principia in 1.phyſ.lib.conſiderantur: cenſet enim cum Ariſt. verum totius naturalis Philoſophiæ initiũ à 2.phyſ.lib. ſumendum eſſe: quæ verò in 1.lib. tradita ſunt, ea propter noſtram faciliorẽ cognitionem antepoſita fuiſſe; non autem quòd re vera ad eos libros ea ipſa pertinuerint. Quare ad cognoſcendum generale naturalis ſcientiæ ſubiectum, ſpectare debemus, ait ipſe, quid in ſeptem libris phyſicæ auſcultationis agatur, non quid in primo: in illis autem ſeptem, manifeſtum eſt, de communibus agi, quæ ſimiliter omnibus naturalibus corporibus, tàm caducis, quàm æternis, ſecundum quandam analogiam competère dicuntur: corpus enim naturale, latè acceptum, non eſt genus vniuocum; & propterea quæcunque inferioribus corporibus communia cum cœlo eſſe videntur, non ſecundum eandem rationem, ſed ſimilitudine quadam, & analogia illis conueniunt. Hæc ipſe. Bone Deus, quibus tricis Doctores iſti nos, & ſemetipſos inuoluunt, vt rem à veritate alienam tueantur? quot ſcrupulos in re tritiſſima, atque apertiſſima nobis inijciunt? Ait Zabarella, initium naturalis ſcientiæ a 2.lib.de phyſ. auditu ſumendum eſſe, non autem à primo, vtpote qui ad eos libros non pertineat, ſed facilioris tantum noſtræ cognitionis gratia antepoſitus eſt. Liber igitur, in quo Ariſt.totius naturalis ſcientiæ fundamenta iecit, ad opus de phyſico auditu, in quo non niſi rerum naturalium communia explicantur, minimè pertinebit? Liber, in quo rerum naturalium principia ſtatuuntur, & exprimuntur, tanquam additamentum quoddam, & noſtræ tantum facilioris cognitionis gratia antepoſitus, cenſendus erit? Reſpondebit Zab.in ſecundo quoque libro de principijs Ariſ.diſputare. Sed non ne animaduertit, Ariſt.in 2.lib. agere de principijs, per relationem ad motum, & quatenus eis nomen naturæ competit: non autem de principijs generationis, ex quorum. ſ. coniunctione, & concurſu, ipſum naturale compoſitum coaleſcit? Hoc idem Zab.in eodem capite paulò ſuperiùs affirmauit. Sed addo præterea, agere Ariſt.in 2. lib. de principijs, tanquam de ijs, quæ iam probauit, & explicuit in primo: vbi de eorum numero, conditionibus, & natura luculentiſſimè diſputauit. Quare initium naturalis Philoſophiæ ab ipſo primo lib.phyſ. non autem à ſecundo ſumendum erit; tametſi Ariſt. difficultate maxima, quæ ob varias veterum Philoſophorum ſententias, de rerum naturaliũ principijs contingebat, iam in 1.lib. expedita, de reliquis rebus, quæ naturali corpori communes ſunt, deinceps tractaturus; quaſi nouum principium faciat in ſecundo. Quod item fecit in opere de anima: vbi enim diſputationem, quam cum veteribus Philoſophis aggreſſus eſt, in 1.lib. expediuit; mox quaſi nouum principium in ſecundo inſtituit, ex proprio ſenſu de anima tractaturus: nemo autem dixerit, primũ librum de anima ad opus illud minimè pertinere. Nũc paulìſper diſputationem ad rem noſtram reuocemus. Initium totius naturalis ſcientiæ, atq; adeo conſiderationis corporis naturalis, quod naturalis Philoſophiæ ſubiectum ſtatuitur, à 1.lib.phyſ. ſumendum eſt, vt iam apertiſſimè demonſtraui: ſed in eo libro, vel ipſomet Zab.

Zab. reſponſio ad prædictum argumentum.

Confutatio.

Qualis ſit principiorũ conditio in 2.lib.phyſ.

Vnde ſumendũ ſit initiũ naturalis Philoſophiæ.

Caput cõfutationis.

teſte , non niſi de principijs generabilis, diſſolubiliſque corporis diſſeritur;illud igitur erit, quod pro adæquato vniuerſæ naturalis Philoſophiæ ſubiecto ſtatuendum eſt, non item corpus naturale,cœlo,mortalibuſque commune;vt pote quod vniuocum non ſit, ſicut ipſemet Zabarella confirmat,nec ſecundum eandem rationem de ſuis inferioribus dicatur;ac proinde æquiuocum erit, tametſi coniunctam habeat analogiam,& quod hinc ſequitur, ſubiecti munere fungi nequaquam poterit.

### *Federici Pendaſii, & aliorum ad idem argumentum ſolutiones refutantur.* *Cap. XIV.*

*Pendaſij reſpõſio ad prædictũ argumẽ.*

VIdeamus nunc,quid Federicus Pendaſius,eiuſq; diſcipuli, & ſectatores, pro eiuſdem argumẽti ſolutione attulerint. Pendaſius in apparatu ad phyſicam texturam, parte ſexta,ait,ſe eò adduci minimè poſſe,vt in 1. lib. de phyſico auditu, ſola principia generabilium corporum exprimi,fateatur:addẽdum tñ putat,præter hæc, ibi tradita,in libris poſtea de cęlo,principia quoque cæleſtium orbium edoceri. Cauſam autem,cur initio Ariſ.principia, vtriſque cõia,non dederit,duplicem eſſe aſſerit:alteram, quia in his, quæ ſunt ab vno, & ad vnum,cuiuſmodi ſunt corpus ſublunare , atque cæleſte, expoſito primo , cętera facilè cognoſcuntur:alterã,quia cęleſtibus, mortalibuſque corporibus, ſanè pauca cõia ſunt. Animaduerto primum in dictis celeberrimi huius doctoris,euidentiſſimam repugnantiam.

*Cõtradictio in dictis Pendaſij.*

Primò ait,in 1.lib.phyſ.ſola principia generabilium corporum explicata ab Ariſ.non fuiſſe;poſtea rationem reddit,cur ibi Ariſ.principia vtriſque corporibus cõia non dederit. Ecce manifeſtiſſimam contradictionem. Poſſet aũt quiſpiam pro Pendaſio dicere,principia cęleſtiũ corporum non omnino,ſed leuiter tm̃,in 1.lib.phyſ.explicata fuiſſe.

*Confutatio reſpõſionis.*

Sed hæc excuſatio nullius eſt roboris,quia principia , de quibus in 1.lib.phyſ. Ariſ.diſputauit, aut cæleſtibus, & ſublunaribus corporibus cõia ſunt,aut non ſunt communia : ſi non ſunt, iam habeo, quod quæro:ſi ſunt cõia, ergo nihil erat opus, vt principia cęleſtium corporum iterum in libris de cęlo explicarentur,vt Pendaſius affirmat. Probo conſequentiam, quia illa principia cõia,& quo ad numerum,& quo ad conditiones,& quo ad illorum naturam, adeò luculenter explicata ſunt,vt illuſtriore certè explicatione non indiguerint. Cùm verò aſſerit Pendaſius, valde pauca cęlo,& mortalibus,quæ ab vno,& ad vnum ſunt , cõia eſse , tunc ſenſim in ſnĩam noſtram deducitur:hiſce enim verbis fateri cogitur,corpus naturale,cęlo,mortalibuſq; cõe, æquiuocum eſse.

*Pẽdaſius hic proprijs dictis cõuincit.*

Nec eſt,quòd dicat aliquis,illud eſse ab vno,& ad vnum,quia iam probaui,illud in ſua inferiora ſecundum eandem rationem non delabi,atque rurſus analogiã putã reperiri minimè poſse,quod pręcipuum eſt,contra aduerſarios noſtros,in tota hac diſputatione,fundamentum.

*Quorundam recentiorum ad prędictũ argumẽtum reſponſio.*

Nonnulli verò ex Pendaſij diſcipulis, in diſputatione quadam de naturalis ſcientię ſubiecto, cap.3. prędicto argumento ad hunc modum ſatisfacere ſe putant: negant minorem propoſitionem,qua dicebamus,principia,de quibus Ariſ. in 1.phyſ.diſputat,generabilia tm̃,diſsolubiliaque corpora reſpicere. Et ad illius probationem,quę innitebatur Ariſtote. progreſsu,in toto primo lib.in quo de principis loquens,ſemper ait, *Eorum quæ ſunt*,reſpondent, ſe ex altera parte cum Ioan.Grammatico, obſeruaſſe, philoſophum de cœleſtibus quoque corporibus cogitaſſe, poſtquam addere conſueuit, *Eorum quæ fiunt, & ſunt*:ita enim habet tex.65. *Manifeſtum igitur,quòd ſiquidem ſunt cauſæ,& principia eorum,quæ natura ſunt,ex quibus primis ſunt, & facta ſunt,* vbi patet (inquiunt ipſi) non ſolum principia generationis,ſed etiam eſsentię nominari: quod potiſſimum, ob cęleſtia corpora,dictum fuiſse,cenſendum eſt.

*Confutatio.*

Sed eorum pace dixerim, hęc obſeruatio nihil habet momenti:qm̃ Ariſ.frequenter,& ea,quę ſunt,& ea, quę fiunt,pro eodem vſurpare : immò per ea,quę ſunt,ipſamet generabilia,& diſsolubilia corpora ſignificare, conſueuit, quemadmodum vnicuique ex 2.lib.phyſ.tex.1.compertiſſimum eſse poteſt: vbi Ariſ.ſic habet, *Eorum, quæ ſunt,alia quidem ſunt natura,alia verò propter alias cauſas; natura quidem ſunt,& animalia,& partes ipſorum,& plantæ,& ſimplicia corpora,*& quę ſequuntur : patet aũt,& animalia,& plantas, & id genus alia,non ſolum eſse,verùm etiam facta eſse. Alia plura addũt pro prędicti argumenti ſolutione ; verùm quoniam ex Pendaſio omnia excerpta ſunt, non eſt,cur à nobis repetita confutatione refellantur.

*Fir-*

*Firmiſſimum Zabarellæ argumentum contra iam probatam concluſionem, notabili digreſſione diluitur. Cap. XV.*

HActenus probatum à nobis eſt naturale corpus, quatenus naturale eſt, pro naturalis ſcientiæ ſubiecto ſtatuendum eſſe; nomine autem corporis naturalis, non eſſe intelligendum corpus, cęlo, mortalibuſque cõe, quippe quod æquiuocum ſit, atque adeo ſubiecti rationem habere non poſſit, ſed corpus, quod omnia ſub ſe generabilia, & diſſolubilia corpora comprehẽdit, Iam verò inanis eſſet omnis noſter labor, niſi duo firmiſſima argumenta, alterum Zabarellæ, alterum Pendaſij, quę ſnĩam noſtram grauiter vrgere videntur, de medio tollere niteremur. Iacobus itaque Zabarella, loco ſuperius citato, probare contendit, cęlum, tametſi generabilium; atque diſſolubilium rerum principium efficiens eſt, nihilominus partem etiam eſſe ſubiecti naturalis philoſophiæ, & hoc modo potiſſimum à naturali philoſopho conſiderari. Sic igitur ſuam inſtituit argumentationem. Non minus res per ſe, ſcitu digna eſt cœlum, quàm ſint elemẽta: Sed elementa, cum ſint miſti principia, atq; hoc pacto de illis in libris de generatione, & interitu, à philoſopho diſputetur, nihilominus in 3. lib. de cœlo, per ſe, quatenus ſimplicia corpora ſunt, proxime ex materiæ, & formæ coniunctione exorta, conſiderantur; igitur cœlum, quod per ſe, res ſcitu digniſſima eſt, alicubi per ſe, vt tale corpus eſt, in naturali philoſophia tractari debet, atque præſertim in ijs libris, qui ab ipſo inſcriptionem, & denominationem acceperunt. Quod ſi cœlum, per ſe, à naturali philoſopho conſideratur, quis nõ videt, ipſum eſſe partem ſubiecti naturalis philoſophiæ, & illud quidem non eſſe corpus generabile, & diſſolubile, ſed corpus cœlo, mortalibuſque cõe? Pro huius argumenti diſſolutione, tota ferè præcedens ratiocinatio, vſque ad vltimam conſecutionem, concedenda eſt nimirum cœlum, per ſe, rem ſcitu digniſſimam eſſe, atque à naturali philoſopho, non ſolum, vt ſublunarium rerum principium efficiens, verum etiam per ſe, quatenus talis ſubſtantia eſt, in duobus primis libris de cœlo conſiderari. Cùm verò infertur, ergo eſt pars ſubiecti naturalis philoſophiæ, hæc conſecutio prorſus neganda eſt: huius autem negationis rationem breui hac digreſſione afferre cogor, in qua vis totius dubitationis conſiſtit. Si naturam cęleſtem intenta mentis acie contemplemur, illam inueniemus, ad nullam ex contemplatricibus facultatibus, ab Ariſ. 6. Metaphy. nominatis, propriè pertinere: cùm enim ſpiritualis ſubſtantia non ſit, & corporis omnino expers, vt intelligentia, non videtur certè metaphyſicæ conſiderationi ſubeſſe; & cùm ex materia, & forma concreta non ſit, cuiuſmodi eſt elementum, & omne corpus miſtum, nullus illi locus debetur in naturali philoſophia: atque tandem cùm non ſit pura, ſimplexq; dimenſio, mathematicæ contemplationis eſſe non poteſt. Hęc cùm ita ſe habeant, ad cæleſtem naturam explicandam, nouam tradere ſcientiam, operæpretium eſſe videretur: verumtamen Ariſ. nec abſque neceſſitate maxima, ſcientias multiplicaret, ob quàndam affinitatem, quæ naturæ cæleſti cùm ſeparatis ſubſtantijs, atque rurſus cum ſenſibilibus rebus intercedit, de ea, partim in metaphyſica, partim in naturali philoſophia, diſſeruit, ita tamen vt mathematicis etiam locus relinqueretur, aliquid de ipſa diſputandi. Iam verò cæleſtis hæc natura, tùm quia à materiæ cõtagione remota eſt, tùm ob continuam illam neceſſitudinem, quam cum intelligentia motrice, atque eidẽ perpetuò aſſiſtente, contraxit, congruenter Ariſ. in metaphyſicis libris explicari poſſe, viſa eſt, & propterea de ea, cùm in 8. tùm in 12. atque etiam alijs eiuſdem operis libris ſatis commodè diſputauit. Rurſum verò, cùm cęleſtis ſubſtantia multorum accidentium ſenſibilium, atque potiſſimùm localis mutationis, quæ ad naturalem conſiderationem pertinet, ſubiectũ exiſtat; de ea quoque in naturali philoſophia diſſerere, opportunum Ariſ. exiſtimauit; nec cõmodiorem reperit locum, quàm in duobus primis illius operis libris, quos de cœlo inſcripſit. Id, quod ab eo duabus potiſſimum rationibus factum eſſe, exiſtimo. Primò, quia cùm in 8. phyſ. libro via motus, ad primum, æternumq; motorem, qui primum eſt rerum omniũ efficiens, nos deduxiſſet, antequam aliquod generatorum corporum tractaret, aliud proximum ſublunarium rerum efficiens principium explicare voluit; illud aũt eſt corpus illud ſublime, quod appellamus cœlum. Deinde, cum Ariſ. in eodem lib. motum nunquam principiũ habuiſſe, ſed vſquequaq; æternum eſſe, multis rationibus oſtendiſſet, oportereq; ſi ante quęcunque motum, fuit ſemper motus, particularem aliquem motũ reperiri, qui æternus ſit, & per

Zabarellæ argumẽtũ, quo probat, cęlũ eſſe partẽ ſubiecti naturalis philoſophiæ.

Solutio.

Naturæ cæleſtis contẽplatio propriè nec ad metaphyſicũ, nec ad naturalẽ philoſophũ, nec ad mathematicum, pertinet.

Cur de cœlo Ariſ. in metaphyſ. diſputarit.

Cur de cęlo egerit Ariſ. in naturali philoſophia.

Cur ſtatim poſt opus de phyſico auditu Ariſ. de cęlo diſputationem inſtituerit.

quem cõis motus æternus eſſe dicatur, ideò, cùm motus abſque mobili eſſe non poſſit, ad ſubſtantiam aliquam mobilem, quæ hac motus æternitate gauderet, intellectu peruenire, neceſſe erat: hæc aũt ſubſtantia eſt illa, quæ perpetua conuerſione torquetur: meritò igitur Ariſt. ſtatim poſt opus de phyſico auditu, de huiuſmodi ſubſtantia diſputauit. Quod etiam fecit, propterea quod multi ex veteribus philoſophis cœlum a rebus generabilibus, & diſſolubilibus non ſecernebant. Stoici namque nutriri cœlum, veluti animata quæq; corpora, atque illius partes gigni, & interire exiſtimabant. Alij, non eſſe cœlum à quatuor elementis diſtinctum, ſed eſſe ipſammet igneam ſubſtantiam, arbitrabantur. Ariſ. itaque, vt rem tractaret, à cæteris quoq; naturalibus philoſophis tractatam, de cœlo diſſeruit in naturali philoſophia; atque ſenſim, ob eius circularem motum, qui ſimplex eſt, inuenit, ſimplicem quidem illud ſubſtantiam habere, ſed tñ quæ ab elementorum natura omnino diſtincta, atque diuerſa ſit: ideo, vt aliquo illud nomine ſignificant, quò à mortalibus hiſce corporibus diſiunctum penitus intelligeretur, quintam eſſentiam, ſeu quintum elementum id ipſum appellauit. Sed his omiſſis, ſoluamus nunc iam breuiter argumentum in forma. Cœlum, ait Zabarella, à naturali philoſopho conſideratur, ergo eſt pars ſubiecti naturalis philoſophiæ. Neganda eſt huiuſmodi conſecutio: & negationis ratio ea eſt; quia cœlum à naturali philoſopho nõ vt quid propriè ad eius diſciplinam pertinens, conſideratur, ſed eius conſideratio veluti appendicula quædam eſt, quatenus, ſ. illud ratione ſimplicis motus, aliorumq; ſenſibilium accidentiũ, cum ijs, quæ propriè ſunt phyſicæ conſiderationis, puta cum elementis, affinitatem aliquam habet. Neque verò miretur quiſpiam, Ariſ. in naturali philoſophia, illius rei ſcientiam inculcaſſe, quæ ad illam propriè haud pertinere vr; id enim, ad euitandam ſcientiarum abſq; neceſſitate, multiplicationem, frequenter facere conſueuit. Etenim metaphyſica, ſcientia communiſſima eſt, eiuſque ſubiectum eſt ens, quatenus ens: quare de ente tantummodo generatim accepto, atque de partibus, & affectionibus eius, Ariſ. in illa ſcientia diſſerere debuiſſet; neque ei ad aliquod determinatum ens, puta ad aliquam determinatam ſubſtantiam cõſiderandam, diſcedere, neceſſe fuiſſet: nihilominus Ariſ. in metaphyſicis de ſubſtantijs abſtractis diſſeruit, quæ determinatæ ſubſtantiæ ſunt. Quid ita? Ne ob illas præſertim, nouam ſciẽtiam texere cogeretur. Rurſus anima, vniuersè ſpectata, quamuis à naturali philoſopho, vt animati corporis forma conſideratur (loquor de anima generatim accepta: nam anima rationalis per ſe, &, vt à corpore ſeiuncta eſt, conſiderata, ad metaphyſicum pertinet) nihilominus ab eodem etiam per ſe, & vt talis ſubſtantia eſt, exploratur: anima autem ſic accepta neque naturale corpus eſt, neq; naturalis corporis ſpecies. Quare abſurdum non eſt, aliquid à naturali philoſopho conſiderari, tametſi illud pars ſubiecti naturalis philoſophiæ non ſit, ſicut in re noſtra, dicimus eſſe cœlum.

Ariſ. veteres philoſophos imitatus, de cęlo diſſeruit in naturali philoſophia.

Solutio argumenti in forma.

Ariſ. in metaphyſica egit de particularib. ſubſtãtiis quæ tñ proprie ad illã, q̃ cõis eſt minimè ptinent.

Anima generatim acceptа cõſideratur & à naturali philoſopho, per ſe, & tñ non eſt pars ſubiecti naturalis philoſophiæ.

*Argumentum Pendaſii, contra eandem concluſionem atque eiuſdem ſolutio.* *Cap. XVI.*

PEndaſius quoque, loco ſupra citato, probare nititur, cœlum, vt partem ſubiecti naturalis philoſophiæ, ab Ariſ. conſideratum fuiſſe; argumentoque vtitur, quo Vicom. lib. 3. de rerum naturalium principijs, cap. 4. atque etiam Zabarella lib. de naturalis ſcientiæ conſtitutione, cap. 10. vſi ſunt, & eſt fere argumẽtum cõe: ſed iuuat, me illud Pendaſio tribuere; quandoquidem plurimi ab eodem æſtimatum fuit. Argumentatur itaque ſic; Ariſ. initio primi libri de cœlo, tex. 5. de ſimplici corpore tractaturus, repetit definitionem naturæ, quam lib. 2. phyſ. poſuerat, eamq; omnib. ſimplicibus corporibus, hoc eſt cœlo, & elementis, cõem facit: ait enim, *Omnia corpora phyſica, & magnitudines ſecundum ſe, mobiles ſecundum locum eſſe dicimus: naturam enim principium motus ipſis eſſe dicimus*, diuiſitq; deinde corpora, quæ hoc motus principium in ſe retinent, in ea, quæ à medio, ad medium, & circa mediũ mouentur. Voluit igitur Ariſ. cœlum internum ſui motus principium habere; atq; ita illud à naturalis corporis cõſideratione nõ ſecluſit; Sed vt partẽ ſubiecti naturalis philoſophiæ cõſiderauit, quod eſt corpus naturale, cœlo, mortalibuſque cõe. Hoc argumentũ grauiſſimum, & difficillimum eſt, nobis præſertim, qui cum Ariſ. cœlum ex materia, & forma concretum non eſſe defendimus, naturæ illi definitionem non competere, atque adeò nec motum eius naturalem eſſe, prout naturalis motus ille dicitur, qui ab interiore aliquo principio proficiſcitur, atque ſecundum propriam mobilis propenſionem fit: quæ omnia in alijs diſputationibus

Argumentũ Pẽdaſii Ap par. ad phyſicã texturam parte 6.

Hoc argumẽtũ Autore ſolutu difficile.

nibus

nibus probaturi ſumus. Facilè tamen, Deo annuente, hoc argumentum diluemus, Ariſt. mẽ
te rectè perſpecta, & explicata, Ariſt. igitur in opere de phyſico auditu poſteaquam de prin-
cipijs, & affectionibus naturalis corporis diſputauit; in opere de cęlo ſtatim ad ſimplex cor-
pus explicandum ſe accinxit: per ſimplex autem corpus, duo potiſſimùm intellexit, alterum
primaria, alterum ſecundaria intentione. Primaria intentione, per corpus ſimplex, intellexit
id, quod proximè ex materiæ, & formæ coniunctione conſtatum eſt, & hoc corpus quatuor
ſub ſe illa ſimplicia corpora continet, quæ vulgò elementa nuncupantur. Secundaria verò
intentione, per corpus ſimplex, aliquam aliam ſubſtantiam intellexit, quã in operis progreſ-
ſu probaturus eſt, penitus ab elementis diuerſam eſſe: ſed nihilominus congruũ exiſtimauit,
illam ipſam ſubſtantiam; ob ſimplicem motum, quo prædita eſt, vnà cum cæteris corporib.
ſimplicibus explicare; cùm pręſertim à nobis illa quàm longiſſimè diſtet, & per quandã ſimi
litudinem, atque proportionem, quam cum cæteris corporibus ſimplicibus habet, nobis fa-
ciliùs nota eſſe queat. Iam verò, vt ſenſim ad argumenti ſolutionem accedamus, in ipſo ſta-
tim veſtibulo operis de cœlo, Ariſtote. expreſſis verbis aſſeruit, naturæ definitionem cœlo
competere: eam ſiquidem omnibus ſimplicibus corporibus communem fecit, ſed qua com-
munitate? non vniuocationis quidem, vtpote qui cœleſtem ſubſtantiam diuerſæ naturæ ab
ipſis elementis eſſe, iudicarit, ſed æquiuocationis, & analogiæ. Ad formam igitur argumenti
competit cęlo definitio naturę; ergo cęlum eſt corpus naturale, ſub eo contentum, quod pro
ſubiecto naturalis Philoſophiæ ſtatuitur: neganda eſt conſequentia: & ratio negationis eſt,
quia ſicut cęlum, & elementa in aliquo communi, non niſi æquiuocè, & analogicè cõueniũt;
ita naturæ definitio non vniuocè, ſed æquiuocè, & analogicè, hoc eſt, ſecundum diuerſam ra
tionem, & ſecundum quandam proportionem, eiſdem tribuitur. Sed obijciet aliquis, Ariſt.
in textu 15. eiuſdem primi libri de cęlo expreſsè ait, quemadmodum ignis, ſecundum naturã
eſt aptus ferri ſurſum: ita aliquod ſimplex corpus dandum eſt, quod aptum ſit, ſecundũ ſuam
naturam, in gyrum duci, & huiuſmodi eſt ipſum cælum. Si igitur cælum ad circularem mo
tum naturalem habilitatem habet, ſicut ignis ad motum ſurſum; ſequitur, illius motum na-
turalem eſſe, atq; adeò illi, & elementis naturæ definitionem vniuocè conuenire. Textum il
lum 15. quem aduerſarij tanti faciunt, ſtareq; à ſe, magnopere arbitrantur, oſtendo ego, ſen
tentiæ noſtræ ſolidiſſimum fundamentum eſſe, ſi rectè, qui nam ſit mentis Ariſ. ſenſus, intel
ligatur. Aptus eſt ignis, ait Ariſ. ſurſum ſecundum naturã ferri: aptum eſt quoq; cælum ſm
naturam in orbem moueri; ſed vt hæ ſubſtantiæ, inter ſe diuerſæ ſunt; ita pariter diuerſa in
illis habilitas, atque natura intelligenda eſt: propria quidem in igne, in cælo autẽ minùs pro
pria, & ſecundum quandam analogiam. Ignis eſt corpus, ex materia, & forma concretum;
à materia, quæ natura eſt, accipit propenſionem ad motũ: à forma, quæ pariter natura eſt;
immò magis natura, quàm materia, vt aſſerit Philoſophus in 2. phyſ. accipit determinatio-
nem huius propenſionis: non enim aliò, quàm ſurſum aptus eſt ipſe moueri: proximè autẽ,
ſi non eſt impeditus, à facultate motrice, formam ipſam conſequente, ad propriam regionẽ
mouetur; & propterea totus ignis, tria prędicta in ſe continens, dicitur eſſe aptus moueri ſur
ſum ſecundum ſuam naturam. Hæc habilitas, ſiue propenſio per ſimilitudinem quandam,
ab igne, & à cæteris corporibus ſimplicibus deſumptam, ad cælum transfertur. Eſt cælum, in
completa, & abſoluta ſua ſignificatione acceptum, concretum quippiam ex orbe, materiæ
vicẽ gerente, & ex Intelligentia, gerente vicem formæ, non informantis quidem, ſed aſſiſten
tis. Ecce primam differentiam, quæ inter cęlum, & ignem, ratione cuiuſdam quaſi ſtructuræ
reperitur. Habet cęlum, ratione orbis, habilitatem quandam, ſeu non repugnantiam, vt in
gyrum ducatur, idque ob ſphęricam figuram, qua præditum eſt: habet autem ab Intelligen
tia vim quandam circumeundi, ipſi habilitati reſpondentem, immò ipſammet habet circui-
tionem; & propterea totum cęlum, ſecundum ſuam naturam, hoc eſt, ſecundum ea, quæ ad
ipſum pertinent, conſideratum, aptum eſſe dicitur, vt in orbem voluatur. Hanc autem habi
litatem eiuſdem rationis non eſſe, cum habilitate, quam habet ignis ad ſuum motum, inde
elicitur; quia ignis ab interno principio mouetur, cęlum ab externo: ignis eſt aptus ad pro-
prium locum moueri, cùm extra illum reperitur; cęlum in proprio loco ſemper manet; &
propterea non habet habilitatem, ſicut ignis, niſi æquiuocè, vt declaratum eſt. Ariſt. rurſus
cęleſte corpus, veluti quippiam ab elementis diuerſum in opere de cęlo conſideraſſe, ex ip-

Notãda pro argumẽti ſolutione.

Naturæ definitio eſt cõis cęlo, & elemẽtis, cõitate æquiuocationis, & analogię, non autem vniuocationis.

Solutio argumenti in forma.

Obiectio notabilis ex tex. 15. primi de cœlo.

Solutio, atq; eiuſdẽ text. explanatio.

Qũo intelligendum ſit, cęlũ eſſe aptum moueri in orbẽ ſecũdũ ſuã naturam.

Habilitas ad motũ in cœlo, & elementis non eſt eiuſdem rationis.

Ariſt. in opere de cœlo cõſiderauit cœleſte corpus, vt aliquid ab elementis diuerſum.

met textu 5. ab aduerſariis allato, elicere licet; vbi eius verba diligenter perpendenda ſunt: ait enim, *Omnia corpora naturalia, & magnitudines:* ſi cęlum, & elementa ſub aliquo communi corpore comprehenderentur, quod de illis ſecundum eãdem rationem diceretur, ſatis fuiſſet Ariſtoteli dicere; *Corpora naturalia;* addidit nihilominus, *Et magnitudines;* Quid ita? Non ob aliam certè cauſam, niſi vt cęleſtem quoque naturam, atque ſubſtantiam in ea tractatione includeret: quæ quidem non eſt corpus, ex materia, & forma conflatum, ſicuti eſt quodlibet elementum; ſed tantummodo ſubiectum dicitur trinæ dimenſionis.

*Duæ obiectiones præcipuæ, contra Autoris ſententiam, diluuntur.* *Caput XVII.*

TEmpus iam eſt, vt huic diſputationi finem imponamus: quod libẽter quidem faciemus, ſi priùs duobus quaſi ictibus obſtiterimus, quibus conſtructum iam à nobis ædificiũ aduerſarij noſtri facile demoliri, funditusque euertere ſe poſſe confiderent. Diximus, corpus naturale, cœlo, mortalibuſque commune, quod æquiuocum ſit, pro naturalis Philoſophiæ ſubiecto conſtitui nulla ratione poſſe. Reſpondebatur ab aduerſarijs, corpus illud commune, tametſi re vera vniuocum non eſt, ad vnum tamen, ſiue analogum eſſe, non etiam æquiuocum. Nos autem, purum analogum minimè reperiri, iam demonſtrauimus; & propterea ſi corpus hoc analogum, & non vniuocum eſt, vt ipſi fatentur; ſequitur neceſſario, illud æquiuocum eſſe; atque adeo naturalis ſcientiæ ſubiectum eſſe non poſſe. Iam verò dicent fortaſſe aduerſarij, vt aliquid pro alicuius ſcientiæ ſubiecto ſtatuatur, ſi vniuocum non ſit, ſufficere ſaltem, illud analogum eſſe, non autem purum æquiuocum: non eſt enim adeo abſurdũ, multarum rerum, inter ſe, diuerſarum, ſcientiam dari, quatenus res illæ reſpectum aliquem habent ad vnum, vel inter ſe analogia quadam, ſeu proportione conueniunt. Etenim diuerſarũ rerum, quæ medicinales dicuntur, poteſt eſſe ſcientia, quatenus omnes ad medicinam referũtur: ſic multorum ſanorum, per comparationem ad ſanitatem: atque idem de alijs dici põt. Cum igitur corpus naturale, cœlo, mortalibuſque commune, purum æquiuocum nõ ſit, ſed coniunctam habeat analogiam; illud certè pro naturalis Philoſophię ſubiecto conſtitui poterit: & hic eſt primus ictus. Alter eſt, quia diximus, conſiderationem cœli veluti additamẽtum quoddam eſſe naturali Philoſophiæ, atque de ipſo Ariſt. in opere de cœlo, non primaria, ſed ſecundaria quadã intentione diſputaſſe. Profectò id ægrè ferunt aduerſarij, & fateor equidem, id ipſum multorũ aures grauiter offenſurum eſſe, qui aliorum opiniones, nulla adhibita ratiocinatione, libenter ſequuntur, nec proprio ingenio, intimè in rerum medullã penetrare contendunt. Audire enim mihi videor illos, ita argumentantes; ſi ſecundaria intẽtione, de cęleſti ſubſtantia, primaria verò de elementis in opere de cęlo Ariſt. diſputaſſet; dubio procul de ipſis primò, poſtea de cęleſti ſubſtantia diſſeruiſſet; atqui oppoſitum ordinem conſeruauit; non igitur dicendum eſt, cęlum in dicto opere ſecundaria quadam intẽtione ab Ariſt. conſideratum fuiſſe. Deinde qui fieri poteſt, vt cęli contemplatio, quaſi appẽdicula quędam ſit, & quaſi per accidens, & ſecundaria intentione in eo volumine interiecta dicatur, quod ab ipſo cęlo inſcriptionem, & denominationem accepit? Conſtat aũt librorum inſcriptiones ab eo fieri, quod in illis præcipuè, & primaria intentione, non autem ſecundaria conſideratur. Priori ictui obſiſtere haud difficile eſt: nam ſi conditiones ſubiecti, initio huius diſputationis poſitas, memoria repetamus; inueniemus, analogiam, cum æquiuocatione coniũctam, ad veram ſubiecti rationem non ſufficere; ſed neceſſariam eſſe vniuocationem, ſiue ea pura ſit, ſiue annexam habeat ipſam analogiam. Etenim ſubiectum ſcientiæ, principia, partes, & affectiones habere debet, atque rurſus definitionem, quæ illud exprimat quantum ad quid eſt; quæque etiam, ratione illius, omnibus, ſub ipſo contentis, atque in illa ſcientia conſideratis, conueniat, vt ſupra probatum eſt. Quod verò ad vnum, vel analogum eſt, ſimulque æquiuocationem annexam habet, ei certè principia, partes, & affectiones de ipſo demonſtrabiles, non conueniunt; nec definitio, quæ cum ſuis inferioribus communicetur. Nam ſanum, quod corpori, medicinæ, & vrinæ commune quoddam analogum eſt; aut medicinale, quod eodem modo de corpore, opere, & vaſe enunciatur, principia, partes, aut affectiones non habet, nec definitionem, æquè ſuis inferioribus conuenientem; & propterea huiuſmodi aliquid

1. Obiect.

2. Obiect.

Solutio primæ obiectionis.

Ad rationẽ ſubiecti non ſufficit analogia, niſi cõiũctam habeat vniuocationem.

veram

veram ſubiecti rationem habere nullo modo poteſt. Non eſt enim idem, diuerſarum rerum per attributionem ad vnum, conſiderationem haberi, & alicuius ſcientiæ ſubiectum inueniri, quæ illi veluti quoddam eſſe ſpecificum largiatur, ſitque ratio præcipua, cur à cæteris quibusque ſcientijs diſtinguatur. Nam certè hoc non niſi aliquod vniuocum eſſe poteſt, quod veram habeat definitionem, atque rurſus principia, partes, & affectiones, quæ ordine in illa ſcientia tractentur: quod quidem in naturali Philoſophia eſt, vt probauimus, corpus generabile, & diſſolubile, non autem corpus naturale, cœlo, mortalibuſque commune. Poſteriorem ictum hoc pacto reijcimus; Ariſt. in opere de phyſico auditu, de illius corporis principijs, & affectionibus ſibi diſſerendum propoſuit, quod, vti diximus, veluti ſcopum ſtatuit ſuæ tractationis: hoc autem, quemadmodum ipſemet docuit 2. eiuſdem operis libro, eſt corpus naturale, ex materia, & forma, tanquam ex internis principijs concretum; atque motui, tanquã pręcipuæ affectioni in Philoſophia conſideratæ, ſubiectum. Iam verò hoc naturale corpus, vniuerſè acceptum, prima ſui diuiſione, in ſimplex, & miſtum diuiditur; explicato igitur, in prima Philoſophiæ parte, naturali corpore communiter ſumpto, ſtatim corpus ſimplex, quod eſt primum membrum huius diuiſionis, ſeſe offert in ſecunda parte conſiderandum; & propterea id, quod primo Ariſt. in ſecunda Philoſophiæ parte ad conſiderandum aggreditur, eſt corpus ſimplex, ex materia, & forma conflatum; id autem, omnium conſenſione; eſt corpus elementare. Cum enim primò materia, & forma, quæ naturalis corporis principia ſunt, ſimul iunguntur; ex earum coniunctione, aliquod ſimplex corpus oriatur, oportet, quod aliqđ neceſſariò eſt ex quatuor elementis. Poſt opus igitur de phyſico auditu, primum, & pręcipuũ Ariſt. conſilium eſt, de elementis, tanquam de corporibus ſimplicibus diſputare; Verùm quoniam difficultas quædam, præſertim apud veteres philoſophos, de natura cęleſti tunc vigebat; nam. ſ. illa cum elementari natura cõueniret, an ab eadem penitus diuerſa eſſet; ideo Ariſt. antequam aliquid de elementis tractaret, difficultatem hãc dirimere, & explicare voluit, vt omnem ſcibilium rerum perturbationem, à ſua Philoſophia penitus remoueret. Inuenit igitur, via motus, atque etiam qualitatum quarundam negatione, præſertim grauitatis, & leuitatis, & alijs etiam rationibus, cęlum naturam, atque ſubſtantiam ab elementis omnino diuerſam habere; & quia de hac ipſa ſubſtantia, in naturali philoſophia diſputare decreuerat, ne propter eam ſolam, nouam ſcientiam conſtruere cogeretur; ideo elementorum tractatione pauliſper veluti ſuſpenſa, cœleſtem naturam, ijs rationibus, quas ſupra c. 14. adduximus, ſtatim poſt opus de phyſico auditu, ſubtiliter contemplatus eſt, atque etiam quo ad fieri potuit, dilucidè patefecit. Hac autem tractatione, veluti quadam digreſſione, atque parentheſi, abſoluta, ad elementorum contemplationem, tanquam primò, & præcipuè ab ſe conceptã animo, atque comprehenſam Ariſt. accedit, ſenſimque reliquorum naturalium corporum explicationem aggreditur. Excluſo enim cęlo, optima naturalis corporis diuiſio habetur: nam corpus, quod conſtat ex materia, & forma, aut ſimplex eſt, aut miſtum: ſimplex quatuor ſub ſe elementa comprehendit; miſtum verò ex ipſis elementis coagmentatum eſt, quod rurſum in animatum, & animæ expers diuiditur, & ſic deinceps. Quod verò ad inſcriptionem librorum de cęlo attinet, rectiùs certè Ariſt. illos de ſimplici corpore inſcripſiſſet; propterea quòd non de cęlo tantum, verum etiam de elementis, in ijs libris accuratiſſimè diſputauit. De cœlo nihilominus illos inſcribere voluit, vt eius artificiũ faciliùs perciperetur, hoc eſt, quò magis perſpicuè intelligeremus, cęleſtis naturæ cõtemplationem, ab ipſo, dedita opera, hoc eſt, ad vitandum ſcientiarum multiplicem numerum in naturali Philoſophia, atque potiſſimũ inter opus de phyſico auditu, atque elementorum tractationem, interiectam fuiſſe. Huc accedit, quòd cùm cęleſtis ſubſtantia nobiliſſima, & perfectiſſima ſit, neceſſarium fuit, illam alicubi ſeorſum diligenter explicatam inueniri; & propterea, ne eius diſputatio cum elementorum tractatione confuſa videretur, Ariſt. volumen illud, de cęlo, tanquam de nobiliori corpore, inſcribendum eſſe, cenſuit. Sed de inſcriptione librorum de cęlo, plura fortaſſe in alia diſputatione dicemus. Hæc interim pro ſolutione harum duarum obiectionum, atque etiam pro accurata propoſitæ diſputationis animaduerſione ſufficiant. In qua, ob defenſionem nõ quidem nouæ, ſed innouatæ, atquæ adeò difficillimæ ſententiæ, longiùs fortaſſe, quàm par erat, digredi coacti fuimus.

Solutio ſecundæ obiectionis.

Quodnam corpus, poſt explicationẽ corporis generatim accepti, ſe ſe offerat Ariſt. cõſiderandum.

Pondera diligenter Ariſt. mentẽ, in explicãda, poſt opus de phyſico auditu, natura cœleſti.

Nota circa inſcriptionẽ librorum de cœlo.

# DE PRIMO COGNITO,

## Diſputatio Secunda.

*Diſputandi ratio, Caput Primum.*

Docendi, & addiſcēdi methodus, quā tradidit Ariſt. in proœmio lib. de phyſico auditu.

APriſſimum docendi methodum, congruentiſſimamq; diſcendi rationē, in omni quidem ſcientia, ſed potiſſimum in naturali philoſophia ſeruandam, Ariſt. Peripateticorum princeps, in proœmio librorum de phyſico auditu, mirificè tradidit, ſatiſque luculenter patefecit. Cùm enim naturalis philoſophia in naturalis corporis contemplatione, quod principia in ſe habet, cauſas, & elementa, vſquequaque verſetur; docuit, ante omnia in ipſamet principia nobis penitus incumbendum eſſe, vt ex ipſorum cognitione, tanquam ex fonte, atque origine, eiuſdem naturalis corporis notitiam exhauriamus. Porrò viam, & ordinem nobis monſtrauit, quibus ad ipſam facilè peruenire poſſemus. Viam, eam dixit eſſe, vt à nobis notioribus, hoc eſt, à rebus concretis, ſenſuique manifeſtis incipiamus. Ordinem verò, vt à cōioribus cōceptibus, ſeu vniuerſalioribus quæſtionibus exordiamur. Vtroque aūt modo, dum intellectus noſter intelligēdi munere fungitur, ſemper in cognitione id, quod magis confuſum eſt, aſſerit anteire: magis quidem confuſum re ipſa, ſi viam; poteſtate verò, ſi ordinem ſpectemus. Vt enim ſenſibile compoſitum reapte, & energia in ſeſe plura continet, ex quibus conflatum eſt; ita vniuerſale, quod eſt totum quoddam intelligibile, plura ſub ſe poteſtate cōplectitur, de quibus enunciatur. Iſthæc de via, & ordine ratiocinatio; obiectum illud aut re ipſa, aut poteſtate confuſum, atque rurſus diſcrimen eorum, quæ nobis, & quę ſuaptè natura nota ſunt; & alia plura, de quibus in naturalis ſcientiæ proœmio Ariſt. diſſerit, perturbationem non paruam apud intellectus plurimos reliquerunt, ac potiſſimum ſubtilia ingenia ad eum ordinem, ſeu rationem, & viam, qua res cunctæ ad intellectum noſtrum perueniunt, inueſtigandam, mirum in modum excitarunt. Etenim intellectui noſtro alicuius rei notitia, atque intelligentia perfectionem accepturo, res variæ obijciuntur, quæ ipſum mouere, & excitare poſſunt: eas tñ omnes ſimul percipere nequit, ſed ordine aliquo eas recipit. Namque primū ab vna ſibi obiecta re leuem quandam, & imperfectam cognitionem acquirit: deinde verò ab alia re, cognitionem minus imperfectam: & gradatim, pro diuerſarum rerum occurſu, perfectam, perfectiorem, & ad extremum, perfectiſſimam cognitionem conſequitur. Res variæ, quæ intellectui noſtro intelligendæ offeruntur, ſunt ſingulare, & vniuerſale: & illud quidem aut proximum, quod & minus vniuerſale dicitur: aut remotum, quod magis vniuerſale nuncupatur. Vocant igitur Doctores in dubium, illud, quod primò ab intellectu noſtro percipitur, ſit ne ſingulare, an vniuerſale? Et ſi vniuerſale, ſit ne minus vniuerſale, vt ſpecies, an potius magis vniuerſale, vt genus? Hæc eſt celebris illa quæſtio, quæ paſſim de primo cognito, & à nonnullis de intelligēdi ordine inſcribitur. E Doctoribus, nemo eſt, qui illam aut in 1. lib. de phyſico auditu, quem idoneum arbitror eſſe locum; aut in 3. lib. de anima, ad quē potius diſputatio de cognitione ſingularis pertinere videtur, ſubtiliſſimè non diſcuſſerit. Videas hinc inde opiniones varias, diſtinctiones innumeras, argumentorum pro vnaquaq; ſnīa multitudinem, vt certè neſciam, an in tota philoſophia quæſtionem legerim difficiliorem, atque etiam magis confuſam. Hanc ego quæſtionem, à tàm multis eruditiſſimis viris agitatam, libenter omiſiſſem, niſi eius enodationem ad pleniorem Ariſt. proœmij cognitionem valde neceſſariam eſſe iudicaſſem. Niſi etiam auditoribus meis, in tàm lubrica, difficilique materia aliquam perſpicuitatem exoptantibus, morem gerere voluiſſem. Nihil ſanè noui habeo, quod in hac afferam diſputatione: non enim recedo à communiore ſnīa; illud tñ & diſputandi ordine, & docendi facilitate enitar, vt neminem hoſce meos labores vnquā legiſſe pęnitere poſſit. Ordo aūt, quem in hac diſputatione ſeruandum propoſui, huiuſmodi erit. Primū præparandi, atq; excitandi intellectus cauſa, nonnullas voces, ac diſtinctiones aperiemus, & explicabimus, quę huic quæſtioni diſcutiendę maximè neceſſarię ſunt. Deinde opiniones præcipuas, cū earū rationibus expendemus. Poſtea veriorem quàm putam ſen-

A principijs inchoādum.

Via, & ordo pro acquirēda principiorum notitia.

Primū in cognitione eſt illud, qđ eſt magis confuſum.

Vnde ortum duxerit quęſtio de primo cognito.

Quæ ſint illa, q̄ intellectui noſtro offerūtur, vt intelligantur.

Locus aptus q̄ſtionis de primo cognito diſcutiendæ, eſt primus li. phyſ. eam tñ tyronib non eſſe tradēdā.

Quæſtio de primo cognito difficillima.

Ordo in diſputatione ſeruandus.

ſententiam, validiſſimis rationibus, ſolidiſſimiſque fundamentis muniemus. Denique argumenta præcipua, quæ oppoſitum probare videbuntur, diluemus.

### *Quæſtionis intellectus explicatur.* Cap. II.

QVæſitum eſt, quid ſit illud, quod primò ab intellectu noſtro dignoſcitur? Difficiles ſanè hæc queſtio explicatus haberet, niſi prius nonnulla, quę, eorũ homonymia, maximam huic diſputationi caliginem offundunt, diligenter obſeruarentur; quod vt ab alijs ſcitè admodum factum eſt; ita nobis peropportunè præſtandum eſſe exiſtimaui. Primò igitur obſeruandum eſt, cùm de intellectu mentio ſit perſpicuum iam eſſe, nullam nobis de ſenſus cognitione diſputationem futuram; nam inter omnes conſtat, id, quod primò à ſenſu percipitur, eſſe ſingulare ſenſibile; illud enim adæquatum ſtatuitur ipſius ſenſus obiectum. Secũdò aduertendum eſt, non idem eſſe de primo cognito, atque de proprio intellectus obiecto diſputare; nam de primo cognito lis maxima apud philoſophos eſt, de proprio intellectus obiecto non item, cùm omnes vno ore fateantur, proprium intellectus obiectum eſſe id, quod eſt, nimirum ipſum ens. Vt enim riſibilitas hominis; ita intelligibilitas entis propria, peculiariſque affectio dicitur: & propterea ſicut quod non eſt ens, intelligi nequaquam poteſt, ita quicquid eſt ens, ea ratione, qua eſt ens, obiectum ſtatim ipſius intellectus conſtituitur. Illud idem etiam dicitur proprium voluntatis obiectum: hoc tamen diſcrimine, quia obiectum intellectus eſt ens, ſub ratione veri, obiectum aũt voluntatis eſt ens, ſub ratione boni. Nõ igitur de proprio intellectus obiecto in preſentia diſputaturi ſumus: Sed illud inueſtigaturi, quod primò ab intellectu noſtro percipitur, atque cognoſcitur. Cum enim ſub eius obiecto diuerſi gradus entis contineantur, vt indiuiduum, ſpecies, & genus, iure quæritur, quodnam iſtorum entium primò ab intellectu noſtro percipiatur, indiuiduum ne, ſpecies, an potius genus? Tertiò conſiderandum eſt, cùm de primo cognito loquimur, triplex primordium intelligere nos poſſe nimirum perfectionis, æquationis, & originis. Non ſumus nunc diſputaturi de eo, quod eſt primò intellectui noſtro intelligibile, in ordine perfectionis: perſpicua enim res eſt, perfectiſſimum intelligibile, inter omnia entia eſſe Deum, à quo cætera quicquid perfectionis in ſe continent, receperunt. Neque etiam diſputaturi ſumus de eo, quod eſt primò cognitum ab intellectu, ſecundum adęquationem: illud enim iã diximus eſſe ens. Tota igitur difficultas erit de eo, quod eſt primò cognitum ab intellectu, ratione originis: cũ enim plura intellectui cognoſcẽda offerantur, eidemq; decurſu temporis, nota, manifeſtaq; fiant; iure optimo quæritur, quodnam eſt illud intelligibile, quod primo cum intellectu iũgitur, & cùm eodem veluti affinitatem quandam, & neceſſitudinem contrahit? Poſtremò attendendum eſt, notitiam duplicem eſſe, alteram diſtinctam, alteram confuſam. Notitia diſtincta ea eſt, qua intellectus totum aliquod concipit, prius tamen omnibus eius partibus, ex quibus re ipſa conſtat, rectè cognitis, atq; apprehenſis. Vt domus tunc diſtinctè cognoſci dr̃, cùm pauimẽtum, parietes, tectum, cubicula, atrium, & id genus alia, quæ re ipſa continet rectè cognita ſunt. Animal ẽt tunc diſtinctè cognoſcitur, cũ anima, corpus, viſcera, mẽbra, organa, & id genus alia prius percipiuntur, ex quorũ poſtea cognitione, diſtincta ipſius animalis notitia in intellectu gignitur. Vniuerſale quoq;, vt genus, quod ad ſpecies relatum, totum quoddam poteſtate dr̃, quatenus ſub ſe ſpecies poteſtate complectitur, tunc diſtinctè cognoſcitur, cùm ſpecierum, quæ ſub eo ſunt, notitia habita eſt. Notitia verò confuſa eſt, cũ totum aliquod ab intellectu apprehẽditur, eius partibus ignoratis. Vt ſi quis nauim, aut domum apprehẽderet, ea ratione, qua magna, aut parua, vel accidente aliquo prædita eſt, tunc nauis, vel domus confuſam notitiam haberet. Similiter ſi quis hominem cognoſceret, hac ſola ratione, quia eſt rectæ figuræ, vel quia molles habet carnes, vel per aliud huiuſmodi accidens; tunc hominis notitiam confuſam haberet. Nos igitur de eo, quod eſt primo cognitum, notitia diſtincta, modo non diſputabimus: illa enim à cognoſcẽdi ordine pẽdet, quẽ arbitratu noſtro in ſcientijs tradẽdis, atq; in rebus omnibus explicandis, adhibemus. Nemini enim dubium eſt, quin cùm quippiam nobis iam exploratum explicare, atq; alios diſtinctè, & perfectè docere volumus, ea nos prius ſemper doceamus, atq; explicemus, ex quorũ cognitione aliarum rerum notitia proficiſcitur. Hic autem cognitionis ordo ad rem hanc modo non pertinet; quia non eſt ordo naturalis, & neceſſarius, ſed à nobis inuentus, & arbi-

Pro explicãdo ſẽſu quæſtionis.

Notabile 1.

Notabile 2.

Differũt primò cognitũ, & ꝓpriũ intellectus obiectum.

Ens ſub rõne veri eſt obiectũ intellectus, ſub rõne aũt boni, eſt obiectum voluntatis.

Notabile 3. Primũ cognitum triplex.

Notabile 4. Notitia diſtincta quid ſit.

Notitia confuſa quid.

Notitia diſtincta ab arbitratu pendet.

Notitia confuſa naturalis eſt.

Exēplū, quo aptè quæſtionis ſenſus aperitur.

tratu noſtro, ad res priùs cognitas, perfectè, atque diſtinctè declarandas, adhibitus. Diſputaturi autem, ſumus de ordine naturali, & neceſſario, duo potiſſimùm attendentes, nimirum promptitudinem illam, quæ ineſt in obiecto intelligibili, vt intelligatur; & affectionem, ſeu præparationem, quam habet intellectus, vt intelligat, atque cognoſcat. Itaque cum intellectus, alicuius rei ignarus, rudem, & confuſam eiuſdē rei notitiam, habere incipit, quærimus, quid nam ſit illud, quod primò ipſum moueat, & à quo primùm perficiatur, ſit ne ſingulare, an minus vniuerſale, vt ſpecies ſpecialiſſima; an potius magis vniuerſale, vt genus; an etiam aliquid ſupra genus, vt ens? Exempli gratia, faciamus, Socratem Platonis, ſibi antea ignoti, nunc primùm notitiam acquirere debere; quærimus, quis nam ordo in huiuſmodi cognitione ſeruetur? Imprimatur ne primùm in eius intellectu imago entis, aut ſubſtantiæ, poſtea verò corporis, deinde viuentis, mox animalis, ab hoc hominis, atque demum ipſius Platonis? An potius ſtatim, hac confuſa cognitione, eius intellectus imagine primùm Platonis perficiatur, deinde hominis, tertiò animalis, quartò viuentis, quintò corporis, ſextò ſubſtantiæ, & ad extremum ipſius entis? Hæc eſt quæſtio, quam nunc diſputaturi ſumus.

## *Opinio Sancti Thomæ.* *Caput III.*

Opi. D. Th. primū cognitū eſſe magis vniuerſale.

CVm iam pateat, quiſnam ſit propoſitæ diſputationis intellectus, nunc præcipuas ſn̄ias, quæ hac de re hactenus emerſerunt, breuiter recenſeamus. Fuit igitur prima opinio Angelici, lucidiſſimique doctoris S. Tho. Aquinatis, in procemio primi libri de phyſico auditu, prima parte ſummæ q. 85. art. 3. in opuſculo de ente, & eſſentia, & alijs pluribus locis: qui arbitratus eſt, primam imaginem, notionem, ſeu, (vt ſcholæ inquiunt) primum conceptum, qui in intellectu noſtro imprimatur, eſſe conceptum rei magis vniuerſalis, atque adeo ens, quod omnium communiſſimum, ac vniuerſaliſſimum prædicatū dicitur, illud eſſe, quod ea cognitione, vel eo intelligendi ordine, de quo ſuperiore capite diſſerendum propoſuimus, ab intellectu noſtro primo cognoſcitur. Hæc opinio à D. Tho. & ab eius ſectaroribus, nonnullis rationibus confirmatur: & præ cæteris, S. Tho. argumentum vnum adducit, quod certè, ſi rectè intelligatur, validiſſimum eſt, & rem quęſitam omnino demonſtrare videtur. Argumentum illud à Doctoribus pleriſque, multis probationibus implicatum, & valde confuſum, proponi ſolet; ideo ad eius robur oſtendendum, illud ipſum cum ſuis probationibus, quo ad eius *fieri* poterit diſtinctè, in medium afferre cenſuimus. Eſt igitur argumētum huiuſmodi. Quicquid de pura, ſimplicique poteſtate ad energiæ actum, naturæ ordine, promouetur, priùs rationē quādam imperfectam acquirit, mox perfectam, deinde perfectiorem, & ſic gradatim, donec perfectiſſimam ſequatur: Sed intellectus noſter ad intelligendum, atque ad omnes intelligibilium rerum notiones recipiendas, in pura, ſimplicique poteſtate eſt; igitur priùs neceſſario, naturę ordine, notiones imperfectas recipit, quàm perfectas. Atqui inter omnes notiones imperfectiſſima eſt notio rerum magis vniuerſalium: igitur intellectus primò perficitur notione rerum magis vniuerſalium, deinde minus vniuerſalium; atque adeo magis vniuerſale, cuiuſmodi eſt ens, illud eſt, quod primò ab intellectu noſtro cognoſcitur. Maior propoſitio huius argumenti facilè explicatur exemplis. Primò enim, quod ex non calido calidum fit, non ſtatim perfectiſſimum gradum caliditatis recipit; ſed priùs calore quodam imperfecto afficitur, mox perfecto, deinde perfectiore, atque tandem perfectiſſimo. Hic idem ordo in hominis generatione ſeruatur: vt enim lib. 2. de ortu animalium, c. 3. Ariſt. ſcribit, foetus, in vtero matris exiſtens, primò viuit vitam plantæ, poſtea animalis, tandem hominis: non enim omnem ſimul animam, eodemque tempore recipit; ſed primò vegetalem, poſtea ſentientem, atque demum rationis participem. Hoc idem rurſus exemplo, ab artificioſis rebus deſumpto confirmari poteſt: ars enim, vt ſæpe lib. 2. de phyſico auditu Ariſt. docet, naturam quantum poteſt æmulatur; & propterea quicquid in arte fit, illud idem in naturæ operibus fieri cēſendum eſt. At verò ars ſuſceptum opus non ſtatim perficit, ſed primò inchoat, efformat, effingit, & leuioribus quibuſdam principijs adumbrat; tum demum illud idem perficit, & abſoluit. Maior itaque propoſitio iam conſtructi argumenti, apertiſſima eſt. Minor autem propoſitio erat, intellectum noſtrum initiò in pura, ſimplicique poteſtate ad rerum notiones recipiendas, eſſe; & veluti nudam quandam tabellam iudicari, in qua nihil prorſus depictum ſit. Propoſitio hæc nulla alia probatione indiget, ſed ad eam confirmandam, ſatis eſt autoritas

Argumētum D. Tho. validiſſimum ad ſuā ſententiā confirmadā.

Exēpla varia quib. maior prædicti argumenti propoſitio cōfirmatur.

Minor eiuſdē argumēti propoſitio Ariſt. autoritate firmatur.

Ariſt.

Ariſt. lib. 3. de anima textu 14. vbi intellectum, quem poſſibilem appellat, de pura poteſtate ad intelligendi actum, & energiam procedere perhibuit. Et quamuis intellectus plures in ſe rerum notiones contineat; ſemper tamen purè potentialis appellatur, cum ad rem illā refertur, cuius non dum notionem vllam acquiſiuit. Reliquum & nunc ſubſumptam minorē eiuſdem ſyllogiſmi propoſitionem probare, ſ. notionem rei magis vniuerſalis imperfectionē eſſe notione rei minus vniuerſalis; quæ facilè probatur. Concors enim eſt omnium Philoſophorum aſſertio, notionem ſpeciei ſpecialiſſimæ perfectiorem eſſe notione, quæ ab intellectu agente vnà cum ſpectro, quod Græci phantaſma vocant, naturæ viribus, educi poſſit: quoniam notio illa notioni rei ſingularis proxima eſt, qua res nobis maximè notæ fiūt. Rurſus illa notio imperfectior dicitur, quæ magis confuſa eſt, quęque poteſtatis naturam magis redolet; huiuſmodi autem eſt notio rei magis vniuerſalis: quò enim vniuerſalior eſt notio, eò plura ſub ſe poteſtate complectitur, atque ita magis confuſa eſt. Cum igitur notio entis cōmuniſſima, & imperfectiſſima ſit; iam planè ſequitur, ipſum ens illud eſſe, quod primò ab intellectu noſtro cognoſcitur; & hoc eſt argū. D. Tho. Eius aūt ſectatores ſecundo loco ſic argumētantur; Illud vniuerſale priùs ab intellectu cognoſcitur, cuius ſingulare priùs ſenſui obijcitur: ſed ſingulare magis vniuerſalis priùs ſenſui obijcitur, quàm ſingulare minus vniuerſalis; igitur priùs ab intellectu noſtro magis vniuerſale, quā minus vniuerſale percipitur. Maior propoſitio perſpicua eſt; dum enim intellectus noſter in hoc corpore manet, ſuę cognitionis primordia à ſenſu recepit; atq; adeò ſenſum præeūtem ſequi debet; idq; primùm intelligere, quod ille priùs obtulerit, ac renunciarit. Minorē aūt explicant communiſſimo illo exemplo alicuius animalis, procul venientis; quod quidem priùs à ſenſu percipitur, vt hoc ens, quàm vt hoc corpus. atq; rurſus priùs percipit vt hoc corpus, quàm vt hoc animal, & ſic deinceps, à communiore ſemper ratione ad minus cōmunem procedendo. Tertiò ſic argumentantur; Communiſſima illa enunciata, quæ paſſim dignitates appellātur, nobis notiſſima omniū, ac manifeſtiſſima ſunt, in quibus illud eſt præcipuum, quodlibet eſt, vel non eſt, igitur id, quod eſt, ſiue ipſum ens, illud dicitur, quod primò ab intellectu noſtro cognoſcitur. Probatur antecedens, autoritate Ariſt. 4. metaph. tex. 9. vbi ait, dignitatem illam certiſſimam, atque notiſſimam eſſe, ac veluti cæterarum normam, & regulam; ac proinde neceſſe eſt, vt eius notio primò nobis à natura iniecta ſit. Conſecutio verò per ſe clara eſt; qm̄ ens, & non ens ſunt termini, ex quibus principium illud, ſiue illa dignitas conſtituitur: principio autem, ignoratis terminis, aſsentire nequaquam poſſumus; huic enim propoſitioni, omne totum eſt maius ſua parte, nunquā aſſentiremur, niſi quid totum, & quid pars ſit rectè perciperemus. Afferunt deniq; autoritatem Ariſto. in procemio librorum de phyſico auditu, vbi apertè docet, à magis vniuerſalibus, tanq̄ à nobis notioribus, ad minus vniuerſalia progrediendum eſſe: quod etiā probat: quia omne totum priuſquam partes tùm à ſenſu, tùm ab intellectu cognoſcitur: tūc argumentātur: ſed magis vniuerſale ad minus vniuerſale, totum quoddam eſt, vt aſſerit Porphyrius in prædicabilibus, capite de ſpecie: ergo priùs cognoſcitur ab intellectu magis vniuerſale, quàm minus vniuerſale.

*Notio rei magis vniuerſalis īperfectiorem notionē rei minus vniuerſalis.*

*Argumētum ſecūdum pro ſententia Diui Thomæ.*

*Argumētum tertium.*

*Argumētum quartum.*

*Opinio Scoti.* *Caput IV.*

SEcunda fuit ſententia Doctoris ſubtilis, Ioannis Scoti, qui lib. 1. ſent. d. 3. q. 2. & lib. 1. metaphy. q. vltima, arbitratus eſt, id, quod primò diſtinctè ab intellectu noſtro percipitur, eſſe quidem magis vniuerſale, vt ens: quod verò ab eodem rudi quadam, & confuſa notitia cognoſcitur, eſſe minus vniuerſale, vt ſpeciem ſpecialiſſimam. Priorem partem huius opinionis ita probat. Tunc enim diſtinctè aliquid cognoſci dr̄, cùm omnia prædicata, quæ intra ſe continet, percipiuntur: vt homo, exempli gratia, tunc diſtinctè cognoſcitur, cùm intelligitur, ipſum eſſe animal rationis particeps, eſſe corpus, eſſe ſubſtantiam, eſſe ens: omnia enim hæc prædicata in homine includuntur, atq; de ipſo per modū ſubſtantiæ, vel (vt aiūt) quidditatiuè enunciantur. Sed ens nullum ſuperius prædicatum intra ſe continet; cùm habeat conceptum ſimpliciter ſimplicem, qui in alios conceptus abire non poteſt; dum ergo ens cognoſcitur, non poteſt illud, niſi diſtinctè cognoſci; atq; adeo ens illud erit, quod notitia diſtincta ab intellectu noſtro primò cognoſcitur. Altera pars prædictæ opinionis, cum à Scoto, tùm ab eius diſcipulis, & ſectatoribus, validiſſimis quidem rationibus comprobatur. Præcipuum

*Opinio Scoti, primò cognitū, cognitione diſtinctā, eſſe magis vniuerſale; cognitione verò cōfuſa eſſe ſpeciē ſpecialiſſimā.*

cipuum argumentum illud eſt, quod Scotus adducit, quodq; Scotiſtarum cenſetur Achilles,

Primũ argumentum pro opinio. Scoti, quod maximè à Scotiſtis æſtim.

eſt autem huiuſmodi. Cauſæ naturales, quæ ad aliquid efficiendum concurrunt, ſi nullũ adſit impedimentum, ſi agens aptè affectum, atq; illi patiens congruenter ad motum ſit, edunt ſemper nobiliſſimum effectum, atq; omnium perfectiſſimum, quos edere poſſunt. Sed intellectus agens, & phantaſma ſunt cauſæ naturales, intellectionem præcurrentes, hoc eſt parãtes, & efficientes id, quod ad intellectionem edendam, neceſſarium eſt, puta ſpeciem intelligibilem; igitur ſi nullum adſit impedimentum, ſi intellectus ſit aptè affectum, ſi ad eum phantaſma proximè accedat; neceſſariò, hac eorum naturali actione, quem poſſint, nobiliſſimum, ac perfectiſſimum conceptum effingent. Tunc ſubarguit Scotus, ſed perfectior cõceptus, qui effingi à naturali agente, & à phantaſmate poſſit, eſt conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ; igitur ſpecies ſpecialiſſima illa eſt, quæ ratione originis, atq; in ordine confuſè concipiendi primò

Scoti argumentum probationib. roboratur.

ab intellectu noſtro cognoſcitur. Hoc eſt validiſſimum Scoti argumentum, cuius tñ robur, & firmitas adhuc magis patebit, ſi ſingulæ propoſitiones probentur, aptoq; aliquo exemplo, integrum argumentum illuſtretur. Maior propoſitio erat, naturales cauſas, quocunq; impedimento remoto, agente, & patiente aptè affectis, & ſimul vnitis, perfectiſſimum effectum primùm edere, quem edere poſſint. Propoſitio hæc euidentiſſima Ariſ. autoritate firmatur: qui in calce ſecũdi libri de phyſico auditu, diſertis verbis aſſeruit, naturales cauſas nõ liberè qui-

Cauſæ naturales nõ liberè, & contingẽter, ſed neceſſariò agũt

dem, & contingenter, ſed neceſſariò ad agẽdum incitari. Etenim quod liberè agit, maiorem, arbitratu ſuo, & minorem, vt ita dicam, intenſionem effectui tribuere poteſt: vt pictor, picturam effecturus, illam libertate ſua, & imperfectam, & perfectam, & perfectiorem efficere; atque rurſus, in illa effingenda, omnes ſuos conatus adhibere poteſt. At verò non ita ſe habent illæ cauſæ, quæ propriè naturales appellantur: eæ enim, quotieſcunq; effectum aliquem edere debent, totam ſuam vim agendo expromunt, vel (vt ſecundum cõem modum loquendi philoſophorum loquamur) agunt huiuſmodi cauſæ, ſecundum vltimum potentiæ. Exẽpli gratia, ſi ignis ligno admotus ſit, omniq; impedimento remoto facultatem habeat lignum duos gradus caloris recipiendi; tunc ignis duos illos caloris gradus in ligno non edere nõ poterit: quòd ſi lignum tot in ſe gradus caloris recipere, quot in eo ignis edere poſſet, tunc ignis omnes illos caloris gradus in ligno neceſſariò ederet, atq; adeo perfectiſſimum effectum pri-

Intellectus agens, & phãtaſma ſunt cauſæ naturales

mò pareret, quem eius virtus, atq; agendi efficacitas reſpiceret. Minor propoſitio erat, intellectum agentem, & ſpectrum, ſeu phãntaſma eſſe cauſas naturales. Hęc propoſitio ſic probatur: quoniam hæ cauſæ ad ſpeciem intelligibilem gignendam, ante omnem voluntatis actionem concurrunt, non igitur ſunt cauſæ, quæ arbitratu ſuo agant, ſed ſunt cauſæ neceſſariò

Conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt cõceptus perfectiſſimus omnium qui ab intellectu agente, & à phantaſmate gigni poſſit.

agentes, atq; adeo naturales. Erat altera ſubſumpta minor, conceptum ſpeciei ſpecialiſſimæ eſſe perfectiſſimum, & nobiliſſimum omnium, quos phantaſma, & intellectus agens gignere poſſint. Hæc propoſitio facilè probatur: namq; ille conceptus ſolet dici perfectior, qui pręſtãtioris naturę imaginem exprimit: huiuſmodi autem eſt conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ, quę ideo cæteris naturis præſtantior dr̃, quia re ipſa cæterarum naturarum gradus in ſe ſe claudit, ac continet: vt enim natura generis ſpecies omnes ſub ſe poteſtate complectitur: ita natura ſpeciei tàm genus, quàm differentiam re ipſa continet, ex quibus conflata eſt. Itaq; pręſtãtiſſima, ac perfectiſſima eſt, ac deinceps eius conceptus omnium perfectiſſimus dr̃, qui à præ

Scoticum argumẽtum illuſtratur exẽplo.

dictis naturalibus cauſis effingi poſſint. Probatis iam ſingulis propoſitionibus, nunc Scoticũ argumentum illuſtremus exemplo. Obijciamus exempli gratia hominem intellectui cognoſcendum, qui à cognoſcente facultate non procul diſtet, ſitq; facultas aptè affecta, nec ab vlla re impedita, quo minus rectè ſuo munere fungi poſſit; tunc homo aptus eſt, qui ab intellectu cognoſcatur, & vt homo, & vt animal, & vt corpus, & vt ſubſtantia; & vt ens: at verò inter horum omnium conceptus, conceptus hominis perfectiſſimus eſt, quia cæteros re ipſa includit; hic igitur, tanquam perfectior, & validior, cæteris præſtabit, atque priùs in intellectu, quàm conceptus animalis, corporis, ſubſtantiæ, & entis imprimetur. Itaq; homo, qui ſpecies ſpecialiſſima eſt, priùs vt homo, quàm vt animal, vel vt aliud quippiam eorum quę ſuperius

Secũdum argumẽtũ pro Scoti opinione.

dicta ſunt, cognoſcitur. Secundo argumentatur Scotus tali pacto, Metaphyſica, etſi inter oẽs diſciplinas, naturali lumine inuentas, dignitate prima ſit; ordine tñ acquiſitionis vltimum locum tenet, nec, niſi poſt alias ſcientias, tradenda eſt, vt 1. lib. ſuæ metaphy. cap. 3. aſſerit Auicenna: & nomen etiam ipſiuſmet ſcientiæ indicare vr̃; inſcribitur enim metaphyſica, hoc eſt,

poſt

poſt naturalem ſcientiam addiſcenda:igitur termini metaphyſicæ,qui omnium communiſſimi ſunt,veluti ens,bonum, ſubſtantia, cæteriq; huiuſmodi, noti intellectui poſtremo loco fiunt,atq; adeo maximè vniuerſalia non ea ſunt, quæ ratione originis,in ordine confusè cõcipiendi,primò ab intellectu noſtro percipiantur. Tertiò ſic argumẽtatur,ſi ante ſpeciei ſpecialiſſimæ conceptum,rerum magis vniuerſalium notiones concipere oporteret,tunc,ſi ponamus,ſingulare aliquod ſenſibile ſenſum mouere,atq; intellectum liberum,& ſolutum exiſtere: profectò multum temporis tenere neceſſe ſit, antequam illius ſingularis ſenſibilis notio ab intellectu acquiratur: priùs enim omnia prædicata quidditatiua illius ſpeciei, ordine aliquo intelligere oporteat,tranſeũdumq; ſit per omnia genera media, quorum aliqua ignota ſunt,vt autor eſt Ariſt.lib.7.metaph.tex.28. vbi ait, proximum aſini, & equi genus ignorari. Cùm igitur in ſpeciei ſpecialiſſimæ intellectione hoc temporis interuallum,vel hic curſus non appareat,dicendum neceſſariò eſt, eam ipſam,ratione originis, primo ab intellectu noſtro cognoſci. Addunt alij quartum argumentum, quod eſt huiuſmodi;ea priùs nobis nota ſunt,quæ à ſenſibus minus diſtant, quæq; facilius à ſingularibus abſtrahuntur: ſed huiuſmodi ſunt ſpecies ſpecialiſſimæ;eæ igitur intellectui noſtro primò notæ fiunt. Maior propoſitio ſatis perſpicua vr̃;ſiquidem intellectus noſter rerum notitiam à ſenſibus accipit; & vniuerſalia à ſingularibus abſtrahit. Minor verò facilè probatur;nemo enim neſcit,naturas omnes minus cões,quod ad res ſingulares magis accedant, ſenſibus viciniores eſſe. Illud etiam apud omnes certum eſt, naturas minus vniuerſales facilius à ſuis inferioribus abſtrahi, quã naturas magis vniuerſales:illæ enim maiorem cum ſingularibus conuenientiam habẽt,pauciorefq; differentias reſpiciunt. Namque naturę magis vniuerſales cuiuſmodi ſunt genericę, differentias,tàm ſpecificas,quàm indiuiduales, continent: naturæ autem minus communes, cuiuſmodi ſunt ſpecificæ,dum,intellectus ope,à ſingularibus abſtrahuntur,indiuiduales tantum differentias relinquunt. Alia plura argumenta pro Scoti opinione ab alijs etiam afferri ſolent;ſed hæc,quæ adduximus,ſatis erunt.

Tertium argumentum.

Quartum argumentum.

### *Opinio Durandi, & Nominalium.* Cap. V.

TErtia fuit opinio Durandi,lib.2.ſent.d.3.q.7.quem ſecutus eſt Gregorius Arim.lib.1. ſent.d.3.q.3.art.2. Bachonus ibidem q.1. Burleus in commentario quarti contextus primi libri phyſ. Gulielmus Ocham lib.1.ſent.d.3.q.5.& cum eo tota ſchola Nominalium: qui arbitrati ſunt,primum cognitum ab intellectu noſtro neque eſſe magis vniuerſale, vt cẽſuit D. Thomas,neq; minus vniuerſale,vt exiſtimauit Scotus,ſed ſingulare. Pro hac opinione firmanda innumeræ propemodum ab auctoribus iſtis rationes adducuntur,quarum præcipuas hoc capite colligemus. Prima igitur ea eſt;id, quod primò ab intellectu noſtro percipitur,eius actionem antecedere debet: ſed vniuerſale, quodcumq; illud ſit intellectus actionem non antecedit:eſt enim intellectus,qui facit vniuerſalitatem in rebus,teſte Auerroe primo de anima,com.8.non igitur vniuerſale illud eſt,quod primò ab intellectu percipitur;ſed quod primo intellectui obijcitur,antequam intellectionem edat,eſt ipſum ſingulare. Secunda. Niſi intellectus noſter prima intellectione intelligeret ſingulare,aut id contingeret, quia nihil eſſet, quod illi ſingulare obijceret: aut quia ſingulare intelligere non poſſet: aut tertiò, quia illud ipſum intelligere nollet. Primum dici non poteſt,quia adſunt phantaſmata,quæ res ſingulares intellectui offerunt, atq; renunciant. Neq; ſecundum;quia conſtat, intellectũ noſtrum ad ſingularium cognitionem ſe extendere;alioquin de illis non diſputaremus. Neque tertium;tùm quia intellectus eſt potentia naturalis, quæ in rem ſibi obiectam neceſſariò agit;& propterea ſi ei ſingulare obijciatur, illud non intelligere non poteſt: tùm etiã quia nolendi actio cognitionem aliquam ponit: nihil enim eſt volitum, aut nolitum,niſi ante cognitum ſit:quare ſi intellectus nollet intelligere ſingulare; iam illud prius neceſſariò intellexiſſet. Tertia,omnis facultas, abſtrahens aliquod obiectum ab aliqua re, priùs cognoſcit illud,à quo abſtrahit, quàm illud, quod abſtrahitur, alioquin ea facultas inſcienter abſtraheret: Sed intellectus vniuerſale à ſingularibus abſtrahit, quatenus eorum ſimilitudinem percipit, vt inter omnes conſtat; ergo intellectus priùs ſingularia, quàm vniuerſale intelligit. Quarta. Neceſſe eſt,intelligentem phantaſmata ſpeculari,vt lib.3.de anima, tex.39. Ariſt. docet: ſed phantaſmata ſunt imagines rerum ſingularium, prius ergo intellectus in ſingulare,quàm

Opinio Durandi, & Nominaliũ, primum cognitum eſſe ſingulare.

Prima ratio.

Secunda ra.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Quinta rõ.

re, quàm in vniuerſale neceſſariò fertur. Quinta. Id, quod eſt primò cognitum, debet eſſe clariſſimum, faciliimum, atq; vt intelligatur, promptiſſimum: ſed purus conceptus vniuerſalis difficilis eſt: ſiquidem non niſi prouectæ ætatis, perfectæque intelligentiæ hominibus, ſeparatim vniuerſalia intelligere datum eſt: conceptus autem rei ſingularis facillimus eſt, vt pote qui à quocumque percipi poteſt; ſingulare igitur illud eſt, quod primò ab intellectu noſtro cognoſcitur.

Sexta ratio.

Sexta. Si ſingulare diſtinctè ab intellectu cognoſci poteſt, nihil obſtare videtur, quo minus primò cognitum eſſe queat: ſed ſingulare diſtinctè ab intellectu cognoſci poteſt; igitur ſingulare ab intellectu primò cognitum eſt. Minor dupliciter probatur: primò, quia facultas diſtinctè cognoſcens diſcrimen, quod inter duas res intercedit, vtranq; pariter rem diſtinctè cognoſcere debet, vt autor eſt Ariſ. lib. 2. de ani. tex. 146. Sed intellectus diſtinctè cognoſcit diſcrimen, quod eſt inter ſingulare, & vniuerſale: diſtinctè igitur cognoſcit vtrumq;. Deinde intellectus format hanc propoſitionem. Petrus eſt homo, eius veritatem diſtinctè cognoſcens; hoc autem fieri non poſſet, niſi etiam terminos, ex quibus talis propoſitio conſtituitur, diſtinctè cognoſceret, quorum vnus eſt ſingularis; ergo intellectus diſtinctè intelligit ſingulare.

Septima rõ.

Septima. Tritum eſt, ſatiſque peruulgatum illud axioma. Quicquid poteſt virtus inferior, id totum etiam poſſe virtutem ſuperiorem, & longè etiam nobiliore modo: ſed intellectus eſt virtus ſuperior ſenſu, & ſenſus poteſt cognoſcere ſingulare, ergo illud idem intellectus cognoſcere poterit. Quin etiam illud cognoſcet priùs: nã ſicut rationalis anima prius eſſe impertitur, quod ad ſentientem facultatem pertinet, quàm ad intelligentem: ita quoq; intellectus prius res ſenſibiles, & ſingulares cognoſcet, quàm vniuerſales.

Octaua rõ.

Poſtrema. Argumentari proprium eſt munus intellectus: ſed quædam argumentationis ſpecies, nempe inductio, circa ſingularia verſatur: ſiquidem inductio deſcribitur ab Ariſ. 1. Topic. ca. 10. eſſe quedam à ſingularibus ad vniuerſale progreſſio, ergo intellectus interdum in ſingularium cognitione verſatur, eritque ſingulare illud, quod primò, ratione originis, ab eodem intelligitur.

Vide plura apud Pererium li. 3. de rebus natur. c. 16.

## *Opinio Zimaræ, & Genuæ.* *Caput VI.*

Zimara, & Genua San. Thomæ, & Scoti ſententias ad bonũ ſenſum reuocare conati ſunt.

QVarta fuit ſententia nonnullorum, qui validiſſimis Angelici, ſubtiliſque Doctoris rationibus diligenter expenſis, eorum opiniones ad bonum ſenſum reuocare, & eaſdem quodammodo conciliare, conati ſunt. Hi fuerunt, vt optimè animaduertit Zabarella, duo Marci Antonij, nimirum Zimara, & Genua: Zimara in quæſtione de primo cognito, & falſas, & veras S. Tho. & Scoti de primo cognito ſententias eſſe, putauit: falſas, ſi vniuerſè, & abſolutè accipiantur: veras, ſi particulatim. Neque enim ſemper, inquit, magis vniuerſale, neque ſemper minus vniuerſale nobis primò notum eſt; Sed modo hoc, modò illud: quamuis ſæpius cõtingat, priùs à nobis magis, quàm minus vniuerſale cognoſci, & ideo minus hac in re D. Tho. quàm Scotum erraſſe, exiſtimauit. Porrò interdum magis, nonnunquam minus vniuerſale à nobis primò cognoſci nititur Zimara hoc potiſſimùm argumento ſuadere. Etenim multi ſunt, inquit, quibus ſi herba, aut animal obijciatur, cognoſcent quidem, id, quod ſibi offertur, herbam, aut animal eſſe; quæ nam autem herbæ, aut animalis ſpecies ſit, ignorabunt: quod igitur hi primo cognoſcunt, eſt magis vniuerſale. Si verò alijs equus, & aſinus obuiam fiant; ſpeciem ſtatim equi, & aſini cognoſcẽt: proximum tamen genus, equo, aſinoque commune, penitus ignorabunt; cùm illud prorſus ignotum ſit, vt ſupra ex Ariſt. oſtenſum eſt. His igitur non magis, ſed minus vniuerſale primò cognitum eſt. Huius autem diuerſitatis rationem, in ſenſum Zimara referendam eſſe putauit: omnis enim noſtra cognitio ortum ducit à ſenſu, & quæ a ſenſu percipiuntur, ſingularia ſunt, ſeu accidentia ſenſibilia, vt figura, quantitas, color, motus, & huiuſmodi; ex quorum varietate, intelligendi quoque ordo in ipſo intellectu variatur. Etenim cùm accidentia generis magis quàm accidentia ſpeciei, ſenſibilia ſunt, tunc priùs genus, quàm ſpecies ab intellectu cognoſcitur, vt ſupra de herba, & de hac herba dictum eſt. Cùm verò magis ſenſibilia ſunt accidentia ſpeciei, quàm accidentia generis; tunc priùs ſpecies quam genus ab intellectu cognoſcitur. Ideo quia propria equi, & aſini accidentia magis, quàm accidentia eorum generis proximi ſenſibilia ſunt; priùs harum ſpecierum, quàm eius generis notitia in intellectu imprimitur. Hæc Zimara.

Argumẽtum Zimaræ, quo probat, interdum magis, interdum minus vniuerſale nobis primo cognitũ eſſe.

Cur interdũ magis, interdum minus vniuerſale nobis primò cognitũ ſit.

M. Ant. Genuæ diſtinctio, qua S. Tho. & Sco.

Marcus verò Antonius Genua diſtinctionem quandam attulit, qua D. Tho. & Scoti ſententias facilè conciliari poſſe putauit. Diſtinctio eſt huiuſmodi: duplex eſt cognitio, altera actualis, vt vtar eius verbis, altera aptitudinalis.

nalis. Cognitio actualis eſt quælibet prima cuiuſque rei apprehenſio, ex phantaſmate, intellectui oblato, eumque re ipſa mouente. Cognitio verò aptitudinalis eſt quædam naturalis propenſio, tum ipſarum rerum cognoſcibilium, vt ordine aliquo ab intellectu percipiantur, tùm ipſius intellectus, vt eas ordine aliquo recipiat. Si de aptitudinali cognitione ſermo fiat nulli dubium eſt, inquit, res magis communes, & vniuerſales primò eſſe aptas ab intellectu percipi; atque rurſus intellectum ipſum eſſe aptum primò perfici conceptu communiore, & imperfectiore: ſiquidem hic eſt naturæ ordo, vt ſemper ab imperfecto ad perfectum progrediatur. At verò dum, ſtante ex vtraque parte huiuſmodi habilitate, intellectus intellectionē de ſe promit, & ad rerum cognitionem accedit, iſte ordo perturbatur, atque à facultate motrice infimæ ſpeciei impeditur, quæ validior eſt, cùm eius ſingulare fortiùs, & validiùs ſenſū moueat. Ac proinde efficit, vt, cum, ratione habilitatis, tam in obiectis, quàm in recipiēte facultate repertæ, in intellectu priùs generis, quàm ſpeciei notio imprimi deberet; ordo omnino ſeruetur oppoſitus, priuſquam ſpecies, quàm genus in intellectu recipiatur; cùm ſingulare ſpeciei fortiùs, & validiùs ſenſum moueat, quàm ſingulare generis. Hæ ſunt ſententiæ precipuæ de re propoſita, quibus iam videor, ſecundam huius diſputationis partem penitus abſoluiſſe,

ſententias cō ciliari poſſe exiſtimauit.

In quonam ſenſu opinio S. Tho. vera ſit.

Quomodo vera ſit opinio Scoti.

*Vtra de primo cognito opinio verior ſit.* *Caput VII.*

ALiorum opinionibus de re propoſita fideliter relatis, temporis opportunitas illud expoſcere videtur, vt quid re vera in tàm ardua difficultate, lubricaque materia ſentiendum ſit, pronunciemus. Hoc igitur in primis animaduertendum eſt, quod magnam partem dirimit propoſitæ difficultatis, nos nimirū dupliciter de primo cognito diſputare poſſe; aut. n. de primo cognito ſimpliciter, & abſolutè diſputamus, aut de primo cognito inter vniuerſalia. Si quæramus, quodnā ſit illud, qđ ſimpliciter, & abſolutè intellectui noſtro primò cognitum ſit; ferè apud omnes in confeſſo eſt, illud eſſe ſingulare vagum, quemadmodū Scotus lib. 7. metaph. q. 15. exiſtimauit. Non eſt, cur pro hac opinione firmanda, quidpiam temporis conteramus: tùm quia ijs rationibus, quas ſupra pro Durando, Gregorio Arim. & Nominalibus adduximus, illa ſatis cōmodè cōfirmatur: tū etiam quia præcipuam de ſingularis cognitione diſputationem habituri ſumus. At verò ſi quæratur, quod nam ex vniuerſalibus nobis primò cognitum ſit; alterum ex his duobus neceſſariò concedendum eſt: aut illud eſſe magis vniuerſale, vt cenſuit S. Tho. aut minus vniuerſale, puta infima, & ſpecialiſſima ſpecies, vt arbitratus eſt Scotus: nam inter vtranque opinionem, mediam inuenire, valde difficile eſt. Dum iuuenis Philoſophiæ ſtuderem, atque potiſſimùm doctrinæ Scoticæ operam diligenter nauarem; quò me aptius in ſubtilioribus diſputationibus, quibus ſemper mirificè sū delectatus, exercerem, Scoti ſemper opinionem, tàm in priuatis exercitationibus, quā in publicis congreſſibus, ſecutus ſum. Noueram quidem eius rationes, & fundamenta, quibus illa opinio ſuſtinetur, & ijs ipſis, facilè aduerſantium argumentationibus occurrebam: ſed ingenuè fateor, dum alijs, reſpōdendo ſatisfaciebam, ſatis mihi ipſi facere non videbar. Nunquā enim intellectus meus illi opinioni adeò firmè adhæſit, vt omnino ſyncerus, atque ab omni dubitatione, ſcrupuloque vacuus, acquieſceret: illam nempe nūquam auidè amplexatus eſt, nunquam digeſſit, ac coxit, ſicut alias multas eiuſdem autoris opiniones, quæ perſpicuè cum veritate conſentiunt. Ex quo factum eſt, vt illam tum quodammodo mutuam ſumpſerim, quo ad nanciſcerē meliorem. Oblata eſt tandem occaſio, celebrem hanc quęſtionem in Patauino Gymnaſio publicè diſcutiendi, & veritatem in tàm difficili negocio inueſtigandi, ac veluti è tenebris educendi. Laboribus ſanè, vt probè meo munere fungerer, non peperci; ſed vbi ſententiarum omnium mecum pondera diligentiſſimè examinaui, per triduum contemplationibus vacaui, vt, hinc inde ratiocinationibus habitis, veram ſententiam aſſequi mihi liceret. Tandem poſt multas ratiocinationes, diuturnamque mentis agitationem, S. Th. ſententiam, aliqua explicatione illuſtratam, veriſſimam eſſe cognoui. Nec temerè dixi, aliqua explicatione illuſtratam; nā tametſi Angelicus Doctor plures interpretes, ac defenſores habuerit; paucos tamen fuiſſe exiſtimo, qui ad verum eius opinionis ſenſum penetrarint; cùm ferè omnes, in ea tractanda, ad Scotum potiùs impagnandum, quàm ad veritatem aperiendam, animum appulerint. Afferam igitur, pro eius explicatione, diſtinctionem quandā; qua

Dupliciter de primo cognito diſputare poſſumus.

Primum cognitum abſolutè eſt ſingulare vagum.

Autor dum philoſophiæ ſtuderet, Scoti opinionem ſecutus eſt; ſed eam tamen nō omnino eſt amplexatus.

Adultior factus, S. Thomę ſententię adhæſit.

me ſimul & Thomiſtis,& Scotiſtis,ſi modò plùs veritatem,quàm eorum doctores diligant, ſatisfacturum confido. Fatebuntur enim omnes, opinor, ad propoſitæ difficultatis nubilum diſcutiendum,neceſſariam diſtinctionem fuiſſe,& ab ipſa totius quæſtionis enodationem vſquequaque pendere. Nec me quiſpiam,obſecro,inconſtantiæ,aut leuitatis inſimulet, quia, ſcilicet aliàs Scoti,nunc S.Tho.de primo cognito ſententiam defenderim:ſæpius enim opiniones mutari cõtingit,vt autor eſt Ariſt.lib.2.de anima,tex.159.vel quia fortior,atque validior ſuperueniat ratio,poſteriorque opinio priorem deijciat, vt in eiuſdem contextus expoſitione Io.Gram.ſcribit:vel quia interdum iudicium ab affectione decipiatur,vt docet D.Tho.lib.7.Ethic.lect.nona.Quare libero,ſolutoque intellectui,nec autori cuipiam addicto, faciliorem ad veritatem capeſſendam,aditum patefieri neceſſe eſt. Auguſtinus etiam Sueſſ. qui publico ſtipendio Philoſophiam in Patauino Gymnaſio profeſſus eſt, lib.1.metaphyſicarum dilucidationum,diſput.11.c.4.in fine,confeſſus eſt,ſe hac de re multis in locis variè, ac confusè ſcripſiſſe,ac denique exiſtimaſſe ſe,veram opinionem inueniſſe;quinimmò ſi melior occurreret opinio, palinodiam canere paratum eſſe.Si igitur Sueſſanus iam Doctor,& conſumatus Philoſophus,ob tantam huius quæſtionis difficultatem,& varia ſcripſit,& oppoſita docuit;quid abſurdi,aut incommodi erit,me ſtudentem vni opinioni adhæſiſſe,& docentem oppoſitum tenuiſſe?

Autoris excuſatio, cur aliàs Scoti, nunc S.Thomæ ſententiã defenderit.

Cõtingit frequenter opiniones mutari.

Auguſ.Sueſſ. in hac diſputatio.varius.

*Notabilis diſtinctio,qua optimè rei propoſitæ veritas illuſtratur. Cap. VIII.*

MIror ſanè,tot eruditiſſimos viros,celeberrimoſque Philoſophos, qui hac de re copioſè ſcripſerunt,ſubtiliſſimèque diſputarunt,multas diſtinctiones attuliſſe,variaque nomina,ſeu voces explicaſſe,illud tamen,quod totius difficultatis eſt caput, & ſine quo euolui quæſtio nulla ratione poteſt,aut vix tetigiſſe,aut ſilẽtio penitus obruiſſe.Quæſitum eſt,quidnam ſit illud,quod primò ab intellectu noſtro cognoſcitur? Diſtinxerunt viri præclariſſimi inter notitiam illam,quæ ſenſu,& illam,quæ intellectu acquiritur:inter primum cognitum, & primum obiectum:inter obiectum primum,prioritate originis,perfectionis; & æquationis:inter notitiam confuſam,& diſtinctam:quæ omnia ſatis quidem intellectum ad veritatẽ aſſequendam præparant,atque afficiunt. Attamen vnum præterea deſideratur, quod vim, & energiam quæſtionis aperiat,quodque intellectum in id,quòd quæritur, intimũ deducat; quo nam pacto.ſ.ponamus nos,id ipſum,quod primò cognitum appellamus, ad intellectũ noſtrum ſe habere? Vtrum ne ita,vt nunquam antea vlla eius notio in ipſo impreſſa fuerit; ſed tum primùm eius notitiam conceperit;eo modo,quo pueri recens rerum notiones acquirunt:an ita potius,vt res,quæ concipi debet,multò iam antea cum intellectu neceſſitudinem contraxerit:interiecto autem temporis interuallo,neceſſitudine admodum debilitata,ac propè extincta,res eadem iterum intellectui occurrat,vt neceſſitudo exuſcitetur,ac renouetur? Hoc ego quidem ſuperiùs in calce ſecundi capitis leuiter tetigi;ſed tamen nondum planè aperui:propterea ſuperioribus iam allatis diſtinctionibus hanc quoque ad rei veritatem aperiendam,neceſſariò addendam eſſe exiſtimaui. Dictum eſt,notitiam illam, quam ſcholæ actualem appellant,duplicem eſſe,nimirum confuſam,& diſtinctam:quid vtraque ſit,iam ſuperiùs explicatum eſt.Quoniam verò tota difficultas in confuſa notitia poſita eſt,ideo ea ipſa,alia diſtinctione diſtinguenda eſt. Notitia enim actualis confuſa duplex eſt.ſ.originalis, & ex habitu. Notitia actualis originalis tunc fit,cùm actu rem quampiam apprehendimus, nobis antea prorſus ignotam,noſterque intellectus ad huiuſmodi rei notionem ſe habet tanquam tabula inanis,& nuda,in qua tum primùm illa notio exprimitur. Notitia verò actualis ex habitu tunc fit,cùm intellectus rem aliquam,ſibi iam pridem cognitam,intelligit,& in qua ſæpe antea verſatus eſt. Actualis quidem eſt hæc notitia;tamen quia non eſt prima,quę acquiratur,ideo non originalis,ſed propriè ex habitu nũcupatur:eam verò, notitiam potius ex habitu,quam habitualem appellare libet,ne actualem cum habituali notitia confundere videar. Porrò inter notitiam habitualem,& notitiam ex habitu non nihil diſcriminis intercedit.nam Muſicus dormiens habet notitiam Muſicę habitualem:dum verò expergefactus, rem aliquam,ad Muſicam pertinentem,ſibi antea cognitam,comprehendit,& intuetur; dicitur habere notitiam actualem ex habitu. Itaque actualis notitia veluti genus quoddã eſt, quod duas ſub ſe notitiæ ſpecies comprehendit,nimirum notitiam originalem, & notitiam

Oẽs prædictæ diſtinctiones compendio colliguntur.

Vis, & energia propoſitæ quæſtiõis explicatur.

Diſtinctio notabilis de duplici notitia actuali confuſa.

Nota diſcrimẽ inter notitiam habitualem,& ex habitu.

ex habitu,quarum vtraque actualis eſt. Hæc igitur eſt diſtinctio,quam propoſitæ quæſtioni diſcutiendæ omnino neceſſariam exiſtimaui, quamq; pauciſſimi aduerterunt, & expenderunt. Cuius quidem diſtinctionis auctorem me ipſum conſtituiſſem (nam ipſe, ita me Deus amet, poſt multam meditationem, illam excogitaui) niſi poſtea eandem apud Iacobum Zabarellam, libro de intelligendi ordine, c. 11. ad vnguem reperiſſem: neque inter me, & illum quicquam intereſt, niſi quia notitiam illam, quam ipſe habitualem vocat, ego potius ex habitu appellandam eſſe, putaui. Sed præterea apud eundem autorem præcipuas etiam rationes, & fundamenta inueni, quibus ego ad S. Tho. ſententiam defendẽdam; ductus ſum. Quã ob rem firmiùs iam concepta S. Tho. ſententia intellectui meo adhæſit, eamque veriſſimam eſſe, arbitratus ſum: quandoquidem qui nulli ſunt addicti magiſtro, ſed vnius veritatis indagationi operam dant, in eandem planè ſententiam imprudentes inciderunt: quod ſanè inuẽtæ veritatis certiſſimum indicium, apertiſſimumque argumentum exiſtit. Hęc fuit cauſa, cur ab hac diſputatione edenda abſtinere voluerim: ſciebam enim, hac in re Iacobum Zab. omnes numeros impleuiſſe, vix, vt quicquam illi addi poſſe videatur: quod certè feciſſem, niſi, vt ante dixi, alijs morem gerere maluiſſem.

Autoris cum Zabarel. conuenientia in prædicta diſtinctione.

Indicium certiſſimum veritatis inuentæ.

Iacob. Zaba. quæſt. de primo cognito egregiè tractauit.

### *Scoti diſtinctio de triplici notitia actuali, habituali, & virtuali, iure à Zabarella reprehenditur. Caput IX.*

SVbtilis etiam Doctor, cùm animaduertiſſet, tantam difficultatem ijs ſolùm diſtinctionibus, quæ ſupra propoſitæ ſunt, euolui nulla ratione poſſe, loco ſuperius citato hanc inſuper de triplici notitia, actuali, habituali, & virtuali, diſtinctionem attulit, qua id, quod quæſitum eſt, facilius ſe aperire poſſe exiſtimauit. Actualem notitiam, tanquam per ſe manifeſtã, non definiuit: nemo enim eſt, qui neſciat, eam eſſe, cùm intellectus actu rem aliquam intelligit. Habitualem eam appellat, cum intelligibile obiectum ita intellectui præſens ſit, vt ipſe ſtatim eius cognitionem elicere poſſit. Virtualem verò eam vocat, cùm aliquid intelligitur, quod in eo, vt pars includitur, quod primus, ac præcipuus eſt terminus cognitionis: ſicut tũc animal, virtuali notitia, ab intellectu percipitur, cùm homo, cuius animal dr̃ eſſe pars, actu ab intellectu cognoſcitur. Hac poſita diſtinctione, ait Scotus, primum cognitum, cognitione, actuali confuſa, eſſe minus vniuerſale puta ſpeciem ſpecialiſſimã. Primum verò cognitum, cognitione habituali, vel virtuali, eſse magis vniuerſale. Hac in re duos errores grauiſſimos Iacobus Zab. notauit. Alter eſt, quòd minus rectè Scotus habitualem notitiam definiuerit; immò intellectum æquiuocatione oppreſſerit, potentialem notitiam, loco habitualis difiniẽdo. Non enim habitualis notitia ea eſt, cùm intellectus in intelligibile obiectum, ſibi præſẽs ferri poteſt; ſed potentialis eſt hæc notitia: aliquid enim præterea ad habitualem notitiã deſideratur, vt. ſ. aliàs intellectus idem obiectum intelligibile tractarit, ſæpeque in eodem verſatus ſit. Vt qui aliàs hominẽ nouit, eique intelligibilis hominis ſpecies præſens ſit, habitualem hominis notitiam habere dicitur; quia arbitratu ſuo, hominem, iam antea cognitum, cõtemplari poteſt. At verò qui nouum habet obiectum intelligibile præſens, & circa illud intellectum exercere poteſt, eius habitualem notitiam nequaquam habere dicitur; ſed tãtummodo potentialem, quia potentia acquirendi habitum non eſt habitus. Alter Scoti error eſt, q̃ putauerit, notitiam actualem, & notitiam potentialem, quam habitualem appellauit, diſtincto, immò oppoſito penitus ordine acquiri; cùm tamen re vera vno, eodemque ordine acquirantur. Actualis notitia acquiritur, ait Scotus; apprehendendo primùm minus vniuerſale: potentialis verò priùs apprehendendo magis vniuerſale. Hoc abſurdiſſimum eſt, namq; potentia, quam intellectus habet, ad obiecta intelligibilia percipienda, naturalis, & neceſſaria eſt; & propterea aliquando ad actum reuocari debet: eo igitur ordine, quo intelligibilia obiecta ab intellectu percipi poſſunt; eodem penitus intellectus illa actu intelligit, cùm intelligendi munus exercet. Exempli gratia, lapis de turri decidens, habilitatem habet, vt in terram deſcendat, atque in illa tandem quieſcat; nihilominus antequam ad locum terræ perueniat, potentiam habet, vt ſit in loco medio; & propterea cùm actu mouetur, hoc ordine mouetur, vt priùs ſit in loco medio, quàm in terra quieſcat. Sic in re noſtra, antequam res aliqua ab intellectu noſtro percipiatur, ab eodem intelligi poteſt: eo igitur ordine, quo res illa apta eſt ab intellectu cognoſci, eodem prorſus illi nota ſit, cùm actu ab ipſomet intelligitur; atque adeo

Scot. in 1. d. 3. q. 2. propẽ finem.

Actualis notitia quid.

Habitualis notitia quõ à Scoto definita fuerit.

Quid ſit apud eundem notitia virtualis.

Scoti concluſiões duæ ad rem hãc pertinentes.

Primus error Scoti.

Quid ſit reuera notitia habitualis, quidque inter illam, & potẽtialẽ interſit.

Alter Scoti error.

Notitia actualis, & potentialis eodem ordine acquiruntur.

actualis,& potentialis notitia eodem ordine ab intellectu acquiruntur. Et quemadmodum actuali notitia, vt videbimus, prius magis vniuerſale, quam minus vniuerſale percipitur, ita illud idem prius potentiali notitia percipietur. Nec eſt, quod quiſpiam pro Scoto dicat, habitualis notitiæ nomine, ipſum reuera, habitualem notitiam intellexiſſe, quamuis illam non ita clarè expreſſerit, non autem potentialem, ſicut nos arbitramur: hoc enim eſſet eidem grauiorem errorem imponere: nam putauit Scotus, habituali notitia prius nobis notũ eſſe magis vniuerſale: nos autem infra apertiſſimè demonſtrabimus, habituali notitia, quæ re vera habitualis ſit, prius nobis notũ eſſe minus vniuerſale. De virtuali notitia nihil dico, vt pote quæ ad rem noſtram parùm faciat.

Nota.

*Vera ſententia de primo cognito, cognitione actuali, confuſa, originali.* *Cap. X.*

Cùm iam homonymiam omnem remouerimus, quæ circa habitualem, & potentialem notitiam, ob traditam à Scoto definitionem, contingere poterat: ad hæc, cùm oſtenderimus, vno, eodemq; ordine, in intellectu tàm potentialem, quàm actualem notitiam acquiri; dimiſſa nunc potentiali, tanquàm non neceſſaria, de ſola actuali diſputabimus, atq; diſtinctionem illam, à nobis ſuperius allatam, ad præſentem difficultatem dirimendam, adhibebimus. Dicebamus, actualem notitiam veluti genus quoddam eſſe, quod duas ſub ſe notitias comprehendit, originalem. ſ. & ex habitu: ideò ad cumulatiorem doctrinam, quid, vtraque notitia, primo nobis cognitum ſit, facilè explicare conabimur. Quod igitur ad originalẽ notitiam attinet, dicendum arbitror, id, quod primò, ea notitia, ab intellectu noſtro cognoſcitur, eſſe magis vniuerſale, vt rectè cenſuit S. Thomas, & cum eo Auicenna, lib. 2. metaphyſ. cap. 1. Algazelus, & tota ferè Arabum Schola. Pro hac opinione firmanda, ſatis eſſet validiſſimum S. Thomæ argumentum, quod à nobis ante propoſitum, & explicatum eſt, nam illud certè rem totam planè demonſtrat: addemus tamen nonnulla, quæ eandem opinionem firmiorem adhuc reddent, & illuſtriorem. Vulgatiſſima quædam Ariſtot. autoritas paſſim adducitur, quæ ex quarto conte. primi libri phyſicorum elicitur, quam nos quoq; libenter recenſebimus, vt quàm oſcitanter aduerſarij in ea explicanda, hallucinati fuerint, aperiamus. Cùm itaque ibi Ariſt. ordinem oſtenſurus eſſet, quo ad principiorum notitiam deuenire debeamus; ab vniuerſalioribus, tanquam à nobis notioribus, ad minus vniuerſalia, procedendũ eſſe docuit: & ne temerè id ab eo dictum videretur, rationem adiecit; quoniam totum, quod eſt quoddam confuſum, quatenus ſub ſe plura complectitur, nobis notius eſt, quàm ſuæ partes. Neſcio, an euidentiore teſtimonio S. Thomæ ſñia confirmari poſſit. Scotiſtæ nihilominus, qui oppoſitam ſñiam tuentur, huic Ariſt. autoritati occurrere nituntur, dicuntq; eam non de confuſa, ſed de diſtincta cognitione intelligendam eſſe. Eliciunt enim è Scoto, latum eſſe diſcrimen, inter cognoſcere aliquid confuſum, & confuſè: atque pariter diſtinctum, & diſtinctè. Nam cognoſcere aliquid confuſum, dicit confuſionem in obiecto: cognoſcere verò aliquid confuſè, dicit confuſionem in notitia. Quare aliquod confuſum diſtinctè, & aliquod diſtinctum confuſè cognoſcere poſſumus. Magis igitur vniuerſale, cuiuſmodi eſt ens, maximè, inquiunt, confuſum eſt; illud tñ diſtincta cognitione cognoſcimus; quoniam habet conceptum ſimpliciter ſimplicem, qui in alios conceptus diſſolui nõ poteſt: ideo cum vnus tñ eius conceptus ſit, partim quidem ſciri, & partim ignorari non poteſt: ſed aut omninò ignoratur, aut omnino ſcitur; & ſi omnino ſcitur, diſtinctè ſcitur. De hac igitur diſtincta cognitione Ariſ. aiunt, in eo textu locutum eſſe, dum magis vniuerſalia nobis notiora eſſe perhibuit; nõ item de cognitione confuſa, de qua modò diſſerimus, & proptereà locum illum ad S. Thom. ſñiam confirmandam, vim nullam penitus habere. Verum enimuerò & Scotiſtæ, in eo contextu interpretando, & ipſemet Scotus in ſua illa diſtinctione aptanda, longè opinione decepti ſunt. Scotiſtas optimè Zabarella coarguit: ſi enim quartum illum Ariſt. contextum diligenter conſideremus, inueniemus, inquit, de diſtincta quidem cognitione, atque de doctrinę ordine, qui arbitrarius eſt, locutum illum fuiſſe, cùm à magis vniuerſalibus ad minus vniuerſalia procedendum eſſe, aſſeruit: nam ſi quis diſtinctè rem aliquam ſenſim addiſcere cupit, eũ ordinem ſeruare neceſſario debet. Cùm verò Ariſt. ea verba addidit, *Totum enim ſecundum ſenſum notius eſt, vniuerſale autem totum quoddam eſt, &c.* tunc de cognitione confuſa locutus eſt: ijs enim verbis, artificio quodam, non omnibus forſitan explorato, nobis Ariſtot. oſten-

Primũ cognitũ cognitione actuali cõfuſa originali, eſt magis vniuerſale.

S. Thõ. opin. vulgatiſſima Ariſt. autoritate roboratur, quę ex 4. contex. 1. lib. phyſ. elicit.

Scotiſtarũ reſpõſio ad Ariſt. autoritatem

Differunt cognoſcere aliquid cõfuſũ, & cõfuſè diſtinctum, & diſtinctè Vide Scotũ loco ſupra citato.

Scotiſtarum reſpõſio reijcitur, vide Zabarel.

Optima explanatio contex. 4. lib. 1. phyſic. [illegible]

oſtendere voluit, arbitrarium illum ordinem, quo in tradenda, vel acquirenda ſcientia vti debemus, rectiſſimum eſſe, atq; cum illo naturali; & neceſſario ordine, quo nos rerum notiones acquirimus, proportionem maximam, atq; ſimilitudinem habere: is autem ordo huiuſmodi eſt, vt prius nobis notũ ſit totũ, quã ſuę partes, prius vniuerſale, quã ſingulare, prius definitum, quàm partes definitionis. Conſpicua autem res eſt, tunc Ariſt. de confuſa cognitione locutum eſſe: nam totum nobis notius eſt, quàm ſuæ partes, cognitione confuſa, non diſtincta; ſimiliter nomen nobis notius eſt, quàm definitio, cognitione confuſa; rurſum pueri appellãt primò omnes viros patres, & omnes fœminas matres, cognitione confuſa. Eum igitur ordinem nobis ſeruandum eſſe Ariſt. docuit, cùm alicuius rei notitiam diſtinctè tradere volumus, quem neceſſariò, & naturaliter ſeruamus, cùm notitia confuſa aliquid primò apprehẽdimus; is autem eſt, vt à magis vniuerſalibus ad minus vniuerſalia progrediamur. En igitur, quomodo Ariſt. contextus intelligendus eſt, & quomodo etiam ipſe docuerit, in ordine naturali, & neceſſario, notitia confuſa, nobis notum eſſe magis vniuerſale, non autem notitia diſtincta, quemadmodum Scotiſtæ arbitrati ſunt. Sed & Scotus ipſe hac in re deceptus eſt: putauit enim, ens primò cognitum nobis eſſe, cognitione diſtincta; quia eius conceptus eſt ſimpliciter ſimplex, nec niſi diſtinctè cognoſci poteſt. Ego vero hac in re maximam æquiuocationem latere puto; aliud enim eſt, intellectum concipere ipſum ens, & aliud eſt, intellectum concipere aliquid, ſub ratione entis. Admitti quidem poteſt, dum intellectus concipit ens, *illud* ipſum diſtinctiſſimè cognoſcere, ea ratione, quam ſubtiliter Scotus adduxit. At verò dum intellectus aliquid concipit, ſub ratione entis, non illud quidem diſtinctè, ſed cõfusè intelligit; quia cognoſcere aliquid diſtinctè, non eſt illud ſub communiſſima ratione cognoſcere, cuiuſmodi eſt ratio entis; ſed ſub propria, vel ſpecifica ratione, vt etiam ipſemet Scotus aſſeuerauit. Cùm ergo nos dicimus, notitia actuali, confuſa, originali magis vniuerſale nobis primo cognitum eſſe; intelligimus, rem illam, quæ à nobis cognoſci debet, intellectui noſtro primum ſub communiore aliquo, & vniuerſaliore conceptu occurrere, idque nos vocamus rem illam confusè, & indiſtinctè cognoſcere.

Aequiuocatio valde notanda in dictis Sco. quę rei veritatem perturbat.

Aliud eſt cõcipere ens, & aliud eſt concipere aliqd ſub rõne entis.

*Zabarellæ argumentum, ad veram de primo cognito ſententiam confirmandam, reÿcitur; eademque validiore ratione roboratur.* *Cap. X I.*

PRo hac eadem opinione firmanda addidit Zabarella argumentum, ex abſtractione deſumptum, quod validiſſimum exiſtimauit, eſtque illud ipſum quod Scotus, ad ſuam ſententiam confirmandam, in medium attulit, minore tantum propoſitione mutata. Eſt igitur argumentum huiuſmodi; Illud ab intellectu noſtro primò cognitum eſt; quod eſt facilioris abſtractionis. Addebat Scotus hanc minorem, ſed ſpecies ſpecialiſſima eſt facilioris abſtractionis, quàm genus; quia à paucioribus abſtrahitur, nimirum ab indiuiduis; genus autem & ab indiuiduis, & ab ipſiſmet ſpeciebus; ergo concludebat Scotus, primò cognitum ab intellectu noſtro eſt ſpecies ſpecialiſſima. Zabarella verò eiuſdem ſyllogiſmi minorem propoſitionem ita mutauit; ſed magis vniuerſale eſt facilioris abſtractionis, quàm minus vniuerſale. Quam ſic probauit: quoniam abſtractionis facilitas in eo conſiſtit, vt. ſ. pauca abſtrahantur, & plura relinquantur, non contrà. Iam verò in generis abſtractione ſola natura generica abſtrahitur: indiuidua autem ſpecies, & differentiæ multæ relinquuntur: atque adeo magis vniuerſale facilioris abſtractionis eſt, quàm minus vniuerſale: hincque Zabarella concludit, magis vniuerſale nobis primò cognitum eſſe. Ceterùm hoc argumentum, quod & Scotus, & Zabarella magni fecerunt, eorum pace dixerim, ad rem propoſitam confirmandam, nullius arbitror eſſe momenti: quoniam nunc de cognitione actuali, cõfuſa, originali diſputamus, quæ per ſimplicem obiecti apprehenſionem acquiritur, nulla prorſus abſtractione intercurrente. Etenim dum in intellectu pueri primò animalis idea, vel conceptus imprimitur: dubio procul eius intellectus à conceptu hominis, bouis, leonis, & aliarum ſpecierum, quæ ſub animalis genere continentur, animalis conceptum non abſtrahit, ſed cum ſimpliciter apprehẽdit. Igitur abſtractio generis à ſpeciebus, vel ſpeciei ab indiuiduis, cum aliqua ratiocinatione neceſſariò fit, ponitque notitiam diſtinctam eius obiecti, quod ab intellectu percipitur. Vt dũ ego intelligo, Petrum eſſe hominem: conſiderare poſſum conuenientiam illam, quam indiuidua omnia in humana ſpecie habent, atque ab illis ſpeciem hominis abſtrahere. Rurſum dũ con-

Argũ Zaba. ab abſtractione deſũptũ, quod fuit et argumẽtum Scoti.

Prædictũ Zabar. argũ tã quam inuali dum reijcĩ.

Notitia, quæ fit per abſtractionem, eſt notitia diſtincta.

conſidero,hominem eſſe animal rationis particeps,illumque cum alijs ſpeciebus,ſub animalis genere contentis,conuenire:poſſum ab omnibus ſpeciebus,animalis genus abſtrahere, & ſic de alijs ſuperioribus generibus dicendum eſt. Cùm igitur notitia hæc,quæ per abſtractionem fit;ratiocinationem neceſſariò ponat,ſitque notitia diſtincta: ea profectò ad rem nr̃am minimè pertinebit.

Obiectio, & ſolutio.

Nec eſt,quòd Zabarella dicat,ex communi omnium conſenſione,vniuerſalium intellectionem,abſtractionem quandã eſſe,vel non ſine abſtractione fieri: hoc enim ego admittam in notitia diſtincta,nõ autem in rudi,atque confuſa,de qua modò diſſerimus.

Abſtractio ponit notitiam eorum, à quibus abſtractio fit; quamuis intellectus eodem tũc non contempletur, cùm abſtractio fit.

Admitto etiam,eam eſſe abſtractionis neceſſariam conditionem,vt in ipſo abſtrahẽdi actu reliqua non cognoſcantur,& id ſolum,quod apprehenditur,intelligatur,quemadmodum ipſe aſſerit:tamen dum quippiam ab alijs abſtrahitur,nunquam profectò illud abſtrahi poſſet,niſi cætera ante cognita fuiſſent. Vbi enim intellectus & ſingularium,& ſpecierum notitiam adeptus eſt,poteſt quidem & à ſingularibus ſpeciem,& à ſpeciebus genus abſtrahere: hoc eſt ſpeciem,relictis indiuiduis,& genus relictis ſpeciebus,contemplari.

Argũ validius ad verã de primo cognito ſententiam confirmandam.

Validius itaque argumentum,ad eandem ſententiam confirmandam,à proportione deſumi poteſt, quæ inter obiectum intelligibile,& facultatem intelligentem eſſe debet. Poſſumus igitur ſic argumẽtari; Illud eſt primò cognitum,notitia actuali,confuſa,originali,quod maiorem cum intellectu conuenientiam,atque proportionem habet:ſed huiuſmodi eſt magis vniuerſale:ergo illud primò ab intellectu noſtro cognoſcitur. Maior eſt manifeſta,quia ſi intellectus minus appoſitus ſit,nec vllam cum obiecto intelligibili proportionem habeat:nunquam illud percipere poterit. Minor autem probatur:namque intellectus initiò rudis, & omnino potentialis eſt:& propterea cum eo,quòd eſt commune,atque potentiale,cuiuſmodi eſt magis vniuerſale,proportionem aliquam habere videtur. Itaque intellectus conceptu aliquo communi,& confuſo primò perficitur,eoque ad particulares,& diſtinctos conceptus recipiendos præparatur,atque afficitur,naturæque ordinem imitatur,quæ ab imperfecto ſemper ad perfectũ progreditur.

Nota diligẽter hæc exẽpla.

Res fortaſſis exẽplis planior fiet. Si calori aptum obiectum igni proximũ fiat, non ſtatim ignis oẽs caloris gradus,quos edere põt,cum eo communicat:quia nondum obiectũ illud,ad omnes gradus recipiendos,accommodatum eſt:ſed primo vnum gradum edit, quo obiectum illud,ad ſecundum recipiendum, afficitur, ac denique gradatim alios. Simili modo natura,animal editura,non ſtatim materiam perficit, anima ſentiente: ſed prius eam quodammodo veſtit forma miſtionis; tuncq; ipſa ad vegetalem animam recipiendam parata eſt,atq; demum ad ſentientem,quæ perfectione longè præcedentibus formis antecellit. Sic igitur intellectus,ordine hoc naturali, ac neceſſario prius communes, & confuſos conceptus in ſe ſe recipit,poſtea verò ad particulares, & diſtinctos recipiendos, aptus, idoneuſq; redditur. Sed de notitia originali iam ſatis.

*Quod nam ſit primò cognitum,cognitione actuali, confuſa, ex habitu.* *Cap. XII.*

DIcamus nunc breuiter aliquid de altera actualis notitiæ ſpecie, quam ex habitu nuncupauimus,inquiramuſq; quod nam nobis,illa notitia,primo cognitum ſit? Cui quidem quæſtioni abſolutè reſpondere non poſſumus, ſed diſtinctione opus eſt,vt optimè Zabarella notauit.

Cum intellectus in habitu ad intelligẽdum accedit, duobus modis id cõtingere põt.

Etenim cum intellectus, intelligendi iam habitu præditus, intellectioni ſe addicit,atque obiectum aliquod intelligibile tractat,duobus id modis contingere poteſt:vel enim id efficit,ſola ſimulacri virtute,iam antea in memoria impreſſi, abſq; vllius exterioris obiecti præſentia:vel id efficit,ab exteriore aliquo obiecto,varijs intercurrentibus motionibus,concitatus.

Primũ cognitũ cognitione actuali cõfuſa ex habitu poteſt eſſe tã magis, quàm minus vniuerſale.

Si primo modo id contingat, dicendum eſt, primum cognitum, cognitione actuali,confuſa,ex habitu,eſſe poſſe tam magis,quàm minus vniuerſale. Id facilè probatur: cum enim ponamus,intellectum tam in vniuerſalioribus, quàm in minus vniuerſalibus reb. multò iam ante exercitatum eſſe, atque earum habitus obtinuiſſe; quid prohibere poteſt, quo minus ipſe rem aut magis vniuerſalem, aut minus vniuerſalem contempletur? Faciamus,cum ipſum ab ſpectro aliquo,in memoria conſeruato, ad intelligendum excitari, ſitq; exempli gratia,ſpectrum illud, ſeu ſimulacrum bouis:repreſentat illud quidem naturam minus vniuerſalem,puta naturam ſpecificam;plures nihilominus in ſe ſe magis vniuerſales naturas,vt animalis,corporis,ſubſtantiæ, atque demum ipſius entis includit. Cum itaq; intellectus omnium iſtarum naturarum iam pridem notitiam habuerit; ſi ab aliquo ſimulacro

ad intelligendum excitatus ſit, arbitratu ſuo aut primò naturam entis, aut primò naturā bonis, aut quamcunque voluerit, contemplari poteſt. Si verò contingat, vt intellectus re quapiā externa, varijs intercurrentibus motionibus, ad intelligendum incitetur; tunc abſolutè dicēdum eſt; primum cognitum, cognitione actuali, confuſa, ex habitu, eſſe minus vniuerſale, nō quoduis, ſed illud, cuius accidentia fortiùs, & efficaciùs ſenſum mouere poſſunt. Pro huius rei faciliore explicatione, ſciendū eſt, æquè magis vniuerſalia, ac minus vniuerſalia propria accidentia habere, quibus nobis nota fiunt; exempli gratia, replere locum eſt accidens, quod ducit nos in cognitionem corporis: creſcere, & nutriri eſt accidens, quod ducit nos in cognitionem viuentis: progredi eſt accidens, quod ducit nos in cognitionem animalis, erectam habere figuram; aut loqui, eſt accidens, quod ducit nos in cognitionem hominis, & ſic de alijs dicendum eſt. Ponamus igitur, alicui iam pridem & corpus, & viuens, & animal, & hominem notum fuiſſe; eidemque hominem in debita diſtantia occurrere; habet homo, præter accidentia propria, accidentia quoque animalis, viuentis, & corporis; quibus quidem accidentibus ferire ſenſum aptū eſt; nihilominus quia iā eorum oīum Idea in eius mente, cui obiectum illud occurrit, recepta eſt; ideo hominis accidentia, tanquam minus vniuerſalis, cæteris accidētibus præſtabūt, eaque primò ſenſum ferient, atque adeo obiectum illud primò ſub ratione hominis notum fiet, eodemque temporis momento illud idem, vt homo, vt animal, vt viuēs, & vt corpus cognoſcetur. Quod ſi diſtantia maior ſit, quàm vt hominis accidentia ſenſū mouere poſſint; tunc ſenſum mouebunt accidentia animalis, quod minus, quàm corpus, vniuerſale eſt: ſimulque obiectum illud, vt animal, vt viuens, & vt corpus percipietur. Cum enim ſēſus obiectum ſingulare ſit, neceſſe eſt, vt quæcunque ſingulari propinquiora ſunt, priùs, & efficaciùs ſenſum moueant: huiuſmodi autem ſunt accidentia eius, quod eſt minus vniuerſale. Hac igitur notitia, primum, quod ab intellectu noſtro cognoſcitur, eſt minus vniuerſale, quēadmodum præcipuum Scoti argumentum, ſuperiùs adductum, ſubtiliſſimè demōſtrat; quod tamen de originali notitia, de qua ſupra diſſeruimus, eam certè vim habere non poteſt, quā arbitrantur Scotiſtæ, vt infra oſtendemus.

In quonam ſenſu verum ſit dicere, primum cognitum eſſe minus vniuerſale.

Dūmodo obiectū antea cognitum, ſit in debita diſtantia, ſemper ſenſū ferient accidētia minus vniuerſalis.

*Præcipuum Scoti argumentum, ſuperiùs propoſitum, diluitur.* *Cap. XIII.*

VEra de primo cognito ſententia iam explicata, ſatiſque commodè confirmata, reliquū tandem eſt, vt ad maiorem eiuſdem ſoliditatem, ac robur, rationes præcipuas, quibus illa premi, atque vrgeri videtur, pro viribus diluamus. Rationes autem eæ ſunt, quas ſupra in ſubtilis Doctoris opinionem propoſuimus: cum ipſo enim nobis præcipua diſputatio eſt; quandoquidem nos magis, ille minus vniuerſale ab intellectu noſtro, ratione originis, cognitione actuali, confuſa, primum cognitum eſſe aſſeuerauit. Primum igitur, & præcipuum argumentum, quod & ipſe, & eius ſectatores tanti fecerunt, paulò ante diximus, & paulò infra planiùs etiam oſtendemus, de ſola notitia ex habitu, non item de notitia originali efficacitatem habere; idque pro eius ſolutione ſatis eſſet. Verùm ne tam pingui minerua tantum argumentum percurrere videamur, in Scotiſtarum gratiam, ſingulas eius propoſitiones diligentiùs perpendere libet, quo vel ipſi etiam intelligant, quanti roboris illud ſit, quamque leuiter rem optatam obtineat. Erat argumentum huiuſmodi: cauſa naturalis, non impedita, patienti rectè affecto, congruenter admota, perfectiorem effectum primò edit, quem edere poteſt. Maiorem hanc propoſitionem, tāquam veriſſimam, & probationibus ſatis commodè explicatam, libenter concedimus. Addebat Scotus, Naturales cauſas, quæ, ad primum cognoſcendi munus exercendum concurrunt, eſſe ſimulacrum, ſeu phantaſma, & intellectum agentem. Hanc etiam propoſitionem, tāquam veram admittimus. Subarguebat deinde; ſed cōceptus confuſus ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt perfectior conceptus, quem iſtæ cauſæ naturales edere poſſunt. Hæc propoſitio, in qua tota difficultas conſiſtit, dupliciter falſa eſt. Primò, ſi conceptus ille ſpectetur, quem prædictæ cauſæ, iam ſatis affectæ, ac præparatæ, omni conatu effingere poſſunt; ille certè non eſt conceptus confuſus ſpeciei ſpecialiſſimæ, vt arbitratus eſt Scotus: ſed, vt optimè animaduertit Iandunus 1. phyſ. q. 6. eſt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ conceptus diſtinctus. Nemini enim dubium eſt, conceptum diſtinctum cuiuſcunque rei, perfectiorem eſſe conceptu confuſo; quia nimirum perfectiorem notitiam parit. Sumptis itaque eiſdem Scoti propoſitionibus, contra eum ita Iandunus argumentum retorquet: ſed conceptus

Præcipuū argumētū Scoti de ſola notitia ex habitu, non item originali efficaciam habet.

Perpenduntur ſingulæ Scoti, & argumēti propoſitiones.

Scoti propoſitio falſa.

Iandunus 1. phyſ. q. 6. cōtra Scotū argumentū retorquet.

diſtin-

diſtinctus ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt perfectior cõceptus quem illæ cauſæ naturales effingere poſſint; ergo ſpecies ſpecialiſſima erit primum cognitum cognitione diſtincta, non autem confuſa, vt opinatus eſt Scotus. Deinde verò hinc etiam prædicta propoſitio falſa eſſe deprehenditur; quoniam ſi tùm primùm alicuius res ſimulacrum in memoria exiſtat, & intellectus agens in illud vim ſuam exercere incipiat, neutiquam naturales iſtæ cauſæ, ſimul vnitæ, vt agant, quantum agere poſſunt, ſpecialiſſimæ ſpeciei conceptum, tanquam cæteris perfectiorem, edere poterunt: non enim tanta in illis affectio ineſt, quanta ad infimæ ſpeciei

Scotus in argumento falſum ponit.

conceptum educendum neceſſaria eſt. Itaque Scotus in hoc primo argumento falſum quoddam ponere videtur, videlicet cauſas iſtas naturales ſatis affectas eſſe: cum enim nunc de originali notitia ſermo fiat, dubio procul agens intellectus, per ſimplicem ſimulacri apprehenſionem, ad ſpeciei ſpecialiſſimæ conceptum faciendum, perfectè accõmodatus eſſe non põt.

## *Hieronymo Girello, Scoticum argumentum protegenti, obuiam itur.* Cap. XIV.

Reſponſio Hierony. Girelli ad argũ Ianduni, q contra Scot. retorſit.

HIeronymus Girellus, Scotiſta non ignobilis, qui publicè in Patauino Gymnaſio Sacram Theologiam profeſſus eſt, in quæſtione, quam de primo cognito edidit, Scoticũ argumẽtum tueri, atque potiſſimum ab Ianduni obiectionibus vindicare conatus eſt. Itaq; ad illam Ianduni retorſionem reſpõdet, naturales cauſas, intellectionem percurrentes, quas phantaſma, & intellectum agentem eſſe diximus, perfectiorem quidem effectum edere, quẽ edere poſſint, non tamen abſolutè, ſed primò: valde enim illa Particula (Primò) notãda eſt. Iam verò conceptus diſtinctus ſpeciei ſpecialiſſimæ perfectior quidem effectus eſt (inquit) quàm ſit conceptus confuſus, tamen perfectiorem hunc effectum illæ cauſæ non poſſunt educere primò; quia non dum intellectus ad illum efficiendum ſatis affectus eſt. Optima ſa-

Prædicta rñſio inualida eſſe oſtẽdit.

nè eſt huiuſmodi reſponſio; ſed quæ tamen ſñiam noſtram quàm maximè comprobet, vberemq; nobis materiam, præcipuum hoc Scoti argumentum diluendi, ſubminiſtret. Id ipſum igitur nos negamus, quod Scotus tanquam verum in argumento poſuit; nimirum, intellectum, in originali illa notitia, ad confuſum ſpeciei ſpecialiſſimæ conceptum recipiendum, ſatis affectum, præparatumq; eſſe: & propterea non inde ſequitur illa Scoti concluſio. ſ. conceptum confuſum ſpeciei ſpecialiſſimæ perfectiorem effectum eſſe, qui primò à phantaſmate, & ab intellectu agente, tanquam à naturalibus cauſis, educi poſſit. Reſpondet autem

Alia Girelli reſponſio.

Girellus, intellectum, ad omnes conceptus recipiendos, æqualem poteſtatem habere; quemadmodum viſus omnes colores æquè recipit, atque à perfectiore mouetur; & ſimiliter materia prima omnes formas æquè reſpicit, quas recipiendi poteſtatem habet. Aſſentior huic re-

Euertit hæc reſponſio opinionẽ Scoti.

ſponſioni, quæ Scoti ſñiam potius, quàm noſtram euertere vr: etenim, ea admiſſa, ſequetur ſtatim, intelletcum æquè primò conceptum diſtinctum ſpeciei ſpecialiſſimæ, ſicut conceptũ confuſum, recipere poſſe. Non recipit autem ait Girellus; quia priùs per conceptum confuſum affici debet: totus enim ordo confuſè concipiendi, vt docet Scotus, prior eſt ordine diſtinctè concipiendi. Et nos quoq; huic eidem reſponſioni inſiſtentes, dicemus, non poſſe intellectum recipere conceptum confuſum ſpeciei ſpecialiſſimæ, aut alicuius minus vniuerſalis, niſi prius per conceptum confuſum magis vniuerſalis, tanquam per conceptum commu-

Similitudo viſus, & intellectus, ab Girello allata, nihil valet.

niorem, & imperfectiorem efficiatur. Porrò ſimilitudo viſus, & intellectus in recipiendo, ab Girello allata, huc maximè quadraret, ſi intellectus liber eſſet, atque ſolutus: tunc enim obiecta intelligibilia recipiendo, nulla prorſus affectione egeret; ſed ſtatim à perfectiore excitaretur; ſicut viſus ab excellentiore viſibili ad videndum concitatur. Huc accedit, quòd viſus plura ſimul viſibilia obiecta videre poteſt, cum ſit facultas in organo extenſa, nec ab vna re viſibili neceſſario afficiatur, vt rem aliam viſibilem percipiat. Intellectus verò plura ſimul intelligibilia obiecta intelligere nequit, niſi quatenus in vnico obiecto continentur, atque ab imperfectiore intelligibili affici debet, vt perfectius, atque excellentius obiectum in-

Similitudo intellectus, & materiæ primæ fauet ſententiæ, quam autor veram exiſtimauit.

telligat. Similitudo autem intellectus, & materię primæ, mirum in modum ſñiæ noſtræ ſuffragatur. Ita ſe habet, ait Ariſ. 3. de anima circa initium, intellectus ad formas, ſeu ſpecies intelligibiles recipiendas, ſicut materia prima ad recipiendas formas naturales: at verò materia prima tametſi ad omnes formas recipiendas vniuerſalem poteſtatem habet; nihilominus, in illis recipiendis, ordinem aliquem ſeruat: vt. ſ. determinatam aliquam formam recipere nequeat, niſi prius per imperfectiorem formam, eidem quodammodo ſubordinatam

afficiam-

afficiatur. Exempli gratia, non poteſt materia prima recipere formam miſti, niſi priùs afficiatur, recipiendo formam elementi: nec poteſt recipere formam rei viuentis, niſi priùs permiſtionis formam præparatur: nec poteſt recipere formam carnis, niſi priùs recipiat formã ſanguinis, atque eodem modo in rebus alijs ratiocinari poſſumus. Sic igitur de intellectu dicendum eſt: poteſt ille quidem omnes intelligibiles formas in ſeſe recipere; ſed tamen ordine aliquo illas recipit: non enim cùm rudis initiò, & veluti nuda quædam tabella eſt, perfectiſſimã ſtatim formam intelligibilem recipere poteſt, ſed ſenſim per imperfectiorem afficitur. Quare cum conceptus confuſus rei magis vniuerſalis imperfectior ſit, quàm conceptus cõfuſus infimæ ſpeciei, rationi conſentaneum eſt, vt intellectus primò rei vniuerſalis conceptum recipiat, quo ad conceptum ſpeciei ſpecialiſſimæ primò confuſum, mox ad diſtinctũ recipiendum, aptus, idoneuſque reddatur, quemadmodum ex ipſiſmet Scoti propoſitionibus apertiſſimè elicere vnicuique licet.

*Intellectus ordine aliquo formas intelligibiles recipit, primò imperfectas, mox perfectas.*

*Experientia oſtenditur, propoſitum iam Scoti argumentum de ſola notitia ex habitu vim, & efficacitatem habere.* *Cap. XV.*

IAm verò illud oſtendamus, quod paulò ante polliciti ſumus, nimirum præcipuũ hoc Scoti argumentum, in quo hactenus verſari ſumus, de ſola notitia ex habitu, non item de originali, efficacitatem habere; nec alio quidem medio, quàm experientia, quæ eſt rerum magiſtra. Non multi ſunt anni, cùm eram Genuæ, & cuidam piſcationi intereram, quæ fiebat in mari Liguſtico; inter cæteros autem piſces, quos piſcatores ceperant, vnus erat, quem ſtatim, primo aſpectu, anguillam eſſe exiſtimaueram (erat enim anguillæ valde ſimilis) dixerũt tamen piſcatores non eſſe anguillam; ſed piſcem quendam, quem Ligures Grongum appellant. Quærerem nunc ex Scoto, cùm obiectum illud præſens fuerit, & in proxima diſtantia; (piſcem enim illum manibus contrectaui) atque intellectus ſatis commodè affectus; (non enim tunc dormiebam, nec vllo morbo eram oppreſſus) cur ſi primum, quod ab intellectu noſtro cognoſcitur, ſpecies ſpecialiſſima eſt, non ſtatim piſcem illum, Grongum eſſe cognoui, ſed anguillam iudicaui? Cur non ſtatim naturales cauſæ, quæ ad cognitionem concurrunt, perfectiorem effectum, quem edere poſſunt, hoc eſt, ſecundum Scotum, conceptum cõfuſum ſpeciei ſpecialiſſimæ ediderunt? Neſcio certè quid pro Scoto reſponderi poſſit, niſi conceptũ ſpeciei illius piſcis non ſtatim in intellectu meo impreſſum eſſe, quia nunquam antea piſcẽ illum videram, aut cognoueram: ſi enim antea cognouiſſem, illum ſtatim non anguillã, ſed Grongum eſſe iudicaſſem. At verò quid aliud hoc eſt, quàm fateri, ſpeciem ſpecialiſſimam, notitiam tantum ex habitu, non etiam originali, primò nobis cognitam eſſe? Si iterum Genuam redirem, mihique rurſus ille piſcis obijceretur, eum ſtatim Grongum eſſe, cognoſcerẽ; quia iam aliàs eius imago in mea memoria impreſſa fuit: originali autem notitia, illum anguillam eſſe putaui. Quid ita? quia obiectum exterius quibuſdam accidentibus ſenſum mouit, quæ cum accidentibus anguillæ ſimilitudinem habẽt: & quia ego aliàs anguillam videram; idcirco piſcem illum apprehendi primùm ſub conceptu ſpecifico anguillæ, ac deinceps ſub conceptu generico piſcis: dum. n. ſcio, aliquid eſſe anguillam, ſtatim illud idẽ piſcẽ eſſe cognoſco; quia genus piſcis in anguillæ ſpecie continetur. Quod ſi illud idẽ obiectũ in remota diſtantia aſpexiſſẽ; neq; anguillam illud, ſed tantummodo piſcẽ dixiſſẽ; quia duntaxat piſcis accidẽtia, vt figura, color, & huiuſmodi ſenſum percuſſiſſẽt, ab eaq; intellectus ad intelligẽdum excitatus eſſet. Vt hinc ẽt animaduertamus, naturæ ordine, atq; originis ratione conceptum ſemper confuſum magis vniuerſalis priùs in intellectu noſtro imprimi, quàm cõceptũ minus vniuerſalis. Conſueuerunt autẽ Scotiſtæ hiſce rationibus reſpondere, primùm cognitum cognitione confuſa idcirco ſpeciẽ ſpecialiſſimã eſſe; quia cum aliquid, nobis antea ignotum cognoſcẽdum offertur; certo ſcimus, illud neq; eſſe hoc, neq; aliud, hincque fieri, vt intellectus in cognitionẽ ſpeciei ſpecialiſſimæ ſtatim incurrat. At non vident, hinc elici, ſpeciem ſpecialiſſimam, primum potius cognoſcibile, quàm primum cognitum appellari? Qualis. n. cognitio erit, ſi quod nobis cognoſcẽdum offertur, ignoremus, quid ſit? His igitur iam arbitror, præcipuo huic ſubtilis Doctoris argumento planè me ſatiſfeciſſe.

*Argũ ab experientia ductum.*

*Piſcis Grongus apud Liguſticos.*

*Hinc elice vi rationis ad rem propoſitam oſtendẽdam.*

*Scotiſtarũ reſponſio quædam, reijcit.*

***Duo alia Scoti argumenta diluuntur.*** ***Cap. XVI.***

ERat ſecundum argumentum Scoti, ſi magis vniuerſale, vt ens, primò nobis cognitum eſſet, fore, vt Metaphyſica, in qua de ente diſſeritur, ante cæteras diſciplinas addiſcenda eſſet; & nihilominus appellatur Metaphyſica, quaſi poſt naturalem ſcientiam acquirenda. Hoc argumentum non minus eſt efficax, quàm præcedens; immò illo arbirror ſolutu difficilius; cum præſertim multi in eo diluendo, à veritate aberrarint. Dixerunr aliqui, hac ratione Metaphyſicam poſt alias diſciplinas tradendam eſſe; quoniam in ea de ſeparatis ſubſtantijs, puta de Deo, & intelligentijs diſſeritur, quæ à ſenſibus remotiſſimæ, atque adeo cognitu difficillimæ ſunt; prius igitur naturalis philoſophia addiſcenda eſt, quæ facilem, ad harum ſubſtantiarum cognitionem acquirendam, aditum pateſaciar.

*Nonnullorũ rñſio ad ſecũdũ argumentum Scoti.*

*Confutatio.*

Verùm hæc reſponſio argumenti difficultatem non tollit: etenim eſt vna Metaphyſicę pars, quæ ens, prout ens eſt, contemplatur: igitur ſi magis vniuerſale, vt ens, primò nobis cognitum eſt; ſaltem illa Metaphyſicæ pars ante cæteras diſciplinas addiſci deberet; tũc.n. intellectus ad cõmuniſſimum illum entis conceptum recipiendum maximè aptus, idoneuſque eſſet.

*Vera rñſio.*

Aliter ergo huiuſmodi argumentum explicandum eſſe arbitror; dicendumque, primum, quod ab intellectu noſtro, ratione originis, confusè cognoſcitur, eſse quidem magis vniuerſale, vt ens; non tamen ab omnibus ſuis inferioribus abſtractum, ſed concretum, atque ſenſibilis, vt aiunt, quidditati ſubiectum. Iam verò Metaphyſica non agit de ente concreto; ſed de ente abſtracto, quod quidem cognitu valde difficile eſt: opus eſt enim, ad abſtractionem efficiendam, intellectu maximè exercitato; & propterea mirum non eſt, ſi Metaphyſica poſt cæteras diſciplinas addiſcenda ſit.

*Alia rñſio, q̃ validiùs Scoticum argũ eneruat.*

Reſponderi etiam poteſt, aliud eſse rem aliquam ſimplici apprehẽſione intelligere: aliud illius rei proprietates, interioraq; prædicata inueſtigare: dicimus quidẽ, id, qđ à nobis primò confusè cognoſcitur, eſse ens, hoc eſt, rem aliquam fieri primò nobis notam ſub conceptu entis, quem ſimpliciter, & abſque vlla difficultate apprehendimus: at verò inueſtigare proprietates, & differentias entis, quatenus eſt ens, vt vnum, verum, bonum, finitum, infinitum, neceſsarium, contingens, & huiuſmodi, hoc valdè difficilè eſt, & de his in Metaphyſica diſputatur: ideo rectè Auicenna dicebat, eam eſse vltimam in ordine doctrinæ. Tertium argumẽtum erar, ſi primum à nobis cognitum magis vniuerſale ſtatueretur, multum temporis conſumere oporteret, antequam ſpecies ſpecialiſſima intelligeretur; quia per omnia intermedia genera deſcendere neceſse eſset, quorum multa, vt ante diximus, ignota ſunt.

*Aliorum rñſio ad tertiũ argũ Scoti. Quare Zabarellam.*

Nonnulli hoc argũ contra Scotũ retorquent: nam ſi ſpecies ſpecialiſſima primum cognitum eſset, magnũ pariter tempus conſumi oporteret, antequam ad magis vniuerſalis cognitionem perueniretur. Alij ſoluunt argumentum, dicentes, hanc temporis iacturam nequaquam fieri; nam qui à magis vniuerſali ad ſpeciem ſpecialiſſimam, in cognitione confuſa deſcẽdunt, non eſt neceſse, vt omnia intermedia genera cognoſcant; cum præſertim inter illa nullus ordo eſsentialis, aut neceſsarius reperiatur. Afferuntq; exemplum; qui enim per totam plateam deambulat, antequam ab vna parte ad aliam perueniat, neceſse quidem eſt, vt per plura intermedia loca pertranſeat; non tamen, vt pedibus ſingulos lapides tangat.

*Autoris rñſio.*

Verum vt has etiam reſpõſiones admittamus, putarim ego, id abſurdum non eſse, quod Scotus, & cum eo alij valdè abſonum exiſtimarunt. ſ. multum neceſse eſse temporis conſumi, antequam intellectus ad ſpecici ſpecialiſſimæ notitiam perueniat, ſi id, quod primò intelligit, eſt magis vniuerſale. Hoc inquam non ſolum arbitror abſurdum non eſse, immo maximè neceſsarium; cum præſertim de notitia confuſa, actuali, originali, ſermo fiat. Etenim pueri non niſi longo tẽporis interuallo à cognitione animalis ad cognitionẽ ſpeciei alicuius ſingularis peruenirent: nam quo perfectior cognitio eſt, eo longius fuerit temporis interuallum. Si quis enim diſtinctè, atque perfectè ſcire velit, quid homo ſit, opus eſt, vt diſtinctè percipiat omnia ſubſtantialia prædicata, quæ in homine includuntur; nimirum quid ſit ens, quid ſubſtantia, quid corpus, quid corpus animatum, quid animal, quid animal rationale, & tandem cognoſcet, quid ſit homo. Natura enim ab imperfecto ad perfectum non tranſit, niſi interiecto aliquo temporis interuallo: ſic intellectus aliquod temporis ſpatium exigit, vt ab imperfecta alicuius rei notitia, ad perfectam eiuſdem rei cognitionem traducatur.

*Non ſolum pueri, uerum etiam adulti.*

Cæterum hãc temporis in intelligendo iacturam non pueri ſolum, ſed & adulti faciũt, cum obiectũ aliquod, antea ignotum,

tum, illis cognoſcēdum offertur. Exempli gratia, ſi lapillus aliquis precioſus, antea incognitus alicui obijciatur, qui etiam iu dignoſcendis lapidibus valde expertus, atque exercitatus ſit; tunc ille primò apprehendet eum lapillum, ſub conceptu magis vniuerſali, hoc eſt ſub cōceptu generico gemmæ: ambiget autem, quæ nam gemmæ ſpecies ille ſit, adamas ne, an ſaphirus, an carbūculus; multaq; temporis iactura fiet, antequam à cognitione gemmæ ad certam illius ſpeciei notitiam deueniat; hocque ideo accidit, quia nunquam antea gemmam illam agnouit. Scotus autem, qui hanc temporis iacturam neceſſariam non eſſe putauit, ſed illicò ſpecialiſſimam ſpeciē notam fieri: ſignificauit, ſe, non aduertentem, de alicuius rei notitia, nobis antea manifeſtè, atque adeo de cognitione ex habitu, non itē originali, de qua modò diſſerimus, locutum eſſe. Hieronymus Girellus, capiens tertij huius Scoti argumēti efficacitatem contra aduerſarios tueri; aſſerit, tametſi idē ſit proceſſus à ſpecie ſpecialiſſima ad genus, ſiue ad ens, qui eſt ab ente ad ſpeciem ſpecialiſſimam, non tamen eſſe eandem procedendi rationē: quanuis itidem abſunt à Thebis Athenæ, atque ab Athenis Thebæ; illud tñ abeſſe, ratione non eſt idem: proceſſus nēpe à ſpecie ad genus eſt à confuſo re ipſa, ad cōfuſum poteſtate: proceſſus verò à genere ad ſpeciē eſt à confuſo poteſtate ad confuſum re ipſa, ſiue actu. Quia verò ratio actus eſt ratio manifeſtationis, & ratio poteſtatis eſt ratio occultationis; ideo cognito actuali, facilè intellectus ducitur in cognitionē potētialis, non contra. Hæc ipſe. Sed aberrauit à veritate; namq; id, quod minus confuſum eſt, & maiorē natura ſua diſtincti rationē habet, faciliùs tanquam medium quoddam, ad id cognoſcēdum, ſumitur, quod in cognitum eſt, quàm id, quod eſt magis confuſum: ſpecies aūt ſpecialiſſima re ipſa cōfuſa eſt; quia re ipſa plura complectitur: genus verò tantummodo poteſtate; igitur natura ſua eſt re ipſa diſtinctum: atque adeo facilior erit tranſitus à genere ad ſpeciē, quàm oppoſito modo. Nec obſtat, ſi quis dicat, actum ad manifeſtationē, & cognitionē magis conferre, quàm poteſtatē: quoniā id veritatem hēt de eo, quod actu perfectum, atq; diſtinctum eſt, nō de eo, qđ eſt actu confuſum: hinc.n. fallax illa argumentandi ratio committitur, quæ eſt à diſiūctis ad coniuncta: quemadmodum ſi diceremus, bonum indicare virtutē; ergo bonum latronem virtute pariter præditum eſſe. Sic in re noſtra, quod actu eſt, promptiùs quidē in alicuius rei notitiam nos ducit, quàm illud, quod eſt tantum poteſtate; non tamē ſequitur, vt ad hoc ipſum efficiendum, plus viriū habeat, id, quod eſt actu confuſum, quàm id, quod eſt confuſum tantum poteſtate: hoc enim, vt diximus, natura ſua re ipſa diſtinctum eſt.

aliquam ẽpis iacturam faciunt, anteq̃ à cognitione generis ad cognitionē ſpeciei perueniant.

Scoti lapſus.

Girellus protegit argumentum Scoti.

Contra Girellum.

Obiectio, & ſolutio.

*Cæterorum argumentorum ſolutio, quæ veram de primo cognito ſententiam oppugnare videntur.* *Caput XVII.*

ERat quartum argumentum, ab alijs propoſitum, eà nobis primò cognita eſſe, quæ ſenſibus viciniora ſunt, quæque faciliùs à ſingularibus abſtrahuntur: huiuſmodi autem eſſe infimas ſpecies. Hoc argumentum æquiuocatione peccat: nos enim de ea notitia loquimur, quæ per ſimplicem apprehenſionem fit, quæque originalis eſt: argumentum autem de ea cognitione, concludit, quæ per abſtractionem fit, quæque non eſt originalis, ſed ex habitu. Pueri, dum recens animalis conceptum apprehendunt, illum quidē ab homine, boue, leone, cæteriſque ſpeciebus non abſtrahunt; ſed ſimpliciter apprehendunt: qui verò animalis ideam, per abſtractionem à ſuis inferioribus, concipiunt; iam inferiora, quæ ſub eo ponūtur, optimè norunt, atque adeo animal diſtinctè, non confuſè percipiunt. Girellus etiam, fortaſſe per imprudentiam, in hanc eandem reſponſionem incidit: ſoluens enim quoddam argumentū Pōponatij, ait, ponendum eſſe, aliquem habere memoriam boraginis: nam ſi eam nunquam vidit, apprehendet eam ſub ratione alicuius herbæ, non autem boraginis: fatetur itaque, ſpecialiſſimam ſpeciem eſſe primò notam, notitia actuali confuſa ex habitu, vt nos ſupra cumulatè probauimus. Præter argumenta, pro Scoti opinione ſuperius adducta, nonnihil etiam ſententiæ noſtræ aduerſari videntur argumenta Zimaræ, & Marci Antonij Genuæ: qui putarunt, non ſemper magis vniuerſale primò nobis cognitū eſſe; ſed interdum quod magis, aliàs quod minus vniuerſale eſt. His facillimè obuiā itūr. Ad argumentū Zimaræ, dum ait, ſi aliquibus equus, & aſinus offerantur, cognoſcent illi quidē equi, & aſini ſpecies, eorum tñ proximum genus ignorabunt, cùm illud ignotū eſſe, Ariſt. affirmarit. Rñdendum eſt, ſi illi, quibus equus, & aſinus offeruntur, nunq̃ antea equum, & aſinū viderint, equū certè, & aſinum nō co-

Reſpōſio ad quartū argumentum pro opiniōe Scoti ſuperius adductum.

Girellus incidit in eādem reſponſionē.

Rñſio ad argumentū Zimaræ.

gnoſcēt;ſed vtrunque ſub animalis conceptu, aut alio etiã communiore apprehendent. Ariſ. aũt loco citato non dixit, proximum equi, & aſini genus incognitum eſſe; ſed illud dixit eſſe innominatum; propterea proximum illud genus quiſpiam concipere, eique nomen aliquod, arbitratu ſuo, imponere poſſet. Valet igitur argumentum Zimaræ de notitia ex habitu, non de notitia originali. Eadem ſolutione ſoluitur argumentum Genuæ, dum ait, aptum quidē eſſe à nobis primò cognoſci magis vniuerſale; ſed tamen, in intellectione ipſa, conceptum rei minus vniuerſalis, veluti validiorem, cæteris præſtare. Præſtat inquam talis conceptus in cognitione ex habitu, non in cognitione originali, vt ſupra latè patefecimus.

Reſpōſio ad arg. Genuæ.

*Totius diſputationis epilogus, omniumque relatarum opinionum conciliatio.* *Cap. XVIII.*

SOlutis iam argumentis, quæ veram de primo cognito ſentētiam aliquo pacto labefactare videbantur; reliquum tamdem eſt vt huic tàm difficili diſputationi finem imponamus: quod quidem libenter faciemus, ſi priùs omnes iam relatas opiniones breui epilogo collegerimus, atque etiã conciliauerimus. Erat S. Tho. ſnĩa, primum cognitum ab intellectu noſtro eſſe magis vniuerſale. Hoc quidem veriſſimum eſt, loquendo de cognitione actuali confuſa originali. Et vr̃ hæc eſſe ſnĩa communior, à qua certè non recedent, quicunque diſtinctionem illam actualis notitiæ in notitiam originalem, & ex habitu, rectè perceperint. Arbitratus eſt Scotus, primum cognitum eſſe minus vniuerſale, puta ſpeciem ſpecialiſſimam. Quę ſnĩa vera eſt, ſi fiat ſermo de cognitione actuali cõfuſa ex habitu, cum exterioris obiecti præſentia; quicquid ipſe fuerit opinatus. Nam ſi eius verba diligenter perpendamus; primum eius inſtitutum fuiſſe vr̃ de originali notitia diſputare; quamuis poſtea (vt Mauritius in marginib. annotauit) hanc ipſam ſnĩam in proprio originali correxerit: multas enim conditiones poſuit, quæ ad eiuſdem opinionis veritatem neceſſariò exiguntur, vt nimirum obiectum ſit in debita diſtantia, atque cognoſcentes facultates rectè affectæ ſint. Nudus autem intellectus, qui tũ primùm rem aliquam cognoſcere incipit, ad infimam ſpeciem intelligendam minus appoſitus eſt; ac propterea ſi actuali notitia illam primò percipere debeat, opus eſt, vt per præcedētem eiuſdem ſpeciei cognitionem, multò iam antea præparatus ſit; atque adeo conijcere poſſumus, ipſum etiam Scotum hanc ſuam ſententiam de cognitione actuali confuſa ex habitu intellexiſſe: neque enim deſunt, qui S. Th. & Scoti ſententias conciliari poſſe, cenſuerũt. Durandus, & Nominales arbitrati ſunt, primum, quod ab intellectu noſtro cognoſcitur, eſſe ſingulare. Hoc quidem verum eſt, ſi diſputatio ſit de primo cognito abſolutè, non de primo cognito inter vniuerſalia. Erat deniq; opinio Zimaræ, & Marci Antonij Genuæ, primum cognitum interdum eſſe magis, interdum minus vniuerſale. Quæ opinio veriſſima eſt, ſi intelligatur de cognitione actuali confuſa ex habitu, facta per concitationem intellectus à ſola imagine, in memoria impreſſa, nulla exterioris obiecti intercurrente præſentia. Illud præterea repetendum cenſeo, quod totius difficultatis eſt caput, quodque in fine huius diſputationis traditum, velim fixius vniuſcuiuſque memoriæ commendatum. Aliud eſſe, naturam aliquam vniuerſalem diligenter ſcrutari: aliud verò, rem quampiã ſub vniuerſali conceptu apprehendere. Maximè vniuerſalia nobis cognitu difficillima eſſe, vtpote, quę longiſſimè à ſenſibus diſtant, Ariſtot. & 1. Metaph. cap. 2. & 1. Poſteriorum cap. 2. & 2. Poſter. cap. 15. & alijs pluribus locis apertiſſimè docuit: quod & nos pariter affirmamus, dum vniuerſales naturas ſcrutari difficillimum eſſe, fatemur. Primo autem Phyſicorum in procemio idem Ariſ. aſſerit, primò nobis nota, & manifeſta eſſe magis confuſa; & ab vniuerſalioribus, tanquam à notioribus inchoandum eſſe: quibus verbis quid aliud docuit, niſi res omnes priùs ſub conceptu magis vniuerſali, quàm ſub ſpecifico, & minus vniuerſali, nobis cognitas eſſe?

Qũo vera ſit opin. S. Tho.

Qũo vera ſit opinio Scoti

Quære Fonſecã 1. metaph. c. 2. q. 2. ſec. 6

Qũo vera ſit opi. Durã. & Nominaliũ.

Qũo vera ſit opi. Zimaræ, & Genuę.

Notabile pcipuum.

DE

# DE EXISTENTIA MATERIAE

## Diſputatio Tertia.

*Agendorum diſputatio.* *Caput Primum.*

Varia materiæ primæ attributa.

MVlta paſſim de prima rerum materia à Philoſophis enunciari ſolẽt, dũ eam alij ens eſſe affirmant: alij per ſe cognoſcibilem, à nobis verò per analogiam: alij naturam quandam abſolutam, in ſui prima notione, poſſidere, relatiuam autem in ſecunda, varijſque eam nominibus appellantes, eandem generationis, atque interitus expertem ſtatuũt: formamque, aiunt, veluti pulchritudinem quandam, propriamque perfectionem appetere. Hæc omnia prorſus inania eſſent, vixque apud intellectum noſtrum conſiſterent, niſi quæſtionem ſatis celebrem, ad ipſam materiam pertinentem, diligenter diſcuteremus, & cõtrouerſiam maximam inter duas celeberrimas, Thomiſtarum, & Scotiſtarum Scholas verſantem, dirimere pro viribus niteremur. Quæſtio ea eſt, habeat ne materia prima, per ſe conſiderata, aliquẽ actum, quo humili quodam, & abiecto quaſi indumento, inter vetera entia compareat, quæ in rerum natura cõſiſtunt: an potius, omni prorſus actu ſpoliata, rerum omnium quaſi aſpectum effugiat, nihilque aliud, ſecundum ſuam naturam, dici queat, quàm pura, nuda, ſimplexque potentia. Subtilis eſt hæc diſputatio, neceſſariaque, & digna, quæ à nobis excutiatur: eius enim enodatio veluti ſolidiſſimum quoddam fundamentum futura eſt, pluribus alijs difficultatibus diluendis idoneum. Ordo autem is erit. Adducam primùm S. Tho. ſententiam, cum præcipuis rationibus, & fundamentis, quibus illa ab eius ſectatoribus formari ſolet. Mox ſubtilis Doctoris opinionem explicabo, ex cuius explicatione patebit, quantum oppoſita ſententia ab Ariſt. & à veritate diſſentiat. Vbi tertiò pro Scoticæ ſententiæ defenſione, cum Thomiſtis, atque præſertim cum recentioribus Philoſophis decertauero, contrariæ opinionis argumenta diſſoluam. Demum duas difficultates, ad exiſtentiam materiæ quammaximè pertinẽtes, breuiter enodabo.

Quæſtio diſcutienda.

Ordo diſputationis ſeruandus.

*Sancti Thomæ ſententia rationibus præcipuis, atque Ariſt. autoritatibus confirmatur.*

*Caput II.*

Opi. S. Thomæ.

ANgelicus itaque Doctor S. Tho. prima parte ſummæ q. 64. art. 1. & alijs pluribus locis arbitratus eſt, materiam primam re ipſa quidem in entium vniuerſitate conſiſtere, nullam tamen propriam exiſtentiam, à forma ſeiunctam, habere: ſed quemadmodum accidẽs ideo exiſtere dicitur, quia in ſubiecto ineſt, quod verè exiſtit; ita pariter materiam exiſtere, quia cum forma coniuncta eſt, à qua exiſtendi modum, ſeu rationẽ accipit; cùm per ſe nihil aliud re vera ſit, quàm pura, nuda, ſimplexq; potẽtia. Huic ſententiæ Io. Bacconus lib. 2. ſent. d. 12. q. 1. art. 1. & quodlibeto 2. q. 9. & ex recẽtioribus Philoſophis complures ſubſcripſerunt, eamq; multis rationibus, atque ẽt Ariſt. autoritatibus probare conati ſunt: quarum ego præcipuas, exercitationis gratia, proponere non grauabor. Primò igitur ſic argumẽtantur; Si vnum oppoſitorum in rerum natura ſit, alterum quoque reperiri neceſſe eſt, vt autor eſt Ariſt. 1. de Celo: ſed actus, & potẽtia ſunt duo oppoſita, & in rerum natura reperitur purus actus, qui nullam omnino potẽtiam admiſtam hẽt, cuiuſmodi eſt Deus; ergo pura quoque potẽtia reperiri dẽt, quæ omnem penitus actum excludat, quàm nullam aliam eſſe dixeris, niſi materiam primam. Secundò, Quicquid rei, in actu iã exiſtẽti, aduenit, accidẽs eſt, vt ex ipſiuſmet accidẽtis natura cõſpicuè elicitur: igitur ſi materia prima eſt ens in actu; omnis forma, illi aduenieẽs, fingas quancunq; velis, accidẽtalis erit: atq; ita nulla dabitur forma ſubſtantialis. Tertiò, Niſi materia prima pura potẽtia eſſet, profectò aut actus tantum, aut aliquid, ex actu, & potẽtia concretum dici deberet: Sed neutrum dici põt: erit igitur pura, ſimplexque potẽtia. Maior propoſitio eſt manifeſta. Minor verò quo ad vtranque partẽ probatur, & primò quidẽ materiam non eſſe actum tantum: namque omnis actus, vel informans eſt, & aliquo modo perficiẽs, vt albedo: vel per ſe ſubſiſtẽs, atque à materiæ ſocietate omni-

Adhęſit huic ſniç Ioannes Bacconus.

Prima ratio.

Secunda rõ.

Tertia ratio.

no ſeiunctus, vt Deus, & intelligentiæ: ſed materia prima non eſt actus informans; alioquin aliud ſubiectum dãdum eſſet, quod materiam præcederet, atq; ab ipſa actum, ſeu perfectionẽ reciperet, quod à peripatetica philoſophia alieniſſimum eſt, cùm materia, ex primo Phyſic. primum vniuſcuiuſq; rei ſubiectum ſtatuatur. Neq; etiam eſt actus per ſe ſubſiſtens: quia tunc ens completum, & ipſa forma perfectius diceretur: non igitur materia eſt actus tãtum. Sed neq; etiam quippiã eſt ex actu, & potẽtia cõcretum: nam tunc aliquod naturale compoſitum ipſa eſſet, non autem ſubiectum primum, ex quo vnà cùm forma id, quod eſt per ſe vnum, conſtituitur, vt Ariſ. docet.

Quarta rõ. Quartò. Quicquid eſt ens in actu, eſt per ſe cognoſcibile: ſed materia non eſt cognoſcibilis, niſi per analogiam, vt habetur 1. Phyſ. text. 69. ergo materia non eſt ens in actu. Maior propoſitio ex ſe conſpicua eſt: quoniam nullum eſt ens, quantumuis imperfectum, quod, rõne illius actus, quo præditum eſt intellectum mouere non poſſit, atq; ita obiectum intelligibile fieri.

Quinta rõ. Quintò. Ab omni eo quod eſt ens actu, neceſſe eſt, vt aliqua operatio proficiſcatur: ſed à prima materia nulla operatio proficiſcitur: proprium enim eius eſt pati, non agere: igitur materia non eſt ens actu.

Sexta ratio. Poſtremò, niſi materia prima eſſet ens in pura potẽtia, hoc maximè ſequeretur, vt aliquid infra ipſam reperiri poſſet, quod ſit prope nihil: ſed conſequens eſt falſum; cum ſecundum Ariſ. ſæpius in 1. lib. de Phyſico auditu, materia minimum entitatis poſſideat, & ea ipſa ſit, quæ dr̃ prope nihil, aſſerere igitur neceſſe eſt, eam eſſe puram, ſimpliceṁq; potẽtiam. Probatur conſequentia: nam ſi materiam aliquo actu præditam eſſe admittamus, tunc aliquid cogitatione fingere poſſemus, quod ei; quod nihil eſt, magis appropinquaret, puta id, quod eſt in pura potẽtia: vel igitur materia prima prope nihil non dicetur, vt Ariſ. docuit, vel eſt ens in pura potẽtia, vt S. Thomas arbitratus eſt.

Variæ Ariſt. autoritates, quibus Thomiſtæ ſuadere nituntur, materiã primam eſſe puram potẽtiã. Confirmant deinde S. Thomæ ſectatores hanc eandem ſñiam multis Ariſ. autoritatibus: namq; Ariſ. 7. Metaphy. tex. 8. vbi oſtendit, materiam non eſſe quid, nec quale, nec quantum eius naturam aperiens, ait eam eſſe hæc omnia poteſtate. Lib. 5. eiuſdem operis tex. 14. diuidit quodlibet genus entis in potentiam, & actum, & nomine potẽtiæ, primam rerum materiẽ ſignificauit. Rurſus lib. 2. de Anima. tex. 7. & lib. 8. Metaphyſ. tex. 9. rõnem aſſignans, cur ex materia, & forma per ſe vnum conficiatur, nullam aliam eſſe dicit, niſi quia forma eſt actus, materia verò potẽtia. Primò etiam lib. de Generatione text. 11. apertiſſimis verbis pronunciauit, materiæ primæ rationem in potentia conſiſtere. Ea igitur pura potentia eſt, nec vllum penitus in ſe actum includit.

*Scoti ſententia de materia exiſtentia duabus diſtinctionibus explicatur.* *Cap. III.*

Opinio Scoti & Henrici Gandauẽſis. Doctor verò ſubtilis Io. Scotus lib. 2. Sñiarum, d. 12. q. 1. & 2. atq, etiam lib. 7. Metaphy. q. 5. & ante ipſum Doctor ſolemnis Henricus Gandauenſis quodlib. 1. quæſt. 10. arbitrati ſunt, materiam primam minimam quidem, & imperfectam ſubſtantiam eſſe, prope nihil, & rerum omnium quaſi rudimentum; quatenus ex ipſa omnia fieri poſſunt, eam tñ nec omni prorſus actu deſtitutam, nec puram tantum potentiam eſſe dixerunt; ſed, habere illam actum quendam imperfectum, & diminutum cenſuerunt, qui eius naturæ, atq; ſubſtantiæ conueniat, & rõne cuius ea ipſa in rerum natura conſiſtat, atq; in ſubſtantiæ prædicamento ſedes illi aliqua debeatur. Ad eam opinionem explicandam, quæ noua quidem eſt, nec ante Scotum, & Henricum ab alijs excogitata (opus enim erat horum Doctorum ſubtiliſſimis

De nouorũ verborũ vſu lege, quę ſcripſit Cic. lib. 1. Aca. quęſ. ingenijs, ad illam ex Ariſtotelico fonte hauriendam) nouos pariter fingere terminos prædicti Doctores coacti ſunt: vt enim, ad rem nouam ſignificandam, noua nomina fingere licet, ita etiam ad nouam opinionem declarandam, nouos terminos excogitare neceſſe eſt, dummodo illi ab approbatorum autorum doctrina ne abhorreant, atq; cum veritate conſentiãt.

Potentia duplex, ſubiectiua & obiectiua. Duplicem igitur potentiam inuenerunt: alteram, quam ſubiectiuam; alteram, quam obiectiuam nuncuparunt.

Potẽtia ſubiectiua quid. Potentiam ſubiectiuam eam eſſe dixerunt, quæ in ſubiecto aliquo ineſt, quatenus illud habilitatem habet, vt alicui rei ſubijciatur, vel aliquid in ſe ſe recipiat: vt in ferro dr̃ eſſe potentia ſubiectiua, quæ ferrum ipſum reſpicit, prout calori ſubijci, vel aliquod aliud accidens in ſe ſe recipere poteſt.

Potẽtia obiectiua quid. Potentiam verò obiectiuam eam appellarunt, quæ fit quodammodo obiectum agentis, quatenus ex eo rem aliquam exculpere valet, quæq; etiam in re excudenda quandam non repugnantiam ſignificat: & hæc potẽtia quandoq; in vnum re ipſa cum potentia ſubiectiua coire dr̃, interdum ab ea diſiuncta, omninoq; ſeparata reperitur,

ritur,

ritur. Homo generandus, vt rem exemplo elucidemus, eſt in potẽtia, vt ſimpliciter ſit; hæc autem potẽtia, ad diuerſa relata, & obiectiua, & ſubiectiua dici poteſt: obiectiua quidem, ſi ſecundum illum reſpectum, quem habet ad naturale agens, quod hominem gignere poteſt, cõſideretur, & prout etiam quandam non repugnantiam nobis deſignat, in ipſo homine generando. Subiectiua verò, ſi ad materiam, ex qua homo, ea ratione, qua animal eſt, conſtitui debet, referatur. Cęterum ſi rerum illam omnium vacuitatem nunc animo conciperemus, quę erat, antequam mundus à Deo Optimo Maximo conſtitutus eſſet, inueniremus, tunc mundum in potẽtia ſimpliciter obiectiua fuiſſe; quoniam illa potẽtia Deum tantummodo reſpiciebat, qui mundum conſtituere poterat; & præterea quandam non repugnantiam, in mundo efficiendo ſignificabat: nullum tamen tunc ſubiectum aderat, ex quo mundus fieri potuiſſet: & propterea illa erat obiectiua potẽtia, penitus à ſubiectiua diſiuncta. Habet aũt tam obiectiua, quàm ſubiectiua potẽtia duas quæq; conditiones, quibus facilè nobis notæ fiunt.

Interdum eadem potẽtia poteſt appellari & obiectiua, & ſubiectiua.

Potẽtia obiectiua ſola.

Duæ cõditiones potentiæ obiectiuæ.

Prima conditio potẽtiæ obiectiuæ eſt, vt id, quod huiuſmodi potẽtiam habere dr̃, in rerum natura non ſit. Altera eſt, vt eidẽ exiſtentia in rerum natura non repugnet. Vt albedo generanda, quià nunc in rerum natura non eſt, ſed eſſe poteſt, ideo obiectiuam potẽtiam habere dr̃. Prima conditio potẽtiæ ſubiectiuæ eſt, vt illud, quod re vera huiuſmodi potẽtiam habet, actu in rerũ natura conſiſtat. Altera eſt, vt illud idẽ aliquid in ſe ſe recipere poſſit. Vt ſuperficies dealbanda potẽtiam habet ſubiectiuam, qua iam reuera ſuperficies eſt, albedinẽ tñ, aut alium quemuis colorem recipere poteſt. Huic duplici potẽtiæ duplicem pariter actum prædicti Doctores reſpondere dixerunt: potẽtiæ quidem obiectiuæ actum quendam, quẽ entitatiuum, ſiue exiſtentiæ nuncuparunt; potẽtiæ verò ſubiectiuæ actum alium, quem vocarunt formalẽ. Neq; ego præter hos duos actus vllum alium apud iſtos reperi, & præſertim apud Scotum, quem Toletus 1. Phyſ. q. 13. exiſtimaſſe affirmat, materiam per ſe conſideratam, actum entitatiuum, tanquam ab actu exiſtẽtiæ diſtinctum, habere: actum verò exiſtẽtiæ illi à forma donatum fuiſſe. Falsò hoc inquam, Scoto tribuitur, qui ſanè cenſuit, actum entitatiuum eum eſſe, quo aliquid in rerum natura conſiſtit, habetq; eſſe extra propriam cauſam, & intellectum: huiuſmodi autem actus nil aliud eſt, quàm actus exiſtentiæ. Sed ad rem noſtram. Actus ille, qui entitatiuus dr̃, obiectiuæ potẽtiæ reſpondet, adeoq; illi opponitur, vt in vnum conferri nunquam poſſit: quod enim eſt in potẽtia obiectiua, quatenus in ea eſt, actũ entitatiuum habere negauit: & quod habet actum entitatiuum, iam obiectiuam potẽtiam reliquit, & ad terminum peruenit, hoc eſt, ad ipſam exiſtentiam. Eadem ratione, actus formalis, qui propriè ſubiectiuæ potẽtiæ reſpondet, adeo illi opponitur, vt ſimul cum ea eſſe non poſſit: deſinit enim potentia ſubiectiua, actu formali aduenientе: vt ſuperficies, quæ eſt in potẽtia ſubiectiua ad albedinem, vbi albedinem recipit, iam formalem actum obtinuit, & ob eã rẽ non amplius ad albedinẽ ſubiectiuam potentiam habet, ſed tamen ad alios colores recipiendos. Hac præmiſſa diſtinctione, dixerunt Henricus, & Scotus, materiam primam non omni prorſus actu deſtitutam eſſe; ſed ſecundum ſuam naturam ſpectatam, & quatenus ſubſtantia quædam eſt, à forma diſtincta, actum aliquem imperfectum, & diminutum habere, eum. ſ. quem entitatiuum appellant; cum quo actu ſubiectiuam potentiam coniunctam eſſe tradiderunt.

Duæ cõditiones potentiæ ſubiectiuæ.

Actus duplex entitatiuus, & formalis.

Error Toleti.

Actus entitatiuus opponitur potentiæ obiectiuæ.

Actus formalis opponitur potentiæ ſubiectiuæ.

Caput opinionis Scoti, & Henrici.

*Scoti ſententiam de materia exiſtentia Catholica Theologia, Peripateticaq; Philoſophia conſentaneam eſſe, atque rurſus à celeberrimis Philoſophis approbari.* Cap. IV.

HAnc ſententiam de materiæ exiſtentia Doctores prædicti non ſolùm ſecũdum Catholicam Theologiam, verum etiam ſecundum Peripateticam Philoſophiam defendi facile poſſe, cenſuerunt. Etenim ſecundum Catholicam Theologiam, quod eſt dicere, ſecũdũ veritatem, antequam materia à Deo procrearetur, erat tantum in potentia obiectiua: hanc enim, vt obiectum quoddam, creationi non repugnans, ſupernaturale ãgẽs, puta Deus Opt. Max. inſpectabat. Poſtquam autem creata eſt, de potentia obiectiua ad actum entitatiuum, ſibi oppoſitum, exijt, etiam in rerum natura conſiſtentiæ locum adepta eſt. Iam verò nudã hanc materiæ ſubſtantiam, in rerum natura editam, cõſideremus; quid nam obſecro illa eſt? Lapis quidem non eſt, nec planta, nec animal, & ſummatim nullum eſt miſtum, nullum elementum, nec ſpecificum quippiam, aut determinatum ens: ſed eſt rerum omnium veluti ru-

Potẽtia obiectiua materię apud Theologos.

Potẽtia ſubiectiua eiuſdem.

ſis quædam inchoatio: eſt ſubiectum, ex quo res omnes fieri poſſunt, quodque aptum eſt, ad omnes in ſeſe formas recipiendas; & hac ratione ſubiectiuam potentiam habere dr. Quod verò ad Ariſt. attinet, non concederet ille quidem, materiam primam ita entitatiuum actum habere, vt aliquando in potentia obiectiua fuerit, atque recens in lucem emerſerit, cùm ante nihil penitus extitiſſet: totum enim mundum æternum conſtituit, atque adeo ipſam materiam primam. Si neget igitur Ariſt. materiam primam aliquando in potentia obiectiua fuiſſe, ſequitur, per locum ab oppoſitis, vt, ipſam ſemper entitatiuum actum habuiſſe, neceſſariò fateatur. Et verò quanuis Ariſt. obiectiuam illam potentiam non admitteret, quam res oẽs, antequam ederētur, habuerunt (ipſe enim creationem aut omnino non agnouit, aut ſaltẽ ſi agnouit, eam noluit dedita opera profiteri) abſolutè tamen rationem, & modum obiectiuæ potentiæ non negauit; immo ipſam in rebus, nunc edẽdis, reperiri conceſſit, roſa. n. generãda, & quicquid adhuc in ſua cauſa continetur, atque ab intellectu tantùm cognitum eſt; non ne obiectiuam potentiam habere dicitur? Cùm verò iam editum eſt, nec ampliùs in ſua cauſa, aut in intellectu continetur, ſed in rerum natura conſiſtit; tunc entitatiuum actum, & veram exiſtentiam obtinuit. De potentia vero ſubiectiua, nulla apud Ariſt. difficultas eſt: quotieſcũque. n. materiam, potentiam appellauit, ſemper eam, pro vt diuerſis ſubſtantialibus formis ſubijci poteſt, conſiderauit; atque ita habere illam ſubiectiuam potẽtiam, confeſſus eſt. Hęc eſt ſubtilis, ſolemniſque Doctoris de materiæ exiſtentia opinio, quam veriſſimam eſſe, atq; Peripateticæ Philoſophiæ maximè conſentaneam arbitramur. Et quanuis à craſſioribus quibuſdam Philoſophis negligitur; non defuerunt tamen multi celeberrimi, magnique nominis Philoſophi, ex recentiorum numero, qui eandem amplexati fuerint, præſertim Vicomercatus, Simon Portius, Archangelus Mercenarius, Federic. Pendaſ. Franciſcus Bonam. Franc. Piccol. & alij complures. Sua verò quique, pro huius ſententiæ confirmatione fundamenta attulerunt. Vicomercatus lib. 1. de rerum naturalium principijs, c. 12. aliud eſt, inquit, poteſtatem eſſe, & aliud poteſtate: materia prima eſt quidem poteſtas, hoc eſt, in ſui natura poteſtatem includit; non tamen poteſtate eſt; alioquin ex nihilo res cunctæ procrearentur, quę ex materia gigni dicuntur, ſi prima rerum materia re ipſa non eſt, ſed eſſe tantum poteſt. Simõ Portius, lib. 1. de Rerum naturalium principijs, c. 4. non eſt, inquit, præter rationem aſſerere, materiæ primæ ſubſtantiam actu, & energia eſſe: nam cùm à priuatione longè differat, cumque aliquid à mente fictum non ſit, ſed omnium rerum origo, æternaque cauſa, prior forma, & in omni tranſmutatione præexiſtens; licet potentiam ad perfectionem habeat, in potẽtia tamen ad ſuum eſſe, videlicet ad ipſammet materiam non eſt; quandoquidem ſi huiuſmodi potentiam haberet, tunc materia non eſſet: id enim quod eſt potentia aliquid, non eſt illud; veluti cùm dicimus, Socratem potentia eſſe, Socrates tunc actu, & re ipſa non eſt. Archangelus Mercenarius in dilucidatione definitionis materiæ, inquit, Porrò definitio hæc non ita amplè intelligenda eſt, vt materia ad ſe ipſam in potentia eſſe dicatur, ita vt materia ſit potẽtia materia; quoniam eſt ens reale, extra ſuas cauſas, & ſubſtantia quædam in actu: ſed potentia eſſe dicitur ad ipſas formas, non ſecus ac materia arte factorum, quæ eſt ens, & ſubſtãtia quædam actu. Et paulò poſt, quo fit, vt huiuſmodi potentia non omnem actum excludat; quia non excludit actum entis, gradumque ſubſtantiæ; ſed ſolum actũ formæ. Federicus Pendaſ. in examine Ariſt. dogmatis de principijs, parte 19. circa initium, tametſi putarit, materiam ſine forma exiſtere non poſſe, quam quæſtionem nos in fine huius diſputationis paucis diluemus, primæ nihilominus materiæ actum exiſtentiæ tribuit, eius eſſentiæ congruentem, quem coexiſtentiæ actum appellare maluit: cognouit enim, materiam nunquam à forma ſeiunctam reperiri poſſe, ſed ſemper cum eadem copulatam eſſe, & propterea materiam coexiſtere. i. vnà cum forma exiſtere, affirmauit. Iam verò coexiſtentia, quemadmodum & inexiſtentia, exiſtentiam neceſſariò ponit: priùs enim, ſaltem natura, aliquid exiſtit, quàm coexiſtat, vel inexiſtat. Hoc idem ferè docuit Bonamicus lib. 6. de Motu c. 24. qui certè hac de re doctè, & ſubtiliter, ſed tamen, more ſuo, ſatis obſcurè diſſeruit. Exiſtit, inquit, materia per ſe, quia. ſ. non per aliquid, ſibi internum, quod veluti par exiſtentiæ, cauſa ſit, cur exiſtat: attamen non actu per ſe ipſa exiſtit, ſed virtute; actu tamẽ per formam, tanquam per cauſam externam, & per per finem, cui parata eſt. Quaſi diceret, materiam per ſe quidem ſubſtantiam eſſe, in rerum natura exiſtentem; nihilominus quia illi ſubſtãtiæ à natura preſcriptum non

eſt,

Potẽtia obiectiua materiæ penitus nõ ad mittitur in doctrina Ariſtotelis.

Nõ negauit Ariſt. potentiam obiectiuam in rebus edendis.

Cõceſſit Ariſtot. materiã primam habere potentiam ſubiectiuam.

Autores varij, qui Scoti ſententiam ſequuti ſunt, lege Greg. Arim. 2. ſent. diſt. 12. q. 1. Fran Suarez diſp. 13. Metaph. ſect. 5. Perer. lib. 5. cap 3. Tolet. 1 Phyſ. q 13.

Vicomercatus.

Simon Portius.

Archangelus Mercenarius

Federicus Pẽdaſius.

Frãciſcus Bonamicus.

eſt, vt per ſe ſola ſit, ſed vt vnà cum forma iungatur, ad tertium aliquod conſtituendum; ideo per formam exiſtere dicitur, non tanquam per exiſtentiæ partem, ſed tanquam per eam, à qua diuelli nulla ratione poteſt. Piccol. etiam, lib. 1. de Rerum naturalium materia, c. 8, vbi varia nomina, ad hanc quæſtionem dirimendam neceſſaria explicuit; conſtanter tandē aſſeuerauit, materiæ primæ actum entis, ſiue exiſtentiæ competere, idque multis rationibus, & autoritatibus probauit, quod nos in ſequenti capite præſtaturi ſumus.

Fräciſcus Piccolom.

*Scoti ſententia de materiæ exiſtentia rationibus, & autoritatibus confirmatur. Cap. V.*

SCoti ſententiam, de materiæ exiſtentia, iam ſatis commodè explicauimus, eamq; rurſus Catholicæ Theologiæ, & peripateticæ Philoſophiæ, viriſque eruditiſſimis cōſentaneam videri oſtendimus: nunc eadem ad cumulatiorem doctrinam rationibus, & autoritatibus firmanda eſt. Rationes multæ apud varios autores, paſſim occurrunt; quatuor tantùm ego afferam, quas rem explere, & apertè concludere arbitror. Prima ea eſt, Quicquid per ſe in rerum natura conſiſtit, actum habet, illi potentiæ oppoſitum, qua poſſe in rerum natura exiſtere, dicebatur: ſed materia prima per ſe, in rerum natura conſiſtit; ergo per ſe habet actum, illi potentiæ oppoſitum, qua, ſi in rerum natura non exiſteret, poſſe exiſtere diceretur; hæc autem potentia, vt explicatum eſt ſupra, eſt potentia obiectiua, & actus illi oppoſitus, eſt actus entitatiuus: ergo materia, per ſe conſiderata, habet actum entitatiuū. Secunda, ſi materia prima pura potentia eſſet, omnique prorſus actu careret; ſequeretur, nullum prorſus dari cōpoſitum ſubſtantiale: ſed conſequēs eſt falſum: ergo & antecedēs. Probatur conſequētia; nam cōpoſitum ſubſtantiale ideo ſic appellatur, quia ex duabus ſubſtantijs, re ipſa exiſtētibus, & ſimul iunctis, coaleſcit: ſi autē materia per ſe, actu exiſtens ſubſtantia non eſſet, tunc quicquid ortu aliquo editum eſſet, ſola forma conſtaret: ex eo, n. quod actu non exiſtit, nihil conſtare pōt; atque ita genitum illud ſubſtantiale, ſimplex quidē, non autē compoſitum eſſet. Tertia, Id, quod idē numero ſub vtroque tranſmutationis termino manet, eſt ſubſtantia, actu per ſe exiſtēs: tranſmutatio enim in eo, quod non eſt, fieri nequit, ſed ſubiectum exigit, quod re ipſa exiſtat: atqui materia eodem numero ſub vtroque tranſmutationis termino manet; vt cum ex aere fit aqua, aliquid actu exiſtēs reperitur, quod nunc aeris forma, nunc verò aquæ, cum priuatione formæ aeris, præditum eſt: igitur materia prima eſt ſubſtantia per ſe actu exiſtēs. Quarta, Quod per ſe ingenerabile, & indiſſolubile eſt, per ſe exiſtētiam hēt, ab omni alio diſtinctam, quod neque ingenerabile, neque indiſſolubile dicitur; per quam quidē exiſtentiam, actu per ſe, & ab omni alio ſeparatum, in rerum natura conſiſtit: ſed materia per ſe ingenerabilis, & indiſſolubilis eſt: ergo per ſe exiſtētiam habet, à forma diſiunctam, quæ generabilis, & diſſolubilis dicitur: per quam quidē exiſtētiam per ſe, & pro, vt à forma diſtincta eſt, actu in rerum natura conſiſtit. Minor propoſitio eſt manifeſta. Maior aūt ſic probatur; quod enim ingenerabile, & indiſſolubile eſt, iam potentiam non habet ad eſſe: tunc. n. generabile diceretur; & cùm interire non poſſit, iam naturam, & ſubſtantiam indiſſolubilem obtinet; actu igitur in rerum natura conſiſtit. Præter has rationes multæ & Ariſt. autoritates, idem cōfirmantes adducuntur, qui 1. 2. & 5. Phyſ. 1. de Generatione, & interitu: 1. 5. & 7. Metaph. & alijs pluribus locis, materiam primam hunc exiſtētiæ actum habere confeſſus eſt, quem Scotus, & Hēricus entitatiuum appellarunt. Docuit enim, materiam eſſe per ſe vnum principiū naturæ, eſſe per ſe cauſam, & partem ſubſtantialem compoſiti naturalis; eſſe per ſe fundamētum formarum; eſſe per ſe ſubiectum mutationum ſubſtantialium; eſſe primum, ex quo omnia fiunt, vltimum in quod omnia diſſoluuntur: voluit igitur, materiam in rerum natura cōſiſtere, atque per ſe propriam exiſtentiam, à forma ſeiunctam, habere. Quinimmò lib. 2. de Phyſico auditu, contra veteres Philoſophos diſputans, qui materiam totam rerum naturalium ſubſtantiam eſſe putabant, hanc opinionem correxit quidem, non tamen omnino reprobauit; oſtendit enim, materiam non eſſe totam ſubſtantiam rei naturalis, ſed partem ſubſtantiæ: non eſſet autem pars ſubſtantiæ, compoſitæ videlicet, niſi actu per ſe ſimplex ſubſtātia, in potentia quidem, non ad eſſe, ſed ad formam, diceretur. Mitto Græcorum autoritates, vt Themiſtij, qui 1. Phyſ. aſſeruit, materiam primam per ſe conſideratam, ſubſtantiam eſſe, actu exiſtentem; deinde vero formis ſubijci, naturaliumque rerum ſubiectum euadere. Alexandri, qui lib. 1. quæſtionum naturalium, c. 24. docuit, materiam eſſe quoddam ens permanens,

Prima ratio.

Secūda ratio.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Variæ Ariſt. autoritates, Scoti ſententiam confirmantes.

Teſtimonia Græcorum, Themiſtij, Alexandri.

tiens, quod ſui naturam ſeruat, etiam poſtquam formam rei, quæ generatur, in ſe ſe recepit. Simplicij 1. Phyſ. tex. 56. aſſerentis ſubiectum, ex quo res naturales fiunt, actu quidem, non potentia ſubiectum eſſe. Philoponi, qui 11. diſputatione contra Proclum cap. 7. de materia loquens, conſtanter affirmat, nullam rem eſſe, cui actus aliquis non conueniat. Omnes igitur Græci interpretes vno ore fatentur, materiam primam non ad eſſe quidem, cùm actu ſit, ſed ad formam recipiendam, poteſtatem habere. Et hoc ipſum eſt, quod Scotus, & Henricus docere contendunt, dum materiam primam entitatiuum actum habere dixerunt; non enim aptius vocabulum, ad propriam materiæ exiſtentiam, ſiue eiuſdem in rerum natura conſiſtentiam, explicandam inuenerunt. Quod ſi nomen hoc entitatiui actus purgatas alicuius aures offendat, inueniat ipſe magis appoſitum nomen: pro certo enim habeo, eum Scoto, & Henrico ſimul, planè ſatisfacturum; qui tandem nihil aliud, hoc entitatiuo actu, probare voluerunt, niſi materiam primam, per ſe ſpectatam, actu in rerum natura conſiſtere: appelles modo ipſam actum, vel actum quendam imperfectum habentem, hoc nihil intereſt, dum aliquid ei loci, inter entia, quæ ſunt in vniuerſo, aſſignetur. In eo autem ratio diligenter habenda eſt, quod etiam ad rei propoſitæ explicationem, quam maximè pertinet, quatuor hæc, nẽpe, eſſe actu, eſſe actum, habere actum, & eſſe in actu, inter ſe differre. Namq; eſſe actu, vnicuiq; rei conuenit, quæ extra ſuam cauſam reperitur, vel quocunq; modo in rerum natura exiſtentiam habet: & hoc modo eſſe actu materiæ propriè conuenit: alijs etiam rebus aſcribitur, non tamen ita propriè, & ſimpliciter, vt mox explicabimus. Eſſe actum competit formæ: ea enim actus, & ratio ab Ariſ. ſæpius appellatur. Habere actum competit etiam materiæ, & cuicunque ſubiecto, quod formam aliquam aut ſubſtantialem, aut accidentalem, in ſe ſe recipit. Eſſe in actu propriè compoſito conuenit, quod dicitur eiuſmodi eſſe per formã. Iam vero, & forma, quæ eſt actus, & compoſitum, quod eſt in actu, actu pariter eſſe dicuntur; quia actu in rerum natura conſiſtunt; non tamen dicuntur ſimpliciter eſſe actu, ſicut materia, quæ per ſe conſiderata, actu quidem eſt, non autem actus, nec in actu: quatenus verò à forma perfectionem accipit, actum habere dicitur.

Simplicij.

Philoponi.

Quid ſit eſſe actu.

Quid eſſe actum.

Quid habere actum.

Quid eſſe in actu.

*Præcipuum Zabarellæ argumentum, contra actum entitatiuum materiæ primæ ab Scoto poſitum. Caput VI.*

HActenus Scoticæ opinionis de materiæ exiſtentia nos tantummodo relatores fuimus, atq; etiam explanatores; nunc autem veluti in arenam deſcendẽtes, eiuſdem nos præbebimus propugnatores; non mehercule, quòd Scoti ea ſit, ſed quòd (nullius addicti, vt ille ait, iurare in verba magiſtri) eam veriſſimam arbitramur. Multi ſunt, qui eam euertere contẽderunt, præſertim omnes S. Thomæ ſectatores, atq; etiam Io. Bacconus, & ex recentioribus Philoſophis complures: ſed præter cæteros mirum in modum hac in re Scotum vexauit Iacobus Zabarella, apud quem omnium rationum, ab alijs propoſitarum, vim, & efficacitatem inſpicere licet; & propterea alijs in præſentia omiſſis, cum vno Zabarella diſputationem inibimus: & quemadmodum in diſputatione de primo cognito, Zabarellæ fundamẽtis, contra Scotum inuecti ſumus; ita nunc viciſſim, fundamẽtis Scoti aduerſus Zabarellam diſputabimus: vt hinc etiam omnes intelligant, me nullis vnius diſciplinæ legibus aſtrictum, quodcunq; in quaq; re maximè probabile ſit, id ſtudioſiſſimè requirere. Cæterum, vt hæc concertatio aliquo ordine diſtincta ſit, ſciendum eſt, Iacobum Zabarellam quatuor potiſſimum in rebus Scoti ſniãm perturbaſſe. Primò oſtendendo, actum entitatiuum nihil aliud eſſe, quàm purum Scoti figmentum. Secundò potentiam obiectiuam euertendo. Tertiò, probando, ſecundum Catholicam Theologiam, Scoti ſniãm defendi non poſſe. Quartò argumenta præcipua, pro illius opinione adducta, diluendo. Hæc erunt quatuor capita noſtræ cum Zabarella diſputationis. Age nunc igitur rem ipſam aggrediamur. Probaturus ipſe, lib. 2. de prima rerum materia, cap. 2. entitatiuum actum, quo Scotus aſſerit, materiam primam præditam eſſe, in rerum natura non reperiri, huiuſmodi ratiocinationem in medium adducit, quæ iam in ore propemodum eſt omnibus, quaq; omnes, veluti fulgentiſſimo quodam, & validiſſimo enſe, ad Scotum impugnandũ acerrimè vtuntur. Siſcitatur Zabar. ab Scoto, actus iſte entitatiuus ſit ne aliquid, an nihil? ſi nihil: ergo nõ datur: at ſi eſt aliquid, ne ipſum cum actu formali confundamus, videndum eſt rurſum, quid nam ipſe ſit; erit igitur aut ſub-

Iacobus Zabarella hac in diſputatione Scoto valde infenſus.

Quatuor in rebus Zabarella Scotum carpit.

Argũ. Zabar. quod ipſe putauit validiſſimum cõtra actum entitatiuum materiæ primæ.

ſtan-

ſtantia, aut accidens; quia oē, quod eſt, aut ſubſtantia, aut accidens eſt. Accidens quidem eſſe non poteſt: quia, ſecundum Scotum, actus iſte entitatiuus eſt entitas realis ipſius materiæ: cùm autem materia ſubſtantia ſit, eius certè actus entitatiuus accidens eſſe non poterit; ſubſtantia igitur, & ipſe eſt. Iam verò ſubſtantia, ex doctrina Ariſ. 2. de Anima, & 7. Metaphyſ. in materiam, formam, & compoſitum diuiditur: opus eſt igitur, vt ſi actus entitatiuus ſubſtātia eſt, vel materia, vel forma, vel compoſitum eſſe dicatur. Forma quidem eſſe non poteſt: quia iam ponitur, vt ab actu formali diſtinctus: ſed neq; compoſitum; quia in materiæ entitate compoſitio ex materia, & forma reperiretur, quod Scotus omnino negaret, erit igitur materia. At verò ſi eſt materia, alterum rurſus ex his duobus concedendum eſt; vel enim eſt materia materiæ, & tunc prima materia, de qua loquimur, ex alia materia conſtabit, quod eſt abſurdum: vel eſt ipſamet materia, quod omnino confitendum eſt; nam quemadmodum entitas hominis nil aliud eſt, quàm ipſe homo; ita entitas materiæ nil aliud eſt, quàm ipſamet materia. Hanc autem materiæ entitatem, actum appellare, ita vanum eſt, ait ipſe, vt ne mente quidem concipi poſſit, cùm Philoſophi omnes entitati materiæ, potētiæ nomen, non item actus aſcripſerint; immò materiæ naturam nullo alio modo explicare ſciuerunt, niſi dicendo, illam eſſe ens poteſtate; poteſtas autem è directo actui opponitur: igitur cum materia ſimplex ſubſtantia, & illa quidem potentia, ſit, eam tandem actum eſſe, ne excogitari quidem poſſe, hac ſatis longa ratiocinatione concludit. Quam etiam argumento quodam Ioannis Bacconis confirmare conatus eſt; vel enim, inquit, materiæ potentialitas eſt actualitas (vtar ipſiuſmet verbis) vel duo hæc, re, in materia, diſtincta reperiuntur: primum dici non poteſt, quia vnum oppoſitorum, præſertim in abſtracto, de altero prædicari nequit; ſicut enim hæc propoſitio eſt falſa, paternitas eſt filiatio; ita hæc erit falſa, potentialitas eſt actualitas. Si autem duo hæc, re, in materia, diſtincta reperiantur, & tàm per potentialitatē, quàm per actualitatem, materiæ natura denotetur; iam ipſa materia non ſimplex, ſed compoſita erit, quod peripateticis omnibus aduerſatur. Multas deinde affert Ariſ. autoritates, ad probādum, materiam primam eſſe ens poteſtate, & ſunt illæ eædem, quas nos etiam ſuperius attulimus; eas autem conſiderabimus infra, cum Thomiſtarum argumenta diluemus.

Cōfirmatio ex Io. Baccone.

## *Prædicti argumenti ſolutio.* Caput VII.

EXpedit, breuitatis cauſa, ne iterum argumenta repetere cogamur, vt huius primi argumenti rationem ſtatim ineamus, quantiq; roboris illud ſit, conſideremus. Petit Zabarella, actus entitatiuus, qui materiæ primę tribuitur, ſit ne aliquid, an nihil? Dicimus; eſſe aliquid: ſed hic mihi cum illo controuerſiæ nihil. Quærit rurſum, ſit ne ſubſtantia, an accidens? Dicimus, eſſe ſubſtantiam. Rogat tertiò, ſit ne materia, an forma, an compoſitum? cum ſubſtantia in hæc tria membra ab Ariſ. diuidatur. Dicimus, eſſe materiam. Sciſcitatur quartò, Vtrū ſit materia materiæ, an ne ipſamet materia? Reſpondemus (id quod eſt caput ſolutionis) eſſe ipſammet materiam, re ipſa, ab illa tamen ea diſtinctione diſtingui, qua modus à ſua quidditate diſtinguitur; quam quidem diſtinctionem, quod ab intellectu apprehenſa ſit, craſſiores Philoſophi diſtinctionem rationis appellarent. Alij verò, quibus ſubtilius philoſophari curæ eſt, non ita hanc diſtinctionem appellarent, quoniam diſtinctio rationis ab intellectu fit, eo ipſius actu, quem comparatiuum dicunt: hæc autem, de qua modo loquimur, ab intellectu quidem facta non eſt, ſed ab eo tantum cognita, apprehenſaq; dicitur: ergo hæc diſtinctio prius iam in aliquo ſigno eſt, quam illam intellectus apprehendat: & quoniam duas res non diſtinguit, ut realis nuncupari poſſit; ſed modum tantum à quidditate ſeiungit, ideo modalem illam appellare conſueuerunt, quā nos paulò infra planius etiam explicabimus. Concedimus ergo, entitatiuum actum ipſammet eſſe materiam, ſecundum rem, ab ea tamen diſtingui ſecundum modum. Sed ait Zabarella, quemadmodum entitas hominis nil aliud eſt, quam ipſe homo, ita entitas materiæ nil aliud eſt, quàm ipſamet materia. Hic ego cum Zabarella luctari paululum, & ſimul iteratis ictibus congredi velim: omneſq; ex æquò, & bono huiuſmodi certamen iudicare: nam fortaſſe Zabarellam, ſemetipſum oppugnantem videbunt. Si ab eo propoſita ſimilitudo, ad rem ſuam concludendam, quicq̄ roboris habitura eſt, hoc modo eam arbitror eſſe debere: ſicut entitas huius hominis, non eſt aliud, quam ipſemet homo; ita, entitas materiæ non eſt aliud, quàm ipſamet materia. Quid ita huius hominis?

Actus entitatiuus materiæ primę eſt aliquid, eſt ſubſtantia, & eſt modus eius interior.

Not. hic, quō differat actus entitatiuus à materia prima.

Inſtantia Zabarellę.

Refutatio.

minsi?

minis? Quia inter hominem, vniuerſè acceptum, & materiam primam, nulla prorſus ſimilitudo eſt; etenim materia prima iam in rerum natura conſiſtit, vt omnes, vel ipſomet Zabarella teſtante, fatentur; eſtq; vna numero, ſaltem vnitate priuatiua, quia. ſ. per ſe caret quacunque forma, & omnes ſingulatim recipere parata eſt. Quare cùm de materia loquimur, de aliquo loquimur, quod ſimul eſſentiam, & exiſtentiam habet. Homo verò generatim acceptus, nil aliud, quàm puram, & ſimplicem hominis eſſentiam ſignificat: & quia non niſi in ſubditis ſingularibus exiſtere poteſt: ideo eſſentiam cum exiſtẽtia coniungere, & hominem, vniuerſè ſpectatum, ad ſingulare aliquod, re ipſa exiſtẽs, contrahere opus eſt: tuncq; dicere licebit, ſicut entitas huius hominis non eſt aliud, quàm ipſemet homo; ita entitas materiæ non eſt aliud, quàm ipſamet materia. Sed hac omiſſa, tanquam leuis armaturæ prima excurſione, cominus agamus, & nõ hominem vniuerſè, verùm hunc hominem conſideremus. Hic igitur homo vna tantum res eſt, vna tantum ſubſtantia: nihilominus in hac vna, & eadem re, non ne eſſentia, & exiſtẽtia, aliqua diſtinctione diſtinguuntur? puta quidditas hominis, à ſingularibus abſtracta, & eſſe realis exiſtẽtiæ, illi adueniens? Non negabit hoc certè Zabarella; cùm præſertim S. Thomas, & Thomiſtæ omnes, quorum ipſe hac in re opinionem ſectatur, fateantur expreſsè, eſſentiam, & exiſtentiam inter ſe reaptè diſſidere. Nos tamen adeo prolixi, & liberales non erimus, vt inter eſſentiam, & exiſtẽtiam tantam diſtinctionem largiamur: ſed nobis ſat erit exiſtẽtiam ab eſſentia, ſicut modum à quidditate, hoc eſt, modali diſtinctione diſtingui. Neq; hoc negabit Zabarella, neq; ipſi quidem Thomiſtæ id negabunt: nam ſi maiorem diſtinctionem, ſcilicet diſtinctionem realem inter eſſentiam, & exiſtentiam concedant, minorem quoque diſtinctionem modalem, ſcilicet concedere tenentur.

*Eſſentia, & exiſtẽtia quo differant.*

Itaque entitas huius hominis, vt ad rem noſtram redeamus, exiſtentiam in ſe ſe continet, ab eſſentia diſtinctam. Id ipſum ego de prima materia enunciabo, quæ quidem vna tantum numero res, & vna tantum numero ſubſtantia eſt; nihilominus in hac vna ſubſtantia, exiſtẽtia, ab eſſentia diſtincta continetur. Porrò, hæc materiæ exiſtentia nihil aliud eſt, niſi actus ille entitatiuus, de quo modo loquimur, ratione cuius materia extra ſuã cauſam, hoc eſt in rerum natura conſiſtit; & propterea rectè dicebamus, hunc entitatiuum actum eſſe ipſammet materiam re ipſa, ab ea tamen modali diſtinctione diſtingui. Non eſt ergo actus entitatiuus purum Scoti figmẽtum. Cùm vero aſſerit Zabarella, veteres omnes Philoſophos, atq; adeo Ariſt. & recẽtiores omnes materiam primam potentiam appellaſſe; hoc nihil officit ſnĩæ noſtræ: iure enim optimo rem illam rudem, imperfectam, indeterminatam, re ipſa in rerum natura exiſtẽtem, appellarunt potentiã, quia potestatem in ſe habet, vt ex ipſa oĩa fiant, hoc eſt, vt formas omnes ſenſim recipiat. Et cum ait, poteſtatem actui è directo opponi, & propterea cùm materia ſimplex ſit, potentiaq; appelletur, eam nullo pacto actus nomine nuncupari poſſe. Reſpondendum eſt, non quamcunq; potentiam cuicunq; actui è directo opponi; ſed determinatam potẽtiam determinato actui, nimirum potentiam obiectiuam actui entitatiuo, & potentiam ſubiectiuam actui formali. Cùm igitur materia prima per ſe conſiderata, ſubiectiuam potẽtiam habere dicatur, ea quidem in ſe formalem actum continere non poteſt; non ideo tamen ſequitur, vt ipſa entitatiuo actu deſtituta ſit: cùm ſubiectiuam ille potẽtiam comitem habere poſſit. Ad confirmationem huius argumenti, ex Baccone ſumptam, reſpondeo, potentialitatem materiæ formaliter quidem actualitatem non eſſe, (vt cum Scholaſticis loquamur) quia, vt rectè in argumento dictum eſt, vnum oppoſitorum de altero in abſtracto prædicari non poteſt, materiam tamẽ in ſe, & potẽtialitatem, & actualitatem, ſeu potẽtiam, & actum diuerſi generis habere dicimus. Et cùm infert, ergo materia non erit ſubſtantia ſimplex, ſed compoſita. Adhibenda eſt diſtinctio; vel enim de compoſitione phyſica ſermo habetur: & tunc admittendum eſt, materiam non eſſe compoſitam: vel de compoſitione metaphyſica, & tunc dicẽdum, materiam non eſſe ſimplicem, ſed compoſitam: ex actu enim entitatiuo, & potentia ſubiectiua conflata eſt. Puto iam, præcipuum hoc Zabarellæ argumentum nos ſatis explicaſse, vt qui huius Doctoris partes tuentur, ſint in poſterum paulò contractiore ſupercilio diſputaturi.

*In quo ſẽſu veteres philoſophi, Ariſtot. atq; etiã recentiores, materiã primam appellarint potẽtiã. Obiectio. Solutio.*

*Reſpõſio ad confirmationem argumẽti Zabarellæ, ex Baccone ſumptam.*

Ex-

*Explicatur breuiter, quid ſit eſſentia, & quid exiſtentia, oſtenditurq́, quomodo duo hæc in prima materia diſtincta reperiantur. Cap. VIII.*

EX iis, quæ ſuperiore capite dicta ſunt, facilè vnicuiq; intelligere eſt, entitatiuū actum, qui primæ materiæ tribuitur, non eſſe purum figmētum: ſed eſſe modum quendam materiæ intimum, eſſe id, quo materia (vt aiunt) formaliter exiſtit; vel, vt ſemel dicam, eſſe ipſiuſmet materiæ exiſtētiam. Difficilis ſane, atq; ſubtilis contemplatio, in quam fortaſſe paulò acrius, grauiuſq; incumbere expediet, vt eius obſcuritate diſcuſſa, veritas prædictæ ſolutionis illuceſcat, & vberior à nobis fructus percipiatur. Explicanda eſt igitur primum paucis eſſentia, & exiſtentia vtraq; quid ſit; mox quam diſtinctionem duo hæc in materia obtineant.

*Quid ſit eſſentia.*

Noſſe primum oportet, cuiuſcunq; rei eſſentiam nil aliud nobis, quàm eſſe quoddam vniuerſale, à ſingularibus ſeiunctum, ſignificare: quod vt nulli natura ſua, interitui obnoxiū eſt; ita in cauſa eſt, cur res omnes æternitate quadam, & immortalitate fruantur, ſedem aliquam in prædicamentis obtineant, atq; etiam cum intellectu affinitatem quandam, & neceſſitudinem contrahant: vt, interiecta ratiocinatione, illarum ſcientiam, ceu prolem ipſe pariat, atq; in lucem edat. Quò verò facilior huius rei explicatio ſit, à ſupra poſito exemplo nō diſcedam.

*Exemplum.*

Homo, quatenus ab omnibus ſingularibus abſtractus eſt, nobis tantummodo eſſe quoddam eſſentiæ indicat, ratione cuius nunquam perire poteſt; ſed in prædicamento ſubſtantiæ ſedem habet, atq; de eo, ſic accepto, tanquam de re firma, & permanēte, ſcientia in intellectu comparatur.

*Quid ſit exiſtentia.*

Cùm verò aliquis homo generatur, tunc hominis eſſentia veluti gradum quendam interiorem acquirit: nam vt primū genitus eſt, exiſtētiæ acceſſio eidem facta eſt: homo, n. vniuerſè ſpectatus, ratione illius iam editi ſingularis, in natura rerum cōſiſtit. In hoīe igitur genito, præter cæteras cōpoſitiones, duæ ꝑcipuæ reperiuntur: altera phyſica. ſ. ex materia, & forma, vt ex aīa, & corpore: altera metaphyſica. ſ. ex eſſētia, & exiſtentia, vel (vt alij dicunt) ex eſſe, & eſſentia, per eſſe, ipſammet exiſtentiā intelligentes. Cæterùm cùm hoc ſingulare genitū interit, illud quidē ex ea parte, quatenus eſſentiam habet, nō perit: cùm iam ab illa immortalitatem adeptum ſit; ſed tantummodo quatenus habet exiſtentiam, ratione cuius nec ſedem habet vllam in prædicamento, nec vlla de eo dicitur eſſe ſcientia.

*Eſſentia rei an ſit ſubſtātia, vel accidens.*

Rogabit quiſpiam, eſſentia eſt ne ſubſtantia, an accidens? Dicam quod paucis forſitan exploratum eſt, nimirum eſſentiam, prout eſſentia, & pura quidditas eſt, neque ſubſtantiā eſſe, neq; accidens. Obijcies, oē ens, aut ſubſtantia, aut accidens eſt. Reſpondeo, veram eſſe hanc propoſitionē de ente exiſtente; eſſentia verò, vt pura quidditas eſt, ab exiſtētia ſeiungitur, & propterea nec ſubſtantiæ, nec accidentis nomine iure nuncupari pōt. Sed de hoc aliàs: nimis. n. nunc latus nobis pateret campus ad metaphyſicas contēplationes. His igitur nunc omiſſis, videamus, quō eſſentia, & exiſtentia in prima materia, diſtinctæ reperiantur. Et quo res clarior, illuſtriorq; fiat, id ipſum tàm ſecundum Theologos, quàm ſecundum Philoſophos explicemus.

*Sec͠dū Theologos, eſſentię materiæ ī temporis initio exiſtētia addita eſt.*

Nempe ſecundum Theologos, materia non eſt æterna; ſed à Deo ex nihilo, in temporis initio procreata: antequam igitur procrearetur, nullam omnino exiſtentiam, ſed tantummodo eſſentiam, & quidditatem habebat: quæ quidem eſſentia duo eſſe potiſſimum indicabat, eſſe ideale, ſeu cognitum in mente diuina, & eſſe obiectiuum in materia prima; quatenus illa, vt cognita, diuini intellectus obiectum fiebat, & quandam habilitatem, ſeu non repugnantiam habebat, vt aliquādo à Deo Opt. Max. procrearetur. Poſtquam vero edita eſt, ſtatim in ipſa, eſſentia, & exiſtentia coniunctæ ſunt: eſſe enim extra cauſam, & intellectum obtinuit, quod nihil aliud eſt, quàm actus eius entitatiuus, qui eiuſdem obiectiuæ potentiæ reſpondebat. Quod autem de materia dicitur, idem de quocunq; alio, à Deo ex nihilo procreato, vt de Angelis, de Cælo, & de alijs huiuſmodi, dicendum eſt. Si autem nunc Deus materiam primam, iam editam, penitus deſtrueret, atq; ad nihilum redigeret, tunc illa quidem exiſtentiam, hoc eſt, actum eius entitatiuum amitteret, eſſentiam verò non item: cum ea, vt diximus, æterna ſit.

*Secundū Ariſtot. eſſentia materiæ ſemper habuit cō iunctam exiſtentiam.*

Secundum verò Philoſophos, & præſertim ſecundum Ariſ. qui materiā æternam eſſe perhibuit, dicendum eſt, materiam nunquam ſibi exiſtentiam aſciuiſſe, ſed ſemper eſſentiam cum exiſtētia coniunctam habuiſſe: illa autem duo inter ſe, eo modo, quo ſupra diximus, diſſidere, neq; aliud tandem eſſe, materiam exiſtentiam habere, quàm illam entitatiuo actu præditam eſſe.

*Potentiam obiectiuam, à Scoto excogitatam, Iacobus Zab. euertere conatur.* Cap. IX.

Potentia duplex apud Ariſ. actiua, & paſſiua; Act. pariter duplex, primus, & ſecundus.

Ratio Zabarellæ, probãs potentiã obiectiuam nõ eſſe diſtinctã à potẽtia paſſiua.

Ratio eiuſdẽ probans, potentiam obiectiuam nõ eſſe diſtinctam à potẽtia paſſiua.

NItitur ſecundò Zab. Scoti ſententiam euertere, potentiam obiectiuam ab eodem excogitatam irridens, ac reprobans: quam etiam merum figmentum eſſe putat, nec à potentia actiua, atque à paſſiua re ipſa diſtinctam. Duas, n. tantùm potentias 9. Metaph. ab Ariſ. poſitas eſſe reperit, actiuam, & paſſiuam; duos pariter actus, 2. de Anima, duplici potentię reſpondentes, primum, & ſecundum. Potentiæ paſſiuæ reſpondet actus primus, qui eſt forma. Potentiæ actiuæ reſpondet actus ſecundus, qui eſt operatio. Potentia autem obiectiua nihil eſſe poteſt, ab his duabus diſtinctum, quod ita oſtendit: Si. n. dicamus, hominem generandũ eſſe in potentia obiectiua, quemadmodum Scotus affirmat; quærendum erit, in quo nam illa potentia inhæreat? certè non in homine, quia nondum eſt: erit igitur in prima materia; cũ hominis generandi nihil nũc reperiatur, quod actu exiſtat, niſi materia prima, quæ eius pars futura eſt: atqui potentia in materia non alia ineſt, quàm ſubiectiua; igitur illa potentia obiectiua, qua homo eſſe poteſt, nil aliud eſt, quàm potentia ſubiectiua: vel igitur potentia obiectiua non datur; vel ſi datur, non eſt aliquid à potentia paſſiua diſtinctum. Rurſus oſtẽdit, potentiam obiectiuam, ſi tñ datur, ab actiua potentia diſtinctam non eſſe. Dicebat Scotus, mundum, antequam creatus eſſet, fuiſſe ens in potentia obiectiua. Quærit Zab. in quo nam erat illa potentia? profectò non in mundo, quia non dum erat: igitur hæc potentia obiectiua non eſt aliquid reale, ſed tantummodo quandam terminorum non repugnantium, atque impoſſibilitatis (vt ipſe ait) negationem indicat: vel ſi quid reale ſit, nihil certè aliud, quàm actiua ipſius Dei potentia nuncupari poterit; ita vt dicere, mundum in potentia tunc obiectiua fuiſse, nil aliud ſignificet, quàm Deum actiuam potentiam creandi mundum habuiſse: potentia autem Dei eſt ipſemet Deus; igitur illi potentiæ nihil reale reſpondet niſi Deus, ac deinceps obiectiua potentia nihil eſt re ab actiua potentia diſtinctum. Hæc Zab.

*Zabarellæ conatus comprimitur, oſtenditurque, potentia obiectiua, ſecundum Scotum, non eſſe re à potentia actiua, & à paſſiua diſtincta.* Cap. X.

Lege Scotũ diligenter, apud quem reperies, potentiam obiectiuam non eſſe re à potẽtia actiua, & à paſſiua diſtinctam.

EQuidem ſi qua alia in re doctiſſimus iſte vir ingenij aciem præſetulit, hic præſertim & ſubtiliſſimum, & diligentiſſimum veritatis inueſtigatorem ſe præbuit. Hoc vnum illi obijcere poſſumus, nihil. ſ. contra Scotum dixiſse, neque eius ſententiam, vt credidit, euerſiſse & miror non ſolum Zabarellam, verum etiam Paulum Soncinatem, & Chryſoſtomum Iauellum lib. 9. Metaph. q. 2. & alios etiam Thomiſtas tribuiſse Scoto, vt obiectiuam potentiam re ipſa ab actiua, & paſſiua diſtinctam eſse, ſtatuerit; cùm tantùm abſit, vt ita ſit, vt etiam oppoſita omnia apud eum reperiantur. Etenim ſi quis legat Scotum lib. 2. Sententiarum d. 12. q. 1. inueniet, docuiſſe eum, potentiam obiectiuam interdum in vnum cum ſubiectiua potentia incidere: interdum ab eadem diſtinctam reperiri. Incidit quidem; nam potentia hominis generandi, vt ſupra etiam explicuimus, ſi materiam reſpiciat, ſubiectiua appellatur: ſi autem ad agens referatur, ait Scotus, obiectiua nuncupatur; non ergo illam re ab actiua, & à paſſiua potentia diſtinxit. Interdum verò diſtincta eſt: nam mundus antequam crearetur, potẽtiam obiectiuam non etiam ſubiectiuam habebat; quia ex nullo ſubiecto creatus eſt: illa tamẽ potentia actiuam ipſius Dei creandi potentiam reſpiciebat. Si quis rurſus legat Scotum lib. 9. Metaph. q. 4. eum inueniet, diuiſionem potentiæ in obiectiuam, & ſubiectiuam, ad actiuam ſeſe, atque paſſiuam extendere, conceſſiſſe. Quid igitur illi imponunt, vt obiectiuam potentiã tanquam quid re ab actiua, & à paſſiua diſtinctum eſſe, ſtatuerit? Cæterum tametſi hæc obiectiua potentia aliquid reale non eſt, à duabus ſupradictis potentijs re ipſa diſtinctum; nihilominus, quia vnum & idem cum illis non omnino eſt; ideò ad hanc rem planè declarandam, opportunum fortaſſe erit, quid quælibet illarum ſit, breuiter explicare. Eſt igitur actiua potentia nihil planè aliud, quàm virtus quædam, atque facultas, quæ in agente ineſt, ratione cuius aliquid re ipſa efficere poteſt: cuiuſmodi eſt in homine potentia generandi, in igne comburendi, calefaciendi, & ſic de alijs. Potentia verò paſſiua eſt habilitas quædam, quæ re vera in aliquo ſubiecto ineſt, ita vt, eius beneficio, aliquid in ſeſe recipere poſſit: vt in materia prima eſt potentia paſſiua, ſeu propenſio quædam, ad formam recipiendam: in rebus grauibus eſt potentia paſſiua, ad acquirendum inferum locum, & de alijs eodem modo. Hæ di-

Quid ſit potẽtia actiua.

Quid potentia paſſiua.

cuntur

cuntur potentiæ reales,quia in entibus realibus inſunt. Ac præterea datur potentia obiectiua,quæ non realis quidem,ſed logica eſt;neque aliud eam appelles, quàm non repugnantiã terminorum,&,vt rectè Zab.dixit,negationem impoſſibilitatis. Non ineſt hæc potentia in aliquo ente reali;ſed vtique in obiecto aliquo ineſt, per intellectum apprehenſo, illudq; ens poſſibile efficit,atque etiam denominat. Mundus ex.gra.antequam crearetur; obiectiuã potentiam habere dicebatur;quoniam tunc ipſum intellectus diuinus,vt quoddam ens poſſibile concipiebat,cui aliquando in rerum natura exiſtere non repugnabat. Chimera,hircoceruus,mons aureus,& id genus alia,nempe nihil ſunt;quare potentiam obiectiuam non hñt. Quid ita? quia eſſe non poſſunt,& illis omnino exiſtentia repugnat. Vt hinc intelligamus, obiectiuam potentiam,quæ alicui enti,per intellectum apprehenſo,tribuitur,ens illud in eſſe poſſibili logico,cui è directo ens impoſſibile opponitur,conſtituere(cogor enim vti huiuſmodi vocibus)quemadmodum ei,quod eſt poſſibile phyſicum,id,quod æternum, & neceſſariũ eſt,aduerſatur:hoc enim eſſe non poteſt,quia iam eſt,& omnino illi repugnat non eſſe;quod autem eſt impoſſibile logicum,ideo eſſe non poteſt,quia,vt diximus, illi exiſtentia omnino repugnat. Potentia itaque logica,& obiectiua,ſaltem naturæ ordine,potentiam actiuam,atque paſſiuam antecedit:quod enim eſſe nullo modo poteſt;nec ex aliqua materia,nec ab aliquo agente,quantæcunque virtutis illud ſit,etiam infinitæ,fieri aliquando poteſt: propterea Deus id omne facere poſſe dicitur,quod contradictionem non inuoluit. Poſſibile igitur logicum,& obiectiuum quodcunque poſſibile reale præcedit:quod quò melius etiam intelligatur,explicare lubet huiuſcemodi exemplo. Animal ea facultate præditũ eſt,vt & dextrorſum,& ſiniſtrorſum moueri poſſit:antequam motus vllus fiat, ponit ſibi intellectus obiectũ quoddam,hoc eſt,motum ipſum;vt ens aliquod poſſibile concipit:nullam enim repugnantiam inuenit,quo minus aliquando eſſe poſſit,& propterea obiectiuam potẽtiam illi tribuit, dum illum ſub tali potentia concipit. Porrò hæc potentia realis non eſt, quia in aliquo ente reali non ineſt;ſed ſolum eſt attributum quoddam,quod intellectus dedit obiecto,iã per ipſum apprehenſo;atque hæc potentia realem illam potentiam,ſeu facultatem,qua animal ſe ipſum mouere poteſt,antecedit. At verò dum motus,fit,tunc ille reali potentiæ, ſeu motrici facultati ipſius animalis aſcribitur:vt enim motus realis effectus eſt;ita à reali potentia, & facultate pendeat,neceſſe eſt: immò ſi antequam etiam motus fiat, hanc eandem animalis facultatem,qua ſe ipſum & dextrorſum,& ſiniſtrorſum mouere poteſt,conſideremus, realẽ pariter,& actiuam eam ipſam appellabimus. Iam verò petere quiſpiam poſſet,animal iſtud dextrorſum ne ſimul,& ſiniſtrorſum moueri poteſt? Reſpondendum eſt negatiuè. Inſtabit rurſum,dicens,animal ad vtrunque motum actiuam potentiam habere. Reſpondẽdum eſt, illud quidem actiuam potentiam habere;eam tamen ad impoſſibilia non ſe extendere: itaq; dum motus ad dexteram ſimul,& ad læuam intellectui obijcitur, terminorum ſtatim repugnantiam inuenit,illudque obiectum,vt aliquod impoſſibile concipit,cuiuſmodi eſt chimera;& propterea cùm talis motus impoſſibilis ſit,mirum non eſt,ſi à facultate motrice animalis edi nulla ratione poſſit. Satis igitur explicatum eſt,quid ſit potentia actiua, quid paſſiua, & quid obiectiua. Et quod ad obiectiuam attinet,ſi,vt quippiam reale deſignat,cõſideretur, ea certè à duabus ſuperioribus,re ipſa diſtincta non eſt, quemadmodum Zab.& Thomiſtæ concludunt,neque etiam aliter arbitratus eſt Scotus:Si autem vt logica tantum eſt, ſpectetur,dubio procul diſtinctione aliqua à cæteris ſeiungitur,quæ realis non eſt, cùm ipſa nõ ſit res;ſed ad id genus diſtinctionis refertur,qua entia rationis ab entibus realibus ſecernũtur. & vt rem paucis colligamus,obiectiua potentia non eſt figmentum aliquod,vt Zab.putauit; ſed eſt quidam veluti partus intellectus,qui tanquam explorator mittitur, ad inueſtiganda ea,quæ in vniuerſo eſſe,& non eſſe poſſunt,antequam edantur;& vbi cognouit, nullam implicare contradictionem,vt aliqua in vniuerſo conſiſtant;ea ipſa,veluti ſubdita,actiuæ,atq; paſſiuæ potentiæ reliquit,vt,illarum ope,de eſſe cognito,atque poſſibili, ad eſſe reale traducantur. Hæc eſt illa potentia obiectiua,quam habuiſſe materiam primam,antequam à Deo edita eſſet,ſubtilis Doctor aſſeuerauit. Obijciebatur tunc Diuino intellectui materia prima, ſecundum ſuum eſſe ideale;concipiebat tunc illam Deus,vt obiectum quoddam poſſibile;& quia non repugnabat,materiam aliquando in rerum natura conſiſtere;ideo Deus, cùm placitum eſt ei,ſua potentia actiua,illam in rerum naturam eduxit,& tũ primùm princeps hæc

Quid potentia obiectiua.

Potẽtia obiectiua conſtituit obiectũ apprehẽſum in eſſe poſſibili; ideo chimera,quæ eſſe nõ poteſt, nõ dicitur eſſe in potẽtia obiectiua.

Potẽtia logica, ſeu obiectiua,naturæ ordine, omnem aliã potentiam antecedit.

Nota hoc exemplum.

Potẽtia obiectiua, vt aliquid reale cõnotat,nõ diſtinguitur à potentia actiua,& à paſſiua, vt autem logica eſt, à cæteris ſeiungitur.

Potẽtia obiectiua tanquã regula eſt eorum, quæ in lucem proferri debent.

Ariſ putauit materiam primam æternã & neceſſariã eſſe, ideo nũquam illi tribui potẽtiã obiectiuam, ſed ſẽper actum exiſtentiæ.

rerum materies actum entitatiuum, potentiæ obiectiuæ oppoſitum, acquiſiuit. Ariſtot. verò haudquaquam poſuit, materiam primam aliquando potentiam obiectiuam habuiſſe, neq; illam, vt poſſibile logicum: immò neque etiam vt poſſibile phyſicum, & naturale concepit: ſed ipſam ens neceſſarium, atque æternum eſſe putauit, quod paulò ante à poſſibili phyſico, & naturale diſtinctum eſſe docuimus: omne autem ens neceſſarium, & æternum re ipſa exiſtit, & propterea materia quoque prima re ipſa exiſtit, tantum abeſt, vt ſecundum eum, pura tantum potentia eſſe dicatur. Sed hactenus de ſecundo congreſſu.

## *Tribus rationibus à Zabar. oſtenditur, Scoti ſententiam, de materiæ exiſtentia, ſecundum Catholicam Theologiam defendi non poſſe. Cap. XI.*

Caput difficultatis.

TErtiò deſcendit in arenam Zabarella, probaturus, Scoti ſententiam, de materiæ exiſtentia, ſecundum Catholicam Theologiam defendi non poſſe, licet hoc modo exiſtimet, eã nonnihil probabilitatis habere. Dicebat Scotus, materiam, antequam creata eſſet, obiectiuã potentiam habuiſſe: vt primùm aũt à Deo creata eſt, entitatiuum actum obtinuiſſe. Hoc falſiſſimum eſt, ait Zabarella: quoniam materia non ſimpliciter à Deo creata, ſed concreata. i. vnà cum forma creata eſt: neque enim materia priùs abſque forma à Deo creata eſt, poſtea verò formam, tanquam ſuam perfectionem accepit, quod tribus rationibus oſtendere nititur.

Prima ratio. Primò, quia materia per ſe res aliqua non eſt, aut determinatum aliquod ens: ergo per ſe à Deo creari non potuit.

Secunda rõ. Secundò, quia materia fuiſſet actu, & non fuiſſet actu, quod contradictionem inuoluit: fuiſſet quidem actu, quia extitiſſet: non fuiſſet actu, quia formam nõ habuiſſet.

Tertia ratio. Tertiò, quia agens, quod totum aliquem effectum edere poteſt, niſi impediatur, perfectiſſimum illum edit, quantum edere poteſt: hæc propoſitio non negabitur à Scoto, cùm ſæpiùs illa vti conſueuerit: at Deus à nullo impediri poteſt, quo minus rem quamlibet in ſuo genere perfectiſſimam edat: quamlibet igitur perfectiſſimam edidit, atque adeo, materiã primam nudam, ſimplicem, & imperfectam non creauit, & poſtea illi formam impoſuit, vt perfecta euaderet: eius enim perfectioni repugnaret, res priùs imperfectas effingere, poſtea verò, formas imponendo, eiſdem perfectionem tribuere.

## *Scoti ſententia, de materia exiſtentia, ſecundum Catholicam Theologiam defenditur, rationesq., à Zabarella propoſita, diluuntur. Cap. XII.*

VErùm enimuerò hoc ſatis habere debuit celeberrimus hic Doctor, ſecundo congreſſu rectè probaſſe, obiectiuam potẽtiam ab actiua, & paſſiua re diſtinctam non eſſe: video enim fore, vt in hoc Theologico certamine quàm facillimè concidat, & ſuccumbat. Sed ad rem.

Notabilis cõcertatio rem propoſitam manifeſtè cõcludens.

Materia, inquit, non ſimpliciter à Deo creata, ſed concreata fuit. Iſtud in præſentia diſputationis gratia concedamus, ex quo tamen rem quoq; noſtram manifeſtè concludere licet. Etenim ſi concreata materia, hoc eſt, ſimul cum forma creata eſt; ergo materia ſimul cũ forma accepit eſſe poſt non eſſe, atq; ita duo hæc naturalium rerum principia de potẽtia obiectiua, ſummi Opificis virtute, ad actum entitatiuum deducta fuere.

Nodi cuiuſdam explicatio.

*Dices*, formæ non cõpetere actum entitatiuum, ſed formalẽ. At rem non percipis: vnumquodq; enim, quod in rerum natura conſiſtit, hoc ipſo, quod conſiſtit, entitatiuum actum habere dicitur, vt ſupra tetigimus: atq; adeo formæ, ea ratione, qua in natura rerum exiſtit, entitatiuus actus tribuitur, quia nimirum eſt actu ens.

Forma quatenus actu exiſtit, dicitur habere actũ entitatiuum, ad materiam verè, actus formalis appellatur.

Porrò entitas illa, quæ eſt forma, iam exiſtẽs, quia eo edita eſt, vt perfectionẽ materiæ tribuat, atq; tandem ex eius cum materiæ coniunctione, naturale compoſitum conſtituatur: ideo ad materiam relata, formalis actus nuncupatur, cuius quidẽ munus eſt eſſe ſpecificum impertiri. Sic etiam entitas illa materiæ, quæ iam actu exiſtit, quia eò creata eſt, vt omnium formarum receptaculum ſit; ideò ad formas relata, quas ſuſcipere poteſt, potẽtia paſſim appellatur.

Vt exiſtentia accidẽtis nõ eſt exiſtentia ſubſtantiæ, ita exiſtẽtia materiæ non eſt exiſtẽtia formæ.

Eadem ratione, cum accidens vnà cum ſubiecto gignitur, ambo ſimul exiſtẽtiam acquirunt: nihilominus exiſtẽtia ſubiecti non eſt exiſtẽtia accidentis, neq; contra: licet ſimul iunctæ ſint, atq; in vnam ſubſiſtẽtiam coeant: nam exiſtẽtia ſubiecti eſt perfecta quædam exiſtẽtia, ipſumq; per ſe, abſq; vllius rei exterioris acceſſione, conſiſtere poteſt: exiſtẽtia verò accidẽtis imperfecta eſt, &, vt conſiſtat, eget exiſtẽtia ſubſtantiæ. Etiam ſi igitur admittamus, materiam vnà cum forma creatam fuiſſe, non ob eam tñ rem ſequitur, vt ea propria exiſtẽtia careat, quamuis imperfecta illa ſit, nec per ſe, abſq;

formæ

formæ exiſtẽtia, perſiſtere queat; quod ſanè nil aliud eſt, quàm materiam habere actum entitatiuum. Sed paulò propius; ad huius rei veritatem aperiẽdam accedamus. Ne diſputemus nunc, an Deus materiam informem creauerit, quæ ſic aliquandiu manſerit; (eſt enim quæſtio ad Theologos pertinens, & ſunt vtrinq; rationes probabiles) hoc vnum tamẽ ſcio, quemadmodum Deus nũc editam iam materiam ſine forma conſeruare poſſet, vt in calce huius diſputationis oſtẽdam: ita eum illam in temporis initio, abſq; vlla forma, effingere potuiſſe. Nec obſtant tres rationes, in id à Zabarella propoſitæ. Ad primam, neganda eſt conſequẽtia: vt enim aliquid à Deo creatum ſit, neceſſe non eſt, vt ſit ſpecificum, atq; determinatum ens; ſed hoc ſatis ſuperq; ſi ſit ſimpliciter ens, obtinueritq; eſſe poſt non eſſe, cuiuſmodi eſt materia. Ad ſecundam, falſum ponit, rem. ſ. per formam ſimpliciter actu eſſe: cum ſit ſimpliciter actu, per propriam exiſtẽtiam; à forma verò eſſe ſpecificum, atq; determinatum obtineat: & propterea nulla eſſet contradictio, materiam eſſe actu, & non eſſe actu: nam materia, per ſe ſumpta, eſt actu per propriam exiſtẽtiam, & illam quidem indeterminatam: non eſt autem actu in eſſe ſpecifico, quia caret forma, à qua tale eſſe recipere dẽt. Ad tertiam, pace huius doctiſſimi Viri dixerim, quem alioquin veneror, & ſuſpicio, ſenſus illius propoſitionis, qua Scotum, aſſerit, vti ſæpe conſueuiſſe: longè alius eſt, ac ipſe exiſtimauit: etenim Scotus ea *vſus eſt*, tamquam de naturali, & neceſſario agẽte, non etiam de libero, & voluntario, cuiuſmodi eſt Deus, veritatem habẽte. Si obiectum calori aptũ, igni proximum fiat, cũ ignis naturale agẽs, & neceſſarium ſit, ſi impedimẽtũ nullum adſit, ſi obiectũ ſatis affectum, atq; igni congruẽter appoſitum ſit: tũc ignis in ipſum obiectũ perfectiſſimũ calorẽ immittet, quẽ immittere põt, quemadmodum in diſputatione de primo cognito diximus. Res aũt nũc ſecus ſe habet. Deus enim, Theologicè loquẽdo, (nam & Zabarella nunc vt Theologus diſputat) extrinſecus liberè, & contingẽter agit, propterea, arbitratu ſuo, eam perfectionem effectui largiri poteſt, quæ ſibi congrua eſſe videtur, nec vllo pacto effectum perfectiſſimum dare cogitur. Iam verò quia materia prima inchoatio quædam rerum corporalium futura erat, propterea illam perfectam creare, atque ſtatuere, ex vſu non fuiſſet, alioquin tanta rerum viciſſitudo in mundo nõ appàruiſſet: Sed rudem illam, imperfectam, & determinatã eſſe oportebat, cum facultate tamen omnes formas recipiendi, vt commodè ex ipſa res omnes fieri poſſẽt: quapropter Deus Opt. Max. rudem illam, & imperfectam eſſe voluit. Quinimo hæc ipſa imperfectio, ſi ratione materiæ ſpectetur, perfectio appellari poteſt: quia materia in ſuo generẽ, quatenus materia eſt, abſolutior eſſe non poterat, cùm eius eſſentia id exigat, vt ſit propè nihil.

Poterit Deus in tp̃is initio, materiã informẽ procreare.

Reſpõſio ad primã rationem Zaba.

Reſpõſio ad ſecundam rationem.

Reſpõſio ad tertiam rationem.

Deus Theologicè loquẽdo, extrinſecus agit liberè, & contingenter, ideo nõ cogitur producere effectũ pfectiſſimum quantum pducere põt.

Nõ expediebat, materiã prædictã fuiſſe perfectã.

Nota hoc diligenter.

### *Tres diſtinctiones Zabarellæ, quæ ſunt eius fundamenta Scoticæ opinionis euertendæ. Caput XIII.*

TAndem Zabarella Scotum adoritur, tribuſque diſtĩntionibus, & quinq; concluſionib. eius ſnĩam demoliri conatur, atque oſtẽdere, argumenta, pro illius ſnĩæ confirmatione propoſita, nullius penitus eſſe momenti. Itaq; lib. 2. de Prima rerum Materia, cap. 3. tres diſtinctiones affert. Prima eſt. Entitas alicuius rei duo potiſſimũ ſignificare põt, vel illius rei eſsentiam, vel eiuſdẽ exiſtẽtiam. Quatenus ſignificat eſsentiam, non eſt aliud, quàm quoddam veluti commune genus, quemadmodum dicere ſolemus, animal eſse eſsentiam hominis, bouis, leonis, & ſic de alijs. Quatenus vero ſignificat exiſtẽtiam, dicit quoddam accidens intentionale, ipſi eſsentię additum. Quo fit, vt plura ad exiſtẽtiam, quàm ad eſsentiam requirantur: nam vnaquæque res habet ſuam eſsentiam per ſe: nulla tñ res eſt, quæ per ſe exiſtere apta ſit: ſed, vt exiſtat, alterius indiget auxilio. Secunda, Nomen actus duo indicare ſolet: nam vel formam denotat, quę non eſt aliud, quam rei perfectio, & complemẽtum, quemadmodum aſserit Ariſt. initio ſecundi libri de Anima, vnaquæque enim forma ſiue ſit vltima, ſiue non vltima, eſt perfectio illius rei, quam conſtituit, vt forma corporis eſt perfectio corporis, forma animalis eſt perfectio animalis, & forma hominis perfectio hominis. Vel exiſtẽtiam ſignificat, quæ eſt effectus formæ, non omnis, ſed vltimę tantum: omnis quidem forma rei perfectio eſt: res autem non niſi per vltimam, atque ſpecificam formam exiſtit. Tertia, Actus, pro exiſtẽtia ſumptus, dupliciter accipitur, vno modo, ad ſignificandum exiſtentiam ſimpliciter, vt cum dicimus equum actu eſse, hominem actu eſse, & ſic de alijs: altero,

Prima diſtinctio eſt Zabarellæ.

Secũda diſtinctio.

Tertia diſtinctio.

ad ſignificandam exiſtētiam rei complexæ, hoc eſt, veritatem alicuius propoſitionis, vt cum dicimus, chimera eſt actu non ens: ex quo tamen inferre non licet; chimera eſt actu, vel chimera eſt, vt in libris de interpretatione Ariſ. docet.

### *Quinque concluſionibus Iacobus Zabarella, veram de re propoſita ſententiam ſe explicare, Scoticæq́; ſententiæ rationes diluere profitetur.* *Caput XIV.*

Prima cōcluſio Zabarellæ.

Secunda concluſio.

Tertia cōcluſio.

Quarta concluſio.

Quinta concluſio.

HIs præmiſſis diſtinctionibus, veluti fundamentis quibuſdam, in 4. cap. quinque concluſiones ſtatuit, quibus propoſitæ quæſtionis veritatem ſe colligere profitetur. Prima concluſio huiuſmodi eſt: ſi entitas pro eſsentia ſumatur, vtique materia prima entitatē habet, ab entitate formæ diſtinctam: nulli enim dubium eſt, quin eſsentia materiæ ab eſsentia formæ longè diuerſa ſit. Secunda, ſi entitas pro exiſtētia ſumatur, materia propriam exiſtētiam non habet, immo nec forma quidem: proprium enim ſolius compoſiti eſt exiſtere, materia verò, & forma vnà cum compoſito exiſtunt. Tertia, ſi actus pro forma accipiatur, materia per ſe ſumpta nullum habet actum, quoniam in ſui eſsentia nullam formam includit. Quarta, ſi actus accipiatur pro exiſtentia, materia exiſtit quidem, non tamen per ſe, ſed per formam: ratio ea eſt, quia cum exiſtentia ſit effectus formæ; nihil exiſtere poteſt, niſi cum eo forma iuncta eſse dicatur. Quinta, quæ, ſecundum Zabarellam, totius eſt quæſtionis explicatio; Materia in ſui eſsentia nullum penitus actum includit; ſed per ſe ſumpta, nihil eſt aliud, quàm pura, ſimplexq; potentia. Hanc concluſionem ex iam ſuperius declaratis, ſatis conſpicuam eſse putat, eamque rurſus Ariſ. authoritatibus confirmat, qui materiam pluribus locis potentiam, atque indeterminatum ens, ſubiectum formarum, & compoſitorum principium appellauit. Neque verum eſt, apud ipſum, ens omne, quatenus ens, actu eſse; vulgatiſſima enim eſt illa entis diſtinctio, in ens actu, & ens poteſtate. His iactis fundamentis, cap. 5. oſtēdere nititur, rationes, Scoti ſniam confirmātes, nihil omnino efficacitatis habere.

Reſpōſio Zabarel. ad primam rōnem p̄ opinione Scoti.

Ad primā, cum dicebamus, materiam in rerum natura conſiſtere, & per ſe entitatem quandam eſse, cōcedit, materiam entitatem habere, prout entitas ſignificat eſsentiam, non exiſtentiam: etſi conſiſtere in rerum natura, idem ſit, quod exiſtere: negat, id materiam ex ſe habere; ſed aſseruit habere à forma.

Reſpōſio ad ſecundam rationem.

Ad ſecundam, quæ erat, ſi materia ens actu non eſset, inde ſequi, vt nullum ſubſtantiale compoſitum reperiatur: negat hanc conſecutionem; immò retorquendo argumentum, oppoſitum concludit: ſi enim materia ens actu eſset, nullum ex ipſa; & forma per ſe compoſitum fieri poſset, cum ex duobus entibus in actu per ſe vnum fieri nequeat.

Reſpōſio ad tertiam rōnem.

Ad tertiam, materiam, ſ. oppoſitorum terminorum, & diuerſarum tranſmutationum actu ſubiectum eſſe, concedit hoc antecedēs: negat tñ illatam conſecutionem, nimirum materiam eſſe actu ens: dum enim dicimus, materiam eſſe actu ſubiectum, principium, vel huiuſmodi; nihil aliud ſignificare intendimus, ait ipſe, quàm veritatē harum propoſitionum, materia eſt ſubiectum, materia eſt principium, vel huiuſmodi, hoc eſt, ſubiectum, & principium eſſe prædicata quædam, quæ materia in ſe ſe recipit, ſecundum ſuam eſſentiam conſiderata, non tamen ſecundum exiſtētiam, prout à forma diſtincta eſt.

Reſpōſio ad quartam rationem.

Ad quartam, nimirum, materiam ingenerabilem, & indiſſolubilem eſſe, ſunt qui Zabarellæ principijs, & fundamentis innixi, hæc ēt prædicata de prima materia, ſecundum ſuam eſſentiam accepta enunciari putent; vel ſi etiā de eadem ſecundum exiſtentiam enuncientur, hoc ideo eſſe, quia ſemper formam annexam habet, ratione cuius exiſtere dicitur.

### *Prima Zabarellæ diſtinctio expenditur, atque in multis reprobatur.* *Cap. XV.*

Habes ī hoc cap. & duob. ſequentibus nōnullas metaphyſ. ſpeculatiōes ſcitu dignas, & neceſſarias ī præſenti diſputatione.

MVlta ſuperioribus congreſſibus, cùm ad naturalem Philoſophiam, tum ad Sacram Theologiam pertinētia attigimus, nunc quoniam Zabarella occaſionem præbuit, nonnulla ad Metaphyſicam attinentia, declarabimus: nec ſanè id temerè; his enim ignoratis, veritas, & propoſitæ difficultatis enodatio, percipi nulla ratione poterit. Diſtinctiones, & concluſiones, à Zabarella propoſitæ, ſunt, vti diximus, veluti fundamenta quædam Scoticæ opinionis euertendæ; ideo, ſi fundamenta hæc, exilia eſſe oſtendemus; nemo certè erit, qui apertè non cognoſcat, rationes, pro Scoto ſuperius adductas, nihil omnino labefactatas, aut conuulſas eſſe, ſed contra adhuc in ſua vi, & robore permanere. Dicebat Zabarella in prima diſtinctione, entitatem quandoq; pro eſſentia interdum pro exiſtentia ſumi: cum pro eſ-

ſentia

entia ſumitur, eſt quoddam veluti commune genus, &c. Hoc tanquàm verum admittimus. Cùm autem ſumitur pro exiſtentia, eſt quoddam intentionale accidens, eſſentiæ additum. Hoc verò nolim abſque explicatione dimitti. Attendendum igitur, ſi exiſtentia rei, ſecundũ illam conſtructionem ſumatur, quam Scholæ intranſitiuam appellant; illam nihil aliud eſſe, quam ipſammet rem exiſtentem, quæ, abſolutè loquendo, neque ſubſtantia, neq; accidens eſt: nam exiſtentia ſubſtantiæ eſt ſubſtantia, & exiſtentia accidentis eſt accidens.

Exiſtẽtia rei ſit ne ſubſtãtia, an accidens.

At verò ſi exiſtentia pro reſpectu quodam accipiatur, qui eſt inter rem exiſtentem, quæcunque illa ſit, ſiue ſubſtantia, ſiue accidens; & inter eiuſdem rei eſſentiam; qui quidem reſpectus nuper initium duxit ex hoc, quia res illa exiſtens nunc primùm eſſe extra cauſam, & intellectum, hoc eſt, in rerum natura conſiſtendi vim adepta eſt: hoc modo exiſtentia dicitur accidens, eſſentię adueniens. Nunc enim ex. gra. datur eſſentia roſæ, abſque exiſtentia: quià verò accidit, vt roſa in vniuerſo exiſtentiam adipiſcatur: propterea hæc exiſtentia, eius eſſentiæ quodammodo accidere dicitur.

Exiſtẽtia, put aduenit eſsẽtię, dicitur accidens quodã metaph.

Appellauit Zab. exiſtentiam, accidens intentionale, fortaſſe quia non eſt accidens, quod alicui reali ſubiecto inhæreat: eſſentia enim, vt eſt pura quidditas, non eſt ſubiectum reale. Verùm quia non eſt accidens, ab intellectu fictum, mallem ego exiſtentiam, accidens quoddam metaphyſicum appellare: ſed iſtuc quidem nihil negocij eſt, grauiora moliamur. Addidit Zabarella, vnamquamque rem, per ſemetipſam, ſuam eſſentiam habere: nõ habere autem exiſtentiam, niſi alicuius alterius auxilio. Puto ego, vtranque aſſertionem falſam eſſe: & quod ad primam attinet, ſciendum eſt, non cuiuſlibet rei eſſentiam dari, ſed rei tãtummodo, cui in rerum natura conſiſtere, nihil repugnat, ſiue aliquando exiſtat, ſiue nũquã, hoc nihil refert, quia non repugnantia non dicit potentiam phyſicam, ſed logicam: quo fit, vt chimera nullam eſſentiam habere dicatur, quemadmodum explicatum eſt ſupra.

Non cuiuſlibet rei datur eſſentia; ſed eius tantum, cui non repugnat, eſſe in rerum natura.

Quod cùm ita ſe habeat, planum eſt, id, quod propriè eſſentiam habere dicitur, illam non ex ſe habere, ſed ab alio quodammodo mutuari: talis enim ordo requiritur; primò, vt illius idea in intellectu aliquo recipiatur; & ratione illius dicitur habere eſſe cognitum ſimpliciter. Secundò intellectus conſiderat, an detur repugnantia, quo minus res concepta, aliquando in rerum natura conſiſtat nec ne. Tertiò vbi inuenit, nullam dari repugnãtiam, eidem rei tribuit eſſe poſſibile, potentia obiectiua: quod quidem eſſe poſſibile ſtatim conſequitur eſſe eſſentiæ. Nõ igitur à ſe, ſed ab alio vnaquæque res ſuam eſſentiã accipit, hoc eſt ab intellectu; illius rei non repugnantiam in rerum natura, concipiente, atque eidem eſſe poſſibile tribuente.

Quo ordine res procreandæ, nõ à ſeipſis, ſed ab alio, eſſentiam conſequant.

Quod verò ad alteram aſſertionem attinet, è qua tota diſputatio pendet, ſi intelligat Zab. nullam rẽ poſſe obtinere exiſtentiam, niſi ab alio, tanquam à cauſa efficiente; verum dicit: at ſi ab alio, intimè eidem rei coniuncto, vt intelligere videtur; falſum pronunciat.

Omnis res p propriam entitatẽ, & nõ per aliquid ſibi annexum, exiſtentiã acquirit.

Quod ſic oſtendo; exiſtentia, per iam ſuperiùs vel ab ipſomet explicata, non eſt aliud, quàm illud eſſe; quod res extra proprias cauſas acquirunt, quippe quod eſſe accidit eſsentiæ. Hoc iacto fundamento, argumentor ſic; Angeli, iuxta Catholicam Theologiam, in temporis initio, exiſtentiam obtinuerunt: ſed in Angelis nihil, præter eorum ſubſtantiam ſimplicem, reperitur; igitur, præter Deum, qui cauſa eſt illorum efficiens, nihil reperitur, propriæ ſubſtantiæ annexum, à quo exiſtentiam accipere dicantur: atque ita res potius per propriam entitatem, quàm per aliqđ aliud, ſibi annexum, exiſtentiam accipiunt.

Ratio Theologica.

Sed omiſsa nunc ratione Theologica; aliud afferam argumẽtum, quo demonſtraturum me puto, nullam omninò eſse rem, quæ, ratione alicuius, ſibi annexi, propriam exiſtentiam accipiat.

Aliud argũ validiſſimũ.

Cogitatione fingamus illud annexum, ratione cuius res aliqua exiſtentiam habere dicatur; quæro, habeat ne illud propriam exiſtentiã nec ne? Si non habeat; ergo multò minus poteſt eſse cauſa, cur aliquid per ipſum exiſtat: nemo. n. dat, quod non hẽt; ſi verò habeat; ergo, ex iam facta poſitione, illam habebit, ratione alicuius alterius, ſibi intimè annexi. Quæram rurſus de illo annexo, ſicut priùs, & ſic vel dabitur proceſsus in infinitum in annexis, vel tandẽ ſtandum erit in eo, quod per ſemetipsũ, hoc eſt, per ſuam entitatẽ, propriam exiſtẽtiam hr̃e dicatur, & cùm exiſtẽtia nil aliud ſit, quã illud eſse, quod hẽt vnaquæq; res extra cauſam, & intellectum; ſequitur, vt vnumquodque productum per ſe, & abſque alterius auxilio, propriam exiſtẽtiam hẽat: vel ſi improductum illud ſit, propriam exiſtẽtiam, ſecundum ſuammet entitatẽ, & non per aliud, ſibi annexum, ſẽper habuerit. Vt hinc intelligamus, materiam primam, quæ ſecundum Theologiæ Catholicæ veritatẽ, à Deo ex nihilo, in tẽporis initio edita eſt, ſua propria entitate, & nõ per aliud

Materia prima ſua propria entitate, & nõ per aliquid, ſibi annexum, exiſtit.

ſibi coniunctum, exiſtentiam tum primum aſſecutam eſſe. Vel ſi etiam eandem, diſputationis cauſa, æternam cum Ariſt. ſtatuere velimus, dicere oportet, eam nunquam exiſtentiã obtinuiſſe, ſed ſua æterna entitate, exiſtentiam per ſe, &, vt aiunt, formaliter, non item per aliquid aliud, ſemper habuiſſe: quod enim à forma id habere non poſſit, fuſius infra probaturus ſum.

### *Alia dua Zabarella diſtinctiones erroribus notantur.* *Cap. XVI.*

Exiſtẽtia ſimpliciter accepta nõ eſt effectus formę ſpecificæ, ſed modus interior cuiuſlibet entitatis.

SEcunda Zabarellæ diſtinctio duo continebat. Alterum erat, actum quandoque ſignificare formam, quæ eſt cuiuſcunque naturæ perfectio: & hoc tanquam veriſſimum approbamus. Alterum erat, actum quandoque ſignificare exiſtentiam, quæ eſt effectus ipſius formæ, non omnis quidem, ſed ſpecificæ tantum. Aſſertio hæc, ſi rectè ad officinæ noſtræ trutinam expendatur, non conſiſtet: etenim exiſtentia, quatenus exiſtẽtia eſt, & eo modo accepta, quo paulò ante de ipſa locuti ſumus, non eſt effectus ſpecificæ formæ, ſed propriè interior quidã modus eſt cuiuſlibet entitatis, ſiue ſubſtantia, ſiue accidens illa ſit (nam ſecundum Scholã noſtram, vel accidentia ipſa propriam exiſtentiam habẽt, vt opportuniore loco declarabimus) ſiue etiam illa entitas ſit materia, ſeu forma, ſeu compoſitum. Oportet autem, hac in re, nos valde cautos, & in ſpeculis eſſe, ne Zab. nos ſenſim, ob aliqua conceſſa, in ſuam ſententiã, vel inuitos, perducat. Non erit certè ei facilè probare, exiſtentiam effectum eſſe ſpecificę formę: quod ſi fortè contentionis actu probare contendat; vt multa dixerit, nihil aliud tandem oſtẽderit, niſi exiſtentiam alicuius rei, perfectam, & determinatam, eſſe effectum formæ ſpecificæ, quod nos illi gratis concederemus: exiſtentiam verò ſimpliciter, minimè. In tertia diſtinctione duo pariter dixit. Alterum eſt, actum quandoque ſumi ad ſignificandam exiſtentiam alicuius rei ſimpliciter, vt cùm dicimus, equum actu eſſe, hominẽ actu eſſe, & ſic de alijs. Hoc verum eſſe fatemur. Alterum eſt, actum quandoque ſumi, ad ſignificandam exiſtentiam alicuius rei complexæ, hoc eſt veritatem alicuius propoſitionis, vt chimera eſt actu nõ ens: quare non licet hinc inferre, ergo chimera eſt actu, vel chimera eſt. Hoc verò mihi non omnino probatur: & verſutè admodum à Zabarella propoſitum eſt, quò faciliùs, quod animo intenderat, de prima materia concluderet, vt paulò infra apparebit. Verùm nec nos quidem cæci ſumus, aut ij, qui nummos adulterinos pro bonis accipiamus. Hæc propoſitio, chimera eſt actu non ens, æquipollet huic, chimera non eſt actu ens; propterea concludere licet, ergo chimera non eſt actu, ergo chimera non eſt. Ex prima autem propoſitione haud rectè concludere poſſemus, chimeram eſſe actu, aut chimeram eſſe; quia nomine non entis, quod loco prædicati ſtatutum eſt, ipſum ſimpliciter nihil intelligimus. At verò dabo ego alias propoſitiones, quibus, eadem ſeruata argumentandi forma, à negatione propoſitionis complexæ, rectè ſimplicis propoſitionis affirmationem concludere poſſumus, hoc modò; ſuperficies eſt actu non alba, vel ſuperficies non eſt actu alba; ergo ſuperficies eſt actu, vel ſuperficies eſt. Hæc conſecutio neganda non erit; cùm fieri poſſit, vt ſuperficies ſit actu ſuperficies, & tamen non ſit actu, ſed poteſtate alba. Similiter ſi quis dicat, ſanguis eſt actu non caro, poterit ne rectè concludere, ergo ſanguis non eſt actu, vel ſanguis non eſt? minimè verò: fieri enim poteſt, vt ſanguis ſit actu ſanguis, non tamen ſit actu, ſed poteſtate caro, atque idem in multis alijs dici poteſt. Quare ſi conſecutio; quemadmodum Zab. intendit, aliquem locum habere debeat, opus eſt, vt in prædicato propoſitionis negatio omnis entitatis includatur; ſicut in illa propoſitione, chimera eſt actu non ens: tunc enim licet arguere; ergo chimera non eſt actu, vel chimera non eſt. Cùm verò in prædicato propoſitionis, negatio tantummodo determinatæ entitatis includitur, ea conſecutio nullum habet locũ: quocirca haud firmum eſt huiuſmodi argumentum, lapis eſt non animal; ergo lapis non eſt.

Exiſtentia perfecta, & determinata eſt effectus ſpecificę formę. Pondera hoc dictum.

Licet interdum à negatione propoſitionis complexæ, affirmationẽ ſimplicis propoſitionis concludere.

### *Quinque concluſiones, à Zabarella propoſita examinantur, & earum nonnulla reijciuntur.* *Caput XVII.*

Materia hẽt propriã eſſẽtiam, ab eſſẽtia formæ diſtinctam.

EXaminatis iam tribus Zabarellæ diſtinctionibus, videamus nũc, quid veritatis obtineãt quinque concluſiones, ad Scoti ſententiam euertẽdam, ab eodem propoſitæ. Prima quidem concluſio veriſſima eſt, dum ait, materiam propriam eſſentiam habere ab eſſentia formæ diſtinctam: habet enim materia, per ſe, quidditatem propriam, atque ideam, quæ nõ eſt

quid-

quidditas, neque idea formæ. Secunda concluſio falſiſſima eſt, dum ait, neque materiam propriè exiſtere, neque formam, ſed ſolum compoſitum. Error huius concluſionis oritur ex æquiuocatione terminorum: etenim compoſitum non propriè exiſtere, ſed ſubſiſtere dicitur; quia ſcilicet quatenus tale eſt, nullius alterius fundamento fulcitur; non enim eſt ſicut accidens, propterea quamuis accidens quod à ſubſtantia ſuſtinetur, & propriam exiſtentiam habeat, per ſe tamen non ſubſiſtit. At verò materia, & forma non ſubſiſtunt quidem; quoniam tribuunt eſſe compoſito, atque in eo manent vnitæ; exiſtunt tamen, quia habent eſſe extra cauſam, & intellectum; atque in rerum natura conſiſtunt.

Tã materia, quam forma exiſtere propriè dicũtur, compoſitum nõ exiſtit ſolum, verũetiã ſubſiſtit.

Pro huius rei faciliore explicatione, notandum eſt, in Philoſophorum Scholis, tria potiſſimùm reperiri, quæ qui diſtinguere neſciunt, philoſophari neſciunt. Ea ſunt, eſſentia, exiſtẽtia, & ſubſtãtia. Ariſto. interdum vnum pro altero accepit; Sed ſubtilis ingenij eſt perſcrutari, quando Ariſ. propriè, quando verò largè, & communiter locutus eſt. Eſſentia igitur eſt eſſe quoddam vniuerſale, prædicamentale, & ideale, ratione cuius res & immortales, & ſcibiles eſſe dicuntur, vt declaratũ eſt ante. Exiſtentia eſt illud eſſe reale, quod habent res, cum extra cauſam, & intellectum reperiuntur, atq; in rerum natura cõſiſtunt. Subſiſtẽtia eſt quædam exiſtẽtia perfecta, & incommunicabilis, qualis eſt exiſtẽtia compoſiti. Porrò tria hæc inuicẽ, vt magis commune, & minus commune ſe habẽt: omnis enim ſubſiſtẽtia eſt exiſtẽtia, contra verò nequaquam; ſimiliter omnis exiſtẽtia eſt eſſentia, non tamen viciſſim.

Trium terminorum ad rectè philoſophandum neceſſaria.

Quid ſit eſſẽtia.

Quid exiſtentia.

Quid ſubſiſtentia.

Cùm igitur compoſito propriè ſubſiſtẽtia conueniat; putauit Zabarella, illi ſoli exiſtẽtiam propriè tribuendam eſſe (accepit enim exiſtẽtiam pro ſubſiſtẽtia) materiam verò, & formam, quia non, ſicut compoſitum, ſubſiſtunt, ideo nullo pacto exiſtere, ſed tantum coexiſtere, exiſtimauit. Verùm materiam, & formam propriè exiſtere, haud difficulter probare poſſumus: quærerem enim à Zabarella, compoſitum, qđ de ipſius ſnĩa, propriè exiſtit, habeat ne ſuam exiſtentiam à ſe, an ab alio? Profectò, cum cõpoſitum à partibus pendeat, hoc eſt à materia, & à forma; opus eſt, vt concedat, illius exiſtẽtiam eſſe veluti effectum materiæ, & formæ. Tunc argumentor ſic; Omnis cauſa eſt prior, ſaltem natura, ſuo effectu: materia, & forma ſunt cauſa compoſiti; ergo materia, & forma ſunt priores, ſaltem natura, ipſo compoſito: quæro nunc, in illo priori ſigno naturæ, habeãtne eſſe in vniuerſo materia, & forma, an non? Si non habent; ergo cauſa compoſiti eſſe non poſſunt, quod ex duabus rebus exiſtẽtibus, & ſimul iunctis oriatur, oportet. Si habent, propriè igitur exiſtunt; immo prius natura exiſtunt, quã coexiſtant, vt ſupra probatũ eſt. Non igitur ſolum compoſitum, verum etiam materia, & forma propriam exiſtẽtiam habent, atque adeo ſecunda Zabarellæ concluſio falſiſſima eſt.

Argũ validiſſimũ ad probandum, materiam, & formã propriè exiſtere.

Tertia concluſio admitti poteſt, in qua dicit, ſi actus ſumatur pro forma, materiam per ſe nullum actum includere, cum per ſe nullam formam includat. Quarta concluſio ex ſuperioribus facilè reijcitur, vbi oſtenſum eſt, exiſtẽtiam, ſimpliciter acceptam, non eſſe effectum ipſius formæ, ſed modum interiorem cuiuſlibet entitatis.

Si actus ſumatur pro forma, materia in ſui ſubſtãtia nullum includit actũ.

Quintam concluſionem facilè concedimus, nimirum materiam primam, per ſe nullum actum includere, ſed eſſe puram potẽtiam, & veluti rerum omnium inchoationem quandam; dummodo & Zabarella nobis concedat, materiam in vniuerſo conſiſtere: tunc enim dicimus, hoc ipſum, quod eſt materia, non eſſe aliquod determinatum ens, non eſſe lapidem, plantam, animal, & ſummatim nullum eſſe corpus ſimplex, neq; compoſitum, ſed eſſe poteſtate res omnes, quatenus. ſ. ſecundum ſuam naturam aptum eſt rerum omnium formas in ſe ſe recipere; & propterea ens, quod exiſtit, rectè Ariſt. in ens actu, & in ens poteſtate diſtinxit.

Materia, quã in vniuerſo conſiſtit, eſt pura potẽtia ad formas quia eſt poteſtate res omnes.

*Reſponſiones Zabarellæ ad argumenta Scoti rationibus firmiſſimis, rem quæſitam concludentibus, refutantur, Cap. XVIII.*

FRactis jam, ac penè euulſis Zabarellæ fundamẽtis, facilè nunc vnicuique conſtare poteſt, reſponſiones omnes, quibus ipſe Doctoris ſubtilis argumenta ſoluere conatus eſt, penitus ruere. Quod affert ad primum, in quo tota vis huius difficultatis poſita eſt, nihil planè momenti habet: oſtendam enim apertiſſimè, materiam primam entitatem propriam, à forma diſtinctam, habere, non ſolum prout entitas eſſentiam, verum etiam prout exiſtentiam ſignificabat; eodemque vtar argumento de materia ad formam, quo in præcedẽte capite vſus ſum de materia, & forma ad compoſitum ipſum. Etenim materia ſæpius ab Ariſ.

Prima reſpõſio Zabarellæ refellitur.

ſub-

Pōdera hoc argumẽtum.

ſubiectum formæ, & eiuſdem fundamẽtum appellatur; igitur prius, ſaltem natura, materia eſt ſubiectum, quàm formam recipiat, eodem Ariſt. autore, lib. 1. de Phyſico auditu tex. 52. quæro nunc, in illo priori ſigno naturæ, habeat ne materia prima eſſe in vniuerſo nec ne? Si non habet; ergo non poteſt eſſe ſubiectum, & fundamentum formæ: ſi habet: propriè igitur per ſe, & non per formam, exiſtit.

Alia ratio.

Quare dicendum potius eſt, exiſtẽtiam formæ ab exiſtentia materiæ pendere; cùm forma de materiæ poteſtate educatur, & illam neceſſario ponat; quàm exiſtẽtiam materiæ, quæ æterna eſt, ab exiſtẽtia formæ pendere, quæ interit, & deſinit ſimpliciter eſſe.

Reſponſio.

Nec eſt, quod aliquis dicat, formã aliquã cũ materia ſemper coniunctã fuiſſe, & propterea ſemper materiam à forma exiſtẽtiam accepiſſe.

Confutatio.

Contra enim per regulam Ariſtotelicam ſic argumentor; ſicut affirmatio eſt cauſa affirmationis; ita negatio eſt cauſa negationis: ſed poſita, per ſe, hac forma in materia, in eadem ponitur exiſtẽtia; ergo remota hac forma a materia, ab eadem remouebitur exiſtẽtia, atq; ita materia vnà cum forma peribit.

Alia reſponſio.

Reſpondebit fortaſſe aliquis, eodem inſtanti, quo hæc forma à materia recedit, nouam rurſus formam contrahi, atque ab illa, materiæ exiſtẽtiam conſeruari, perpetuamque fieri.

Confutatio prima.

Sed contra, quod eſt æternum, nulla re indiget, ſe poſteriori, ad ſui ipſius conſeruationem: materia eſt æterna, (fuit enim ſemper in vniuerſo, vt Ariſt. fert opinio) ergo ad ſui ipſius conſeruationem non indiget forma, quæ eſt ipſa poſterior.

Cõfutatio ſecunda.

Ad hæc, ſi formam omnem, materiæ aduenientem, eidem exiſtẽtiam impertiri concedamus; materiam quoque vna cum forma oriri, & ad eius pariter interitum interire, neceſſariò concedemus, quo quid abſurdius dici, cogitarivè poteſt?

Confutatio tertia.

Rurſus ſi vetere forma pereũte, ipſa quoque materia intercidit, quã nam, obſecro, affectionem in materia, noua forma inueniet, vt ex illius poteſtate deduci, & cum eadem copulari poſſit? Nullam profectò, in materiam igitur acerbam, vt ita dicam, & immaturam intromittetur, vel potius in nullam antè exiſtẽtem, ſi ſimul ortum accipiunt.

Effugium.

Neq; verò dicat aliquis, vetere forma pereunte, materiam a Cœlo affici, vt nouam in ſe ſe formam recipere poſſit; quia cum virtus cœli in aliquo recipi debeat, ea quidem in materia recipi non poſſet, ſi eius exiſtẽtia vnà cum vetere forma periret.

Alia reſponſio.

Exiſtimabit fortaſſe quiſpiam, dum ſenſim vetus forma materiam deſerit, ab ea ipſa, materiam ſenſim affici, ad nouam formam recipiendam, ſed vana eſt hæc cogitatio;

Confutatio.

ſi enim ita ſe res habeat, aut eadem numero materia, quæ fuit cum vetere forma, nouæ formæ ſubijcitur, aut diuerſa; ſi eadem numero; non igitur, in veteris formæ interitu, perijt, atq; adeo illius exiſtẽtia non pendebat à forma, Si diuerſa; perijt igitur, quod iam affectum, & accommodatum erat, nihilq; remanſit, quod ad nouam formam recipiẽdam affectionem accipere poſſit.

Occupatio.

Neque verò ad illud inſtans confugiendum eſt, quo materia veterem formam exuit, & nouam induit: tum quia affectio materiæ alteratio quædam eſt, quæ tempus exigit, nec momento fieri poteſt: tùm etiam quia quocunque inſtanti dabis mihi, veterem formam perire; eodem fatendum tibi erit, materiam occumbere, ſi eius exiſtẽtiam à forma pẽdere contendas. Sed iam ſatis puto, hanc primam Zabarellæ reſponſionem refutatã eſſe.

Reſpõſio Zabarellæ ad ſecũdum argumentum Scoti reijcitur.

Quod verò ad ſecundum affert argumẽtum, minus valet: niſi enim materia re ipſa in rerum natura exiſteret, nunquam vnà cum forma compoſitum conſtituere poſſet. Et cum ait Zabarella, retorquendo argumẽtum ex duobus entibus in actu, aliquod per ſe vnum fieri non poſſe; valet hæc propoſitio de duobus entibus in actu perfecto, completo, & ſpecifico, cuiuſmodi non eſt materia.

Reſponſio eiuſdẽ ad tertiũ argumentum confutatur.

Quod etiam affert ad tertium, parum habet efficacitatis: huiuſmodi enim prædicata, eſſe principium, partem compoſiti, ſubiectum formarũ, &c. enunciantur de materia, ſecundum exiſtẽtiam: non enim actu pars compoſiti, nec formarum ſubiectum, atq; generationis principium eſſe poſſet, niſi actu exiſteret: eã enim per ſe, & nõ per formam exiſtere, ſatis iam probatum eſt.

Nota diligenter, ne decipiaris.

Sed neque idẽ eſt dicere, materia eſt non ens, ac chimera eſt non ens; quia cum chimeram eſſe non ens, aſſerimus; per non ens intelligimus nihil: cum verò dicimus, materiam eſſe non ens, per non ens non intelligimus ſimpliciter nihil, ſed negationẽ entis ſpecifici, & determinati, cum qua tamen negatione manet exiſtẽtia entis indeterminati; cuiuſmodi eſt materia.

Reſpõſio ad quartũ argumentum refutatur.

Reſponſio ad quartum nullius eſt roboris: nam ſi materia tantummodo ſecundum eſſentiam ingenerabilis, & indiſſolubilis eſſet, tunc ratione huius proprietatis minimè differret à forma, quæ pariter ſecundum eſſentiam ingenerabilis, & indiſſolubilis eſt: dicitur autem oriri, & interire ſecundum exiſtentiam. Hæc ſatis ſint de hac cum Zabarella concertatione.

*Rationes, & autoritates, pro S. Thomæ ſententia, ſuperius adductæ, diluuntur.* Cap. XIX.

HAbita, abſolutaq; cum Zabarella diſputatione, qua totam hanc quæſtionem diligenter diſcuſſimus; reliquum modo eſt, vt rationes, & autoritates, pro S. Thomæ ſnĩa, ſuperius adductas, diluamus. Ad primam, multis modis reſponderi poteſt.

Prima rñſio ad primã rationẽ S. Thomæ.

Primò, illam per fallaciam figuræ dictionis peccare, cùm quid mutetur in quale; concedimus enim, ſi vnum oppoſitorum, hoc eſt, actus, in rerum natura reperiatur, alterum pariter, hoc eſt, potẽtiam, reperiri debere. Cùm verò aiunt, reperitur purus actus: ergo pura potẽtia: hic mutant quid in quale, & committunt fallaciam figuræ dictionis quemadmodum ſi quis argueret, bonum, & malum ſunt oppoſita: ſed in rerum natura reperitur infinitum bonum, puta Deus; ergo debet etiam reperiri infinitum malum: hic eſt fallacia figuræ dictionis, quia mutatur quale in quantum.

Secunda reſponſio.

Secundò etiam reſpondere poſſumus, negando, ita in vniuerſo purum actum reperiri, vt omnem penitus potẽtiam excludat: Deus enim, qui purus actus eſt, actiuam potentiam non excludit: ſic igitur in vniuerſo aliqua pura potẽtia reperiri debet, quæ non oẽm penitus actum excludat, & talis eſt prima materia, quæ nõ excludit actum entitatiuum. Sed huiuſmodi reſponſiones ſunto cumulatioris doctrinæ gratia.

Tertia rñſio, quę nubilum diſcutit.

Nunc veram reſponſionem, & difficultatis caput attingamus, vt vel ipſimet Thomiſtæ, primum hoc argumentum, quod tanti faciunt, nihil omnino concludere, immò ſententiam noſtram quàm maximè confirmare, fateantur. Concedamus igitur totum argumentum: quid inde ſequetur? hoc, opinor, quemadmodum in vniuerſo purus reperitur actus, qui eſt Deus; ita etiam puram potentiam reperiri debere, quæ ſit materia prima. Ecce id fatentur Thomiſtæ, quod concedere nolunt: nã ſi materiam primam in vniuerſo reperiri, illamque puram potentiam eſſe concludunt; iam eã ipſam, quæ pura potentia nuncupatur, eſſe extra cauſam, & intellectum, atque adeo exiſtentiã habere, hoc eſt, entitatiuo actu præditã eſſe, neceſſariò concedunt. Et hoc eſt, quod volumus: nam & nos, materiam primam, quæ actu in vniuerſo reperitur, puram eſſe potentiam admittimus; quia non eſt aliquod determinatum ens, ſed ad omnes formas ſenſim recipiendas opportunitatem, habilitatemque habet.

Reſpõſio ad ſecundam rationem.

Ad ſecundam rationem facilis eſt reſponſio, quicquid enim enti in actu completo, ſpecifico, & determinato aduenit, ſicuti eſt compoſitum; accidẽs illud eſſe concedimus; materia verò, tametſi eſt actu ens, non eſt tamen in actu completo, ſpecifico, & determinato, & propterea non ſequitur, vt forma illi adueniens, accidẽs eſſe dicatur.

Reſpõſio ad tertiam rationem.

Ad tertiam concedimus, materiam, iam in vniuerſo exiſtentem, puram potentiam eſſe; quia .ſ. per ſe, caret quacunque forma: hæc tamẽ pura potentia ſubſtantia aliqua entitatiuum actum habẽre, hoc eſt, actu exiſtente, tanquam fundamento nititur. Et cùm arguunt, ergo materia eſſet aliquid, ex actu, & potentia concretum, atque ita eſſet compoſitum naturale. Concedo materiam eſſe aliquid, ex actu entitatiuo, & potentia ſubiectiua concretum: nego tamẽ inde ſequi, vt materia ſit compoſitum naturale: ſequitur nihilominus, vt materia ſit compoſitum metaphyſicum, quod ego nequaquam abſurdum eſſe, arbitror.

Reſpõſio ad quartã rationem.

Ad quartam, nego, materiam per ſe cognoſcibilem non eſſe; immò fateor, quia eſt ens, ideo per ſe cognoſcibilem eſſe, & intellectum mouere poſſe. Cùm verò dicunt, materiam non eſſe cognoſcibilem, niſi per analogiam ad formam, concedo ab intellectu coniuncto, ſicut eſt intellectus noſter; qui cùm omnem cognitionẽ à ſenſibus hauriat; materiam primam ope ſenſuum, pertingere nequit: intellectus autem abiunctus proximè abſque vlla analogia, materiam primam intelligere poteſt.

Reſpõſio ad quintã rationem.

Ad quintam, concedenda eſt maior, de eo, quod eſt in actu ſpecifico, & determinato; quicquid enim eſt huiuſmodi, aliquid operari poteſt: materia verò non eſt ens in actu ſpecifico, & determinato, vt iam dictum eſt.

Reſpõſio ad vltimã rationem.

Ad vltimam, neganda eſt conſequentia. Et cùm argumentando inferunt, ſi, materiam aliquo actu præditam eſſe, admittamus; tunc aliquid infra materiam, quod ſit prope nihil, nimirum ipſam puram potentiam, cogitatione fingere nos poſſe. Ad ea reſpondeo, per puram potentiam nos poſſe intelligere duo, vel id, quod eſſe in vniuerſo nullo modo habet; & hoc modo pura potentia non ſolùm eſt prope nihil, verùm etiam eſt ipſummet nihil. Vel aliquid, quod iam in vniuerſo conſiſtit, quod tamen non eſt determinatum quippiam, ſed poteſtatem habet, vt ex eo omnia fiant; & hoc verè dicitur prope nihil: huiuſmodi autem eſt prima materia, infra quam nulla res inueniri poteſt, niſi ipſum nihil; cum inter omnia entia, quę in vniuerſo conſiſtunt, ip-

ma-

Reſpōſio ad omnes Ariſ. autoritates.

ſa minimum ens ſit,& appelletur. Ad omnes Ariſt.autoritates breuiter reſpondendum eſt, materiam non eſſe quid,nec quale,nec quantum ſpecificum,& determinatum;eſse tamen aliquid inchoatum,non abſolutum,& indeterminatum. Rurſus materiam eſse ens in potētia, hoc eſt, illud ens,quod iam in vniuerſo conſiſtit,quodque rerum omnium materies appellatur,eſse in potentia,ad omnes formas recipiendas. Hoc modo omnes Ariſt.autoritates, huc ſpectantes,intelligendæ ſunt.

### *Materia an poſsit exiſtere ſine forma.* Cap. XX.

SAtis,opinor,demonſtratum eſt hactenus,materiam primam, tametſi ſemper cum forma coniuncta eſt,nihilominus per ſe conſideratam,propriam exiſtentiam, ab exiſtentia formæ diſtinctam,habere, vt verè nobis affirmare liceat,neque exiſtentiam materiæ eſse exiſtētiam formæ,neque contra exiſtentiam formæ exiſtentiam eſse materiæ. Nunc autem,ad pleniorē diſputatæ iam quæſtionis intelligentiam,diſserendum videtur, tanta ne virtute materia prima prædita ſit, vt exiſtentia propria,abſque vlla forma,in vniuerſo conſiſtere queat. Pendet hæc difficultas è ſuperioris diſputationis euidētia;ideo eam breuiter, nulla opinionum animaduerſione,nulla argumētorum multiplicitate diſcutiemus. Qui igitur materiam primam propriam exiſtētiam non hr̄e,ſed illam eſse puram,ſimplicemq; potētiam,atque in vniuerſo,formæ tantum gratia,conſiſtere tuētur;eam pariter ſine forma exiſtere, contradictionē penitus implicare defendunt:nam cùm,ſecundum eos exiſtētia effectus formæ dicat̄, & contradictionē implicet,effectum formalē à ſua cauſa ſeiungi; implicabit quoq; contradictionē,exiſtētiam in materia ponere,atq; illam à forma ſeparatam eſse. Qui verò cēſent,materiam,propriam exiſtētiam hr̄e,neq; aliud ei formam,quàm eſse perfectum,ſpecificum, & determinatum tribuere;defendere pariter coguntur, materiam ſine forma exiſtere, nullam prorſus contradictionē inuoluere. Itaq; pro huius difficultatis declaratione ſciēdum eſt, triplicē eſse potētiam,à qua triplex,vt ita dicam,poſſibile conſtituitur, videlicet logicam,naturalē,& diuinam. Illud dicitur poſſibile,potentia logica,cui non repugnat, vt aliquando in lucem emergat:nulla tn̄ neceſſitas eſt, vt hæc potentia reuocetur ad actum;multa.n.ſunt poſſibilia,potentia logica,quæ tn̄ nunquam erunt. Illud eſt poſſibile potentia naturali, quod naturæ viribus,ſeu alicuius naturalis agētis virtute;fieri pōt,quemadmodum ſunt omnia, quę paſſim in vniuerſo generari videmus;& hæc potentia neceſsariò reuocatur ad actū,alioquin eſset fruſtra. Illud eſt poſſibile,potentia ſupernaturali,quod, vt fiat,& edatur,exigit virtutem infinitam,quæ naturæ vires in infinitū excedit, qualis eſt virtus Dei:& nec huiuſmodi quidem potentia neceſsariò ad actum reuocanda eſt. Hac præmiſsa diſtinctione,totam hāc difficultatem,tribus cōcluſionibus explico. Prima eſt,materiam exiſtere ſine forma,eſt poſſibile,potentia logica. Probatur,non enim contradictionem implicat, ens aliquod abſolutum; & prius,ſine illo exiſtere,quod eſt ipſo poſterius,& à quo re ipſa diſtīguitur: ſed materia eſt ens abſolutum,& prior forma,atque ab illa re ipſa diſtinguitur;ergo non implicat contradictionem materiam exiſtere ſine forma. Secunda, Materiam exiſtere ſine forma, non eſt poſſibile,potentia naturali. Hoc ego ſic probo:nam alioquin rerum generationes nunquam fieri poſsent: ſi.n.materia,ſuæ naturæ relicta, propria vi,abſq; omni forma conſiſtere poſset: tunc ſua natura contēta eſset,nec formam appeteret,atq; ita rerum generatio nulla fieret: ideo igitur à natura propenſio quædam ad formam materiæ primæ iniecta eſt, vt quaſi propriæ defectionis,& turpitudinis conſcia,ꝑpetuo cùm aliqua forma eſse deſideraret;& pereunte vetere,nouæ formæ copulam appeteret; vt hac commutatione,atq; formarum viciſſitudine,diuerſa rerum genera in vniuerſo procrearentur. Tertia, Materiā exiſtere ſine forma, eſt poſſibile,potentia ſupernaturali,ſeu diuina. Probatur, Deus.n.omne id efficere pōt, quod cōtradictionem non inuoluit: ſed materiam exiſtere ſine forma, nullam contradictionem inuoluit: vt iam probatum eſt;ergo id potentia ſupernaturali,ſeu diuina fieri pōt. Quemadmodū igitur Deus facere pōt, vt accidens ſit ſine ſubiecto, vt Sol ſit ſine lumine, vt ignis ſit ſine calore,& plura id genus alia,quæ,naturali potentia,fieri nequeunt: quid mirum, ſi facere etiam poſſit, vt materia ſine forma conſiſtat? Obijciunt nonnulli: quoniam ea, quę ſunt magis vnum,minus ſeparabilia dicuntur: ſed materia,& forma ſunt magis vnū,quàm ſubiectum, & propria affectio,& hæc omnino inſeparabilia ſunt: ergo multò magis materia, & forma inſepa-

Margin notes: Opi. S. Tho. — Opin. Scoti. — Potentia triplex, logica, naturalis, & diuina. — Poſſibile logicum quid. — Poſſibile naturale quid. — Poſſibile diuinum quid. — Prima cōcluſio difficultatē explicans. — Secunda concluſio. — Tertia cōcluſio. — Obiectio.

ſeparabilia dicentur. Huic argumento ſcitè admodum reſpondet Scotus, aliqua eſſe magis vnum, duobus modis cōtingere poſſe, vel vnitate, vt ipſe ait, identitatis, vel vnitate vnionis; tunc dicit, ea, quæ ſunt magis vnum, vnitate identitatis, ſicut ſunt affectio, & ſubiectum, minus quidem ſeparabilia eſſe; ſunt enim vna, & eadem res, & idem à ſemetipſo ſeiungi nō poteſt. Quæ aūt ſunt magis vnum, vnitate vnionis, cuiuſmodi ſunt materia, & forma, vtriq; per aliquam potentiam, ſeparari poſſunt: non enim materia, & forma ſunt vna, & eadem res, ſed ſunt duæ res diſtinctæ; inuicem tamen connexæ, & copulatæ, ad tertium aliquod, puta ad naturale compoſitum conſtituendum.

Solutio Scoti.

*Vbi nam eſſet materia, ſi abſque forma conſiſteret.* *Caput XXI.*

LVbet præſenti diſputationi aliud quęſitū, ſcitu nō omnino indignum, coronidis loco adiūgere: ſciſcitabitur enim aliquis curioſus, ſi Deus virtute ſua efficeret, vt materia abſq; forma conſiſteret, vbi nam informis illa materies reperiretur? In aqua, ne; aut in terra ſubſiſteret, an potius in aere, vel in igne ſuſpenſa maneret? occuparet ne locū? Cieretur ne aliquo motu, an omnino iners, & abſque motu iaceret? Manibus ne tractari, aut aliquo alio ſenſu percipi poſſet? Ridicula fortaſſe cuipiam videbitur quæſtio hæc: & nihilominus nulla res eſt, quæ magis intellectum in intimam rei quæſitæ medullam perducat, quàm quæſtio, vt vocant, de *poſſibili*. Ita Ariſt. 1. de Cœlo, eius naturam optimè ſcrutari cupiens quæſiuit, ſi aliqua cœli pars, à toto diuulſa reperiretur, quæ nam eſſet illius partis natura? aut quo nā motu moueretur? Hoc ita; quamuis cùm cęlum indiſſolubile ſit, nulla ratione fieri pōt, vt aliqua eius pars à toto diuellatur. Si igitur Ariſt. ad cęli naturam explicandam, vnum poſuit, quod abſoluìè fieri nequit; cur nos, ad primæ materiæ naturam declarandā, id nō ponamus, quod ſaltem per diuinam potentiam fieri poteſt? Reſpondēdum igitur eſt, ſi Deus faceret, vt prima materia abſque omni penitus forma conſiſteret, fore, vt ipſa neque in terra, neq; in aqua ſubſiſteret: neque rurſus in aere, vel in igne ſuſpenſa maneret: nam ſi omnes formæ, quæ varias materiæ portiones perficiunt, interciderent: oēſque materiæ portiones ſimul iungerētur: tunc non eſſet amplius terra; nec aqua; nec aer, nec ignis, atque adeo nullum corpus, neq; ſimplex, neque compoſitum: maneret tantummodo cęlum, ad quod materiam primam minimè pertinere, alia diſputatione docebimus; atq; in eius concauo; ſiue in eius capacitate, eſſet inane quoddam, & rerum omnium priuatio. In hac cœli capacitate reperiretur materia, nullū tamē locum repleret, quia non eſſet quanta, ſed eſſet alicubi præſens. Neque verò totam cęli regionem, ſua præſentia, expleret, quia non eſſet immenſa, ſed finita ſubſtātia: Eo igitur modo, quo Angelus tunc, ſi è cęlo deſcenderet, alicubi præſens eſſet; ita alicubi præſens eſſet materia prima, ſi abſque forma conſiſteret. Nullumq; haberet motum, quia nec ad mediū, nec à medio moueri poſſet; cùm neque grauis eſſet, neque leuis; atque rurſus cùm nullum in illa rerum priuatione medium reperiretur, niſi forte mathematicum punctum fingeremus. Neq; etiam cieretur in orbē; quia non eſſet naturæ cęleſtis, nec habilitatem haberet vllam, vt ab externo motore circumuolui poſſet. Iaceret igitur iners. Nō poſſet manibus contrectari: quia non eſſet corporea: neque rurſus aliquo alio ſenſu percipi; quia nullis accidētibus ſenſibilib. prædita eſſet: quare intellectu, & cogitatione potius, quàm ſenſu comprehenſibilis diceretur. Quò aūt res fiat dilucidior exemplo: nunc in medio aliquo ſpatio aerem non videmus; tamē quia interdum aut ſuis ſe qualitatibus prodit, aut dū manum in eo, vel baculū velociter mouemus, reſiſtētia quadam ſe manifeſtat: ideo medium illud ſpatium non inane, ſed aerię ſubſtantiæ plenum eſſe, conijcimus. Ad rē igitur noſtram; cùm, ſenſuum adminiculo, nulla materiæ primæ accidentia percipere poſſemus, quippe quæ omnibus deſtituta eſſet: cogitatione ſolùm fingere, & intellectu percurrere ſubſtantiam aliquam finitam oporteret, rudem tamē, imperfectam, & indeterminatam, quæ alicubi pręſens eſſet. Ita igitur ſe haberet ſubſtātia materiæ primæ, ſi omni prorſus forma careret. Quod aūt de tota materia dicitur, idem de qualibet eius portione dicendum eſſet, ſi contingeret, vt diuina virtute, abſque forma conſiſteret: nā tametſi tunc rerum omnium priuatio non eſſet: ea nihilominus materiæ portio, cùm quāta non eſſet, in loco per occupationem non diceretur: ſed ſolum per præſentiam ſuæ (vt ita dicam) entitatis ad aliquem locum: & (vt Scholæ inquiunt) eſſet alicubi definitiuè, non circumſcriptiuè.

Magni momenti ad rei cuiuſcunque naturam perſcrutādā, eſt qō de poſſibili.

Solutio dubitationis.

Materia ſi eſſet ſine forma, eſſet alicubi præſens eius tñ ſubſtantia nullū occuparet locum.

Nota hoc exēplum, rem quæſitam ſatis aperiens.

DE

# DE POTENTIA MATERIAE

## Diſputatio Quarta.

*Autoris in hac diſputatione conſilium.* *Caput Primum.*

Natura primæ materiæ compendio cōlligitur.

MAteriam primam in rerum natura conſiſtere, rudemq; ſubſtantiam, imperfectam, indeterminatam, & rerum omnium inchoationem eſſe; atq, rurſus illi à natura potētiam quādam, appetitum, ſiue ad omnes formas viciſſim recipiēdas propenſionem, inſitam eſſe; ne, commercium abhorrens, ſola maneret in ſublunari mundo, rerumq; omnium procreationis occaſio amitteretur: iam ſatis ſuperque à nobis, ſuperiore diſputatione, demōſtratum eſt. Illudq; tanquam firmum, & ratum ſtatuimus, principem hanc ſublunarium rerum materiēm in ſuo quidem genere ſimpliciter ſimplicem eſſe; quia. ſ. in ea rerum omnium lapſus finitur, nec ipſam ex alia materia conſtare, ac propterea ab omni phyſica compoſitione immunem iudicari. Nihilominus eius ſubſtantiam veluti quoddam concretum metaphyſicū eſſe duas præcipuas partes includens, actum exiſtētiæ, quem entitatiuum appellant, & ſubiectiuam potētiam, quæ veluti quippiam nobis notius ſumitur, ad eius ſubſtātiam declarandam. Hęc in ſe continet natura, atque ſubſtantia materiæ primæ, nec alia omnino, præter hæc, inſpicere licet, quæ magis intimè ad eius, vt ita dicam, eſſentiam, & quidditatem pertineant. Quare his cognitis, & diligenter expēſis, iam vnuſquiſq; in intimam materiæ naturam ſatis commodè penetraſſe videretur, neq; præterea quicquam reliquum eſſe, quo pleniorē ipſius cognitionem conſequi poſſit.

Materia prima metaphyſicum quoddam eſt, ex actu, & potētia concretū.

Intellectus ſcientiæ auidus, diligentiſſimuſq; veritatis inueſtigator.

Verùm enimverò intellectus, ſciētiæ auidus, diligētiſſimuſque veritatis inueſtigator, tantum abeſt, vt acquiſita iam materiæ cognitione contētus ſit, vt ab ea potius nouam rurſus dubitandi occaſionem nactus fuerit, atque ſubtilioribus difficultatibus examinandis ſe totum dediderit. Cognouit nempe iam, materiam actu in rerum natura conſiſtere. Cognouit, eam eſſe ſubſtantiam rudem, & imperfectam, rerumque omnium adumbrationem quandam. Cognouit, in ſui natura potētiam illam, ad totum genus formarum, includere, cuius vi formas omnes, confusè, & permiſtè, vſq; adeo impēsè appetit, vt ſi naturæ ſuæ relinquatur, nec ſupernaturale agēs illius propenſionem quodammodo reprimat, atque retardet: nunquam ſine forma exiſtere queat; immo, vna forma intereunte, ſtatim alteram quærat, eam ſuo complexu foueat, atq; illicò cum eadem neceſſitudinem contrahat.

Quæſtionis ſenſus explicatur.

Nunc autem in hanc ipſam materiæ potētiam intellectus idem vires ſuas exercere intēdit, atque intelligere cupit, quo nam pacto iſthæc potētia ad materiam ſe habeat: ſit ne accidēs quoddam, illi extrinſecus à natura infixum, quo veluti allita, promptius in ſe ſe formas ſuſcipere poſſit, eo modo, quo leuigata, dedolataque tabula aptior redditur ad colores recipiendos. An ſit aliquid, ad eius naturam intimè pertinēs, quod, veluti forma quædam, vel ſpecifica differentia, illius ſubſtantiā, atque eſſētiam conſtituat, & quaſi compleat, eo modo, quo rationalitas eſſentiam hominis perficit. An potius quippiam ſit, quod intra eiùs naturam ſemper maneat, atque ab eius eſſentia, iam in ſuo genere completa, eo modo proficiſcatur, quo riſibilitatem ab homine, tanquam propriam affectionem à ſubiecto, iam conſtituto, proximè fluere dicimus? Multæ quidem ſunt quæſtiones in naturali Philoſophia, & eæ ſanè difficiles, valdeq; ſubtiles, de quibus actum eſt à nobis ſatis; ſed nullam hactenus hac difficiliorem diſcuſſimus, nec fortaſſe in poſterum diſputaturi ſumus.

Quæſtio difficillima.

Sēſus ſuffragari hic nobis nihil poſſunt, de re enim acturi ſumus, ſenſibus penitus incomperta: ſolo opus eſt intellectus acumine, qui tam ardui negotij profundum attingat. Apertiſſimum hoc quidem eſt præſentis quæſtionis, difficultatis, atq; ſubtilitatis argumentum: nam ſi materiam primam, in compoſito naturali latentem, inueſtigare, & intelligere valde difficile eſt; quantò difficilius erit, eiuſdem primæ materiæ quaſi anatomen facere, eandemq; veluti diſcerptam, quo ad eius partes, ex quibus iunctis quodammodo coaleſcit, diligenter rimari? Huc accedit tanta inter Græcos, Arabes, Latinoſq; Ariſt. interpretes diſſenſio, & ſanè varius apud recētiores Philoſophos, habitus de his ſermo: cum tñ inter illos pauciſſimi extiterint, qui rem planè fuerint aſſecuti.

Magna inter Ariſt. interpretes hac de re diſſentio.

aſsecuti. Cæterùm nullius diſputationis tanta eſt ſubtilitas, tantaq; difficultas, quia & diſputandi ordine, & explicandi facilitate, aliquo pacto explanari poſſit: propterea is ordo nobis in præſenti diſputatione conſeruandus erit. Primò, ne aliquid erroris relinquatur in verbo, paucis declarabo, qua de potētia locuturus ſim. Mox Auerroiſtarum opinionem, cum præcipuis eorum rationibus in medium adducam, atq; illam ſtatim, tanquam à veritate alienā, confutabo. Afferam deinde ſnīam Thomiſtarum, & illam pariter reijciam. Poſtea quid recētiores Philoſophi hac de re ſenſerint, ſummatim aperiam, & quicquid boni dixerint, confirmabo, quicquid autem falſi, refutabo. Tādem, vbi intellectum hiſce varijs opinionibus, atq; dicendi modis quaſi deliniuero, atque ad veritatem capeſsendam aptum, idoneumque reddidero, veram, quam arbitror, de re propoſita, opinionem, in eodem quaſi ſerere, atque imprimere conabor.

Ordo in diſputatiōe ſeruandus.

## *Qua de potentia diſputandum ſit.* Caput II.

SCiendum igitur in primis eſt, materiæ primæ potētiam duplicem eſse, alteram vniuerſalem, particularem alteram. Potentia vniuerſalis non eſt aliud, quàm naturalis illa propēſio, quam habet materia, ad omnes formas nullo delectu recipiendas: & hęc potentia, ſi Ariſt. placitum attendamus, æquè ac materia æterna eſt; at ſi ad veritatem rationem reuocare velimus, vnà cum materia ſui ortum agnouit. Potentia particularis eſt determinatus quidam alicuius determinatæ formæ appetitus, qui in materia æternus non eſt; ſed illi à naturali agente inditus, quatenus eam certis quibuſdam affectionibus, ad certam, & determinatā formam recipiendam præparat, & accommodat: adeo vt materia, tali affectione prædita, nullā aliam formam niſi illam, quam talis affectio reſpicit, in ſeſe recipere poſſit. Exempli gratia, materia ſanguinis decorata, prout ſic ſe habet, in potentia eſt ad formam carnis, non item ferri, lapidis, ligni, aut alterius huiuſmodi recipiendam. De hac particulari potētia nulla eſt apud Philoſophos difficultas; omnes enim vno ore fatentur, eam accidens eſse de genere qualitatis, materiæ à naturali agēte additum, quò, ad hanc, vel illam formam recipiendam, apta, idoneaque reddatur. Tota igitur difficultas in vniuerſali potentia poſita eſt: quæritur enim, materiāne prima, per ſe conſiderata, in ſui eſsentia, ac veluti definitione, vniuerſalem hanc potentiam includat: an potius ipſamet veluti ſubiectum quoddam, huic potentiæ, tanquam ei addito accidenti, ſubijciatur: an tandem, huiuſmodi potentia aliquam aliam ad ipſam materiam affectionem, conſtitutionemvè habeat.

Potētia materię duplex.

Potētia vniuerſalis materiæ quid ſit

Potentia particularis qd.

Tota difficultas in potentia vniuerſali verſatur.

## *Auerroiſtarum opinio.* Caput III.

EA de re variæ Philoſophorum opiniones extiterunt. Prima fuit Auerrois in com. 70. primi libri de Phyſico auditu, qui materiam per ſe conſideratam, inter ens actu, & ſimpliciter non ens, medium quoddam eſſe arbitratus eſt; eam tamen, ſic acceptam, ens abſolutum, puta ſubſtantiam, quamuis imperfectam, & indeterminatam appellauit: in cuius quidem eſſentia nullam penitus potētiam includi, ſed vt conueniēs formarū receptaculum fiat, per accidens quoddam, ei à natura extrinſecus additum, aptam, potentēq; reddi, aſſeuerauit. Hoc vr ſenſiſſe Themiſtius, qui in digreſſione vltima eiuſdem libri, materiam ſtatuit per ſe aliquid actu eſſe: vt verò idoneum formarum ſubiectum exiſtat, potētia egere, qua, veluti ei adiuncto accidēte, apta, ad id munus obeundum, reddatur. Multi ſunt, qui ad eandem ſnīam Simplicium, Philoponum, Alexādrum, & Græcos omnes trahere nituntur. Sed re vera, nulla in Græcis expoſitoribus, hac in re, conſtantia reperitur: modo enim hoc, modo illud, quo quidque ſibi opportunius viſum eſt, pronunciarunt. Redeamus igitur ad Auer. qui duabus præcipuis rationibus, ſuam ſnīam confirmauit. Altera eſt, ſi potētia eſſet de eſſentia materię, ſequeretur, vt adueniente forma, interiret materia; ſed conſequens eſt falſum, cum materia indiſſolubilis ſit; ergo & antecedēs. Probat conſequentiam; quotieſcunq; enim aliqua duo ſic ſe habēt, vt alterum ſit de eſſentia alterius: tunc altero pereunte, interire quoq; alterum neceſſe eſt: ſed adueniente forma, perit potētia; ergo, ſi potētia eſt de eſſentia materiæ, neceſſe eſt, vt pereunte potētia, ipſa quoq; materia intercidat. Altera eſt, Nullum relatiuum eſt de eſſentia abſoluti: potētia eſt quid relatiuum, refertur enim ad actum: materia verò quid abſolutum de genere ſubſtātiæ; ergo potētia non eſt de eſſentia materiæ: erit igitur accidēs,

Opin. Auerrois, potentiā eſſe accidēs materiæ additum.

Idē videtur ſenſiſſe Themiſtius.

Prima ratio Auerrois.

Secunda rō.

Cōtradictio in dictis Auerrois.

Zimara, Sueſſanus, Paul. Ven. Achillinus, Genua, & alij Auer. vindicāt à cōtradictione.

illi extrinſecùs additum. Verùm quoniam Auerroes, cap. 1. libelli de ſubſtantia orbis, oppoſitam ſnīam approbaſſe viſus eſt, dum aſſeruit, materiam (vt ipſa eius afferam verba) ſubſtātiari per poſſe; ideo Auerroiſtæ, vt Zimara, Sueſſ. Paulus Ven. Achillinus, Genua, & alij, varijs explicationibus, ipſum à contradictione vindicare conati ſunt. Dixerunt nonnulli, Auerroem, libello de ſubſtantia orbis, de materia, in ſecunda notione accepta; primo autem libro de Phyſico auditu, de eadem, in prima notione conſiderata locutum eſſe. Alij dixerunt, materiam ſubſtantiari per poſſe, nil aliud eſſe, quàm materiam, beneficio ei additæ potētiæ, in propria ſubſtantia perfectionem acquirere, & hoc ipſum eſſe, quod docuit Auer. Alij dixerunt, impropriè ibi Auerr. potentiam accepiſſe, neq; aliud ſignificare voluiſſe; dum dixit, materiam ſubſtantiari per poſſe, quàm materiam ſubſtantiam quandam imperfectam eſſe.

Io. de Ianduno explicat ſnīam Auer.

Io. de Ianduno primo Phyſ. q. 25. hac diſtinctione Auerr. ſnīam explicare putauit. Potētia duobus modis accipi poteſt, vno modo pro ſubiecto potēte: altero, pro reſpectu quodam, ad formam generandam. Si primo modo accipiatur, tunc ad eſſentiam materiæ pertinet, & de ea, hoc modo ſumpta, Auerroes libello de ſubſtantia orbis, locutus eſt. At ſi altero modo ſumatur, tunc eſt accidens, materiæ additum, & de ea ſic accepta, locutus eſt, libro primo de Phyſico auditu.

## *Auerroiſtarum opinio confutatur, rationesq; ab Auerr. propoſitæ diluuntur.* Cap. IV.

Prima ratio contra ſententiam Auer.

HÆc Auerrois opinio, omnium, quæ circa propoſitam diſputationem afferuntur in medium, falſiſſima eſt, multiſq; rationibus, & à D. Thoma, & ab alijs refutari ſolet. Primò, ſi materia per ſe conſiderata, vt ſubſtantia quædam eſt, potētiam haberet, tanquam accidens, illi additum, opus eſſet, ſi quidē huius accidētis capax eſſe deberet, vt aliam potētiam in ſui natura retineret, ratione cuius hoc accidens recipere poſſit. Age nunc quæram de hac potētia, ſit ne accidens, materiæ additum, an potius ad eius naturam intimè pertineat? Nā vel dandus erit proceſſus in infinitum in potētijs, ſi potentia accidens ſit; vel dicendum erit, potentiam illam, qua materia poteſt ſuſcipere formam, ad eius naturam intimè pertinere.

Secunda rō.

Secundò, ſi potētia materiæ eſſet accidens, illi additum, dubio procul aut eſſet accidens abſolutum, aut reſpectiuum, per idoneam, & congruentem diuiſionem; ſi abſolutum, eſſet igitur aut quantitas, aut qualitas; atq; ita materia per ſe conſiderata, eſſet compoſitum accidentale, quod eſt contra Ariſt. tùm ſecundo de Anima, circa initium, tùm 8. Metaphy. tex. 15. & alijs etiam pluribus locis; vbi docuit, formam proximè, & abſq; vllius accidentis interiectu cum materia vniri, adeo vt ſubſtantiale compoſitum accidentale ſemper cōpoſitum antecedat. Sed de hoc neq; Auerr. ipſe dubitaret, noluit enim, potentiam eſſe accidens abſolutum, ſed reſpectiuum.

Notabilis propoſitio.

Nos verò probamus, potētiam materiæ non eſſe accidens reſpectiuum: nulla enim relatio alicui ſubiecto aduenire poteſt, niſi mutatio aliqua neceſſariò in abſoluto cōtingat; nunquam enim paternitas adueniret patri, niſi mutatio contingeret in filio, qui de non eſſe, ad eſſe educitur: At verò adueniente potentia ipſi materiæ, mutatio nulla in abſoluto aliquo apparet; igitur potentia non eſt accidens reſpectiuum. Probatur minor; non enim mutatio vlla in forma conſpicitur, quia in illo priori naturæ ſigno, quo materia per ſe, & vt aliquod abſolutum eſt, conſideratur, forma non adeſt, Neq; in materia; quoniam nihil abſolutum adepta eſt, ſi hæc potentia eſt ſimplex relatio, ſed quo ad eius eſſe abſolutum, manet eadem, quæ prius erat: non igitur potentia materiæ poteſt eſse accidens reſpectiuum.

Tertia ratio.

Tertiò, nulla relatio habet vim efficiendi; vt ſubiectum ad aliquid recipiendum afficiatur: nō enim eſt de genere actiuorum; quare ſi materiæ, ſecundum ſuam naturam, non eſt conceſsa facultas, vt cum forma copulari poſſit: nunquam ad formam recipiendam, per additam illi potentiam, affici poterit: cùm hæc potentia nihil ſit aliud, quàm relatio. In hanc ſnīam aliæ plures rationes afferri poſsent, ſed hac in re nolo eſse longior: ex ijs enim, quæ poſthac dicturi ſumus, Auerroiſtarum opinionis falſitas manifeſtè deprehenſa apparebit.

Auerroiſtæ dum Auer. à cōtradictiōe vindicant, ad eundē lapidē impigūt.

Omitto, quæ Zimara, Sueſsanus, Achillinus, & alij, vt Auerroem à contradictione vindicarent, protulerunt; omnes enim, hanc Auerrois ſnīam fuiſse, concludunt; materiam. ſ. per ſe cōſideratam, potentiam tanquam ei additum accidens habere, quę quidem ſnīa ſuperioribus rationibus, iam ſatis cōmodè reprobata eſt, facere tamen hic non poſsum, quin in Iandunum inuehar, quippe, qui Auerrois ſnīam (liceat dicere id, quod ſentiam) ineptiſſima diſtinctione defenderit.

derit. Videns enim, difficile eſſe tueri, materiam in ſui natura potentiam habere, qua formã ſuſcipere queat: duobus modis potentiam accipi poſſe aſſeuerauit, vel pro ſubiecto potente, vel pro reſpectu ad formam generandam: ſi primo modo accipiatur, eam dixit eſſe de eſſentia materiæ: ſi verò altero modo, putauit eſſe accidens, materiæ adiunctum. Nunquam profectò audiui inaniorem diſtinctionem: quis quæſò dubitat, ſit ne materia de eſſentia ſui ipſius? nemo certè: quorſum igitur aſſeruit Iandunus, potentiam, captam pro ſubiecto potẽte, quod non eſt aliud, quàm ipſamet materia, eſſe de eſſentia materiæ? Sed neque etiam potentia, capta pro reſpectu ad formam generandam, eſt accidens, materiæ additum, vt ipſe credidit; nã iſte reſpectus nihil aliud re vera eſt, quàm habilitas quædam materiæ, ad formam recipiendam: hæc autem habilitas, non eſt accidens, materiæ additum, ſed eſt proprietas quædam, quæ in eius ſubſtantia ineſt, vt infra ſuo loco demonſtrabimus.

Ianduni explicatio reijcitur.

Supereſt nunc, vt pro exacta opinionis Auerrois confutatione, duas illius rationes diluamus. Ad primam igitur, tametſi non tueor, potentiam eſſe de eſſentia materiæ, vt apparebit infra; neganda tamen eſt conſequentia. Ad probationem, cùm ait, adueniente forma, perire potentiam; concedendũ eſt hoc de potentia particulari, quam admittimus, eſſe accidens, materiæ additum: negamus hoc tamen de potentia vniuerſali, quæ vt in materia æterna eſt; ita per nullius formæ aduentum, à materia recedit, ſed eſt, quemadmodum & ipſa materia, indiſſolubilis.

Reſpõſio ad primam rationem.

Ad alteram, diſtinguenda eſt *minor*: potentia namque duobus modis accipi poteſt, vno modo pro re, quę eſt potentia: altero pro ratione, & conceptu, eidem rei, quæ eſt potentia, attributo, hoc eſt, pro ipſa (vt ſic loquar) potentialitate: dicerent Scholæ fundamentaliter, & formaliter. Quemadmodum pater accipitur fundamẽtaliter, pro re, quæ eſt pater: formaliter verò pro ratione, & cõceptu, eidem attributo, hoc eſt, pro ipſa paternitate. Hac præmiſſa diſtinctione, quæ certè ad præſentem difficultatem dirimendam, valde notanda eſt; cùm ait Auerroes, potentiam eſſe quid relatiuum, aut de genere relationis; concedendum eſt hoc de potentia, formaliter accepta, quæ non niſi per actum, ad quem refertur, definiri poteſt: non autem de potentia, fundamentaliter capta, quæ, vt videbimus, idem re ipſa eſt, quod ſubſtantia materiæ.

Ad ſecũdam rationem.

Nota hãc diſtinctionem, quæ nõ huic ſolũ, ſed pluribus alijs inſeruit, difficultatibus dirimendis.

## *Thomiſtarum opinio.* *Caput V.*

OMnino contraria opinioni Auerrois fuit ſententia S. Th. qui, cùm lib. 1. de Phyſico auditu, com. 79. nullum exiſtentiæ actum materiæ conceſſerit: tueri etiam cogitur, potentiam non eſſe proprietatem aliquam, ſeu qualitatem, aut quoduis aliud accidens, eius eſſentiæ additum; ſed naturam, atque eſsentiam materiæ nil aliud eſse, quàm potentiam ad ſubſtantiam: atque adeo, ex illius ſententia, potentia ita de eſſentia materiæ cenſenda eſt, vt ſi materia aliquo modo definiri, deſcribive poſset, potentia neceſſariò eius definitionem ingrederetur: eo modo, quo animal, & rationale, cùm ſint de eſsentia hominis, tanquam partes internę in eius definitione ſtatuũtur.

Opi. S. Tho.

Hanc ſentẽtiam ſecutus eſt Iauellus 1. Phyſ. q. 13. Paulus Soncinas 8. metaph. q. 6. in eamque communiter oẽs Thomiſtæ ducti ſunt.

Iauellus. Paul. Sõcin.

Rationes autem præcipuæ, quæ pro illa afferri ſolent, quatuor ſunt, quas optimè lib. 1. de Rerum naturaliũ principijs c. 13. Vicomercatus collegit. Prima ea eſt, Materia, & forma, quoad attributa, vnicuique propria, inuicẽ ſibi reſpondent: ergo tam internæ conuenit materiæ eſſe potẽtiam, quàm formæ eſse actum: atqui forma, ſecundum ſuam eſsentiam, non eſt aliud, quàm actus: ergo materia, ſecundum ſuam eſsẽtiam, non eſt aliud, quàm potẽtia. Minor propoſitio perſpicua eſt: nam forma, ſecundum ſuam naturam, atq; ſubſtantiam, conſiderata, non eſt quid, ab actu diuerſum, adeo vt in aliquo priori naturæ ſigno, ſubſtãtia quædam per ſe ſit, poſtea verò actum, veluti proprietatem quandam, aut aliquod accidẽs in ſeſe recipiat: ſed forma, quatenus forma eſt, eatenus actus dicitur: & ita actus de eius eſsẽtia eſt, vt ſi quis eam deſcribere vellet, actum neceſsariò in eius deſcriptione includere cogeretur. Eodẽ igitur modo materia non eſt aliquid, cui potentia, tanquam proprietas quædam adueniat: ſed omni adeo actu deſtituta eſt, vt eius eſsẽtiam nihil aliud omnino appelles, quàm puram, ſimplicemq; potentiam.

Prima ratio.

Secunda ratio ſumitur ex vi nominis ipſius materiæ: ſi enim vocabuli proprietaté attendamus, inueniemus, materiam nihil aliud ſignificare, quàm id, ex quo aliquid fieri põt, vel ex quo iam factum eſt; ideo n. lignum, aurum, æs, materię nomine nuncupamus, quia ex ipſis ſcamnum, vas, ſtatua, vel aliquid huiuſmodi fieri poteſt. Si itaque lignum, aurum, & ęs,

Secũda ratio

quæ per ſe ſubſtantialia compoſita ſunt, quatenus materiæ nomen induunt, in ſui eſſētia potentiam includunt: quantò magis id ipſum materię primæ conueniet, quæ non eſt quid, nec

Tertia ratio.

quale, nec quantum, ſed poteſtate omnia? Tertia ratio, ſi materia ſecundum ſuam eſſentiam ſpectata, non eſt potentia; aut igitur erit actus, aut aliquid ex actu, & potentia concretum: actus quidem eſſe non poteſt, cùm ſit attributum ipſius formæ, vt iam diximus: multò minus erit aliquid ex actu, & potentia concretum; quia nunc materiam, in prima notione acceptā,

Quarta rō.

& ab omni forma ſeiunctam, conſideramus; erit igitur neceſſariò potentia. Quarta, In rerū vniuerſitate duo planè oppoſita reperiuntur, quorum alterum actus eſt, alterum potentia; eo igitur modo, quo ad vnum extremorum ſe habet actus, ad alterum ſe debet hr̄e potētia: ſed actus ad primum agens, nimirum ad Deum, qui eſt vnum extremum, ita ſe habet, vt ſit de eius eſſentia, teſte Philoſopho 12. Diuinorum: idque omnibus adeò certum, & exploratum eſt, vt nemo prorſus ambigat: erit igitur potentia de eſſentia materiæ, quæ eſt alterum extre-

Occupatio.

mum. Nec dicat hic aliquis, ſimilitudinem nullam eſſe, propterea quòd primum agens perfectiſſimum eſt, materia verò imperfectiſſima, hincque fieri, vt ipſa ab aliquo aduenięte perfici poſſit, illud verò nequaquam: nos enim hoc ipſo, quòd ſ. materia imperfectiſſima eſt, potentiam de eius eſſentia eſſe concludimus: ſi enim potētia de eſſentia materiæ non eſſet: tūc materia perfectionem aliquam haberet, ad quam poſtea ipſa potentia accederet, atque ita imperfectiſſima non diceretur.

## *Thomiſtarum opinio confutatur.* *Caput VI.*

CÆterum hæc S. Tho. ſententia longè grauiora affert incommoda, quam opinio Auerrois: vix enim intellectus concipere poteſt, quomodo materia, ſecundum ſuam naturā, eſſentiam, & quidditatem, nihil aliud ſit, quàm potentia ad eſſe ſubſtantiale; adeò vt potentia de prima materia in primo modo dicendi per ſe, &, vt aiunt, formaliter prędicetur. *Huius*

Prima rō cōtra opinionē S. Thom. ſatis efficax.

autem opinionis abſurditatem tribus potiſſimùm argumentis oſtendo. Primò, *Si* materia, ſecundum ſuam naturam, nihil aliud eſſet, quàm potentia ad ſubſtantiam; ſequeretur, vt materia per ſe ſubſtantia non eſſet: conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Conſecutio eſt apertiſſima: quod enim eſt in potentia ad qualitatem, non eſt quale; vt quod eſt in potētia ad albidinem, vel ad calorem; non eſt album, neque calidum: ſimiliter quod eſt in potentia ad quantitatem, non eſt quantum, & in vniuerſum, quod eſt in potentia ad eſſe, non eſt; ergo qđ eſt in potentia ad ſubſtantiam, non eſt ſubſtantia. Si itaque materia, ſecundum ſuam naturam, nihil aliud re vera eſt, quam potentia ad ſubſtantiam, ſequitur, vt materia, ſecundum ſuam naturam, re vera non ſit ſubſtantia, Probatur modò falſitas conſequentis; ſi enim materia, ſecundum ſuam naturam, non eſſet ſubſtantia, forma igitur, dum illi accedit, cum non ſubſtantia iungeretur, atque ita dùm compoſitum ex materia componitur, ex non ſubſtātia componeretur. quod contradictionem inuoluit; ſequeretur enim, vt compoſitum non eſſet compoſitum. Probo, quoniam ſubſtātiale compoſitum ideo tale dicitur, quia ex duabus ſubſtantijs, actu exiſtentibus, & ſimul poſitis, cōſtituitur: ex materia igitur conſtitui non poſſet, ſi ipſa, ſecundum ſuam naturam, ſimpliciter potentia ad ſubſtantiam, non item actu ſubſtantia eſſet. Hoc argumentum arbitror validiſſimum eſſe, & rem planè conficere, atque apertiſſimè demonſtrare: nec certè ſcio, quid, ad eius ſolutionem, ab aduerſarijs in medium adduci

Prima rñſio, qua ſuperiori rōni ab aduerſarijs obuiam ire poſſet.

poſſit: niſi quis fortè, duabus ſolutionibus hoc dilui facilè poſſe cenſeat. Quarum altera eſt, Materiam non eſſe potentiam ad ſubſtantiam ſimpliciter, ſed ad ſubſtātiam, quæ eſt forma, Optima ſanè reſponſio, quæ vtinam ab aduerſarijs admitteretur: hinc enim facilè rem noſtram tueremur. Si materia non eſt ſimpliciter potentia ad ſubſtantiam, ſed tantummodo ad

Fauet hęc reſponſio illi ſniæ, quā autor defendit.

ſubſtantiā, quæ eſt forma; ergo materia per ſe, eſt actu ſubſtantia, in qua latet potentia quædam, ad formam recipiendam: non igitur potentia eſt de eſſentia materiæ, quanuis intra eius naturam contineatur; nec vlla ratione de ipſa in primo modo dicendi per ſe prædicatur.

Altera rñſio

Altera reſponſio eſt, quæ forſitan ab aduerſarijs concederetur, non eſſe abſurdum, formam vniri cum ſubſtantia in potentia; & compoſitum, ex ſubſtantia, quæ eſt actus, & ſubſtantia,

Secūda ratio principalis, quæ ſimul S. Tho. ſniam,

quæ eſt potentia, coaleſcere. Contra hanc reſponſionem adduco ſecundum argumentū principale, quod eſt huiuſmodi. Si materia in prima notione accepta, ſecundum ſuam eſſentiam & quidditatem, eſt potentia, ſequitur, vt materia ſit per ſe nihil; atque adeo forma cum eo iūgatur,

gatur, quod eſt per ſe nihil; & compoſitum ex forma, & eo, quod nihil eſt, conſtituatur: ſed cō ſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Falſitas conſequentis perſpicua eſt. Conſequentiam ita probo; cùm ait S. Thomas, materiam, ſecundum ſuam eſſentiam eſse potētiam, quid nā, obſecro, potētię nomine intelligit? Aliquid ne, huic nomini ſubſtratum? An purum nomen, vel puram vocem? Si quid intelligat, nomini ſubſtratum, quæro rurſum, ſit ne illud accidēs, an ſubſtantia? Si accidēs; ergo materia erit accidēs, quod eſt abſurdū. Si ſubſtantia; ergo materia erit ſubſtantia, quæ à potētia, intus latente, denominatur potens: atq; ita potentia non erit eſsentia, vel de eſſentia materiæ. Si autem potentiæ nomine, nihil aliud S. Thomas intelligit, quàm purum nomen, aut puram vocem; ergo materia, in ſuo eſſe quidditatiuo, non erit aliud quàm purum nomen, aut pura vox: atq; adeo compoſitum, ex forma, & pura voce, & ex eo, quod re ipſa nihil eſt, conſtituetur, quo neſcio quid cogitari poſſit abſurdius.

& prædictā reſponſionē impugnat.

Addo tertium argumentum: Potentia materiæ non eſt aliud, quàm interior quædam habilitas, & propenſio, à natura materiæ iniecta, ad formam recipiendam, teſte Ariſ. toto primo libro de Phyſico auditu: ſed interior habilitas, & propenſio, quę propria eſt ſubiecti affectio, non eſt de eſſentia ſubiecti, nec de ipſo in primo, ſed in ſecundo modo dicēdi per ſe prædicatur, eodem Ariſ. autore lib. 1. Poſter. ergo potentia non eſt de eſſentia materiæ, nec de illa in primo, ſed in ſecundo modo dicendi per ſe prædicatur.

Tertia ratio.

### *Solutio primi argumenti Thomiſtarum.* *Caput. VII.*

SOluamus nunc argumenta, pro ſnīa Thomiſtarum adducta. Primum quidem ſubtiliſſimum, atq; firmiſſimum eſt, & ſolutu valde difficile; ideo in eius ſolutionem nobis enixè incumbendum eſt: ab ea enim cæterorum argumentorum, immò totius quæſtionis ſolutio pendet. In primis igitur aduertendum eſt, actum duobus modis accipi ſolere, vno modo pro eo, quod Græci vocant ἐνέργειαν: altero, pro eo, quod appellant ἐντελέχειαν. Actus primo modo ſumptus, nihil aliud quàm ſubſtantiam quandam perfectam, & per ſe ſubſiſtentem ſignificat, quo modo ſeparata ſubſtantia, vt Intelligentia, actus nuncupatur. Actus verò ſecūdo modo acceptus rei perfectionem, & complementum deſignat. Porrò hic actus duobus rurſum modis accipi poteſt: vno modo pro ſua formali ratione, hoc eſt pro perfectione, vel pro ipſamet, vt ita dicam, actualitate, quam nomen ipſum indicat: altero pro re, quæ actus, & perfectio eſt, hoc eſt pro fundamento, quod nomini ſubijcitur, eiuſdemq; ſignificationem recipit. Actus primo modo acceptus, eſt per ſe de genere relationis: relatiuum enim quoddam eſt, cuius correlatiuum eſt perfectibile, aut (ſi ita loqui liceat) actuabile, nimirum id, quod potentiam habet, vt ab adueniente actu perficiatur: vel etiam eſt ipſiuſmet potentiæ correlatiuum: vt enim potentia ad actum, ita viciſſim actus ad potentiam refertur. Actus ſecūdo modo acceptus, dicitur res aliqua, quæ perficiendi, & actuādi vim habet, & ob hanc ipſam virtutem, & facultatem, actus nomen ſibi vendicat. Hac præmiſsa diſtinctione, dico, formā, de qua nunc loquimur, actum quidem eſse, non eum, qui ἐνέργεια, ſed eum qui ἐντελέχεια dr̄: & illum quidem non primo modo acceptum; quia tunc forma, ſecundum ſuam eſsentiā, & quidditatem, pura relatio eſset, ſed ſecundo modo: forma enim res illa dicitur, quæ perfectio, & cōplemētum denominatur, & cui competit, ſuo acceſsu, materiam perficere, & abſoluere, eidemq; eſse ſpecificum impertiri. Non igitur forma, vt cum ſcholaſticis loquamur, eſt formaliter, & quidditatiuè actus, ſed tantummodo denominatiuè, & hoc eſt caput reſponſionis.

Ad primū argumentum.

Actus pro endelechia acceptus, adhuc dupliciter vſurpatur; & hæc eſt notabilis diſtinctio pro huius argumēti ſolutione.

Not. hīc, qua ratiōe forma dicatur act^9, & perpende diligēter vim ſolutionis.

Sed contra obijciet aliquis, ſi forma eſt actus denominatiuè: igitur per aduenientem actum perficitur, & actuatur, quemadmodum paries dicitur denominatiuè albus, quia per ſuperuenientem albedinem dealbatur; hoc autem de forma aſserere falſiſſimum eſt: quia tunc rationem haberet potentiæ, ſi in ſe ſe actum recipere poſset, quo actuata diceretur. Reſpondendum eſt, aliquid dici determinatiuè tale, dupliciter contingere, vel denominatione externa, vel denominatione interna: forma non dicitur determinatiuè actus, denominatione externa, quemadmodum paries dicitur denominatiuè albus, tunc enim ſequeretur id, quod in argumento dr̄, vt. ſ. forma per aduenientem actum perficeretur, & actuaretur: ſed forma dicitur denominatiuè actus, denominatione interna, eo modo, quo oculus, denominatione interna, ſolet appellari viſus, quia. ſ. in ſe ſe facultatem retinet ad videndum, & eſt illa res, quæ videt. Sic forma, denominatione interna, dicitur actus, quia in ſe ſe virtutem, & facultatem in-

Subtilis obiectio.

Solutio.

Aliquid dicitur denominatiuè tale duobus modis, vel denominatione interna, vel externa.

cludit, ad actuandum, hoc eſt, ad perficiendum id, cuius eſt formã, puta materiam ipſam. Sol

Soluitur argumẽtum in ſuo ſitu.

uamus nunc, facilioris doctrinæ gratia, argumentum in forma. Vt ſe habet forma ad actum: ita materia ad potẽtiam. Admittimus hanc propoſitionẽ, & ſimilitudinem. Sed forma, ſecũdum ſuam naturam, eſſentiam, & quidditatem, eſt actus. Negamus hanc propoſitionem, ſi includat prædicationem formalem, & quidditatiuam, concedimus tamen, ſi includat prædicationem denominatiuam, & tunc ſequetur huiuſmodi conſecutio, vt nimirum, materia ſit potẽtia denominatiuè non autem formaliter, & quidditatiuè: hoc eſt, ſicuti forma eſt quædam ſubſtantia, quæ in ſui natura habilitatem includit, ad actuandum; & ratione huius habilitatis, denominatione interna, dicitur actus; ita materia eſt per ſe ſubſtantia quædam, quæ in ſui natura habilitatem, potẽtiam, vel (vt aiunt) aptitudinem continet, vt ex ea omnia fiant; & ratione huius habilitatis, denominatione interna, dr̃ potentia. Cùm enim actus, & potentia ſint modi oppoſiti entis: forma illud ens eſt, quod dr̃ actus: materia verò illud, qđ dr̃ potentia: non tñ inde ſequitur, vt actus ſit de eſſentia formæ, aut potẽtia de eſſentia materiæ. Quemadmodum, ſi Socrates eſt res illa, quæ eſt pater; non ideo tamen ſequitur, vt paternitas ſit de eſſentia Socratis; nam Socrates dicitur pater denominatiuè, non autem formaliter, & quidditatiuè,

*Quo firmior euadat prædicti argumenti ſolutio, forma oſtenditur non eſſe formaliter, & quidditatiuè actus, ſed tantum denominatiuè. Caput. VIII.*

CÆterùm, ad planiorem huius primi argumenti ſolutionem, demonſtrare lubet, formã non eſſe formaliter, & quidditatiuè actum, ſed ſolùm denominatiuè: idq; facta quadã poſitione, ſecundum Theologiæ Catholicæ veritatem: expedit enim, verum ex veritate colligere. Poſitio ea eſt: quemadmodum Deus, ſua abſoluta potentia, facere poteſt, vt accidentia ſine ſubiecto exiſtant, vt apparet in ſacramento Altaris; ita multo magis facere poſſet, vt forma, quæ ſubſtantia eſt, abſq; materia conſiſteret. Hoc igitur, quod fieri poteſt, cogitatione noſtra, nunc ſtatuamus in eſſe; fingamuſq; formam ſine materia exiſtere, tunc ipſa ſic cõſtituta, non eſſet actus ille, qui dicitur endelechia: ipſa enim per ſe eſſet, & ad nullum perfectibile, vel actuabile relationem actualem haberet; (non poſſum ſubtilem hanc ratiocinationẽ aptioribus verbis explicare) eſſet igitur tunc quidditatiuè ſubſtantia, non tñ eſſet quidditatiuè actus, ſed tantummodo in ſui natura habilitatem illam, ad actuandum includeret. Hac aũt ratione, non diceretur quidem energia: actus enim qui dr̃ energia, neq; alicuius rei perfectio eſt, neq; ad aliquid perficiendum, habilitatem habet; ad vicem tñ propius energiæ accederet: ſicut accidentia ſeparata non ſunt ſubſtantiæ, propter incluſam propẽſionem ad ſubiectum; ſubſtantiæ tñ vicem gerunt. Iam verò, vt propius ad rem noſtram accedamus, ſi forma eſſet eſſentialiter, & quidditatiuè actus; tunc Deus facere non poſſet, vt ip ſa abſq; materia conſiſteret. Probo, quia Deus id facere non poteſt, quod contradictionem implicat: ſed contradictionem implicat, aliquid eſſe abſque eo, quod in ſua ratione formali includitur, vt implicat cõtradictionem, hominem eſſe abſque animali, vel rationali: quia hæc ſunt de eius eſſentia, atq; in illius formali, & quidditatiua ratione includuntur; ergo, ſi actus eſſet de eſſẽtia formæ, Deus facere non poſſet, vt forma abſq; materia conſiſteret. Conſecutio eſt manifeſta; quia tũc forma, materiæ perfectio, & actuatio, eſſe deſineret. Itaq; forma, in ſuo eſſe formali, & quidditatiuo accepta, ſubſtantia quædam abſoluta eſt, ad informãdum, atq; perficiendum habilitatem continens. Sed quò huius rei veritas adhuc dilucidior fiat, oppoſitũ amabo contemplemur; fingamuſq; nunc, Deum impedimentum illius habilitatis; propenſioniſq; ſoluere, formamq; ſui iuris eſſe permittere, tunc nimirum illa ſtatim, natiuo impetu, & interiore quodam impulſu, cum materia cohærebit, illamq; ſua præſentia perficiet, & actuabit, atque ab hoc ipſo actuandi munere, ſtatim actuantis relationem acquiret, actuſq; denominabitur: cùm prius actus non diceretur, vtpote quæ huiuſmodi actuali relatione careret, habilitatiſque tantummodo ad perficiendum, & actuandum compotem, relationem haberet. Hæc cùm ita ſe habeant, haud difficile eſt nunc demonſtrare, actũ non eſſe de eſſẽtia, & quidditate formæ: nam forma in illo priori ſigno, quo Deus actum illius propẽſionis ſuſpẽdebat, ipſamque ſine materia conſeruabat, erat forma, & ſuum eſſe quidditatiuum habebat: alioquin conſeruari non potuiſſet, vt ſupra demonſtratum eſt: actus aũt illi conuenit

Sicut Deus conſeruat accidẽs ſine ſubiecto, ita poſſet formã abſque materia conſeruare.

Si forma exiſteret ſine materia, eſſet quidditatiuè ſubſtantia nõ tamen actus, quia nulli rei daret eſſe.

Nota diligenter hoc argumentum.

Speculare hic, quo forma nomẽ actus acquirat.

Argũ phãs, actum nõ eſſe de eſſentia formæ.

in

in ſecundo ſigno, dum materiæ iungitur; ergò actus non eſt de eius eſſentia. Pròbo hanc conſequẽtiam, quicquid aduenit alicui, iam ſuum eſſe quidditatiuum habenti, de illius eſſentia, & quidditate eſſe non poteſt: nullum enim poſterius, ſiue tempore, ſiue natura, de eſſentia, & quidditate ſui prioris eſſe poteſt; neque enim riſibilitas, nec in vniuerſum vlla propria affectio, quæ ſuo ſubiecto natura poſterior eſt, de eſſentia, & quidditate ſui ſubiecti dici poteſt: ſed actus ipſa forma, ſaltem natura, poſterior eſt; ergo de eius eſſentia, & quidditate eſſe non poteſt. Quotieſcunque igitur forma, quæ dat eſſe compoſito, actus ab Ariſt. nuncupatur, id non formaliter, & quidditatiuè, ſed tantum denominatiuè intelligendum eſt. Et hæc, ad huius primi argumenti ſolutionem, ſint ſatis.

Propria affectio non eſt de eſſẽtia ſui ſubiecti.

### *Solutio ſecundi, & tertij argumenti Thomiſtarum.* Cap. IX.

Ad ſecundũ argumentũ.

AD ſecundum argumentum, negandum eſt, potentiam eſſe de eſſentia ligni, auri, aut ęris, etiamſi, vt materiæ nomen induunt, accipiantur. Lignum enim, aurum, & ęs, per ſe, compoſita ſubſtantialia ſunt; nomen autem materiæ induunt, quatenus non interiorem quidem, ſed exteriorem quandam habilitatem habent, vt ex eis ſcamnum, vas; aut ſtatua fieri poſſit. Iam verò habilitas illa de eorum eſsentia non eſt; ſed potius qualitas quædam quartę ſpeciei. Ita materia prima per ſe, & in ſuo eſsę quidditatiuo accepta, ſubſtantia quædam, imperfecta tamen, & diminuta, eſt; induit autem materiæ nomen, quatenus potentiam, ſeu habilitatem continet, vt ex ea omnia fiant. Hęc potentia, vel opportunitas, eius quidem eſſentiam conſequitur; de eius tamen eſsentia, aut quidditate eſse non dicitur, adeo vt de ipſa in primo modo dicendi per ſe prędicetur. Ad tertium, concedere poſsemus, materiam primam quippiam eſse, ex actu, ſupple entitatiuo, & potentia ſubiectiua concretum, quemadmodum ſuperiore diſputatione patefecimus; tamen vt vim, & efficacitatem argumenti propiùs attingamus, neganda eſt illa diſiunctiva propoſitio, aut materia eſt quidditatiuè potentia, aut actus, aut ex vtroq; concretum: pęccat enim illa propoſitio in partium enumeratione, propterea nihil ex ea rectè concludi poteſt. Quemadmodum ſi quis argueret, lignum aut eſt bos, aut leo, aut capra, ſed non eſt bos, neque leo: ergo eſt capra: hęc conſecutio nulla eſt, quia maior peccat in partium enumeratione: lignum enim neque eſt bos, neque leo, neque capra: ſed eſt ſubſtantia quędam corporea animæ expers. Sic materia neque eſt formaliter, & quidditatiuę potentia, neque actus, neque ex vtriſque concretum: ſed eſt formaliter, & quidditatiuè ſubſtantia. Sed contra quis obijciet: nam etiã forma eſt quidditatiuè ſubſtantia; ergo materia non diſſidet à forma. Rurſus cùm iam conceſsum ſit, materiam quippiam eſse ex actu & potentia concretum, ſi neutrum de illius eſsentia eſt: ergo non minus actus, quàm potẽtia, ſaltem denominatiuè, poterit appellari. Ad primam obiectionem apparebit ſolutio prope finem huius diſputationis; lubet enim illam eò vſque differre. Ad alteram reſpondeo, actum bifariam ſumi poſse, vel pro ipſa exiſtentia, vel pro interiori modo rei exiſtentis: cùm dicimus, materiam quippiam eſse, ex actu, & potentia concretum, nomine actus, ipſam materię exiſtentiam intelligimus, hoc eſt materiam, actu exiſtentem; & ab hoc actu denominari materia nullo modo poteſt. Actus autem, à quo res exiſtens denominationem ſumit, eſt ille, qui dicitur modus interior rei exiſtentis. Pro quo notandum eſt, actum, & potentiam duos eſſe modos interiores, ipſa exiſtentia poſteriores (quæ etiam modus interior eſt ipſius eſſentiæ) ſicut finitudo, infinitudo, neceſſitas, contingentia, & id genus alia: dicuntur autem modi interiores poſteriores, ſupple natura, ipſa exiſtentia, quia rebus, iã actu exiſtentibus, conueniunt. Duo itaque ſunt entia exiſtentia, quibus hi duo modi interiores oppoſiti. ſ. actus, & potentia tribuuntur; alterum eſt forma, alterum materia. Formæ competit actus, propterea quod habilitatem habet, ad perficiendum, informandum, & actuandum. Materiæ competit potentia; quia apta eſt à forma perfici, & actuari: ex ipſa enim, tanquam ex ſubiecto potẽte (quod in paſſiua quidem, non in actiua ſignificatione intelligas) cunctæ res naturales procrearentur.

Ad tertiũ argumentum.

Obiectio prima cõtra prędicta.

Prima obiectio ſoluitur infra.

Reſpõſio ad alteram obiectionem.

Actus bifariã ſumitur.

Actus, & potẽtia ſiũt duo modi interiores, poſteriores ipſa exiſtentia.

Formæ cur competat actus.

Materiæ cur tribuatur potentia.

### *Solutio quarti argumenti Thomiſtarum.* Cap. X.

Ad quartum argumenti.

QVartum etiam argumentum non niſi difficulter admodum ſolui poteſt; & niſi quis cautè ſingulas propoſitiones conſiderauerit, eo facilè circumueniri, atque irretiri, neceſſe

eſt.

eſt. Dictum eſt primùm, in rerum vniuerſitate duo oppoſita reperiri, actum, qui eſt primum agens, puta Deus, & potentiam, quæ eſt prima materia. Hæc ipſa propoſitio docet nos rationem, & viam argumentum facilè diluendi: ex ea.n. elicimus, materiam primam eſſe ens, quod in rerum natura conſiſtit, atque in ſeſe potentiam includit; quod ſatis commodè contra ipſos aduerſarios oſtendit, potentiam de eius eſſentia non eſſe. Sed vlterius ad reliqua progrediamur.

Ex ipſomet argumẽto elicitur ſolutio.

Actus dupliciter accipit, cui duplex potentia opponitur; ſpeculare diligẽter.

Aduertendum eſt, pro vera, & perfecta argumenti ſolutione actum, duobus modis accipi poſſe, vno modo pro exiſtentia perfecta: immò pro perfectiſſimo exiſtente; & hoc modo Deus, qui omnium entium perfectiſſimus eſt, actus communiter nuncupari ſolet. Huic actui opponitur potentia, capta pro imperfecta exiſtentia: immò pro imperfectiſſimo exiſtente, quo nomine materia prima ſolet appellari: cum enim dicimus, materiam primam eſſe potentiam, nihil aliud ſignificare intendimus niſi materiam primam eſſe imperfectiſſimum exiſtens, hoc eſt, omnium entium, quæ ſunt in rerum natura, imperfectiſſimam. Altero modo accipitur actus pro quadam vi, quæ reperitur in aliquo exiſtente, ratione cuius illud exiſtens redditur aptum, & idoneum ad actuandum, ſeu perficiendum: & ratione huius habilitatis, vel propenſionis, tale exiſtens denominatur actus: hoc autem exiſtens, quod denominatur actus, eſt ipſa forma, vt ſupra declarauimus. Huic actui opponitur potẽtia, capta pro quadam vi, & habilitate, in aliquo exiſtẽte reperta, ratione cuius, illud exiſtẽs, redditur aptum ad recipiendam perfectionem ab alio; atque rurſus ab hac vi, & habilitate, denominatur potentia; hoc autem exiſtens, quod denominatur potentia, eſt ipſa materia prima.

Not. ſolutionẽ in forma.

Hac præmiſſa diſtinctione, in qua tota vis ſolutionis huius argumenti conſiſtit, ſingulas nunc propoſitiones ponderemus. In rerum vniuerſitate reperitur actus, hoc eſt, perfectiſſimũ ens, vt Deus, & Potentia, hoc eſt, imperfectiſſimum ens, vt materia prima. Hęc propoſitio in hoc ſenſu veriſſima eſt, nec alium, opinor, ſenſum eidem aduerſarij tribuerunt. Subdũt in argumento; ergo eo modo, quo ad vnum oppoſitorum, puta ad Deum, ſe habet actus, eodẽ modo ad alterum, puta ad materiam primam, ſe debet habere potentia. Hæc illatio facilè negari poſſet; cùm præſertim extrema, quibus actus, & potentia competunt. ſ. Deus, & prima materia, inter ſe longè diuerſa ſint. Sed hanc nihilominus conſecutionem admittamus.

Actus. i. exiſtentia aſt de eſſentia Dei.

Subarguunt, ſed actus eſt de eſſentia Dei; concedo hanc propoſitionem. Noto tamẽ, actum hic pro exiſtẽtia ſumi; eſt enim & apud Philoſophos, & apud Theologos ſatis tritum axioma, Dei eſſe ſuum eſſe, hoc eſt, exiſtentiam eſſe de eſſentia, & quidditate Dei; non autem modum intimum: id quod rebus omnibus, à Deo pendentibus contingit, in quibus ex eſſe, & eſſentia, ſiue ex eſſentia, & exiſtentia compoſitio ineſt: in Deo autem nulla eſt compoſitio, ac propterea in ipſo, exiſtentia ab eſſentia non differt.

Aequiuocatio in argumento detegitur.

Cùm tandem concludunt; ergo ſimiliter potentia eſt de eſſentia materiæ; patet non dormientibus, argumentum hic claudicare, atque in æquiuocationis fallacia peccare; ſi enim ſimilitudo locum aliquem habere debeat, opus eſt, vt membra, in ea accepta, oppoſita ſint: at vero potentia, quam eſſe de eſſentia materiæ, concludere intendunt, non opponitur actui, primo modo ſumpto, hoc eſt, ipſi exiſtentiæ, quę eſt de eſſentia Dei; ſed opponitur actui, ſecũdo modo accepto. ſ. pro illa vi, quæ reperitur in aliquo exiſtẽte, ratione cuius illud exiſtens, denominatur actus; atque ita hęc conſecutio non valet; exiſtentia eſt de eſſentia Dei; ergo potentia, hoc eſt, illa vis, & habilitas, ratione cuius materia, in paſſiua ſignificatione, denominatur potens, eſt de eſſentia materiæ.

Recta argumenti cõſtructio, ſed ineſficax.

Valeret autem cõſecutio, ſi argumentum ita fieret; In vniuerſo ſunt duo oppoſita, actus, & potentia; alterum forma dicitur, alterum materia; ergo eo modo, quo ad formam ſe habet actus, eodem modo ad materiam ſe habet potentia: ſed actus eſt de eſſentia formæ; ergo potentia eſt de eſſentia materiæ. Valeret inquam huiuſmodi conſecutio: ſed tunc argumentum in primum, iam ante propoſitum, incideret: quod etiam ſolutum eſt, dum actum de eſſentia formæ eſſe negauimus: diximus enim, formam eſſe actum denominatiuè, non autem formaliter, & quidditatiuè: quemadmodum etiam homo non dicitur riſibilis formaliter, & quidditatiuè, ſed ſolùm denominatiuè.

Intereſt diſputantem diſcernere iter prędicationẽ formalem, & denominatiuam.

Et verò multum intereſt, hac in re, inter denominatiuam, atque formalem, & quidditatiuam prædicationem diſcernere: ſæpe enim Logicæ ignorãtia in cauſa eſt, cur multa argumenta, quæ alioquin facilè ſoluerentur, penitus inſoluta maneant.

Qua

*Quæ à Franciſco Piccolomineo de re propoſita dicta ſunt, expenduntur.* *Cap. XI.*

REiectis iam Auerrois, & S. Thomæ ſententijs, videndum modò eſt, quid recentiores Philoſophi, pro huius quæſtionis explicatione, protulerint: eorum enim placita, diligẽter excuſsa, facilem nobis aditum, ad veram ſnĩam intelligendã, patefacient. Franciſcus Picol. lib. 1. de Rerum naturalium materia cap. 10. & ſequentibus, hanc difficultatem, vnica, diſtinctione, duabuſque concluſionibus, dirimere conatus eſt. Diſtinctio ea eſt: Potentia vniuerſalis materiæ, de qua nunc loquimur, duobus modis cõſiderari poteſt; vno modo pro ſuo eſse abſoluto, quatenus. ſ. cùm formas, tùm affectiones omnes antecedit: altero, pro addita relatione ad obiectum. Tunc ſtatuit hanc primam concluſionem, Potentia vniuerſalis materiæ, antecedens formis, & affectionibus intrinſecus, & pro abſoluto conſiderata, eſt natura, atque eſsentia materiæ. Quam concluſionem iiſdem ferè argumentis confirmat, quibus ſupra S. Thomæ ſnĩa probata eſt. Addit alteram concluſionem, quæ eſt huiuſmodi. Potentia vniuerſalis materiæ conſiderata extrinſecus, pro addita relatione ad obiectum, atque rurſus ſecundum formam, & modum denominationis, diſtinguitur ab eſsentia abſoluta materiæ, intimaque eſt eius affectio. Hæc Piccolominei explicatio iis fortè arriſerit, qui Philoſophiæ potius ſuperficiem, quàm intimam eius medullam attingere moliũtur. Et quod ad primam cõcluſionem attinet, quamuis ex illius probationibus elici poſset, eam à S. Thomæ ſnĩa minimè diſtare: nihilominus concluſio ſimpliciter, & abſolutè poſita, neque rem planè explicat, neque iniectum intellectui ſcrupulum euellit. Quæritur enim potentia, capta pro abſoluto, ſit ne ipſamet natura, atque eſsentia materiæ, an potius aliquid in ipſa latens, atque ab ea diſtinctum. Neque hoc ſufficit, ſed præterea videndum eſt, ſi quidem hæc vniuerſalis potentia eadem eſt cum materia, qua nam identitate ſit eadem? Si verò ab ea diſtinguitur, qua nã diſtinctione diſtinguatur? Hæc ſunt, quæ fuerunt, ni fallor, viro excellentiſſimo in prima cõcluſione explicanda, ſi rectè hanc quæſtionem ſoluere, & alijs, quod contra obijcere nil relinquere, voluiſset. Vt enim ſuperiore diſputatione oſtendimus, ipſe quoque materiæ primæ actum exiſtentiæ conceſſit; ſi igitur ſibi ipſi conſtare vult, dicere nunquam poteſt potentiã, pro abſoluto acceptam, aut eſſentiam eſse, aut de eſsentia materiæ. Sed neque ſecunda concluſio prorſus cum veritate conſentit, præſertim in ſchola noſtra, qui ad idem prædicamentum alicuius rei affectionem, vel (quod aiunt) propriam paſſionem, ad quod ipſum ſubiectũ attinet, pertinere defendimus. Hoc quidem tanquam verum admittimus, vniuerſalem materiæ potentiam, qua ipſa denominatur potens, aptaque dr̃ recipere formas, interiorem eius habilitatem, ſeu propriam affectionem eſſe; illud tamen nullo pacto approbamus, eam ſic acceptam, ad relationis prædicamentum pertinere: infra enim oſtenſuri ſumus, vniuerſalẽ hãc materię potentiam in eodemmet ſubſtantiæ prædicamento collocari, in quo & ipſa materia ſtatuitur; ac proinde potentiam, hoc modo ſpectatam, eſſe aliquid abſolutum, non item relationem, vt Piccolomineus exiſtimauit.

Diſtinctio Piccolomin. qua difficultatem propoſitam ſe dirimere arbitratus eſt.

Prima cõcluſio eiuſdem.

Altera cõcluſio.

Reijcitur prima cõcluſio.

Concluſio altera refutatur.

*Zabarellæ ſententia, de eadem re, compendio colligitur.* *Cap. XII.*

IAcobus Zab. lib. 1. de Prima rerum materia, c. 9. & ſeq. paulò ſubtiliùs hanc quęſtionem tractauit, atque in eandem intimè penetrare viſus eſt: multa quidem dixit, quæ à veritate non omnino abhorrent; nonnulla tamen aſſeruit, quæ à nobis minimè recipiuntur. Propterea eius ſententiam, in multis capitibus ſparſam, cõpendio colligemus: quæ benè dicta ſunt, confirmabimus; quę autem minus rectè, reijciemus. Primò itaque contemplatur Zab. vniuerſalem hanc materię potentiam, inquirẽdo, ſit ne aliquid abſolutum, an potius relatio aliqua? & concludit potentiam, & actum duo relatiua ſecundum eſſe, nequaquam dici debere; ſed ambo eſſe entia abſoluta, in diſtinctis prædicamentis collocata; adeo vt actus ad ſubſtantiæ prædicamentum, potentia verò ad prædicamentum qualitatis attineat; cùm in eius ſecunda ſpecie collocetur. Non inficiatur tamen, actum, & potentiam duo relatiua ſecundum dici, nuncupari poſſe, quatenus. ſ. mens noſtra refert potentiam ad actum, non tamẽ actum ad potentiam. Propriè autem loquendo, aſſerit, actum, & potentiam eſſe duo, quæ tanquam priuatio, & habitus opponuntur; altero enim adueniente, puta actu, alterum ſtatim excluditur. ſ. potentia. Cùm itaque potentia ſit quid abſolutum, tuetur, eam eſſe qualitatẽ, ab eſſentia ma-

Actus, & potentia ſecundum Zabar. ſunt duo entia abſoluta in diſtinctis prędicamentis collocata. Poſſunt tamen appellari relatiua ſecũdum dici. Sed propriè loquendo ſecũdum eum ſunt priuatiuè oppoſita

te-

Vera Zabar. ſententia. Diſtictio Zabar. eius ſententiam aperiens.

teriæ diſtinctam, cui relatio rationis aduenit, qua mens noſtra eam refert ad actum, non tñ actum ad potentiam. Cæterùm, quò clarius difficultatem hanc explicet, eam diſtinctionem præmittit: Materia prima duobus modis accipi poteſt, vno modo in prima notione, quatenus ſubſtantia eſt, & quid abſolutum: altero in ſecunda quatenus re ipſa pars compoſiti eſt, atq; ad formã refertur. Hac poſita diſtinctione, ait ſi materia prima in prima notione, & ſecundum propriam ſubſtantiam conſideretur: tunc potentia vniuerſalis patiẽdi non eſt ei eſſentialis, vt eius eſſentiam conſtituens; ſed eſt ei eſſentialis, vt eſſentiam conſequẽs; adeo vt potẽtia de materia, veluti affectio propria de ſubiecto, in ſecundo modo dicẽdi per ſe prædicetur. Si verò materia in ſecunda notione conſideretur; tunc potẽtia vniuerſalis eſt ei eſſentialis, vt eſſentiam conſtituens, atq; de ipſa, vt rationale de homine, in primo modo dicendi per ſe prædicatur.

*Zabarellæ ſententia, quo ad ſingulas partes, eiuſdem autoris rationibus confirmatur.* *Caput XIII.*

VErùm ne nudam huius Doctoris ſnĩam attuliſſe, dedita opera videamur, eas nunc rationes afferamus in medium, quibus ipſa ab eodem firmata, ſtabilitaq; eſt, vt ex earũ poſtea conſideratione, quantum illa veritatis contineat, patere vnicuiq; poſſit. Quinq; ni fallor, capita continet, hæc Zabarellæ, ſnĩa. Primum illud erat, potentiam, & actum, non verè entia relatiua,, ſed abſoluta potius nuncupanda eſſe. Hoc ita probat; ea eſt præcipua relatiuorum conditio, ab Ariſ. in prædicamẽtis, cap. de relatione tradita, vt ſimul natura ſint, adeo vt altero poſito, alterũ ſtatim ponatur, & altero ablato, alterũ ſtatim auferatur: ſed poſita potẽtia, non ponitur actus, neq; contra: immò altero poſito, alterũ ſtatim aufertur, vt explicatum eſt antè; ergo actus, & potẽtia non ſunt duo entia relatiua. Deinde, illa, quæ relatiua oppoſitione opponuntur, in eadem cathegoria collocantur; ſed actus ponitur in cathegoria ſubſtantiæ, potẽtia verò in cathegoria qualitatis, ergo actus, & potẽtia relatiua oppoſitione non opponuntur. Ex his ſequitur, ſecundum Zabarellam, vt potẽtia primò abſolutum quiddam ſit: deinde verò eidem relatio adueniat. Quod etiam Ariſ. autoritate confirmat, qui potẽtiam omnem, tàm actiuam, quàm paſſiuam, præter quas alia nulla reperitur, in ſecunda ſpecie prædicamẽti qualitatis collocauit: ſed illa, quæ ponuntur in prædicamẽto qualitatis, ſunt entia abſoluta; ergo potentia eſt aliquid abſolutum, non etiam relatiuum. Verùm quoniam huic argumento reſpondent Scotiſtæ, Ariſt. in ſecunda ſpecie qualitatis naturalem potentiam, ad aliquid agendum non poſuiſſe, ſed agilitatem, & facilitatem quandam, vt ex exẽplo, ab ipſomet decurſoribus, & pugillatoribus poſito, manifeſtè elicitur (non enim poſuit in ſecunda ſpecie qualitatis ſimplicem potentiam ad currendum, & pugillandum: ſed agilitatem, & facilitatem ad vtrunque) ideo hanc reſponſionem Zabarella primo refellit; quoniã cùm differentia ſecundum magis, & minus non variet ſpeciem; multò minus poteſt variare genus; ſi igitur potentia benè agendi qualitas eſt: potentia quoque abſolutè agendi qualitas eſſe debebit. Præterea, potentia refertur ad actum: ergo ſicut ſe habet actus ad actum: ita potentia ad potentiam: ſed actus currendi, & actus benè currendi in eadem cathegoria ponuntur: ergo & in eadem cathegoria potentia currendi, & potentia bene currẽdi collocari dẽnt. Deniq; quotieſcunque aliqua duo ſic ſe habent, vt alterum ſit de quidditate alterius: tunc illa ſunt eiuſdem generis; ſed per Ariſ. 9. Metaphy. contex. 2. potẽtia agendi, & potentia benè agendi ſic ſe habent, vt altera ſit de quidditate alterius: ergo illæ potentiæ eiuſdem generis eſſe dẽnt; ſed potentia benè agendi eſt de genere qualitatis, ergo ad idem quoq; genus potentia ſimpliciter agẽdi pertinebit. Secundum caput aſſerit, actum, & potentiam priuatiua inter ſe oppoſitione opponi. Hoc primò probat, quia alterũ alterũ excludit. Deinde Auerr. autoritate cõfirmat, qui 12. Metaph. com. 37. docuit, actum per ſe, potentiam verò per actũ cognoſci: hæc aũt propria conditio eorum, quæ priuatiua oppoſitione opponuntur eſſe vř: nam priuatio per habitum; habitus verò non per priuationem, ſed per ſe cognoſcitur, & definitur. Multas alias cùm rationes, tùm autoritates adducit, quas breuitatis cauſa omitto. Tertio capite porrò, dum materiam in prima notione conſiderat, vniuerſalem potẽtiam non eſſe ei eſſentialem, adeo vt eius eſſentiam conſtituat, hoc modo oſtendit; Nullum accidẽs de eſſentia alicuius ſubſtantiæ dici poteſt: ſed vniuerſalis materiæ potẽtia eſt accidens, materia

Primũ caput opinionis Zabarel. ab eodem confirmatur.

Prima ratio.

Secũda ratio

Ariſtote. autoritas ad idem probandum.

Reſponſio Scotiſtarum, Vide Gadiũ Bon. in quolib q. 4

Prima ratio Zabar. cõtra reſponſionẽ Scotiſtarum.

Secũda ratio

Tertia ratio.

Secũdum caput opinionis Zabarellæ.

Tertiũ caput

verò

verò ſubſtantia;ergo vniuerſalis materiæ potentia eius eſſentiam conſtituere non pōt. Quartum caput hanc habet ſummam, vt ſi materiam in prima notione conſideres, vniuerſalis potentia ita ei eſſentialis ſit, vt eius eſſentiam conſequatur, atque de ipſa in ſecundo modo dicendi per ſe prædicetur. Nanque omnis propria affectio ſui ſubiecti naturam, & eſſentiam conſequitur, & de ipſo in ſecundo modo dicendi per ſe prædicatur; ſed vniuerſalis potentia propria eſt materiæ affectio; ergo eius eſſentiam conſequitur, & de ipſa in ſecundo modo dicendi per ſe prædicatur. Poſtremum caput id continebat, vt ſi materia prima in ſecunda notione ſpectetur, vniuerſalis potentia ita ei eſſentialis ſit, vt eius eſſentiam conſtituat, atque de ipſa in primo modo dicendi per ſe, vt rationale de homine, prædicetur. Hoc probat autoritate. Themiſtij in digreſſione ſuper hac re, vbi ait, alia homini per ſe conſiderato competere. ſ. quatenus homo eſt: alia eidem, vt ad aliud relato, conuenire, puta quatenus pater eſt, Nam habere filium, eſt illi accidens, quatenus homo eſt, idque ſeparatim: ſed eidem, vt pater, eſt eſſentiale. Sic materia prima per ſe, & ſecundum propriam naturam conſiderata, habet in ſe potentiam vniuerſalem, quæ eſt accidens eius proprium, & eius eſſentiam conſequitur: eadē verò conſiderata quatenus eſt principium rerum, & ad aliud refertur, habet in ſe potentiam vniuerſalem, quæ eſt eius neceſſaria conditio, atque illius naturam conſtituit.

Quartum caput.

Quintum caput.

Vide Archã. Mercenar. in ſuis dilucidatio. hanc eandē ſniam ſuſtinentem.

*Primum caput Zab. examinatur, planumque fit, Ariſt. in ſecunda ſpecie qualitatis interiorem habilitatem: ſeu (quod aiunt) aptitudinem, vel propriam paſſionem non poſuiſſe.*

*Cap. XLV.*

NVnc Zab. ſententiam animo attentiore paulò intueamur, ſingulaque eius capita ad veritatis normam ponderemus. Et quod ad primum attinet, dum ait, actum, & potētiam duo relatiua ſecundum eſſe appellari nequaquam poſſe: hoc falſum exiſtimo, ſi de potentia, & actu in abſtracto, &, vt aiūt, formaliter acceptis, intelligatur: & propterea aſſertio hæc abſque aliqua explicatione dimittenda non eſt. Etenim potentia, & actus duobus modis accipi poſſunt, vno modo in abſtracto. ſ. pro rationibus, vel conceptibus, ipſammet potentiam, & actum indicantibus: altero in concreto, ſ. pro rebus ipſis, quæ potentia, vel actus denominantur. Si actus, & potentia primo modo accipiantur, nulli dubium eſt, (neque hoc certè Zab. negaret) quin ea ſint duo entia verè relatiua: alterum enim alterius definitionem ingreditur: nā actus eſt potentiæ actus, & potentia eſt actus potentia; mutuò igitur referuntur. Si verò ſecūdo modo ſpectētur, vtique ſunt duo entia abſoluta, vt rectè aſſerit idem autor. Verùm & hac de re nonnihil difficultatis oboritur: putauit enim Zab. potentiam materiæ, de qua modò loquimur, eſſe quid abſolutum de genere qualitatis; quoniam Ariſt. naturalem potentiam, vel impotentiam, in ſecunda eiuſdem prædicamenti ſpecie collocauit. Hanc quoque aſſertionē arbitror eſſe falſam, & Scotiſtarum potius reſponſioni ſubſcribo, Ariſt. ſcilicet non illam potentiam, quæ aptitudo paſſim appellatur, ſed propriè agilitatem quandam, & promptitudinem ad aliquid agendum, in ſecunda ſpecie qualitatis ſtatuiſſe; propterea tres rationes huius doctoris, quas contra huiuſmodi reſponſionem propoſuit, mihi ſoluendæ ſunt. Ad primā qua dicebatur, magis, & minus non variare ſpeciem, atque adeo neque genus; concedo hanc maiorem: nam eiuſdem ſpeciei eſt albedo quatuor graduū, & albedo octo graduum, ac deinceps eiuſdem generis. Sed potentia agendi, & potentia benè agendi ſe habent ſicut magis, & minus. Hæc erat minor propoſitio, in eius enthimemate implicata, quæ à nobis negāda eſt; quoniam comparatio inter magis, & minus agere, ſiue inter maiorem, & minorem actionē, non penes agilitatem & aptitudinem, nec penes aptitudinem ſolam, ſed penes agilitatem tantum attenditur. Eloquar dilucidiùs. Conſideremus agilitatem ad aliquid agendum, puta agilitatem ad currendum; ſintque duo, qui huiuſmodi agilitatem habeāt, ita tamen, vt alter alacriùs, agiliuſque currat, in hoc ſenſu magis, & minus currere nec ſpeciem, nec genus variare dicuntur; quia vtraque agilitas, maior. ſ. & minor, in eadem ſpecie, & in eodem qualitatis genere collocatur: quemadmodum ſi duæ ſint niuis portiones, altera altera candidior, candoris gradus, qui in vtraque reperiuntur, in eadem albedinis ſpecie, & in eodem coloris genere ſtatuuntur. Si verò inter agilitatem, & potentiam, ſiue aptitudinem ad currendum, comparatio fiat; hæc certe comparatio ſecundum magis, & minus vocari nō poteſt: nam aliud eſt, poſſe currere, hoc eſt, habere aptitudinem ad currēdum; & aliud eſt, velociter currere; ſicut aliud

Notab. diſtinctio, pluribꝰ quidē rebus, ſed potiſſimū huic quæſtioni implicandæ maximè neceſſaria.

Actus, & potentia in abſtracto ſunt relatiua ſecūdum eſſe; in cōcreto ſunt entia abſoluta, & relatiua ſecūdū dici.

Aptitudo ad aliquid agendum non ponit in prædicamento qualitatis.

Reſpōſio ad primam rōnem Zabar. ſuperiore ca. propoſitam.

Nota differētia inter agilitatem, & aptitudinē, & quō duo hęc varia ſibi aſciſcunt prædicamenta.

eſt,

eſt poſſe loqui, hoc eſt, habere aptitudinem ad loquendum, & aliud eſt rectè, facilè, & expeditè loqui: hæc enim duo varia ſibi prędicamenta aſciſcunt. Etenim potẽtia, ſiue aptitudo ad loquendum ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, ſicut ẽt potentia, ſiuè aptitudo ad currendum: alacritas verò, ſiuè facilitas ad loquendum, ſicut ẽt agilitas ad currendum in prædicamento ponitur qualitatis. Ratio ea eſt, quia alacritas ad loquendum qualitas quædã eſt, quæ aptitudini quodãmodo accidere dicitur. Quòd autem poſſe loqui, & expeditè loqui nõ ſint idem, ex eo elici facilè poteſt, quia multi ſunt, qui potentiam, ſiue aptitudinem habent ad loquendum, qui tñ nec facilè, nec rectè, nec expeditè loquuntur. Sed neque ẽt cõparatio

Pondera hãc rationem.

ſecundum magis, & minus penes ſolam aptitudinem attendi poteſt: quoniam aptitudo affectio quædam eſt, quæ magis, & minus non ſuſcipit, ſicut nec ſubiectum, cum quo re ipſa eſt eadem: vnus enim homo non dicitur magis aptus ad ridendum, quam alter, ſicut nec dicitur magis rationalis, nec magis homo. Aliquis tñ homo reperiri poteſt, qui promptior ſit ad ridendum, quàm alter; propterea cùm aptitudo ad ridendum non ſuſcipiat magis, nec minus, ea nullo pacto in qualitatis prædicamento collocãda eſt. Ad ſecundam rationem negã

Reſpõſio ad ſecundam rõnem Zabar.

da eſt ſimilitudo: quoniam actus licet in vnico prædicamento ſtatuatur, ad duo tñ referri poteſt, vel ad naturalem aptitudinem, vel ad facilitatẽ; & ab his duobus actio oriri poteſt, quæ in eodem prædicamento collocetur, ſicut ſunt actus currendi, & actus benè currendi: tñ fundamenta à quibus emanant, in diſtinctis prædicamentis ſtatuuntur, vt iã dictum eſt. Ad ter-

Reſpõſio ad tertiam rationem.

tiam neganda eſt minor: & cùm probatur per Ariſ. quia in definitione potentiæ benè agendi ponitur potentia agendi; reſpondeo, hoc ita eſſe ratione cuiuſdam neceſſariæ poſitionis; non enim potentia benè agendi eſſe poteſt; niſi etiam agendi potentia ſtatuatur; ſicut nulla facilitas ad aliquid agendum ſine aptitudine ad idem poni poteſt: non ideo tamen ſequitur, vt potentia agendi, & potentia benè agendi ſint eiuſdem generis.

### *Secundum caput opinionis Zabarellæ perpenditur, vbi actum, & potentiam, non priuatiua, ſed relatiua oppoſitione opponi, demonſtratur. Cap. XV.*

ERat aliud caput opinionis Zabarellæ, quo ille docuit, potẽtiam, quòd actus priuationẽ dicat, idcirco cum ipſo actu priuatiuam oppoſitionem, non etiam relatiuam habere, ſicut eſt cõis opinio. Pro huius aſſertionis diſcuſſione, quæ certè magni momenti eſt, & ad pręcipuam difficultatem dirimendam maximè neceſſaria, nouam inſtituere quæſtionem oporteret: verùm quoniam paulo longiùs prouecta eſt hactenus diſputatio; idcirco quàm breuiſſimè potero, illam expediam. Et vt æquiuocatio abſit, animaduertere primùm operæpreciũ

Quo actus, & potẽtia in præſenti diſputatione accipiantur.

eſt, cùm de potẽtia, & actu loquimur, non de potẽtia, & actu, tanquam de rebus in abſtracto conſideratis, nobis ſermonem eſſe, quoniam nec Zabarella, nec quiuis alius Doctor negare vnquam poterit, hæc duo, ſic accepta, eſſe relatiua ſecundum eſſe, &, quod hinc ſequitur, inter ſe relatiua oppoſitione opponi, vt ſatis commodè à nobis antè demonſtratum eſt. Sermo igitur eſt de potẽtia, & actu in concreto ſpectatis, quæ certè affirmare nunquam poſſum, priuatiuam inter ſe oppoſitionem habere, quemadmodum Zabarella teſtatur. Rectè ait ipſe

Vniuerſalis materiæ potentia, per aduenientẽ formam non extinguitur; ideo nõ habet cũ actu priuatiuam oppoſitionem.

cum Ariſto. hanc eſſe eius generis, oppoſitorum conditionem, vt altera adueniẽte, alterum extinguatur, rectè inquam: ſed adueniẽte forma in materia, vniuerſalis illa potẽtia non extinguitur, de qua nunc ſermo eſt, & per quam materia potẽs, & apta redditur, ad omnes formas ſenſim recipiendas: ea enim potentia eadem menſura deſcribitur, qua ipſamet materia nec, ſi Ariſ. audiamus, vnquam peritura: non igitur potẽtia, & actus veluti priuatio, & habitus opponuntur. Cæterùm quemadmodum Zabarella exiſtimauit, alios in huiuſmodi oppo

Per aduentũ formæ tollitur potentia materiæ particularis.

ſitione deceptos eſſe; ita, illum errore maximo, circa verum potentiæ intellectum, de qua nunc loquimur, ductum fuiſſe arbitror. Fieri quidem poteſt, vt per aduẽtum actus, puta formæ, particularis aliqua materiæ potẽtia tollatur: quæ tandem nihil eſt aliud, quàm extraria quædam, & accidẽtalis affectio, vt declaratum eſt ante. Verùm hæc potẽtia non ea eſt, cui

Quænam ſit illa potentia, quę per aduenientem actũ extinguitur, cui que actus priuatiuè opponitur.

propriè actus, veluti priuationi habitus, opponatur: ſed quæ per ſe non repugnantiam dicit, & obiectiua ſolet nuncupari, quęq; rurſus per aduenięntem actum extinguitur, atq; vna entis differentia eſt, quæ, vt decimus docet Metaph. lib. maximè actui opponitur, nec ſimul cum eo manere vlla ratione põt. Expedit exẽplis rem hanc dilucidè explicare. Potentia ad ambulandum, ſi pro facultate ſumatur, qua quis aptus, & potens ad ambulandum redditur, per

adue-

adueniẽtem actum, puta per ambulationem, non aboletur: adhuc enim in ambulante illa potẽtia manet, qua arbitratu ſuo ambulare pôt; immò niſi illa potẽtia in ambulante ineſſet, nô ambularet. At verò ſi potẽtia ad ambulãdũ, pro ambulationis defectu, & pro nõ repugnãtia ad talem actum, accipiatur; tunc verum eſt dicere, huiuſmodi potẽtiam per aduenientem actum deleri, nec vllo pacto vnà cùm ipſamet ambulatione manere poſse: nõ enim põt quis eſſe in potẽtia ad ambulandum, & actu ambulare; vel, vt clarius afferamus exẽplum, non poteſt aliquid habere potẽtiam ad eſſe, & actu in rerum natura cõſiſtere: ſed ſtatim atq; in vniuerſo exiſtit, prior illa potẽtia extinguitur, ratione cuius eidem in vniuerſo exiſtere non repugnabat: & de hac potẽtia intellexit Auerroes, dum dixit, eam cum actu priuatiuam oppoſitionem habere. Quare potẽtia, & actus, de quibus modò diſſeruimus, non priuatiua, ſed relatiua tãtum oppoſitione opponuntur, ſuntq; relatiua, non ſecundum eſse, ſed ſecundum dici, quemadmodum etiã materia, & forma, quibus potentia, & actus, tãquam propriæ affectiones, tribuũtur. Duo hæc rerum initia, ſicut perficiens, & perfectibile ſe ſe reſpiciunt: & quãuis forma re ipſa in materia eſt; non ideo tñ ratio illa, vt ita dicam, perfectibilitatis à materia tollitur: hæc enim illi competit, quatenus materia eſt. Eadem ratione, potẽtia per ſe, & ſua natura ſua ordinem ſemper ad actum deſignat; & quamuis, adueniente actu, ſuum iam ſinẽ, ac terminum potentia attigerit; non ideo tñ eius ratio aufertur, quia ſemper talem ordinem in ſe ſe, vel actu, vel habilitate includit. Non igitur actus, & potentia priuatiuam inter ſe, ſed relatiuam ſolum oppoſitionem habere dicuntur, ſiue illa in abſtracto, ſiue in concreto accipiantur.

Exẽplũ et facile apiens.

Habes, quod quæris; nota diligenter, & cõfer cũ eis, q̃ dicta ſunt ſupra cap. 8.

Materia de ſua formali rõne perfectibilis eſt, forma verò perficiẽs; hæcq; prædicata illis perpetuò conueniunt.

Potẽtia ſemper dicit ordinem ad actum.

*Duæ rationes Zabarellæ ſuperius poſita, quibus ipſe probauit, actum, & potentiam relatiua oppoſitione non opponi, diluuntur.* Caput XVI.

DVas nunc Zabarellæ rationes ſuperiùs poſitas expediamus, quibus ipſe oſtendere conatus eſt, actum, & potentiam relatiuam inter ſe oppoſitionem nõ habere. Ad primã, cùm dicebat, hãc eſſe relatiuorũ cõditionem, vt ſimul natura ſint; hoc dupliciter intelligi põt, vel quantũ ad naturalẽ exiſtentiã, vel quantũ ad naturalẽ intelligentiam. Vera quidem eſt hęc propoſitio, quantum ad naturalẽ exiſtentiam de relatiuis ſm eſſe; poſito.n. patre, ipſum quoq; filium poni, neceſſe eſt: de relatiuis aũt ſm dici, cuiuſmodi in re noſtra ſunt potẽtia, & actus, propoſitio nõ eſt vera, niſi quantũ ad naturalem intelligentiã. Non põt quidem rectè intelligi potentia, niſi ẽt actus, ei oppoſitus intelligatur; falſum eſt tñ; poſita potentia, ipſum ſtatim actum poni debere: namq; mobile, & motiuum duo quoq; relatiua ſunt, nec mobile, quatenus mobile eſt, intelligi perfectè poteſt, niſi ẽt intelligatur motiuum: nõ tñ neceſſe eſt, vt poſito mobili, ſtatim ponatur motiuum. Ad ſecundam, dum dicebat, ea, quæ vt relatiua opponuntur, in eadem cathegoria poni debere: concedenda eſt hæc propoſitio, quatenus relatiua ſunt, & cęteris paribus: hoc eſt, ſi ambo illa relatiua eodem modo accipiantur, puta aut ambo in abſtracto, aut ambo in concreto, ſi verò alterum in abſtracto, & alterum in concreto accipiatur; tunc propoſitio non erit vera. Cùm aũt ſubdit, ſed actus ponitur in cathegoria ſubſtãtiæ; ergo potentia non dẽt poni in cathegoria relationis; manifeſtum eſt, hîc accipi actum in concreto, & pro fundamento. ſ. pro ipſa forma, quæ verè in ſubſtantiæ prædicamento ſtatuitur; ideo ſi eodẽ ẽt modo potentia capiatur, rectè illa quoq; in prædicamẽto ſubſtantiæ collocari poterit, vt declarabimus infra. Sin autem potentia in abſtracto, & pro ſuo formali ſignificato accipiatur: tunc illa ponitur in prædicamento relationis, in quo ẽt & ipſe actus ſtatuitur, ſi eodem modo accipiatur. Patet igitur, argumentum nihil concludere.

Reſpõſio ad primam rationem. Quęre ſupra cap. 13.

Nota gloſsã huius propoſitionis, Relatiua ſunt ſi mul natura.

Ad ſecũdam rationem.

*Tria poſtrema opinionis Zabarellæ capita tanquam rationi conſentanea, ab autore confirmantur.* Caput XVII.

TErtium, & quartum caput opinionis Zabarellæ hac vnica concluſione comprehendi facilè poſſunt. Si princeps rerum materies, quo ad ſuum eſſe abſolutum, & in prima, vt aiunt, notione ſpectetur, vniuerſalis potentia eſt illi eſſentialis, non ita quidem, vt eius eſſentiam conſtituat, & quodammodo compleat: ſed ita, vt eius naturã, atq; ſubſtantiã conſequatur. Non video, quid addi huic concluſioni, quidvè ab illa detrahi, aut quid contra eandem obiji poſſit: veriſſimam enim illã arbitror, & rationi maximè conſentaneã; quam etiã

Hæc Zabar. concluſio eſt ad mentẽ au

poris, quare infra cap. 10.

paulò infra defenſurus, & explicaturus ſum. Eſt tamen aliquid, quod poſſet in eius probatione notari. Etenim Zabarella, ad eam probandam, hoc argumento vſus eſt; Nullum accidēs poteſt eſſe de eſsentia alicuius ſubſtantiæ: ſed vniuerſalis materiæ potentia eſt accidens; ergo vniuerſalis materię potentia de illius eſsentia eſsę non poteſt. Vt veriſſimam propoſitam

Zaba. proba. tio reijcit.

concluſionem exiſtimo; ita huiuſmodi probationem omnino arbitror à veritate abhorrere: cum enim apud me vniuerſalis materiæ potentia eadem omnino res ſit, quæ eſt materiæ ſubſtantia; eò adduci nequaquam poſsum, vt tuear, in accidentium numero illam collocari debere, quemadmodum infra planiùs explicabo. Niſi fortaſse dicamus, vniuerſalem materiæ potentiam, propterea quòd propria eius affectio eſt, nec de ipſa in primo, ſed in ſecundo modo dicendi per ſe prædicatur, nulloque pacto eius definitionem, vel quaſi definitionem, aut deſcriptionem ingreditur: idcirco accidens proprium nuncupari poſſe. Ita enim quælibet propria affectio veluti rationem quandam habet accidentis, quia prædicatur in quale; ſi eam tamen conſideres, quatenus formali diſtinctione à ſubſtantia diſtinguitur. At verò ſi eam conſideres, quatenus in vnam, & eandem rem cum ſubſtantia coit, atque ab illa, ſtatim poſita, proficiſcitur; tunc in ſubſtantiæ prædicamento, & nullo pacto in accidentium numero collocatur.

Vniuerſalis materiæ potentia, cū ſubſtantia re vera ſit, accidēs tamen proprium nūcupari poteſt.

Poſtremo capite: dum materiam in ſecunda notione accipit, vniuerſalem potentiam eſſe illi eſſentialem affirmat, vt eſſentiam conſtituentem, quæ de ipſa in ſecundo modo dicēdi per ſe prædicetur. Hoc pariter veriſſimū puto: vt enim paternitas hoc modo dicitur de eſsētia patris; quia eſt cauſa, cur homo illa præditus, referatur ad filium: ita potentia hoc modo dicitur de eſſentia materiæ, in ſecunda notione acceptæ, quia eſt cauſa, cur materia, eam obtinens, referatur ad formam. Hæc cum Zab. ſatis.

Poſtremū caput opiniōis Zabarel. tanquam verum confirmatur.

## *Quid Pendaſius, & Vicomercatus circa propoſitam difficultatem protulerint. Cap. XVIII.*

Federicus Pēdaſius.

FEdericus Pendaſ. in examine Ariſ. dogmatis de principijs, parte 17. paucis verbis, ſed tamen doctiſſimè, atque eruditiſſimè hanc difficultatē explicauit. Contemplatur primùm naturam materiæ, quam autore Simplicio, ſecūdum obſcuram quandam formæ terminationem ſubſiſtere dicit; quaſi illius eſſe in hoc potiſſimùm conſiſtat, vt poſtremus quidam terminus ſit, in quem deſinit, finemque facit forma. Etenim immateriales ſubſtantiæ hoc maximè à formis materialibus diſſident, quod illæ puriſſimi, ſimpliciſſimique actus ſunt, nulla materiæ labe coinquinati, ſed penitus defæcati: hæ verò fæcem aliquam ſibi coniunctam neceſſariò habent, cui, tanquam baſi, ſedimento, ac veluti cuidam hypoſtaſi, inſident. Id autem eſt, quod materiam vocitamus: nec mirum, ſi hiſce quoque nominibus prima rerū materies ab Aegyptijs appellata fuerit. Cùm igitur vocem potentiæ nos audimus, frequentiſſimum quidem, hoc eſt, ait Pendaſ. vt relationem quandam intelligamus: potentia enim abſolutè, & in abſtracto conſiderata, de eorum numero eſt, quæ ad aliquid dicuntur: refertur enim ad poſſibile, vt nos quoque ſupra monuimus. At verò apud Philoſophos, potentiæ nomine abſolutum quippiam, non etiam relatiuum ſignificatur: hoc eſt, obſcura illa terminatio, in quā forma deſinit; rudimentum illud, atque rerum omnium inchoatio; illud ſedimentum, illa baſis, illa hypoſtaſis, illa fęx, cui forma inſidet, & ſine qua naturæ viribus ſubſiſtere nequit; atque ſummatim, cùm nulla ſit aptior vox, quæ naturam materiæ nobis ſignificantiùs repręſentet, fit, vt quotieſcunque Philoſophi potentiæ nomē audiunt, eo ſtatim ipſius materiæ naturam, atq; ſubſtantiā intelligant.

Diſcrimē iter formas materiales, & immateriales. Quibus nominib. fuerit prima rerum materies ab Aegyptiis appellata.

Apud Philoſophos noīe potentiæ materia ſtatim intelligitur.

Porrò hanc imperfectam ſubſtantiam, quæ materia eſt, illico ad aliud quippiam habilitas, vel propenſio conſequitur; veluti perfectibilis ad propriam perfectionem: quæ quidem propenſio nulli qualitati, in materia inexiſtenti, ſed ipſimet ſubſtantię materiæ accumbit, vt pote quæ per ſemetipſam, & non per aliquid, ei extrinſecus additum, formam perpetuo appetit. Hic autem appetitus per potentiam propriè, pro vt relationē dicit, nobis ſignificatur: nec ideo tamen putandum eſt, materiam in prædicamento ad aliquid collocari debere, cum abſolutum quippiam ſit, in ſui natura illud includens, quo formis omnibus ſubſterni, ſubijcique poteſt.

Potentia materiæ eſt aptitudo, quæ ꝓximè ab eius ſubſtantia ꝓficiſcitur.

Viſus eſt mihi ſapiētiſſimus ſenex, aureis hiſce verbis, rem actu tetigiſſe: etenim, eo autore, neque potētia eſt de eſſentia materiæ, adeo vt materia ſit formaliter, & quidditatiuè potentia (vt dicunt Scholæ) cùm ipſam, rudimētum, hypoſtaſim, baſim, fæcem aliquam, & ſummatim ſubſtantiam imperfectam, & indeterminatam, iam actu conſiſtentem, appellarit. Neque etiam eſt accidens, materiæ additum, docuit. n. eſſe appetitū

Autor commēdat explicationem Pēdaſij.

quen-

quendam vniuerſalem, qui proximè, & abſque vllius accidentis interiectu, materiæ ſubſtantiam conſequitur. Concludit itaque habilitatem eſſe materiæ, qua totum genus formarum reſpicit, à quibus ſenſim perfectionem recipere poteſt; atque adeo ad illius naturam ita pertinere, vt de ipſa, non in primo, ſed in ſecundo modo dicendi per ſe prædicetur: quo neſcio quid hac de re ſubtilius, aut doctius dici, excogitarive poſſit. Vicomercatus etiã, lib. 1. de Rerum naturalium principijs c. 13. in fine, ſatis quidem eruditè hanc difficultatem enodauit: ibi enim docuit, potentiam eſſe quidem eſſentiam materiæ, per quam, veluti per quiddam notius, materiam ipſam definimus, aut veriùs deſcribimus: tamen per potentiam non eſſe intelligendam partem aliquam ſubſtantialem, veluti differentiam quandam materiæ; cùm materia ſimplex ſit, nec vllius particeps compoſitionis; ſed modum quendam eſſendi. Et quẽadmodum dicere ſolemus, ſucceſſionem, quaſi modum quendam interiorem ipſius motus eſſe; ita nobis dicere liceat, potentiam, veluti modum quendam, ad naturam, atq; ſubſtantiã materiæ pertinere. Hæc explicatio non longè, opinor, à veritate abeſt: nam ſicut ſucceſſio ad motus eſſentiam non ita pertinet, vt eius naturam penitus cõſtituat, quaſi motus nihil ſit aliud, quàm ſucceſſio: ſed potius vt eius naturam nobis exprimat, quæ in fieri cõſiſtit, atque ſucceſſionem neceſſariò expoſcit: eadem ratione potentia non adeo materiæ intima putanda eſt, vt eius omnino ſubſtantia ſit, quaſi materia nihil aliud ſit, quàm potentia; ſed vt eius naturã nobis propriè, atque appoſitè repræſentet: quæ cùm imperfecta, atque indeterminata ſit, ſatis congruè nobis eo appetitu, atque propenſione ſignificatur, qua formas omnes reſpicit, à quibus perfici, abſoluique poteſt.

Vicomercati explicatio.

Autor commẽdat explicationem Vicomercati.

### *Franciſci Bonamici explicatio perpenditur.* Cap. XIX.

NE quid huic diſputationi deficiat, quod circa recentium Philoſophorum placita deſiderari poſſit, paucis colligere lubet: quæ Frãciſcus Bonamicus, doctor egregius hac de re prodidit. Is lib. 6. de Motu c. 21. hoc tanquam certum, Ariſtoteliſque, & Auer. autoritate munitum, pronunciatum præmittit, nimirum poteſtatem, & actum prima rerum elemẽta eſſe, quæ materiam, & formam, veluti vmbra corpus, inſequuntur. Porrò potẽtia, & actus duo potiſſimùm, ait Bonamicus, ſignificare ſolent, alterum in recto, alterum in obliquo: in recto ſignificant naturas, & eas quidem ſimplices: in obliquo ſignificant modos, qui rebus præcipuè compoſitis tribuuntur. Poteſtas, vt naturam ſignificat, eſt ens, quod ex ſe ipſo poteſt. Actus dicitur ens, quod per ſe ipſum eſt. At verò duo hæc, vt ſignificant modos, rebus aſcribuntur, quæ ex naturis ſimplicibus coaleſcunt; vt ego nunc actu ambulo, poteſtate tamen quieſco. Hæc cum ita ſe habeant, planum eſt, inquit, vt actus eſſentiam formæ indicat; ita potentiam eſſentiam materiæ ſignificare. Quod & autoritate, & ratione confirmat: etenim Ariſt. 1. Phyſicorũ, materiã p̃tãtem vocauit, eamque ingenitam, & indiſſolubilem eſſe, teſtatus eſt. Rurſus li. 12. Primę Philoſophiæ docuit, potẽtiã eſſe cauſam interitus; noĩe aũt poteſtatis, ipſam primã materiam intellexit. Ad hæc, materia, & forma ſimpliciſſima principia cùm ſint, nihil hẽnt annexũ, quo differant, ſed proprijs naturis, ſubſtantijs, atq; eſſentijs diſtinguuntur at vero p̃tãte, & actu diſtinguũtur; igitur vt actus eſt eſſentia formæ, ita poteſtas eſt eſſentia materiæ. Neque verò putandũ eſt, tametſi p̃tãs, prout naturam ſignificat, eſſentiam materię connotet; eidem materiei actum, prout modum ſignificat, competere nõ poſſe: dicimus enim, materiam, quæ nihil aliud eſt, quàm potentia, eſſe actu materiam. Hæc Bonamicus. Subtiliſſimus iſte Philoſophus, quem ego ſæpiùs Piſis, & prælegentem audiui, & domum officij cauſa cõueni, vt in Peripatetica Philoſophia, atque præſertim in Grecis expoſitoribus exercitatiſſimus; ita in Scholaſtica doctrina valde ieiunus fuit; adeo vt Scholaſticos doctores nõ modo non legerit, ſed omnino neglexerit: quod certè in cauſa fuit, cur obſcuram nimis doctrinã nobis reliquerit, nec quęſtiones difficiles cumulatè tractarit. Id quod in præſenti diſputatione animaduertere licet: in qua Ariſt. ſententiam, quæ eſt, potentiam eſſe eſſentiam materię, patefecit quidem; ſed explicationem tradidit obſcuram, & Grecorum conſuetudini accommodatã, quę ſ. ad varias partes flecti, & modis etiã oppoſitis intelligi poteſt. Sciunt omnes, potentiam eſſe eſſentiam materię, quia ſ. veluti attributum quoddam ſumitur, ad eius naturam declarandam; cum ſit ſubſtantia quędam imperfecta, & indeterminata, ex qua omnia fieri poſſent. Nõ enim materia eſt ſubſtantia compoſita, quę differentiam habeat, à qua eius

Actus, & potentia, prima ſunt rerũ elemẽta, quæ formã, & materiam, veluti vmbra corpus inſequuntur.

Opinio Bonamici.

Ratio eiuſdẽ.

Franci. Bonami. optimus peripatetic⁹, ſed in Scholaſticis doctorib. minimè verſatus.

Bonamici explicatio obſcura, nec rẽ planè conficiens.

Caput diffi- cultatis, quod nõ tetigit Bonamicus.

Error multorũ noſtri tẽporis Philoſophorum.

definitio ſumi poſſit; propterea conſueuit Ariſ. & conſueuerunt omnes Philoſophi quandã quaſi definitionem, vel deſcriptionem ab eius proprietate deſumere, atq; illam ipſam potentiæ nomine nuncupare. Verùm non ſatis eſt hoc intellectui, præterea quærenti ſit ne potentia de eſſentia, & quidditate materiæ, adeo, vt de ipſa in primo modo dicendi per ſe prædicetur: an ſit accidens, illi additum: an potius proprietas quædam, ab eius ſubſtantia proximè proficiſcens. Hæc erant Bonamico in ſolutione quæſtionis aperienda. Sed hoc illi cum multis Philoſophis, ex recentiorum numero, commune eſt: adeo enim Græcis expoſitoribus addicti ſunt, vt præter eos neminem arbitrentur Philoſophum exiſtere poſſe; nullam aliam amplectantur doctrinam, omnia negligant, & aſpernentur; ac ſi poſteriores homines, qui ſe Philoſophiæ dediderunt, intellectu penitus caruerint, vt nihil ſpeculari, nihil noui condere potuerint. Quid igitur? Optimè quidem iſti Philoſophi a Græcis expoſitoribus Ariſtotel. mentem eliciunt; (in hoc enim Græci interpretes plurimum valuerunt) attamen difficultates, circa Ariſtotel. mentem, ab ijs iam eductam, obuerſantes, ſoluere difficillimè poſſunt; & hanc puto præcipuam eſſe cauſam, cur eorum Philoſophia obſcuriſſima ſit.

*Vera ſententia, de difficultate propoſita, quatuor concluſionibus explicatur.* *Cap. XX.*

Vera ſententia de potentia materiæ.

Notabilis ſpeculatio, aduenguem explicans vniuerſalẽ materiæ potentiam.

EXpoſitis iam aliorum opinionibus, atq; explicationibus: quibus ſatis commodè intellectus ad veritatem capeſſendam paratus eſt, non erit deinceps difficile, veram, quã arbitramur ſniam, de propoſita difficultate, depromere. Et vt paucis illam complectamur, defendendum putamus potentiam materiæ non eſſe omnino ipſammet materiam, neque relationem eidem aduenientem, neque aliquod abſolutum, de genere qualitatis: ſed eſſe aliquod abſolutũ, de genere ſubſtãtiæ, quod idẽ re ipſa eſt cum prima materia, ab eadẽ verò formali diſtinctione diſtinguitur. Quò huius opinionis veritas magis eluceat, ſingulę eius partes breuiter declarandę ſunt, & primò quid ſit hæc potẽtia materiæ, qua ipſa potẽs, & apta dicitur ad formas recipiendas. Hæc igitur, vt paulò ante dicebamus, nõ eſt aliquid, ex varijs materiæ affectionibus conſurgens, quo illa ita ad hãc formam, vt non ad aliã recipiendã, apta, idoneaq; reddatur: quæ enim huiuſmodi eſt, particularis materię potentia nuncupatur, de qua in præſentia locuturi non ſumus. Sed potentia materiæ vniuerſalis, de qua nunc ſermo eſt, conſiderata, non pro eius formali ratione, quatenus ſimpliciter indicat ordinem ad actũ, eiuſque correlatiuum exiſtit: ſed pro re connotata, ſeu pro fundamento proximo relationis, eſt aliquod abſolutum, fluens ab eſſentia materiæ, æquè tamen ac illa æternum, & eſſentiale, quo ad omnes formas ſenſim recipiendas, apta, idoneaque dicitur. Erit igi-

Vniuerſalis materiæ potẽtia eſt eius propria affectio.

tur potentia materiæ propria eius affectio: & quemadmodum riſibilitas fluit ab internis principijs humanæ ſpeciei, & non eſt accidens illi additum, ſed eſt habilitas quædam, homini eſſentialis, ſine qua homo exiſtere nõ põt, quæq, in eodẽ prædicamẽto ſedẽ hẽt. in quo ponitur ipſe homo: ita ẽt potentia materiæ eſt eius affectio, ſeu habilitas, ab interna eius natura proficiſcens, quæ in ſubſtãtiæ prædicamento ponitur, in quo & ipſamet materia collocatur.

Prima cõcluſio.

Cùm ergo quæritur de modo, quo potentia ad primam materiã ſe habeat, vniuerſam quæſtionem quatuor concluſionibus explicare poſſumus. Prima eſt, Potentia materiæ eſſentiali diſtinctione à materia non diſtinguitur. Hæc ita probatur, nanq; diſtinctio eſſentialis datur inter duas naturas, ſiue eſſentias diſtinctas, vt inter duo eiuſdem, vel diuerſarum ſpecierum indiuidua: ſed potentia materiæ eſt eiuſdem naturæ, atq; eſſentiæ cum ipſamet materia: ergo eſſentiali diſtinctione à materia nõ diſtinguitur. Probatur minor: affectio enim, & ſubiectum re ipſa idem ſunt, atq; in vnam, & eandem ſubſtantiam coeunt, vt ſupra demonſtratum eſt: ſed potentia eſt affectio, materia verò ſubiectum, vt inter omnes conſtat: ergo potentia eiuſdem eſt naturę, atque eſſentiæ cum materia.

Secunda cõcluſio.

Secunda, Potentia materiæ non eſt accidens, illi additum. Hæc facilè oſtẽditur: quod enim ſimul cum altero æternum eſt, ei nullo modo accidere dicitur; ſed potentia materiæ ſimul cum ipſa materia æterna eſt, eo modo, quo propenſio ad locum deorſum eiuſdem eſt qui cum corpore graui; ergo potentia materiæ non eſt accidens, illi additum.

Tertia cõcluſio.

Tertia, Potentia materiæ non eſt de eſſentia materiæ. Hæc ex ſe clara eſt, illud enim de alterius eſſentia dicitur, quod de ipſo primo modo dicendi per ſe prædicatur; ſicut animal, & rationale de hominis eſſentia dicuntur, qua de ipſo in

primo modo dicendi per ſe prædicantur, atque eius definitionem ingrediuntur: ſed potentia non prædicatur de materia in primo modo dicendi per ſe, cùm ſit eius affectio; ergo potẽtia non eſt de eſsentia materiæ. Quarta, Potentia dicitur eſse materiæ eſsentialis, vel coeſsentialis. Etenim illud dicitur eſse alteri eſsentiale, vel coeſsẽtiale, quod de ipſo in ſecundo modo dicendi per ſe prædicatur, ſed vt ſupra diximus, potentia prædicatur de materia in ſecundo modo dicendi per ſe, ergo materia dicitur eſse materiæ eſsentialis, vel coeſsentialis.

Quarta concluſio.

*Notabilis diſtinctio, totam diſputationem iam planè conficiens.* **Caput XXI.**

CÆterùm, pro clariore huius ſniæ explicatione, aduertendum eſt iuxta ſubtilium doctrinam, quæ hac in re mihi valde probatur, inter hæc duo latiſſimum eſse diſcrimen, nimirum inter eſse alicui intimum, vel eſsentiale, & eſse de eius eſsentia, vel intima ratione, id quod non omnes forſitan animaduerterunt. Illud dicitur eſse alicui intimum, vel eſsentiale, quod ad eius naturam aliquo modo pertinet, immò quod intra eius ſubſtantiam continetur, & quod vnà cum ipſo rem eandem omnino efficit. Illud verò dicitur eſse de alterius eſsẽtia, vel intima ratione, quod illius definitionem, vel conceptum quidditatiuum ingreditur, quod de illo in primo modo dicẽdi per ſe prædicatur, & quod non ſolum cum eo reapſa idẽ eſt, ſicut quod eſt alteri intimum; verum etiam maiori vnione, vel (vt aiunt) identitate coniungitur, qualis eſt apud ipſos identitas formalis. Hinc ſequitur, vt id, quod de alicuius eſſentia, atque de intima ratione eſt, eidem pariter intimum, atque eſſentiale dicatur: formalis enim vnitas, ſiue indentitas, realem identitatem neceſſariò ponit, & infert: non tamen ſequitur reciprocatio, vt quicquid alicui intimum, atq; eſſentiale eſt, de illius etiam eſſentia, & intima ratione dicatur: quod enim re ipſa cum aliquo idem eſt, non eſt neceſſe, vt conceptu, definitione, vel, vt aiunt, formalitate, ſit idem: quoniam cùm identitate, vel vnitate reali manere poteſt diſtinctio formalis. Sed rem explicemus exemplis, quò dilucidior fiat. Rationale dicitur eſſe de eſſentia, & intima ratione hominis, vt in tertia concluſione capitis præcedentis notauimus; & propterea illud quoque intimum, atque eſſentiale homini eſſe dicitur. At verò riſibile homini quidem intimum, & eſſentiale eſt, cùm extra eius eſſentiam, atque naturam non reperiatur; de eius tamen eſſentia, atque intima ratione non dicitur, cùm de ipſo in primo modo dicendi per ſe non prædicetur. Nunc ad rẽ noſtram. Potentia materiæ eſſentialis quidem materiæ dicitur, quia extra eius eſſentiam, atque naturam non reperitur: eidem etiam eſſentialis, & coæterna vocatur; quia ſemper fuit cum eſſentia, ſeu ſubſtantia materiæ: & ſicut homo nunquam fuit ſine habilitate ad ridendum; ita materia nunquam fuit ſine vniuerſali potentia ad recipiendas formas. Huiuſmodi tamen potentia de eſſentia, vel de intima ratione materiæ dici non poteſt; quia, vt probauimus, ad eius quidditatem non pertinet, nec de ipſa in primo, ſed in ſecundo modo dicendi per ſe prædicatur.

Latiſſimũ diſcrimẽ inter eſſe de eſſentia alicuius, & eſſe illi eſſentiale.

Quid ſit eſſe alicui eſſentiale.

Quid ſit eſſe de alicuius eſſentia.

Quicquid eſt de alicuius eſſentia, & etiã illi eſſentiale, non tamẽ cõtra.

Exemplũ rẽ aperiens.

Habes quod quæris de potentia materiæ.

# DE MVNDI AETERNITATE

## Diſputatio Quinta.

*Dicendorum propoſitio.* *Caput Primum.*

Diſſidium inter Ariſto. & Catholicã fidem de mundi exordio.

DOcuit Ariſt. mundum incepiſſe nunquam, eſſeque eum perpetuis ſeculorum ætatibus duraturum. Docet Catholica noſtra fides, mũdũ à Deo in temporis initio conditum eſſe, atque eundem aliquando interiturũ. Pugnant inuicem huiuſmodi propoſitiones, vtra vera? Res eſt magni momenti, & quæſtio ſcitu digna, ſi qua eſt in vniuerſa Philoſophia. Vna tñ eſt veritas: à quo nã ipſa petenda eſt? ab Ariſt.? Altior eſt cõtẽplatio hęc, quàm vt ab humano intellectu confici poſſit. A Catholica noſtra fide? Rẽ citò perducemus ad exitum, eggrediemurq; limites noſtrę Philoſophię: eſt enim articulus, in Apoſtolorum ſymbolo expreſſus, cui fideles omnes, abſque alia mentis agitatione, ſubſcribere neceſſariò tenentur, Deum. ſ. vniuerſi creatorẽ eſſe; eſtque inconcuſſa diuinę ſcripturę autoritas Geneſeos 1. Deum principio cęlum, & terrã procreaſſe. Quid igitur agendum? Qua via ad præſtantiſſimę huius difficultatis explicationem ingrediẽdum? Equidem fateor, me hac in re valde ancipitem eſſe, atque vtrinque multis quaſi vinculis irretitum. Interpres ſum Ariſt. Philoſophię: quas mihi, obſecro, debebunt gratias Peripatetici, ſi tanti nominis Philoſophum, naturaliumque cauſarum diligentiſſimũ ſcrutatorem, exorbitaſſe oſtendero, ac velut è via deductum, à vero penitus aberraſſe? Fidem Catholicam profiteor, ſumque in Theologorum numero deſcriptus: quid merebor, ſi ſententiam illam de mundi exordio rectè ab Ariſt. non probabilibus tantum rationibus, verùm etiam ad aſſentiendum neceſſarijs, laceſſitam eſſe contendero? Chriſtiani potius ego, quã Peripatetici nomine gaudeo, & pro Chriſti fide paratus ſum totũ ſanguinem profundere, quare ignoſcat Ariſt, ignoſcant Peripatetici, ex præcepto ſacroſancti Lateranẽſis Concilij, ſeſſ. 8. ſub Leone X. religionis noſtræ veritatem defendere decretum eſt: maximum enim detrimentum eſſet Chriſtiana Reſp. perceptura, ſi falſa hæc de mundi æternitate ſententia, veritatis pallio velata, liberè, & abſque vlla contentione, in hominum mentibus inſculperetur.

Præceptũ Lateranẽſis Cõcilij.

Hic eſt fons, ex quo omnes penè errores, in Philoſophia commiſſi, dimanarunt: hic eſt ille fucus, qui multos in fœdos, ac pudendos errores adduxit. Vt poneret mundum æternum, Ariſ. non auſus eſt, quicquã à Deo ex nihilo effici poſſe, confiteri: non auſus eſt, ſuam de animę immortalitate ſnĩam liberè pronunciare. Vt poneret mundum æternum, Alexander temeraria (ſi Deo placet) confeſſione aſſeruit, animas noſtras, non ſecus ac omnium beſtiarum, mortales eſſe. Auerroes, ne infinitam re ipſa animorum multitudinem admitteret, quæ mundi æternitatem conſequeretur, vnicum docuit in omnibus hominibus intellectum reperiri. Alij Pythagoricam animarum tranſmigrationem induxerunt. Alij, vt mundum æternum ſtatuerent, rationem efficientiæ Deo eripuerunt: negaruntque, Deum eſſe cauſam rerum omnium effectricem; ſed mundum vniuerſum ab eodem in genere tantum cauſæ finalis pendere, exiſtimarunt. Alij quoque plura huius generis abſurda protulerunt, quæ omnia facilè euitabũtur, huius quęſtionis veritate perſpecta.

Errores varij ex mundi æternitate orti.

Scribendi cõſilium.

Et quamuis hæc ipſa quæſtio ab alijs diligẽter diſcuſſa ſit; relictus eſt tamen locus eandem & diligentius examinandi, & faciliùs etiam tractãdi; quod pro viribus me facturum polliceor, hoc ordine ſeruato. Proponam primùm breuiter Philoſophorũ ſententias, ad rem hanc attinẽtes. Aperiã ſecũdò fidei noſtræ Catholicę veritatem, nonnullaque fundamenta iaciam, quibus Philoſophorum argumenta explicari facilè poſſint. Adducam tertiò præcipua tùm Ariſt. tùm aliorum argumenta, quibus mundum vnà cum motu, & tempore æternum eſſe, probare contendunt. Quartò omnia hæc argumẽta diſſoluam. Inquiram quinto loco, an noua mundi creatio naturalibus rationibus concludi poſſit. Vbi tandem concluſum fuerit, mundum re vera fuiſſe cum tẽpore conditum, cum Theologis diſputabo, an idem à Deo ex æternitate ædificari potuerit.

Ordo in diſputatiõe ſeruandus.

## *Veterum Philoſophorum placita de mundi exordio.* Cap. II.

VEteres Philoſophi, qui in rerum naturalium contemplationem ante Ariſt. incubuerũt, in hanc omnes pedibus ſententiam iuerunt, vt mundum genitum vno ore confiterentur: eumque non ex æternitate conſtitiſse, ſed ſuæ conſiſtentiæ exordium in initio temporis habuiſse. Ita de Philoſophis omnibus 1. lib. de Cœlo tex. 102. ipſemet Ariſt. fatetur: vbi, genitum Philoſophos omnes mundum poſuiſse, aſſeuerauit. Sed, præter Ariſt. autoritatẽ, veritas hæc ijs omnibus compertiſſima fiet, quos veterum Philoſoporum ſententias, de mundi origine, in ſuis ipſorum, aut in aliorum etiam monimentis legere non pigebit: ſi quis enim perlegat Zoroaſtri dicta, Orphei, Heſiodi, atque Homeri carmina, Triſmegiſti volumina, & aliorum etiam Græcorum elucubrationes; inueniet, eos omnes, mundum in temporis initio ab efficiente cauſa editum eſse, conſenſiſse. Ne autem in aliorum voluendis libris magna tẽporis iactura fiat; legat qui voluerit, Franciſcum Patricium, veterum ſcriptorum, rerumque antiquarum diligentiſſimum obſeruatorem; nam apud ipſum, præter multos autores, qui eidem ſententiæ adhæſerunt, vetus hoc dogma de mundi ſtructura, ſeptingentis plus annis, apud Græcos in antiquiſſima Atlantidarum progenie perduraſse; & idem poſtea à Thalete Mileſio, centum ſexaginta annis, poſt Homerum, atque Heſiodum, promulgatum fuiſse, reperiet. Nonnihil diſſidij eſt apud autores de ſnĩa Platonis. Putarunt nonnulli, illum, quemadmodum & Ariſt. ſempiternum eſse mundum, ſtatuiſse; quanuis ex ijs, quæ paſſim pluribus locis ſcripta reliquit, mundum aliquando conditum, elici poſse videatur; hæc enim apparens contradictio à pluribus Platonicæ doctrinæ ſectatoribus facilè ſoluitur. Simplicius, Alcionus, & alij aiunt, apud Platonem mundum quidem factum reperiri, non tamen prout factum à perpetuo, ſed prout à non pendente diſtinguitur; propterea quod ſecũdum eius doctrinam, mundus ſemper fuit, & ille quidem ab ſummo Deo pendens. Plotinus, & Proclus aliter contradictionem ſoluunt: dicunt enim, mundum à Platone genitum appellari, nõ quia ſuæ generationis principium aliquando habuerit; ſed quia in illius ſtructuram Deus ſemper operam confert: eo modo, quo dicere quiſpiam poſset, lumen à Sole factum eſse, non quia Sol ex æternitate fuerit, & in aliquo temporis initio lumen effuderit; ſed quia Sol ſemper lumen effudit, & etiamnum effundit. Sic igitur factus eſt mundus à Deo, quia ſemper ab eo emanauit, atque in perpetuum emanabit. Verùm qui magis ad ſenſum, opinionemque Platonis penetrarunt, vt Philo Iudæus, Plutarchus, Diogenes Laertius, Aphrodiſæus, Cicero, & alij plerique, arbitrati ſunt, diuinum Platonem, mundum genitum cum cæteris philoſophis ſtatuiſſe: & hæc re vera eſt germana Platonis ſententia, vt apud ipſum in Timæo, Critia, in libris de Repub. & alijs pluribus locis videre licet. Neque hac in re Ariſt. eius diſcipulo, fides abroganda eſt: qui 10. contextu octaui libri de Phyſico auditu, ex Platonis ſententia, mundum genitum eſſe, apertiſſimè pronunciauit. Cæterum, quanuis veteres iſti Philoſophi ſolò naturę lumine, eò peruenerint, vt mundum à Deo aliquando factum eſſe cognouerint; nihilominus ipſis nudam, & apertam huius rei veritatem percipere non licuit, quæ eſt illa, quam nos fides noſtra Catholica docet. Etenim, præter primum principium ęternũ, à quo aſpectabilis hic mundus proficiſcitur, aliud quippiam ęternum neceſsariò reperiri ſtatuerũt, ex quo mundus in temporis exordio gigneretur: illud autem non vnum, & idem ab omnibus philoſophis, ſed diuerſum poſitum eſt. Anaxagoras, præter intellectum illum impermiſtũ, hoc eſt, præter diuinam mentem, quam ab æterno fuiſſe, aſſeuerauit, quandam rurſus rerum omniũ congeriem æternam finxit, hoc eſt, cõfuſum Chaos, ex quo diuina illa mens, in temporis exordio, per partium ſegregationem, mundum ipſum depromeret. Plato ſimiliter rudem, atque deformem materiam æternam ſtatuebat, ex qua tùm primum Deus vniuerſum fabricatus eſt, cùm primum illam perpoliuit, atque decentibus numeris, & figuris, eius partes exornauit. *Democritus* æternas atomos poſuit, ex quibus non vnum, ſed infinitos mundos, vnum *poſt alterum*, editos eſſe perhibuit. Empedocles elementa, quæ ſunt mundi materia, exiſtimauit æterna: & vt ſemel dicam, omnes aliud quippiam æternum, quodcunque illud ſit, præter Deum Opt. Max. ſtatuerũt: non enim percipere potuerunt, quomodo Deus ex nulla penitus antecedente materia, vt fides noſtra Catholica docet, tantam rerum molem, procreauerit.

Vetus opinio de noua mũdi fabricâ.

Lege Franciſcum Patric. lib. 4. diſcuſ. Perip. to. 4.

Diſſidiũ circa Platonis ſnĩam de mũdi factura.

Solutio apparentis contradictionis.

Simplicius.

Alcinous.

Plotinus.

Proclus.

Plato verè mundum genitũ poſuit

Philo Iudæus.

Plutarchus.

Dioge. Laertius.

Alex. Aphrodiſæus.

Cicero.

Veteres Philoſophi præter principiũ ęternũ, à quo poſuerunt ẽe principiũ æternum, ex quo mundus fieret, non tñ omnes idem.

Anaxagoras.

Plato.

Democritus.

Empedocles.

### *Ariſtotelis ſententia de mundi æternitate,* Cap. III.

Ocellus Lucanus Pythagoræ diſcipulus primus fuit mũdanę ęternitatis aſſertor, quem Ariſ. ſecutus eſt; Imo narrat Auerroes 1. Cęli, com. 100 opinionem de mundi æternitate legẽ Chaldæorũ antiquam deſcripſiſſe.

INter tot Philoſophos vnus Ariſtot. neſcio quo ſpiritu ductus, contra communem ſñiam, mundum ex æternitate extitiſſe, publicè docere auſus eſt. Iactat ſe is quidem, primum omnium mundanę æternitatis aſſertorem fuiſse, cùm tamen res aliter ſe habeat: hanc enim ſñiam, quinimmò & rationes cõplures ab Ocello quodam Lucano, Pythagorę diſcipulo, excepit, qui non præceptoris, ſed propriam ſñiam amplexus, in hunc eundem errorem primus omnium lapſus eſt. Non igitur Ariſt. primus mũdanæ æternitatis aſsertor, ſed promulgator fuit: qui poſtea Cleomedẽ, Plotinum, Proclum, & alios multos ſuæ ſñiæ imitatores habuit. Sunt tñ nonnulli, quib. circa hanc Ariſ. de mundi æternitate ſñiam non nihil ſcrupuli reſpdeat: putant enim, eam non vt demonſtratam, ſed vt ſuaſoriam, & probabilem ab ipſo pronunciatam eſse. Ita cenſuit S. Thomas prima parte ſummæ q. 46. ar. 1. Albertus Magnus 8. lib. de Phyſ. auditu trac. 1. cap. 10. & alij pleriq; qui arbitrati ſunt, rationes ab Ariſ. pro mũdi æternitate conſtructas, non eo tendere, vt abſolutè, mundum æternum eſſe, demonſtrent: ſed potius vt Philoſophos illos arguat, qui mundum in tẽporis initio, phyſico motu preditum eſse, cenſuerunt. Ariſt. autem firmam, expreſsamq; ſñiam non fuiſse, mundum ex æternitate conſtitiſse, ab eodem eliciunt, lib. 1. Topic. cap. 9. vbi quæſtionem de mundi æternitate inter dialectica problemata collocauit. Aliàs ego quoq; huic opinioni ſubſcripſi: ſed poſtquam accuratius primum lib. de Cœlo perlegi, quem publicè in hoc Patauino Gymnaſio interpretatus ſum, in eam opinionem veni, vt, hoc re vera firmiſſimum Ariſt. decretum fuiſſe, putarem, mũdum ingenitum omnino eſse, nec vllum vnquam ſui ortum agnouiſse: hæc enim eſt famoſa illa aſsertio, quam 8. lib. de Phyſ. auditu, 1. lib. de Cœlo, & alijs pluribus locis non ſolùm autoritatibus, ſed rationibus, & obſeruationibus, & multis alijs medijs ad ſacietatem vſq; confirmauit. Quinimmò & in epiſtola quadã, quam ei Alex. eius diſcipulus, ex India miſit, ſcriptũ eſt fateri Alex. ſe ab Gymnoſophiſtis accepiſse, eãdem in India de mũdi æternitate opinionem vigere, quam ab ipſomet Ariſ. audiuerat. Nemo igitur eſt, vel mediocriter in Peripatetica Philoſophia exercitatus, qui de Ariſ. ſñia, circa mundi æternitatẽ, ambigere aliquo modo poſſit: immò Alexander Aphrod. dicere cõſueuerat, nullã in Peripatetica Philoſophia ſñiam, quàm illam de mundi æternitate, magis Ariſ. eſse: propterea quòd in ea ſola Ariſ. ſibi ipſi conſtare viſus eſt: id enim vbiq; in ſua Philoſophia repetit, & cõfirmat. Cæpit illius fundamẽta iacere 3. lib. de Phyſ. auditu, in tractatione de infinito: eandẽ auxit, & dilucide explicauit 8. eiuſdem operis lib. cùm de motus æternitate diſputauit: probauit eã apertiſſimè 1. lib. de Cœlo: confirmauit lib. 2. de Ortu, & interitu, lib. 12. Metaph. ac deniq; vbicunq; de mundi conſtructione diſseruit, eius ſemper æternitatem conſpicuam eſse curauit. Quòd verò obijcitur, quæſtionem hanc inter dialectica problemata ab eodem poſitam eſse, nihil omnino afficit ſñiæ noſtræ; non enim Ariſ. dictam quæſtionem abſolutè problema eſse exiſtimauit, adeo vt ipſe vtranq; partem defendi poſse putauerit: ſed ideo appellauit problema, quia Philoſophos alios oppoſitam ſñiam defendere cognouit. Rurſus aduertendum eſt, non omnia, quæ, ab Ariſ. in Dialecticis libris ſcripta ſunt, ex propria ſñia pronũtiata eſse; ſępius enim exemplis, & communioribus ſñijs vtitur, vt patet in ſpeciebus quantitatis continuæ, inter quas locum, vt à ſuperficie diſtinctum, numerauit: cum tñ eum nihil aliud, quàm ſuperficiem cum ſuperaddita relatione, nimirum corporis continentis ad contẽtum, eſse voluerit, vt 4. lib. Phyſ. trac. de loco dilucidè patefeci. Igitur & hoc problema de mũdi æternitate, tanquam exemplum adduxit; tamen, vt ipſemet primo Priorum cap. 39. aſserit, in exemplis non requiritur veritas, ſed ea tantùm adducuntur, vt res ipſa, de qua ſermo habetur, dilucidior euadat.

S. Tho. Alb. Magnus, & alij putarũt, ſñiam de mũdi æternitate fuiſſe ab Ariſto. nõ vt demonſtratam, ſed tãtum vt probabilem pronũciatã.

Oppoſita ſẽtentia verior.

Vide Lucillũ Philal. 5. de cęlo cõſi. 30.

Dictum notabile Alex. Aphrodiſ.

Diluitur aduerſariorũ obiectio.

Notabile pręcipuum.

### *Fidei noſtra Catholica veritas explicatur.* Cap. IV.

QVid de re propoſita ſentiat Catholica noſtra fides neminẽ arbitror eſſe inſcium: cùm ex Apoſtolorum ſymbolo habeatur, Deum Opt. Max. omnipotentem eſſe, atq; cælũ, & terram, aſpectabilia omnia, immò etiam quæ ſub aſpectum non cadunt, atq; adeo mundum vniuerſum ex nihilo in temporis initio procreaſſe; cùm priùs nec ipſum, nec omninò aliquid eius exiſteret. Hęc eſt pura, & abſoluta huius rei veritas, non ea, quam docet Ariſto.

doctrina,

doctrina, cùm veritatis nomine gaudere non poſſit ea, quæ veritati Catholicæ fidei aduerſatur. Hinc maxima reprehenſione dignos illos eſſe cenſeo, qui duplicem veritatem, alteram Philoſophiæ, alteram fidei aſſerunt reperiri: ac ſi intellectus in vnoquoq; bipartitus ſit, vt ex duabus oppoſitis rebus alteram veritate Philoſophiæ, alteram veritate fidei, veram eſſe arbitretur. Abſurdum certè vitandum: nam vno, & eodem intellectu nemo eandẽ rẽ non abſolutè veram, & abſolutè falſam exiſtimare poteſt. Sed illi præterea impudentiæ grauiter accuſandi ſunt, qui eiuſcemodi argumentationem proferre ſolent: quicquid docet Catholica fides, aſſequi intellectu non poſſumus; ergo quicquid docet Catholica fides, non eſt verũ. Hoc ipſi certè non animaduerterunt, quicquid docet Catholica fides, non contra, ſed ſupra rationem naturalem eſſe, longeq; humani ingenij aciem, & perſpicacitatem excedere. Et quanuis proprium intellectus obiectum ſit ipſum verum, aut ſaltem id, quod eſt, ſub ea ratione, qua verum dicitur, adeo, vt intellectus acquieſcere nunquam poſſit, niſi cùm obiectum propriũ attingit, eodemq; mira cum delectatione fruitur, non eſt tñ neceſſe, vt omne id, quod ſuapte natura verum eſt, ab intellectu noſtro percipiatur; multa enim ſunt, quæ ipſe, aliunde impeditus, præſertim dum in hoc craſſo, terrenoq; corpore manet incluſus, arripere nequit. Quẽadmodum ergo conſecutionem hanc Philoſophus non admitteret: Ruſticus maiorem Solẽ vniuerſa Terra percipere nõ pôt; ergo Solẽ maiorẽ eſſe vniuerſa Terra, falſum eſt; (id enim ingenij illius ruſtici hebetudini aſcriberet) ita Philoſophis Theologi dicere poſſent; vos naturæ lumine veritatẽ hanc directè attingere non poteſtis, vt mundum in temporis initio à Deo factum intelligatis; igitur hoc non eſt verum? Non valet conſecutio; quia maior eſt Dei poteſtas ad faciẽdum, quàm veſtri facultas ad intelligendum. Scire aũt debemus, dogma hoc de mundi exordio (quòd ad veritatẽ patefaciendam attinet) ab eo, quod eſt de animæ immortalitate, longè diuerſum eſſe: ibi enim quiſpiam multis rationibus, & ab Ariſt. & ab alijs Philoſophis, ipſum ſequẽtibus, deſumptis, animum noſtrum mortalem eſſe, probare poteſt: vbi aũt propoſitionem hanc in multorum intellectibus altè intellexerit, excuſare ſe facilè pôt, quòd nimirum nihil aliud probauerit, niſi hanc ipſam Ariſ. opinionẽ extitiſſe: cùm tñ oppoſitam ſnĩam ſecundum fidem amplectendam eſſe, certò ſciat. At verò in hac diſputatione, in qua Ariſt. opinio ſatis cõſpicua eſt, eiuſmodi excuſatio non admittitur: nemo enim ambigit, Ariſt. mundum vnà cum motu, & tẽpore æternum eſſe, apertiſſimis verbis docuiſſe. Munus aũt Catholici Doctoris eſt, oſtẽdere, hoc ipſum Ariſtot. decretum prorſus à veritate alienum eſſe, vt tandẽ intellectus liberè huic propoſitioni aſſentiatur, Mũdum. ſ. aliquando ſui ortus principium habuiſſe, quod nos Deo benè iuuante, ſumus hac diſputatione præſtaturi. Cæterùm quotieſcunq; cum aliquo diſputationẽ inimus, dupliciter id confici pôt, vno modo cũ ipſum argumẽtis euertere conamur: altero cùm ipſius obiectionibus ſatisfacere cupimus. Nos cõtra Ariſ. mũdi æternitatẽ ſtatuentẽ diſputaturi, ipſum profectò argumẽtationibus inceſſere non poſſumus, quod. ſ. omnia principia, quæ ſnĩæ noſtræ ſolidiſſima fundamẽta ſunt, manifeſtè negarit: igitur contra ipſum, eius tantummodo rationes ſoluẽdo, diſputabimus. Quæ tametſi difficulter, ſi in naturalibus rebus perſiſtamus, ſolui poſſint; (nam re vera validiſſimæ illæ ſunt aduerſus priſcos Philoſophos, qui aliquid, præter Deum, æternum eſſe, affirmarunt, ex quo mundus non ſine motu aliquando factus ſit) à Theologis tñ, qui ſolum Deum æternum eſſe ſtatuerunt, à quo cuncta ex nihilo in tẽporis initio procreata ſunt, ſolui poſſunt. Hæc interim, tanquam ſolidiſſima fidei noſtræ fundamẽta obſeruanda ſunt, quæ pro argumẽtorum ſolutionibus, vberem ſatis materiam ſuppeditabunt. Primùm eſt, Deum nulla naturæ neceſſitate compulſum, vt Philoſophi arbitrantur, ſed ſponte, & arbitratu ſuo mundum condidiſſe; quinimmò ſic effectus omnes in dies efficere, vt eos quidem, ſi nollet, non efficeret. Secundum eſt, ex nulla antecedẽte materia, ſed ex nihilo, ſoloq; nutu, hanc mundi machinam fabricatum eſſe; quod Philoſophi nunquam concipere potuerunt. Tertium, quamuis Deus Mundum in tẽpore condidit; ab æterno tñ eundem ſe tunc, cùm edidit, editurum eſse, ſtatuiſse: nec ob eam rem vlla in eius voluntate mutatio dicitur contigiſſe; quia eadẽ ſemper, & continuata illa (vt ita dicam) volitio fuit: eo modo, quo nunc quiſpiam ſtatuere poſset, ſe poſt tres menſes iter facturum, quanuis etiam nunc iter illud facere poſset: non ideo tñ eius voluntas mutatur: quia (vt inquiunt ſcholæ) vult nunc pro tunc, habetq; volitionem continuatam. Quartum, mundi productionẽ ſine vlla mutatione factam eſſe

Verũ eſſe nõ pôt, quod fidei Catholicæ contradicit.

Quicquid docet Catholica fides, non eſt cõtra, ſed ſupra rõnem naturalem.

Nota.

Diſputare cũ aliquo, bifariam contingere poteſt.

Fundamenta quibus nitiẽ fidei catholicæ veritas de mundi exordio.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Vide Toletũ lib.8.Phy. q. 1. Atq;etiam Pereriũ li. de motus,& mũdi æternitate cap.1.

Quære diſputa .in quo nã genere cauſæ ęterna à Deo pendeant.

eſſe:cùm enim ex nihilo factus ſit,nihil ante ipſum fuit,quod mutationem ſubire potuerit. Niſi fortaſſe(vt doctiſſimè Card. Toletus animaduertit)ipſum productum eſſe, quod ſimul cum re incipit,momentaneam rei mutationem appellare velimus,quemadmodum etiam ipſum productum eſſe formæ momentaneam mutationem vocitamus;nam forma nunc eſt, & antè non erat,atque ita de non eſſe ad eſſe mutata eſt. Sic mundus in tempore conditus eſt, & antè non erat:ergo de non eſſe ad eſſe mutatus eſt. Sed hæc mutatio eſt momentanea:verè autem mutationes ijs rebus accidunt,quæ aliter ſe habent nunc,quàm priùs, poſita ſemper ipſarum exiſtentia,aut ſaltem exiſtentia vnius partis, quæ ad illas conſtituendas cõcurrit.ſ.materiæ primæ.Hanc verò productionem ſine mutatione plerique Philoſophorũ ignorauerunt:an Ariſt.agnouerit,ſuo loco dicemus. Hæc interim ad fidei noſtræ veritatem aperiendam ſint ſatis.

## *Ariſtot.multorumque Peripateticorum argumenta,quibus mundi æternitas ſuadetur. Cap. V.*

Quinque pręcipui fontes, ex quibus rationes pro mũdi æternitate ſuadenda deſumuntur.

Io. Grãmat.

Alex. Achill.

Pererius.

Toletus.

Colleg. Conimbr.

Franc.Picco.

HActenus diſputationem hanc de mundi ęternitate primoribus tãtum labris attigimus, & veluti præludia quædam adhibuimus, quò expeditiùs ſummam totius difficultatis perſequi,atque abſoluere poſſemus. Nunc ad rem propius accedendum,atque Ariſt.ſentẽtia ſuis eſt rationibus confirmanda, vt tandem quanti roboris ea ſit, iudicare vnicuique liceat. Ex quinque præcipuis fontibus Ariſt.eiuſque ſectatores,vt Simplicius, Proclus, Auer.& alij,ſuas ad mundi æternitatem comprobandam,rationes ſumpſerunt:nimirum à Deo, tanquã à mundi opifice,& conditore : à prima rerum materia,tanquam ab ea, ex qua mundus conditus eſt:à cœlo,tanquam à mundi potiſſima parte:à motu, & à tempore, tanquam ab affectionibus,mundum ipſum neceſſariò conſequentibus. Longum eſſet rationes omnes in medium adducere,& præterea ſuperuacaneum:non enim defuerunt autores quamplurimi,qui illas elegantiſſimè,nec inepto quidem ordine propoſuerunt,vt Io. Gram.libris de Mundi ęternitate contra Proclum, Alexander Achillinus lib.3.de Orbibus dub.2. Benedictus Pererius lib.de Motus,& mundi æternitate, Franciſcus Toletus lib.8.Phyſ.q.1. Collegium Conimb.eodem lib.c.2.q.4.& ex recentioribus Franciſcus Piccol.lib.de Mundo c.17.& 18.& lib.de Motu prioribus capitibus,& alij multi. Hauriam ego ex vnoquoque fonte eas tãtum rationes, quæ & maioris momenti videbuntur,& maiorem Ariſt.induſtriam præſeferẽt. Sit igitur hæc prima ratio,ex primo fonte deducta.

Prima ratio.

Deus,vt omnes fatẽtur,bonus eſt,atque propria natura,ſeu ſubſtantia præcipua rerum omnium cauſa exiſtit:cùm autem de ratione boni ſit,vt ſemetipſum diffundat,propriamque bonitatem cum alijs communicet,id pariter ad ipſum Deum,qui bonus eſt,totiuſque bonitatis fons,atque origo,pertinebit:at verò nulla alia eſt via,qua ſe ipſum Deus diffundere, propriamque bonitatem cum alijs communicare poſſit,niſi mundum illum idealem,quem intra ſe continet,expromẽdo: igitur cùm Deus ab æterno bonus ſit,omniaque ad mũdũ efficiẽdum requiſita ſibi præſtò fuerint,ſequitur,vt idẽ ab æterno mundum condiderit,atque hoc modo cum rebus,ab ſe productis,propriam bonitatem communicauerit.

Cõfirmatio.

Neque verò,ſi rem ipſam penitus perſcrutemur,aliud quippiam elicere poterimus:nam ſi naturales cauſę, dummodo ne ſint impeditæ,atque illis obiectum apte appoſitum ſit,abſque vlla mora,ſuos effectus pariunt(ignis enim admotam,appoſitamque ſibi ſtupam calefacit,& comburit:Sol lumen ſemper effundit, cunctaque ſuo calore fouet,niſi quid obſtet, atque impediat)cur non item Deus,qui eſt naturæ autor, & cauſarum omnium cauſa,quæ impediri poteſt à nemine,opus ſuum ab æterno finxit, mundumq;hunc aſpectabilem condidit,cùm præſtò eſſet materia,ex qua ipſum efficere poſſet?

Secũda ratio

Addamus ſecundam rationem,à qua hæc prima iam propoſita ratio maximum robur accipiet. Quamobrem Deus ab æterno mundum non ædificauit? Aut voluit,& non potuit:aut potuit, & noluit:aut neque potuit,neque voluit:aut potuit pariter,& voluit. Si primum admittatur : imbecillis eſt ergo Deus,immò non eſt Deus;quia maxima infelicitas eſt,aliquid velle, & appetere,illud tamen conſequi nequaquam poſſe : omnis autem à Deo infelicitas alieniſſima eſt. Si admittatur ſecundum;inuidentiæ igitur erit Deus accuſandus,quòd.ſ.illud efficere noluerit,quod bonum omnibus futurum eſſe cognouerit:quis autem audebit vnquam aſſerere, Deum inuidum eſſe? Si cõcedatur tertium,in grauius incidetur abſurdum:nam ſimul Deus

& in-

& inuidus,& impotens ſtatuetur. Supereſt quartum,quod nemo quidem negare poteſt, qui
de Deo rectè iudicaturus eſt,eum.ſ.& potuiſſe,& voluiſſe:ſi potuit igitur, & voluit Deus ab
ætęrno mundum ędificare;quæ nam obſecro ratio adducere nos poterit,vt dicamus,ipſum
non ab æterno,ſed in tempore,vel cum tempore eundem cõſtruxiſſe? Eſt præterea tertia ra Tertia ratio.
tio validiſſima quidem:ſi enim Deus in temporis initio mundum conſtruxit, cur tot antè ſe
culis feriatus eſt? Cur tùm primùm,& non antè ipſius fabricam molitus eſt? Temerè ne, &
fortuitò in ipſius ſtructuram incurrit? An potius,quia vel lapſa operis vacatio ei diſplicuit:
vel ob nouum aliquod conſilium,ad opus de integro aggreſſus eſt? Horum certè nullum de
Deo affirmare fas eſt. Temerè enim,& fortuitò agere,imprudentis eſt. Induci autẽ noua ali-
qua ratione ad opus inchoandum, Deo minimè conuenire poteſt,qui ab æterno omnia no-
uit. Nec quicquam eſſe poteſt, quod ei aliquando diſpliceat; cùm penitus immutabilis ſit.
Igitur,ne intellectus noſter hiſce,aut id genus alijs abſurdis perturbetur,dicẽdum neceſſariò
eſt Deum ab æterno mundum hunc,quem cernimus,procreaſſe. Quarta ratio ex ſecũdo fon Quarta ratio.
te,ita deducitur; Mundus corporeus cùm ſit,materiam poſſidet, ex qua conflatus eſt: atqui
materia eſt æterna:mundus igitur eſt æternus. Maior propoſitio eſt manifeſta:niſi enim mũ
dus ex materia conſtaret,tunc nec corporeus eſſet,nec aſpectabilis, ſed ſpiritualem quãdam
naturam obtineret,omnemque ſenſum penitus effugeret. Minor propoſitio ab omnibus Phi
loſophis conceditur,& poteſt etiam firmiſſima ratione ſuaderi. Demus enim,materiam non
eſſe æternam,ſed aliquando factam;tunc ex aliquo neceſſariò facta erit, quod ceu materia
quædam illius effectioni ſubſternatur:experimur enim quotidie,quicquid fit, atque in lucẽ
prodit,illud omne ex materiæ,& formæ coniunctione coaleſcere:quare ſi materia facta eſt,
ex alia materia facta erit:& rurſum de illa quæri poterit,ſit ne facta,an æterna? atque ita res
in infinitum abibit:æterna igitur eſt materia,ex qua factus eſt mundus, & quod hinc ſequi-
tur,æternus erit & ipſe mundus. Probatur hæc conſecutio:materia.n.nõ eſt eius generis ſub
ſtantia,quæ ſuis ſe viribus ſuſtinere poſſit,ſed formæ auxilio indiget, à qua totam ſuam per
fectionem nanciſcitur. Tunc poſſumus ſic argumentari,materia eſt æterna,& ſine forma cõ-
ſiſtere nequit:igitur forma pariter eſt æterna. Rurſus,ſi materia,& forma æterna ſunt:igitur
aliquod ſimplex corpus,ex ipſis ortum,erit æternum. Et verò cum plures materia portiones
habeat,quæ formas in ſeſe recipere poſſunt;tot erunt ſimplicia corpora æterna,quot formæ
materiæ portionibus adhærebunt; non enim maior videtur ratio, cur vna portio materiæ,
magis,quàm alia,ſpecie,ſeu forma decorata ſit: ab ęterno igitur fuerunt quatuor ſimplicia
corpora,elementa vocata,& illa quidem non in ſeſe confuſa,ſed in ſuis quoque locis conſti
tuta:quòd ſi elementa,quæ ſunt vniuerſi partes,ab ęterno fuerunt, ſequitur, vt ipſum etiã to.
tum,quod eſt vniuerſum,ab ęterno conſtiterit. Poſſet etiam hęc ratio ſic firmari; nam quẽ- Cõfirmatio.
admodum nuda,& ſimplex materia,ita ſimplex,& purum elementum reperiri non poteſt,vt
aliàs abundè demonſtratum eſt;quare ſi elemẽta ſunt,opus eſt,vt ſtatim ex ijs ipſis miſta cor
pora coagmentata ſint:ſi itaque ab ęterno elementa fuerunt, ab æterno quoque corpora mi
ſta,atq; adeo vniuerſum ipſum fuiſſe,neceſſe eſt. Quinta ratio ex tertio fonte ſic elicitur; Cœ Quinta ratio.
lum eſt æternum;igitur & mundus. Conſecutio euidentiſſima eſt:tùm quia cœlum eſt mun-
di potiſsima pars:tùm etiam quia cœlum,quod mundus ſuperior appellatur,mundi huius in
ferioris cauſa exiſtit:propterea ſi cauſa ęterna eſt,ęternus quoque erit effectus; cùm pręſer-
tim cauſa naturalis eſt,agitque naturę neceſsitate,cuiuſmodi eſt cęlum. Quemadmodum er
go experimur,ignem nunc calorem emittere,& quodcunque ſibi admotum obiectum calefa
cere,& vrere:conijcimuſque,ita ſemper feciſſe,quia impulſu proprię naturę operatur, & a-
git;eadem ratione quia res omnes ſublunares à cęlo,tanquam ab agente neceſſario pendere
videmus:ideo concludimus,eaſdem ſemper ab eodẽ cęlo editas eſſe:& ratiocinetur quis quã
tum velit,nulla vnquam eò ratione adduci poterit, vt exiſtimet,cęlum multis antè ſeculis o-
ciatum eſſe,& in aliquo temporis initio ad operam exiuiſſe: veriſsima igitur eſt huiuſcemo-
di conſecutio, Cęlum eſt ęternum;igitur & mundus. Dubium aliquod eſſe poſſet in antece- Aeternitas cę
dente,quod tamen ab Ariſt. facile probatur. Primò ex ipſius cęli natura:etenim cęlũ ex nul li oſtenditur
lis rebus contrarijs conflatum eſt,quinimmò nec verè oppoſiti motus ad ipſum pertinent, ex ſua ipſius
ſed ſimplex eſt ſui generis natura,a rebus ſublunaribus omnino diuerſa,quę nunquam ſene- natura.
ſcit,nunquam langueſcit,ſed ſemper in eodem ſtatu permanet. Arguamus igitur ſic; Quod-

cun-

cunque langueſcit, atque ſeneſcit, illud ipſum præceps ad interitum ruit: conſtat enim ex con
trarijs, ex quorum pugna, illius tandem diſſolutionem ſequi neceſſe eſt. Quòd ſi diſſolubile il
lud eſt, ortum pariter aliquando eſt: rerum enim omnium communis eſt lex, atque conditio,
vt quæcunque occidunt, aliquando in lucem emerſerint, & ſimiliter quæcunque orta ſunt,
ſint eadem aliquando interitura: ſi igitur cœlum nulli interitui obnoxium eſt; liquidò ſtatim
Ex veterũ obſeruationib. conſtat, ipſum illud nequaquam ortu editum, ſed ex æterno tempore conſtitiſſe. Probatur de
inde ab Ariſt. idem antecedens, veterum obſeruatione, & teſtimonio: nullus enim vnquam
fuit, qui aut viderit, aut in vetuſtiſſimis codicibus legerit, aut alios ſe legiſſe audiuerit, cęlum
mutationem aliquam perpeſſum eſſe, ex earum videlicet numero, quæ ad interitum ducũt,
aut aliquam illius partem recens in eo genitam fuiſſe: igitur ſi & veterum, & recentiorũ ob-
ſeruatio efficax huiuſce rei teſtimonium eſſe poteſt: fateri omnino neceſſe eſt, idem ſemper
cœlum ſecundum ſubſtantiam perſtitiſſe, atque adeo æternitatis prærogatiuę gaudere. Po-
Ex eſſentiali ordine efficiẽtium. teſt inſuper hæc alia adduci ratio: Niſi res caducę, atque mortales ab æterno aliquo corpore
gignerentur; tunc in corporibus procreantibus daretur proceſſus in infinitum. Probatur con
ſequentia: ſi enim cœlum inferiora hæc corpora progignit, & illud pariter editum eſſe dica-
tur; igitur ab aliquo alio corpore editum eſt; quæram iterũ de illo corpore procreante, ſit ne
illud genitum, an æternum? & ſic proceſſus erit in infinitum; niſi tandem in aliquo efficiente
corpore, & eo quidem æterno quieſcamus, quod quidem aliud eſſe non poteſt, niſi cœlũ. Sex
Sexta ratio. ta ratio ex quarto fonte ſic elicitur; Motus eſt æternus; ergo mundus eſt æternus. Conſequẽ-
tia eſt perſpicua: etenim ex 3. Phyſ. motus eſt actus entis in potẽtia, quatenus in potentia, ſi-
ue motus eſt actus mobilis, qua mobile eſt; quare ſi motus eſt æternus, opus eſt, vt aliquod
mobile ſit æternum. Aut igitur iſtud mobile eſt corpus ſublunare, aut cęleſte: ſi ſublunare; er
go indicat, exigitque cœleſte, tanquam illud, à quo neceſſariò pendet: ſi cęleſte; ergo illud ab
æterno tempore ſublunaria corpora edidit; cùm ſuo motu, rerum inferiorum cauſa exiſtat.
Cum autem mundus nil aliud ſit, quàm compages quædam, ex cœleſtibus, & ſublunaribus
corporibus coagmẽtata; ſequitur iam manifeſtiſſimè, vt ætenus motus eſſe non poſſit, quin
mundus pariter ſtatuatur æternus. Antecedens autem probat optimè Ariſt. 8. lib. Phyſ. tex.
4. & ſequentibus, vbi nullum primum fuiſſe motum, ſed ante quencunque motum alium in
infinitum extitiſse, oſtẽdere vult; atque adeo aliquẽ dari motum æternum, qui aliorum ſem
per motuum cauſa extiterit. Sic igitur ratiocinatur; ſi motus exordium temporis habuiſset,
vel mouens, & mobile, cuius eſset ille primus motus, orta aliquando eſsent, vel æterna fuiſ-
ſent: ſi orta eſsent aliquando; igitur aliquo intercurrente motu; quare iam motus ille, qui an
tea primus dicebatur, non erit primus: Si autem fuiſsent æterna; igitur mobile æternum infi-
nito tempore ſine motu iacuiſset, quod abſurdiſſimum eſt. Primum, quia nulla aſſignabitur
ratio, cur motor nunc potius, quàm antea mouere cœperit. Deinde verò, quia ſi non ſemper
mouiſset, vtique cum impedimẽtum aliquod ab huiuſmodi motione retardaſset: nam & mo
bile ſemper promptitudinem habuit ad motum recipiendum, & motor fuit ſemper paratus
ad efficiendum: ad huius verò impedimenti remotionem, motu aliquo opus eſset, quo ad a-
gendum aliquis accederet: ac proinde primum illum motum, iam conſtitutum, alius anteiſ-
ſet, quod omnino rationi aduerſatur: fatendum itaque erit, (ait Ariſt.) motum ſemper, vel vt
Septima rõ. Scholæ dicunt, ab omni æternitate fuiſse. Septima ratio, quæ ex quinto fonte deducitur, eſt
huiuſmodi; Tempus eſt æternum; ergo mundus eſt æternus. Conſecutio non eget probatio-
ne: cùm enim tempus ſit affectio motus, opus eſt, vt ſi affectio æterna eſt, eius quoque ſubie-
ctum ſit æternum; quare ſi tempus eſt æternum, motus neceſsariò erit æternus: ſi autem mo
tus; ergo & mundus, vt paulò ſuperiùs deductum eſt. Probatur itaque antecedens, & proba-
tio ab ipſomet Ariſt. ſumitur, lib. 8. Phyſ. tex. 11. vbi temporis naturam, & (quod aiunt) eſsẽ-
tiam conſiderans, nihil aliud illud eſse reperit, quàm rem quandam continuam, in ſucceſſio-
ne poſitam, cuius partes impartibilibus momentis, ſeu inſtãtibus copulatę ſunt: quemadmo-
dum linea eſt res quædam continua, quæ partes habet punctis inuicem cohærentes. Sic igi-
tur argumentatur; nullum tempus eſse poteſt abſque inſtanti: ſed omne inſtans eſt finis præ
teriti tẽporis, & initium futuri, vt perſpicuum eſt, (nemo enim adhuc alterius generis inſtans
agnouit) igitur nullum tempus dari poteſt, ante quod aliud tempus non fuerit, & poſt quod
etiam aliud tempus non ſequatur; tempus igitur æte[illegible]n eſse, neceſse eſt. Ex hoc eodẽ fon

te elicitur octaua ratio, quæ eſt huiuſmodi, ſi tempus habuit initium, hoc ideo eſt, quia priùs non fuit, & poſteriùs cępit eſſe: priùs autem & poſterius ſunt differẽtiæ temporis, quæ abſque tẽpore eſſe non poſſunt: igitur ſi tempus cępit eſſe, ante tempus fuit tempus: atque ita qui negat tempus eſſe æternum, illud idem ęternum eſſe fatetur. Hæ ſunt firmiores rationes, quib. Ariſ. & eius ſectatores, naturę tantum lumine philoſophantes, mundi æternitatem ſuadere conati ſunt.

Octaua rõ.

## *An Ariſtotelicæ rationes, pro mundi æternitate propoſitæ ſint ſolubiles.* Cap. VI.

In huius capitis explicatione ſumma totius diſputatiõis de mũdi æternitate poſita eſt.

AD magnum caput explicandum aggredior, in quo ſumma propoſitæ difficultatis conſiſtit: ſolubiles ne ſint Ariſt. rationes, quibus mundi æternitatem probare conatus eſt, an inſolubiles? ſi ſolibiles illas eſse monſtrauero, vim certè nullam demonſtrandi habebunt, quemadmodum Peripateticorum plurimi, & ipſorũ etiam Princeps arbitratus eſt. Sin aũt inſolubiles illas eſse concluſero, vtpote, quæ ex primis, veris, neceſsarijſq; propoſitionibus conflatę ſint, falſum illicò apparebit id, quod nos docet Catholica noſtra fides. Nihilominus id à nobis quàm facillimè explicabitur, ſi priùs nonnulla, quæ ſcitu neceſsaria ſunt, diligenter cõſiderauerimus: nimirum quis nam fuerit Ariſt. qui eiuſcemodi rationes propoſuit: qui fuerint illi *Philoſophi*, quibus cum Ariſt. diſputauit: quo tandem tẽpore hæc concertatio facta ſit.

Tria conſideranda pro huius capitis explanatione.

Nemo eſt, qui neſciat, Ariſt. acerrimũ æternitatis mundi defenſorẽ, ethnicum philoſophũ extitiſse, qui nullo alio, quàm intellectus agẽtis lumine, in reb. naturalib. verſatus eſt, atq; de illis, ſola natura duce ſubtiliſſimè diſputauit. Eiuſdẽ claſſis veteres illi philoſophi fuerunt, contra quos ſæpius Ariſt. ſuas agumẽtationes, quaſi tela coniecit. Hoc tñ inter eos diſcriminis fuit, quod illi multa dicere, & pauca admodum probare delectabantur: (& hæc fortaſse cauſa fuit, cur quæcunq; ipſi dixerunt, ea omnia fabulis quibuſdam, & ænigmatibus obuelarint) Ariſt. vero pauca dixit, quæ firmiſſimis, & validiſſimis rationibus non communiuerit: ſuam enim cognitionẽ à ſenſibus hauſit, nec vnquam ab experiẽtia, quæ rerum eſt magiſtra, diſceſſit.

Diſcrimẽ inter modũ philoſophãdi veterum Philoſophorũ, & Ariſtotelis.

Iam verò hæc de mundi æternitate concertatio eo tempore inter Ariſ. alioſque philoſophos orta eſt, quo lumẽ fidei nondum illorum intellectus colluſtrarat: quanuis alijs in locis, vt apud Aegyptios, & Hebræos Prophetæ tunc non pauci adeſsent, qui diuino ſpiritu incitati, rerum veritatẽ hominibus prædicarent. Cùm igitur res ita ſe haberent, opinio illa de mundi orta, Ariſ. temporibus, in Græcia vigebat, quam priſci omnes philoſophi, vt antè dictum eſt, defenderunt quidem, & promulgarunt: nulla penitus tñ ratione firmarũt. Sed fortaſse illam amplexi ſunt, vel ob quandam quaſi ſympathiam, quam intellectus cum veritate habet: (ſæpè enim accidit, vt quis in verum abſq; vlla meditatione incidat, cui firmè aſsentiatur, etiam ſi ad illud oſtendẽdum, nullam ſciat rationem adhibere) vel quia dogma illud aliquis ab Aegyptijs excepit, quibus cum frequens erat cum Chaldæis, Hebręiſq; commercium, & illud idem poſtea cæteris palam fecit. Multi enim Gręcorum Philoſophorum, vt Pythagoras, Plato, & alij ad Aegyptios commigrarunt, à quibus negandum non eſt, diuina non pauca, per vmbram ſaltem, atq; caliginẽ percepiſse, eademq; cæteris, veluti per manus, tradidiſse. Omnis igitur veterum philoſophorum conſenſus ad hoc decretum, de mũdi exordio comprobandum, conſpirauit: tametſi de eius termino inter ſe diſsentirent.

Cur veteres philoſophi abſq; vlla ꝓbatione mundum in tẽporis initio conditũ aſſeruerint.

Hac de re lege Ariſto. 1. Phyſ. tex. 48

Nanq; Orpheus, & Heſiodus, quos deinde, ſecutus eſt Plato, ita ortum arbitrabantur mundum, vt idem nunquam interiturus eſset. Democritus, Leucippus, & Anaxagoras mundum aliquãdo conſtructum eſse cenſuerunt, eundemq; diſsolutum iri, vt quodvis aliud corpus, ex elemẽtis coagmentatum, abſq; alia ſpe redintegrationis. Siculus Empedocles viciſſim mũdum oriri, & interire perhibuit, nunc amicitia conglutinante, nunc odio, & inimicitia diſsoluẽte. Ad ſummã, quia nihil omnino cogniti, nihil comperti habebãt, ſua quiq; placita pronunciarũt, vt varijs illa modis tuerẽtur.

Orpheus. Heſiodus. Plato. Democritus. Leucippus. Anaxagoras Empedocles

Ariſ. in hac vna ſnīa tàm multas videns diſsẽſiones reperiri; ſuſpicari cœpit, veteres omnes philoſophos non modò in fundamẽtis, verùm ẽt in ipſis opinionum commẽtis defeciſse: & more ſuo contẽplationẽ hanc à ſenſibus auſpicatus eſt, & ab ijs, quæ quotidie fieri cernimus, quæq; ab eiſdem philoſophis negari nulla ratione poſsunt. Inuenit primum quæcunq; procreantur, ea omnia ex materia aliqua, tanquam ex ſubiecto neceſsariò procreari. Præterea, motum omnem cùm mouens, tùm mobile neceſsariò requirere. Rurſus, omnes partes tẽporis momento iungi, & illud quidem finem eſse præteriti tem-

Initiũ Ariſtotelicæ contẽplatiõis, qua in mundi æternitatẽ ductus eſt.

poris, & initium futuri: nullus enim erit philoſophus, qui ex nihilo quippiã fieri: motum da ri abſq; antecedente mobili: inſtans reperiri, quòd pars aliqua temporis non antecęſſerit, pro nunciare audeat: quis.n. hæc vnquã vidit, aut naturali ratione excogitauit? Ad hęc Ariſt. cũ priſcis illis philoſophis de primæ materiæ, primiquę motoris æternitate, atque etiam de eiuſdem, in agendo neceſſitate conuenicbat: & propterea ex fęcundiſſimo, ſubtiliſſimoque eius ingenio rationes illæ emanarunt, quas ſuperiore capite, ad mundi æternitatẽ confirmã dam propoſuimus. Nec illas quidem temerè, contẽtionisvè ſtudio adduxit: ſed quia omnib. ingenij ſui viribus adhibitis, id aliter eſse non poſse, clariſſimè animaduertit. Et ſi qua certè

Mirabile ingenium in hac diſputatione de mundi æternitate Ariſto. præſetulit.

in re Ariſ. ingenium ſuſpiciendum eſt, in hoc præſertim de mundi æternitate negocio, non illud modo ſuſpicere, verùm etiam obſtupeſcere debemus: quòd, ſ. in intimos naturę, abditoſque receſsus penetrarit, & eò vſq; peruenerit, quò quiſque ſolo naturę lumine progredi poſſit. Sed ad rem paulò propius. Sunt ne ſolubiles Ariſ. rationes? Indiget hæc quæſtio diſtinctione: fieri.n. poteſt, vt aliqua rõ natura ſua ſolubilis ſit, quę tñ ab hoc, & ab illo ſolui nequaquam poſſit. Huius generis ſunt Ariſ. rationes, quæ nũquam ab ijs philoſophis, quibus cum

Ariſt. rões pro mũdi æternitate poſitæ à ſimplici philoſopho ſolui nequaquã poſſunt.

diſputabat, immò nec ab alijs, qui Philoſophiæ limites non tranſcẽderint, ſolutæ fuiſſent. Et fateor equidem, me, vel quia Ariſtot, dogmatibus ſim aſſuefactus, vel ob ingenij mei imbecillitatẽ, intra naturę limites conſtitutum, eiuſmodi rationes nunquam ſoluere potuiſſe. Erũtne igitur adeò lubricæ, adeò variæ, vt tanquam neceſſariæ, atq; demonſtratiuæ ſolui nulla ratione poſſint? Minimè verò: non enim valet hæc conſecutio; hæc ratio ab hoc, & ab illo ſolui non põt; ergo ſimpliciter inſolubilis eſt: & propterea tametſi rationes illæ à puris Philoſophis ſolui non poſſint: non inde tñ ſequitur, eas inſolubiles, atq; demonſtratiuas eſſe. At ve-

Ariſto. rões nullo pacto ſunt demonſtrationes appellandæ.

rò ſaltem apud Philoſophos demonſtrationes erunt? Nequaquam: quia demonſtratio conſtat ex primis, neceſſarijs, ex veris: illæ autem rationes ex falſis propoſitionibus ſunt effectę: cuiuſmodi ſunt iſtæ: Deum extrinſecus neceſſariò agere: æternam eſſe primam rerum materiẽ: Deum ex nihilo quicquam procreare non poſſe, & eius generis aliæ. Sed nõ ne veræ ſunt propoſitiones hæ, ſaltem in Philoſophia? Multò minus: quia verum eſſe non poteſt, quod vero repugnat: arbitrantur quidẽ Philoſophi, eas veras eſſe: ſed tñ fallit eos ratio, quemadmo-

Nota hoc exemplum.

dum illi omnes teſtantur, qui ſupero lumine ſunt inſigniti. Dicent aliqui, non poſſumus nos hanc veritatẽ percipere: Quid refert? Credamus interim, addiſcẽtiumq; munere fungamur, quos credere oportet: neq; enim diſcipulus initio percipiet, columnam duorum cubitorum, vel aliud huiuſmodi continuum, in infinitum diuidi poſſe: nec pariter in quocunq; miſto perfecto ignem eſſe concluſum: cùm nullus ibi calor percipiatur, nihilominus interim credit ea, quæ preceptor docet, donec ætate, & ingenio adultus, illa eadẽ perſpicuè, ac dilucidè nouit, ita nos magis abdita quædam naturæ, lumine ſolo intellectus agẽtis conſequi non poſſumus, quemadmodum in re noſtra eſt dogma hoc de mundi factura: ideo opus eſt, vt nunc illi credamus, qui nos docere põt, quiq; eſt Via, Veritas, & Vita: tunc autẽ ea, quæ nunc credimus,

Ariſto. rões facilè ab ijs ſoluẽtur, quibus lumen fidei ſuppetias feret.

optimè intelligemus, cùm, hoc exuto corpore, inextinguibili illa luce perfruemur. Rationes igitur Ariſ. quoniam falſas in ſe ſe continẽt propoſitiones, ſolubiles quidem ſunt natura ſua, a quocunq; tamen ſolui non poſſunt: ſed ab ijs tantum, quibus lumen fidei opem ad philoſophandum tulerit.

*Tres priores rationes, pro mundi æternitate propoſitæ, diluuntur.* Cap. VII.

Reſpõſio ad primam rationem.

POſtquam igitur rationes omnes, quibus mundi æternitas ſuadetur, ſolubiles ſunt: facturus nũc operæpretiũ videor, ſi animũ ad illas diluẽdas appulero. Ad primam igitur admitto, Deum eſse bonum: immò, vt in argumento dr̃, omnis bonitatis originẽ, atq; fontem, optimamque fuiſse viam propriam bonitatem diffundendi, atque cum alijs communicandi, pulcherrimam hanc mũdi machinam condidiſse. Admitto etiam, Deum, propria natura, atque ſubſtantia, quæ re ipſa eadem eſt cum ſua ſciẽtia, rerum omnium cauſam eſse. Addo tñ vnum, quod ab arguentibus prætermiſsum eſt, nimirum rerum omnium, quæ extrinſe-

Diuina volũtas eſt cauſa potiſſima eorum, quæ à Deo extrinſecus efficiunt.

cus editę ſunt, potiſſimam eſse cauſam diuinam voluntatem, vt primo lib. Sñiarum diſt. 38. Theologi teſtantur. Etenim ſicut homo, qui cum ratione agit, opus arbitratu ſuo edere, & nõ edere põt, quod perfectionis eſt; ita Deus hac eadem perfectione multò magis gaudere debet, vt cùm ſit agẽs ſecundum rationem, ſpontè, nec vlla neceſſitate coactus, effectus omnes

extrin-

extrinſecus pariat. Quocirca non habet locum conſecutio illa, qua dicebatur, Deus ab æterno bonus eſt: ergo ſuam bonitatem ab æterno, mundum efficiendo, diffundere debuit: id enim valeret, ſi Deus extrinſecus ageret neceſſitate naturæ, vt Philoſophi arbitrati ſunt, non aũt liberè, & contingenter, vt veritas docet Catholicæ fidei. Ad confirmationem, futilis eſt illa comparatio, qua Deus, vt rerum omnium cauſa, igni calefaciẽti, vel Soli illuminanti comparatur: miror, ipſum non comparatum eſſe lapidi, ſurſum exiſtenti, qui, remoto impedimento, magno naturæ ſuæ conatu, deorſum in propriam regionem concedit. Sol neceſſariò lumẽ effundit, quia lux eſt perfectio corporis luminoſi: ignis appoſitum ſibi obiectum neceſſariò calefacit, & comburit: quia eſt cauſa naturalis, quæ non agere non pŏt. Deus eſt cauſa ſuper naturalis: & dum natura ſua efficit, quicquid efficit, intellectus etiam, & voluntas ad effectionem concurrunt: quo fit, vt Dei opera perfectiſſima ſint, quæ tñ nulla, vt diximus, neceſſitate compulſus, ſed liberè, & contingenter efficit. Non igitur Deus ab æterno mundum condidit, quia illum ſibi condere non placuit. Non admitto, æternam fuiſſe materiam, ex qua mundus, vt in confirmatione dr̃, confici poſſet: fuit enim ex nihilo procreatus, ſed fac etiam, materiam æternam fuiſſe: nihilominus Deus, ſua libertate, mundum ab æterno non efficere potuiſſet.

Ad confirmationem.

De' nulla neceſſitate, ſed liberè mundum conſtruxit.

Ad ſecundam rationem, eſt communis reſponſio, Deum ab æterno mundum quidem ædificare potuiſſe, cũ tñ ab ęterno ædificare noluiſſe: nec ob eam rẽ nõ inuidum cenſendum eſſe: non enim inuidentia mundi fabricam retardauit: ſed quia, diuinę ſuæ ſapiẽtiæ conſilio, non niſi in tempore, ipſum ędificare decreuerat. Cuius quidem conſilij rationes duę potiſſimum afferri ſolent. Altera eſt: quia ſi Deus ab ęterno mundum condidiſſet, ſuſpicari aliqui potuiſſent, Deum ſe ipſo perfectum non eſſe: ſed ad abſolutam eius felicitatem, & beatitudinem, mundi conſtructione opus fuiſſe: propterea, vt omnes cognoſcerẽt, eum nullius rei indigere, ſed per ſe ipſum beatum eſſe; ideo ad tempus mundi creationem diſtuliſſe. Altera eſt: quia ſi Deus ab ęterno mundum condidiſſet, multi exiſtimare poſſent, ipſum agere neceſſitate naturę, nec res ab ipſo editas, ſecus; ac lumẽ à Sole, vel calorem ab igne, pendere: idcirco vt Deum agens liberum eſſe, conſtaret, quippe in cuius poteſtate agere, & non agere ſit: atque rurſus, res omnes in lucem editas, ab eo, tanquam ab effectrici cauſa, eaque prima, & potiſſima, proficiſci: mundum voluit in initio temporis procreare. Hęc eſt ſolutio S. Thomę lib. 2. contra gẽtiles cap. 38. quem plurimi ſecuti ſunt.

Ad ſecũdam rõnem, reſpõſio cõis. vide S. Tho. lib. 2. contra gent. cap. 38.

Cur Deus ad tẽpus mundi fabricam cõtulerit.

Mihi tñ (pace tãti Doctoris dixerim) non valde probatur: non audeo ipſam impugnare: afferam tñ aliam, quam ſequetur, qui voluerit. Dico primum Deum ex æternitate mundum edere, nulla ratione potuiſſe. Execrandum fortaſſe hoc dictum videbitur. Quid enim? Eſt ne Deus impotẽs, & imbecillis? Subſiſte paululum. An ne Deus, quia nec currere, nec volare, nec videre pŏt, iccirco impotens, aut imbecillis eſſe dicetur? Negabis, opinor: quia effectus ſunt iſti, penitus naturę diuinę repugnantes. Sic aio ego, non eſt Deus impotens, quia mundum ab ęterno edere non potuerit, propterea, quòd, vt lucidiſſimè in inferioribus capitibus demonſtrabo, id ipſum contradictionẽ inuoluit: conſtat autem inter omnes, id Deum facere nõ poſſe, quòd cõtradictionem inuoluit.

Autoris rñſio ad ſecundam rõnem. Deus ab ęterno nõ potuit mũdum procreare.

Dico preterea, Deum ab æterno mundum condere voluiſſe: non tñ pro ęterno, vt Theologi dicunt, ſed pro illo tempore, quo condidit: idque non mutata, ſed continuata volitione, vel, vt aiunt, volendi actu.

Deus ab ęterno voluit cõdere mundũ, non tamẽ ꝑ æterno.

Dico tertiò, ſi Deus voluiſſet, eum multò antè in infinitum, mundum ędificare potuiſſe, nunquam tñ ab ęterno: nulla enim eſſet contradictio, Deum ita mundum antea ędificare, vt, ob cęli reuolutiones, hactenus decem annorum millia pręterijſſent: placuit tñ diuinę voluntati tùm primùm, & non antè mundum ędificare, cùm ędificauit.

Deus ſi voluiſſet, potuiſſet multò ante mundum ædificare, q̃ ædificauit.

Ad tertiam, inanis mihi vr̃ iſta petitio, cui nullus certè eſt, qui plenè ſatisfacere poſſit: qua de cauſa nunc Deus, & non antè mundi fabricam molitus eſt? Nam ſi dedero, multò antè Deum in mundi ſtructuram incidiſſe: idem rurſus poterit alius ſciſcitari: cur tùm primùm, & non antè? & ſic in infinitum. Soluant mihi obſecro talia petentes dubium hoc, & incumbam ego poſtea in corũ petitionis rñſionem. Fatẽtur Philoſophi immẽſum quoddã inane ſpaciũ extra cęlum reperiri, in cuius qualibet parte mundus ipſe contineri poſſet: dicant, cur potius mundus in hoc ſpatio, in quo modò concluditur, poſitus eſt, quàm in tot alijs, in quibus ędificari potuiſſet? Rurſus cęlum, quod mundum vniuerſum continet, magnitudine finitum eſt: cur non illud Deus in ampliorem molem extendit? Species pariter rerum finitę numero ſunt, cur non multò plures rerum omnium opifex procreauit? Neminem eſſe arbitror, qui ſatis

Ad tertiam rationem. Lege D. Auguſti. lib. 11. de Ciui. Dei, cap. 5.

commodè rerum propoſitarum rationem docere poſſit: quapropter nec me illum eſſe putabo, qui reddere cauſam queam, quamobrem non multò antè Deus mundum ipſum ædificauerit. Hoc certò ſcio, nec fortuita temeritate, neque odio præteritę quietis, nec ob nouum aliquod conſilium, vniuerſi fabricam Deum incepiſſe; ſed quia ita voluit, ita ab æterno in ſuę diuinitatis conſilio ſtatutum eſt: cuius conſilij rationes, quòd in theſauris ſapientiæ ipſius lateant, nobis nequaquam pertingere licet.

### *Solutio quartæ, & quintæ rationis.* *Cap. VIII.*

Reſpõſio ad quartam rõnem.

AD quartam rationem, ex Theologorum fundamentis, negandum eſt, materiam eſſe æternam. Et cùm probatur, quia ſi quando facta eſſet, ex alia materia neceſſariò facta eſſet. Reſpondendum, id quidem rectè concludi, ſi materia orta ſit, aliquando generatione, quæ materiam ſemper, tanquam primum, pręcipuumque eius ſubiectum expoſcit: aut etiam ſi ab aliquo agente finitæ, ac limitatæ virtutis edita ſit: nullum enim huiuſmodi agens quicquam valet abſque ſubiecta materia procreare. Nunc verò, neque genita eſt aliquando materia, nec ab agẽte, finitæ virtutis, educta; ſed à Deo Opt. Max. cuius virtus, atq; poteſtas nullis limitibus circunſcribitur, in temporis initio ex nihilo procreata. Dicent Philoſophi, nos nunquam agnouimus quicquam, huiuſcemodi ortu generatum, quo. ſ. ex nulla penitus ſubiecta materia aliquid in lucem edatur. Reſpondebunt Theologi, ſi vos nullum huiuſmodi ortum agnouiſtis, qui, ſolo naturæ lumine, res à Deo editas contemplamini; nos eum commodè agnouimus, qui, ſplendidiore lumine, in Dei, naturæq; opera penetramus. Ecquis ſcit, an inter vos etiam fuerint, quos non omnino latuerit huius generis procreatio? Fateri quidẽ nõ dubitamus, eos omnes, qui rationalis animę ortum diligenter conſiderauerint, rerum creationem, aut cominus, aut ſaltem eminus odorari potuiſſe. Id, quod fecit Ariſt. qui cùm animaduertiſſet, rationalem animam de poteſtate materię non deduci, quemadmodum cętere formę, quibus compoſita ſubſiſtunt; extrinſecùs illam oriri, atque diuinitùs produci perhibuit: quibus verbis palam fecit, ſe ſaltem ſub vmbra quadam, & caligine creationem ipſam percepiſſe. Ad confirmationem eiuſdem rationis facilis eſt reſponſio: ſi enim materia non eſt ęterna, neque pariter forma, aut ſimplex aliquod corpus: ex illis conſtitutum, æternum erit. Non ſunt igitur elementa æterna, ac deinceps neque mundus. Ad quintam rationem negandum eſt antecedens. Ad primam probationem, nolo modò diſputare, ſit ne cœlum re vera ex materia, & forma concretum: ſcio, complures Theologos affirmatiuam partem tueri: nõnulloſque aſſerere, cęlum ſui natura diſſolubile quidem eſſe: non diſſolui tamen, quia nullum datur agens naturale, quod id muneris ſatis commodè obire poſſit. Alij dicunt, ideo cęlum nõ interire, quia eius materia non habet annexam priuationem: vel etiam quia eius forma omnem appetitum explet cœleſtis materię: particularis erit, Deo fauente, hac de re diſputatio. Mihi nunc probabiliter dicendum videtur, quemadmodum Deus primam materiam, quæ ſimplex quædam natura eſt, ex nihilo fecit, vt ex ipſa, tanquam ex ſubiecto res omnes ſublunares generarentur, ita coelũ ſimpliciſſimum ex nihilo condidiſſe, vt ab ipſo, tanquam à ſecũdario quodam efficiente, eædem res ſublunares ſuam exiſtentiam acciperent. Iam verò quẽadmodum ad rerum generationem efficiendam, & producendam, opus eſt, vt eadem ſemper numero materia maneat, nulli prorſus interitui obnoxia: quanuis portiones eius non ſemper ab eiſdem, ſed modò ab his, modò ab illis formis perficiantur; ita neceſſe eſt, vt corpus illud, quod iſtarum eſt cauſa generationum efficiens, omnis expers interitus ſit, tametſi illius partes non eundem ſemper locum obtineant, quòd ipſum perpetua circuitione voluatur. Non eſt igitur mirum, ſi coelum nunquã languore contabeſcat, nunquam ſenectute afficiatur, propterea quòd ſimplex natura illud eſt, ab omni interitu, obituque immunis. Quod cùm ita ſit ſequitur ſtatim, illud quidem generatione aliquando editum non eſſe, vt rectè probat argumentum: concludere tamen non licet, idem ab omni temporum ęternitate conſtitiſſe; propterea quòd totum ſimul, abſque vlla antecedente materia, à Deo Opt. Max. cum tempore procreatum eſt. Ad ſecundam probationem, poſſent fortaſſe adduci multorum autoritates, qui, plures mutationes in coelo contigiſſe, teſtantur: narrat enim inter cæteros D. Aug. ſe ex libris Varronis, autoris non ignobilis, excepiſſe, ſtellam Veneris ſemel magnitudinem, curſum, & figuram, tẽpore Ogygis Regis commutaſſe, & poſſet etiam afferri inſtantia de noua illa ſtel-

Prima rerum materies neque eſt æterna, neque ex aliquo facta, ſed vt fides catholica docet, à Deo ex nihilo ꝓcreata.

Ariſ. creationem olfecit.

Ad cõfirmationem.

Ad quintã rationem.

Duo ſimpliciſſima, nullique interitui obnoxia ſuerũt à Deo ex nihilo in initio temporis procreata, nimirum materia prima, & cœleſtis ſubſtantia.

Plures mutationes in cęleſti natura cõtigiſſe nar

la,

la, quæ anno 1572. tẽpore Pij Papę V. apparuit in Caſſiopea; & de nouo etiam ſidere, quod anno 1605. prope Sagittarij ſignum emicuit: tamen quia incertum eſt, an fuerint hæc noua lumina in regione cœleſti recens genita, an potius vapores quidam, in elementari regione inflammati, de his nunc nihil aliud dicemus. Fatemur tamen, ſicut Deus totũ cœlũ ex nihilo cõdidit; ita ſi vellet, poſſe eum, aut nouum aſtrum procreare, aut alicuius ſtellæ ſplẽdorẽ intẽdere, aut alias eiuſmodi operationes edere. Qui enim Solem ſiſtere fecit tempore Ioſuè, & eũdem retrocedere, regnante Ezechia, vt in diuinis literis legitur; multa id genus alia, quæ hominis captum excedunt, nullo negocio facere poteſt. Sed vtcunq; ſe res habeat, (paulò enim longiùs, quàm par erat, excurrit oratio) demus, nullam vnquam in cœlo eiuſmodi mutationem contigiſſe, quid inde ſequetur? Nihil planè aliud, niſi cœlum, naturam quandam puriſſimam, & ſimpliciſſimam, atque ab omni interitu penitus alienam poſſidere. Erit ne ob eã rẽ cœlum æternum? Minimè verò: nam tametſi ex hac eius natura arguere non poſſumus, ipſũ genitum eſſe; nihil tamen prohibet, quo minus concludamus, idem à Deo editum creatione fuiſſe. Ad tertiam probationem, reſpondetur, oportere, quidem corpora hæc ſublunaria, generabilia, & diſſolubilia, ab aliquo corpore, tanquam ab efficiente cauſa pendere, quod neq; generabile, neque diſſolubile ſit, quemadmodum eſt cœlum; non tamen neceſſe eſſe, vt illud idem non editum ſit, atque æternum: ſufficit enim, vt vel natura, vel etiam duratione aliqua, res illas præcedat, quæ ab ipſo editæ ſunt.

rat D. Augu. lib 21. de Ciuita. Dei, c. 8.

Ioſue c. 10. Lib. 4. Reg. cap. 20.

Ex ſimpliciſſima cæli natura arguere quidem poſſumus, ipſum non eſſe genitum, non tamen idem æternum eſſe.

Vt cęlum ſit cauſa rerum ſublunarium ſatis eſt, vt illas natura, aut tempore aliquo pręcedat.

### *Soluuntur tres vltimæ rationes.* Cap. IX.

AD ſextam rationem, negandum eſt antecedẽs, motum videlicet æternum eſſe. Ad Ariſt. probationem reſpondendum, nec motorẽ, nec mobile, cuius primus ille motus fuit, æternum eſſe; ſed cum tempore vtrũque, & cum ipſomet motu emerſiſſe. Et cùm ſubarguit Ariſt. ſi motor, & mobile orta ſunt; igitur aliquo motu; neganda eſt conſecutio: propterea q creationis beneficio extiterunt, quæ nec motus eſt, nec motum vllum ponit. Conimbricẽſes putant, Ariſt. hanc rationem, citra vllum fidei ſubſidium, naturaliter ſolubilem eſſe. Sed mea quidem ſententia toto cęlo aberrãt: quis enim vnquam, à natura doctus, mutationem illam agnouit, qua ex nihilo aliquid procreatur? Cognitio illa, quam intellectus humanus acquirit, à rebus viſis elicitur, & in vniuerſum ab ijs omnibus, quæ ſenſibus obijciũtur: ſenſuum autem ope, ad nullam productionem peruenire poſſumus, quæ citra motum ſit, & generationem. Etenim quodcunque recens oriri videmus, illud omne ex ſubiecto aliquo fieri, & generari intelligimus: quare ſi in hac rei cognitione perſiſtere velimus, facile hanc vniuerſalem cõcluſionem eliciemus, ea etiam omnia, quæ elapſis temporibus edita ſunt, ſuam conſiſtẽtiam motu, & generatione acquiſiuiſſe. Sed dicet aliquis, non ne datur prima rerum productio, nimirum creatio, quæ nec motum ponit vllum, nec generationẽ? Hoc fatentur Theologi, quia id credunt; ſed naturali lumine non omnino cognoſcunt, propterea quòd, creationis articulus eſt creditus, partim tamen naturali lumine poteſt veſtigare; non quidem directa cognitione, ſed neceſſaria quadam conſecutione, ex rebus alijs educta, vt dictum eſt ſupra, & dilucidiùs etiam inferius explicabitur. Non eſt igitur hæc Ariſt. ratio à puro Philoſopho tàm facilè ſolubilis, vt Conimbricẽſes arbitrati ſunt; quinimmo aduerſus veteres Philoſophos, qui, præter motorem æternum, aliquod etiam æternum mobile ſtatuerunt, adeo efficax eſt, vt S. Tho. non veritus ſit aſſerere, eam ſaltem ſecundum quid demonſtratiuam eſſe. Cęterũ, quod ad ſolutionem attinet, aduertendum eſt, per primum mobile, & primum motorem, quæ creatione à Deo, edita ſunt, intelligendum eſſe primum cęlum; & primam Intelligentiam, ipſi applicatam: prima autem Intelligentia non eſt Deus, quamuis frequenter Philoſophi nomine primæ Intelligentiæ Deum intelligant; ſed eſt ſeparata quædam ſubſtantia, quæ primum orbem proximè perpetuis reuolutionibus circunducit: Deus verò nullum orbem proximè mouet, ſed eius motus conſiſtit in hoc, vt & Intelligentijs, & rebus omnibus mouentibus, virtutẽ mouendi impertiatur. Ad ſeptimam rationem, negandum eſt antecedens. Ad probationem ſolet communiter negari minor propoſitio, videlicet omne inſtans finem eſſe præteriti tẽporis, & initium futuri: Ariſt. enim, quia poſuit temporis æternitatem, ideo propoſitionẽ illam, tanquam veriſſimam exiſtimauit; & certè ita eſſet, ſi tempus eſſet æternum: ſed cùm falſum ſit, tempus æternum eſſe, falſa pariter erit illa propoſitio, quam minus rectè Ariſt. tanquam

Reſpõſio ad ſextam rationem.

Conimbricẽſium error.

Ariſt. ratio à motus æternitate deſumpta validiſſima eſt, & aduerſus veteres Philoſophos demonſtratiua. lege D. Tho. 1. p. q. 46. ar. 1.

Deus nullum orbem proximè mouet, ac proide à prima Intelligẽtia differt, q eſt orbi applicata. Vide diſput. de Motore primi orbis.

Ad ſeptimã rõnem reſpõſio cõis.

medium aſſumpſit, ad motus, temporis, & mundi æternitatem ſuadendam: prius enim propoſitionem illam probare debuiſſet, ſi rectè id, quod cupit, cōcludere voluiſſet: ita huic argumēto communi reſponſione ſatisfit. Verum enimuero nō puto ego, hac communi reſponſione, ſatis Ariſt. rationi factum iri: quoniam aut de rebus ad arbitrium noſtrum loquimur, aut à rebus ipſis veram cognitionem elicimus: ſi ad arbitrium loqueremur, in maxima certè perturbatione, atque rerum ignoratione continuò verſaremur; vellet enim vnuſquiſque arbitratu ſuo philoſophari, nec vllius vnquam rei certa cognitio habere poſſet. Si autem veram cognitionem à rebus ipſis elicimus; opus eſt, res ipſas conſideremus, ſicuti ſunt, nec nouas effingere, ad euitanda incommoda. Quare cùm dictum eſt ſupra, æquè primum mobile, vt primū motorem in temporis initio factum eſſe, non tamen motu, ſed productione, abſque vlla ante exiſtente materia, quæ creatio dicitur; rectè quidem dictum eſt: hoc enim nouum eſt productionis genus, quod Philoſophi aut penitus ignorarunt, aut ſaltem planè intelligere nō potuerunt. Eſſet autem hoc ab omni intelligentia remotiſſimum, ſi quis diceret, aliquid recens motu, & generatione ortum eſſe, nulla tamen ante exiſtente materia: hoc certè nullus vnquā concipiet. Sic dico in re noſtra, niſi quis naturam inſtantis penitus commutare, nouumq; inſtantis genus ſuo more fingere velit; nunquam dicere poterit, inſtans reperiri, quod tempus aliquod non anteceſſerit. Id autem facilè oſtendo: nam inſtans temporis illi rei in motu reſpondet, quæ paſſim à Philoſophorum Scholis mutatum eſse nūcupatur: ſicut autem in motu primum mutatum eſse dari non poteſt, quin ante ipſum motus fuerit, idque propter eius continuationem, ratione cuius in infinitum diuiſibilis eſt; ita nec in tempore primum inſtans reperiri poteſt, quin ante ipſum fuerit tēpus: cùm tempus pariter in infinitum diuiſibile ſit; & non ſolum totum tempus, ſed quælibet etiam eius particula vel exigua, quemadmodum etiam quælibet particula motus: vt intelligamus, hanc rationem valere: ſiue tempus æternum: ſiue non æternum ſtatuatur. Puto igitur, propoſitam rationem de temporis æternitate aliter ſoluendam eſſe, ſolutionemque tùm ex lib. 6. de Phyſico auditu, texto 43. tùm ex 8. eiuſdem operis libro tex. 65. elici poſſe: quibus locis nonnulla Ariſtot. ad rerum inceptionem, atque intermiſſionem ſpectantia, breuiter perſtringens, docet, quemadmodum res permanentes exiſtunt primò per primum ſui eſſe, & terminantur per vltimum ſui eſſe; ita res ſucceſſiuas, ſicuti eſt motus, oriri per vltimum ſui non eſſe, atque tandem per primum ſui non eſſe finire. Hæc cùm ita ſe habeant, dicendum eſt, ſicut datur vltimum non eſſe alicuius motus particularis (ſi quis enim incipiat moueri per cubiculum, ille motus exiſtentiam accipiet per vltimum ſui non eſſe) ita potuiſſe dari, immò re vera dari vltimum nō eſſe motus primi mobilis, atque adeo vltimum non eſſe temporis. Hoc autem vltimum non eſse, nulla ratione appelles inſtans, quia tunc tempus aliquod præteriiſse, fateri neceſſariò oporteret: ſicut ſi vltimum non eſse particularis motus mutatum eſse appellares, ante illud ipſum fuiſse motum, dicere cogereris. Concludamus igitur, & dicamus, cùm nullum continuū, ex Ariſt. decreto, lib. 6. de Phyſico auditu, ex indiuiſibilibus conflatum ſit; omnes partes motus, indiuiſibilibus quibuſdam, quæ mutata eſse appellantur, copulari; omnes pariter partes temporis indiuiſibilibus quibuſdam in vnum cogi, quæ dicuntur inſtantia: ea autem dūmodo talia ſint, ſemper finem præteriti, & initium futuri temporis ſignificare. Quare concedendum nullo modo eſt, dari primum inſtans temporis, ſicut nec primum mutatum eſse motus; ſed motum primi mobilis, qui eſt re ipſa cum tempore idem, per vltimum ſui non eſse exiſtētiam obtinuiſse, & eundem aliquando per primum ſui non eſse terminatum iri, vt vtrinque tàm motus, quàm temporis æternitatem euitemus. Ad octauam rationem, admiſsa maiore, explicanda eſt minor: etenim prius, & poſterius ſunt differentiæ temporis, quæ interdum tēpus, re ipſa exiſtens, interdum verò tempus, cogitatione fictum, ſignificant, quod ſuo modo ſemper fuit, ſicut & eius generis ſpacium. Quare cùm dicitur, prius tempus non fuit, & poſtea cæpit eſse, illud prius non accipitur pro differentia temporis realis, vt aiunt, & poſitiua, adeo vt connotet aliquod tempus exiſtens; ſed accipitur pro differentia temporis, cogitatione ficti, & negatiua, quatenus, ſ. negat temporis perpetuitatem, vt rectè dicit Io. Grammat. Idem igitur eſt dicere, tempus non fuiſse prius, ac dicere, tempus non eſse perpetuum. Satisfaceret (opinor) hæc reſponſio ipſi Ariſt. eſt enim reſponſio ad hominem; vt dicunt Scholaſtici, ex iis elicita, quæ ipſemet Ariſt. affirmauit. Dicebat Ariſt. extra cœlum nihil eſse: tamen ſecundū

Reijcē hæc cōis reſponſio.

Non pōt dari inſtans, qđ tēpus aliqđ non præceſſerit.

Autoris ſolutio.

Nota regulā de inceptione, & intermiſſione rerum ſucceſſiuarum.

Non pōt dari primū inſtans tpis; datur tñ vltimū non eſſe motus primi mobilis, qui eſt re cum tempore idem.

Ad octauam rationem.

Prius, & poſterius ſūt differētiæ tēporis, vel realis vel cogitatione ficta, ſcdo Io. Grā.



eius

eius doctrinam, extra eſt differentia loci: ergo extra cælum eſt locus, & ſi eſt locus, debet pariter eſſe locatum, atq; ita ſi extra cælum nihil eſt, extra cælum aliquid eſt, concludendo oppoſitum ex oppoſito. Soluit Ariſt. dicens, illud extra eſſe differentiam loci, non quidem veri, & realis, ſed cogitatione ficti. Optima reſponſio: ſed cur non valebit, & noſtra, dum dicimus, tempus cæpiſſe eſſe, & in aliquo priori non fuiſſe, non vero, & reali, ſed cogitatione ficto?

### *An noua mundi creatio naturalibus rationibus demonſtrari poſſit.* *Cap. X.*

SOlutis iam Peripateticorum rationibus, quæ mundi æternitatem ſuadere videbantur: altera nunc diſputationis pars animo breuiter luſtranda eſt, videndumq; remoto lumine fidei, naturalibus ne rationibus, noua mundi productio, ſiue eius creatio demonſtrari poſſit? Omiſſis verborum anfractibus, & circuitionibus, ad rem ſtatim venio, abſoluteq; rn̄deo, id fieri nequaquã poſſe: ita cenſet S. Thomas p.p.q.46. art. 2. & lib. 2. contra gẽt. cap. 38. huicq; ſnīæ grauiores omnes, tùm Philoſophi, tùm Theologi ſubſcripſerunt. Sed præter S. Thomæ, & aliorum Doctorum autoritatẽ, aliquam etiam negatiuæ huius concluſionis rõnem afferre poſſumus. Non enim noua mundi productio naturali ratione probari poteſt, niſi ſubinde naturali ratione oſtẽdatur, quippiam ex nihilo effici poſſe; Deumq; eſſe agens, quod arbitratu ſuo agere, & non agere poſſit, quodq; nulla naturæ neceſſitate ad agendum impellatur: ſed remoto lumine fidei, nemo naturali ratione hanc veritatem attingere poteſt, vt aliquid intelligat ex nihilo effici, Deumq; liberum agens eſſe; igitur naturali ratione noua mundi creatio concludi minimè põt. Minor propoſitio euidentiſſima eſt: nam cognitio, quam parit naturalis ratio, non eſt niſi cognitio, quã intellectus à ſenſibus haurit: nihil enim eſt in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu, vt lib. de Senſu, & ſenſibili Ariſt. docet; at ſenſus nunquam prædictæ veritatis notitiam intellectui ſuppeditare queunt; nemo igitur eſt, qui eandem notitiam, naturali ratione conſequi poſſit. Neq; verò id confirmare, difficile eſt: etenim ſola naturali ratione diſſerendo, nemo eſt, qui cùm in rebus omnibus, quæ diebus ſingulis fiunt, obſeruauerit ſubiectum aliquod neceſſariò antè requiri, ex quo res illæ educuntur: idem aliquando ad aliquam affectionem perduci poſſit, qua res aliqua ex nihilo ſimpliciter procreetur. Pari ratione, cùm ſemper obſeruauerit neceſſarium illum nexum omnium cauſarum efficiẽtium, non ſecundarum modò inter ſe, verùm etiam ſecundarum cum prima, videritq; nullam efficientem cauſam aliquando feriari, ſed ſemper circa affectam materiam, ſubiectumve, aliquid efficere: quinimmò ita efficere, vt omnino nõ efficere non poſſit; dubio procul inde ſtatim eliciet, ita ſemper fieri oportuiſſe: cùm præſertim ſecundæ cauſæ nihil moliantur, niſi efficiendi virtutem à prima receperint. Quare ſi ſecundas cauſas neceſſariò agere cernimus, & illæ à prima mouentur, inde conijcimus, primam quoq; cauſam, neceſſitate, & inpulſu quodam naturæ, ad agendum incitari. Poſtremò, nemo eſt, qui obſeruauerit cælorũ curſus, noueritq; eos eodem ſemper motu, infallibilique regula circumuolui, qui non arbitretur, eum motum ſemper illos habuiſſe: nec cogitare poſſum, quo nam pacto, ſola natura duce, eò quiſpiam peruenire poſſit, vt intelligat, in aliquo tẽporis exordio illos moueri cœpiſſe, cùm prius nullum omnino motum experti eſſent. Rectè igitur dicebam ſuperiùs, neminem, citra lumen fidei, veritatẽ hanc directè cognoſcere poſſe, mundum. ſ. in temporis exordio, ex nihilo à Deo, Opt. Max. liberè quidem agẽte, nec vlla neceſſitate compulſo, procreatum fuiſſe. Poſſet quidem veritas hæc à quocunq; rectè Philoſophante, neceſſaria quadam conſecutione, ita ratiocinando, concludi: ſi mundus æternus eſſet, infinitæ animæ rationis participes, re ipſa in natura exiſtẽtes, reperirentur, idque ponendo, eas eſſe immortales, vt euidẽtiſſimè in altera diſputatione probabimus: at verò infinita multitudo rerum, re ipſa exiſtentium inueniri non põt; igitur mundus non poteſt eſſe æternus. Hæc ratio validiſſima eſt, immò, & iis omnibus demonſtratiua, qui animorum immortalitatem defendunt. Sed dicet aliquis, ſi nulla nobis demonſtratione mundi exordium directè concludere licet, poſſumus ne illud ipſum probabili ſaltem ratione firmare? Poſſumus quidem, multæq; huius generis rationes à pluribus afferri ſolent. Ac primùm quidem eſſe poteſt, vt aſſertum hoc de mundi exordio à primis mundi incolis, reliquis fuerit veluti per manus traditum, ac poſteris commẽdatum. Hæc ratio ſuaſoria eſt: quoniam ſi Maiores noſtri mundum cum tempore conditum ſtatuerunt: atque rurſus, hanc veritatem à ſuis maioribus ſe accepiſſe confeſſi ſunt, probabile eſt, aliquos

Non põt noua mũdi creatio naturalibus rationib. demonſtrari, opinio eſt S. Tho. quã ſequ ẽ autor.

Autoris ratio S. Thom. opinionẽ cõfirmans.

Euidẽtior cõfirmatio.

Alia ratio.

Qõo veritas de mundi exordio, quæ ſola natura duce directè demonſtrari nõ poteſt, neceſſaria quadam conſecutione concludatur.

Noua mũdi productio põt probabilibus rationib. ſuaderi.

Prima ratio.

aliquos primos mundi incolas extitiſſe, qui hanc ipſam veritatẽ ſuis poſteris commẽdarint. Attamen non eſt ratio neceſſaria, quia ex euidẽtibus principijs deducta non eſt, ſed robur tantum habet à fide, quam Maioribus noſtris habemus.

Secunda rō. Lege Pliniũ lib. 7. cap. 56. Diodor. li. 3. antiq. cap. 2. Ioſeph. lib. 1. antiq. cap. 1. Polidor. lib. de Inuentoribus rerum.

Adducunt ſecundam rationem: nãque ſi mundus æternus eſſet, ſemper quoque artes extitiſſent, nec qui nam fuerint artium inuẽtores, aut qua nam ætate floruerint, vllo pacto conſtaret: ſed, vt apud multos rerũ antiquarum obſeruatores videre licet, conſtat, qui nam fuerint artium inuẽtores, & qua ætate floruerint: probabile igitur eſt, mundum aliquando nouo ortũ emerſiſſe; non enim rationi conſentaneum eſt, infinita antecedẽtium annorum ſerie, abſq; artibus humanum genus vixiſſe, quod vtique eſſet niſi mundus initium temporis habuiſſet. Addo tertiam rationem, ab hiſtorijs antiquorum temporum deſumptam, quam ad mundi originem oſtendendam, firmiſſimam arbitror. Etenim ſi Hebræorum, & Chaldæorum hiſtorias perlegamus, multorum Regum, Principum, atque Heroum origines inueniemus, qui tandem, ſuorum maiorum adnumerata genealogia, ab Adamo, & eius filijs originem duxere. Hæc in Hebræorum libris ſcripta ſunt, nec opinor, aliquem huiuſmodi origines ſomniaſſe: cùm, præter natos homines, & tempus, quo orti ſunt, & res ab ipſis geſtas, & loca, vbi res geſtę ſunt, diligẽter conſcripſerint, atque æternis monimentis tradiderint. Quod ſi mundus æternus eſſet, mirum certè videretur, cur vel vnius hominis ante Adamum mentio ab aliquo facta non eſſet? mũdi enim æternitate conceſſa, infiniti homines Adamum pręceſſiſſent: cur igitur & nomina, & facta illorum ignorantur? Argumento hęc ſunt, Adamum primum mundi incolam fuiſſe, & quotquot homines hactenus extiterunt, & modo ſunt, eos omnes ab eodem, varijs interuenientibus genitoribus deſcẽdiſſe.

Tertia ratio. Eorũ reſponſio, qui mundi ęternitatis vindices appellantur.

Qui pertinaciter mundi æternitatem defendunt, hiſce rationibus ſatiſfacere ſe putant, dicentes, generales eluuiones, vniuerſaliaq; incẽdia extitiſse, quibus hominum memoria, artes, & ſcripta omnia, viciſſitudine quadam, infinitè, vnà cum ipſis hominibus periere. An ſit aliqua vis in rerum natura, quæ totã terrã aut incendere, aut aquis obruere poſſit, eſt quęſtio maiore otio tractanda. Ariſ. cap. vltimo primi lib. Meteor. plures narrat, particulares eluuiones, plura pariter particularia incẽdia fuiſse: vniuerſalia verò non item.

Confutatio.

Sed arguamus contra reſpõſionem; ſi generales eluuiones, vniuerſaliaq; incẽdia extitere, aut omnes prorſus homines perierunt: aut aliquot ſaltem incolumes, terram rurſum habitaturi, permanſerunt: ſi perierunt omnes, quo nam pacto geniti ſunt ij, qui deinceps apparuerunt? Ex ſemine gigni non potuerunt, ſaltem illi priores, quia homines non aderant. Dicere, fortuita generatione, atq; ex putri illos materia genitos eſse, maximum videretur abſurdum. Fateri, eos ex nihilo à Deo creatos fuiſse, eſset ſua ipſorum fundamenta demoliri. Eorum ſit prouincia, qui mundum ęternũ eſse defendunt, modum aliquẽ excogitandi, quo nouã illorũ hominũ generationem oſtendant.

Præter Noeticũ diluuiũ nullum aliud legitẽ vniuerſale diluuium extitiſſe.

Si verò aliqui homines incolumes permanſerunt: tunc ſaltem ipſi præteritę eluuionis, aut incendij memoriam conſeruaſsent, atq; etiam ſcriptis tradidiſsent: quemadmodum in Noetico diluuio contigiſse videmus. Pauci enim illi homines, qui ſuperſtites fuerunt, illius diluuij memoriam retinuerunt, atq; eiuſdem notitiam poſteris tradiderunt: quinimmò ab ijſdem multarum rerum cognitio habita eſt, quę longè diluuium illud præceſserũt. Quare ſi ante Noeticum diluuiũ alia cataclíſmata, aliavè incẽdia fuiſsẽt, dubio procul aliqua illorum memoria ab ijs, qui diluuium illud præceſserunt, conſeruata fuiſset: nuſquam tñ ſcriptum reperitur, nec ab aliquo hactenus auditum eſt, ante Noeticum diluuium aliud diluuium, aliudvè incẽdium extitiſse, hoc igitur eſt ſignũ, illud primũ fuiſse, atq; adeo hominum memoriam, artes, & ſcripta omnia, viciſſitudine quadam, infinitè, vnà cum hominibus nec aqua, nec igni perijſse, vt mundi æternitatis defenſores aſseuerant.

Confutatio.

Dicent alij temporum diuturnitatem rerum omnium memoriam deleuiſse, vt Ariſ. loco ſuperius citato animaduertit: propterea mirum non eſt, ſi nulla apud nos illarum rerum memoria extet, quæ antè ſexcenta annorum millia conſtiterunt. Acquieſcerem huic reſponſioni, & inciperem dubitare, mundum æternum eſse, ſi vnius ſaltem diluuij ante illud Noeticum, aut vnius ſaltem hominis ante Adamum mentio ab aliquo facta eſset: ſed cùm fides Catholica doceat, Adamum primum hominẽ fuiſse: primumq; etiam fuiſse Noeticum diluuium, nec vllius alterius, aut hominis, aut diluuij mẽtio ab aliquo facta ſit: facere nõ poſsum, quin, remoto etiam lumine fidei, ſñiam de mundi exordio, tanquam veram, firmam, & ſolidam amplectar.

Quarta ratio

Eam verò lubet etiam noua hac (vt opinor) ratione confirmare, quæ ex de-

cre-

cremento annorum vitæ deſumpta eſt. Legimus in Hebræorum hiſtorijs, veteres illos patres vſque ad quingentos,& nongentos annos vixiſſe:alios poſteriores vſque ad ducentos, & trecentos:hic autem annorum numerus paulatim decreuit,vix vt temporibus noſtris vſq; ad octuageſimum annum homines vt plurimum perueniant. Cuius rei cauſam,ſi naturali ratione indagare velimus,eo omiſſo,quod diuini Opificis conſilio,& voluntate factum eſt, inueniemus,id nulli rei potius,quàm temperamenti hominum mutationi acceptum eſſe referendum:licet pluribus alijs rebus eadem quoque cauſa aſcribi poſſet, quæ tamen ſatis æternæ ſunt,nec ita proximè,vt temperamenti mutatio,hũc effectũ,vel potius defectum edunt. Etenim diutius veteres illi patres viuebant,quia robuſtiora erant corpora eorum,optimiſq; conſtitutionibus prędita:nunc autem exiguus ſanè eſt annorum vitæ noſtræ numerus: quia noſtrorum corporum temperamenta valde mutata ſunt,atque in deterius lapſa;& ideo debilia corpora noſtra cùm ſint,citò intereant neceſſe eſt. Sed nondum acquieſcit intellectus noſter:oportet enim adhuc cauſam inquirere,cur,tot annorum conuerſione,corporum temperamenta deteriora facta ſint? Huiuſce rei cauſam nullam aliam eſſe crediderim,niſi mutationem alimentorum,quæ cùm priùs puriſſima eſſent, maximum robur alitis corporibus afferebant;temporibus autem his,cùm impura reddita ſint,modicam vim corporibus noſtris afferunt,quæ illis nutriuntur;ac proinde mirum non eſt,ſi tempeſtate noſtra annorum vitæ numerus plane defecerit. Sed adhuc ſciſcitabitur curioſus,vnde nã orta eſt hæc alimentorũ mutatio,quæ cùm priùs puriſſima eſſent,nunc valde impura reddita ſunt? Dici probabiliter mihi poſſe videtur,eiuſmodi mutationem ab elementorum natura proficiſci,quæ cùm omnino indiſſolubilia non ſint,quemadmodum cęleſtia corpora, quodammodo & ipſa inueteraſcere,& ſeneſcere,atq; adeo vim ſuam, & robur amittere incipiunt. Hinc autem firmiſſimum argumentum duco,ad nouam mundi conſtructionem ſuadendam. Quantò aliquid ortui ſuo propius eſt,eò maiorem in ſeſe virtutem continet:quantò verò eſt à ſuo ortu remotius,tantò debilius euadit. Id in multis quidem,ſed præcipuè in animantibus deprehendere poſſumus, atque potiſſimum in hominibus:nam pueri,qui nuper in lucem editi ſunt,maxima natiui humoris copia,atque intenſo naturali calore redundant:ſenſim autem adoleſcentes, atque ad ſenectutem accedentes,tùm humorem,tùm calorem amittunt: & cũ priùs validiſſimæ in eis naturales functiones fierent,prope finem ætatis,eædem maximo cũ languore eduntur. Nũc ita argumentemur:ſimplicia hæc corpora tanta modò virtute prędita non ſunt,quantã multis iam ante annis continebant:quod ex mutatione,in alimentis facta,elici apertiſſimè põt: diſtant igitur illa à ſuæ generationis principio:atque adeo neceſſe eſt dicere,ea tùm primùm orta eſſe,cùm maximum in ſe robur continebant,cùm probatiſſima ex ipſis alimẽta procreabantur;cùm homines vi,& iure illorum alimentorum,diutiſſimam vitam viuebant: non igitur mundus,qui ex elementis conflatus eſt,æternitate gaudet. Hæ,& huiuſmodi rationes,ad mundi creationem ſuadendam,adduci poſſent:ſed quia,vt dixi,demonſtratiuè non ſunt; idcirco,vt hanc veritatem omnino percipiamus,ſatis eſt,vt fidei noſtræ Catholicæ firmiter aſſentiamur:pro certoque habeamus,mundum ex nihilo à Deo Opt. Max. in temporis initio procreatum fuiſſe.

Cur maiores noſtri tã diuturnam vitã agebant,nos aũt tam exiguo tẽpore viuamus.

Alimentorũ mutatio ĩ cã eſt, cur tẽperamenta corporum in deterius lapſa ſint. lege Ioſephum li. 1. de Antiquit. cap. 8.

Alimentorũ impuritas ab elemẽtorum natura proficiſcitur.

Argumẽtum firmiſſimum ab elementorũ natura sũptũ,ad nouã mũdi cõſtructionem ſuadendam.

## *Eorum opinio rationibus confirmatur, qui mundum ab æterno ædificari potuiſſe defendunt. Caput XI.*

MVndum non eſſe æternum, ſed à Deo,vnà cum tempore conditum, hactenus & fidei noſtræ teſtimonio,& multis coniecturis,& plurimis etiam ſuaſorijs rationibus,ita cõmonſtrauimus,vt nullus ſit,opinor,niſi fortè ſit aliquis pertinax, quique iurauerit in Ariſt. verba,cui iam facilè non ſit,hoc idem de mundi fabrica,aſſenſu comprobare. Nunc ad poſtremam huius diſputationis partem accedendum eſt,cum Theologiſque diſputandum,mũdus ne à Deo ab omni temporum æternitate ædificari potuerit. Quæſtio ſanè difficilis eſt, & maximi momenti;cùm ob rei magnitudinem,quæ diſcutiẽda proponitur,tùm ob inſigniũ Theologorum diſcrepantes ſententias;accedit tertiò, difficillimas vtrinque allatas eſſe rationes. Neceſſaria tamen res eſt,atque ad id,quod à nobis propoſitum eſt,aperiendum, & concludendum,maximè conducens;ſi enim monſtrauero,mundum ab æterno eſſe non potuiſſe; quinimmò implicare contradictionem,rem quampiam,cuiuſuis generis illa ſit, ſimul cum

Difficultas, & neceſſitas huius q̃ſtio.

opi-

opifice ſuo æternam eſſe;non quo omnibus maximè manifeſtum erit,falſam eſſe illorum ſen-
tentiam,qui mundum re vera ab æterno cōditum eſſe defendunt? Etenim à poſſe ad eſse ne-
gatiuam licet,& illam quidem veram,conſecutionem elicere,vt non poteſt bellua ridere;er-
go non ridet,nec vnquam riſit:ſic non potuit mundus ab æterno eſse;ergo ab æterno nō fuit:
conſecutio eſt euidentiſſima.Sed iam diſputationem ineamus, Theologorumque ſnīas ſin-
Opi. S.Tho. gulatim expendamus. Arbitratus eſt S.Tho.1.par.Summæ q.46.ar.2.lib.2.contra Gētiles
Caietani. Greg.Arim. c.46.& alijs pluribus locis,quem Theologorum plurimi, vt Caietanus in comm.Gregorius
Tho. de Argenta. Arim.Argentinas,Durandus,& Capreolus 2.lib.Sententiarum d.1.Herueus trac.de Mun-
Durandi. di æternitate q.5.atque etiam alij,ſecuti ſunt;nullam contradictionem implicare, Deū ab
Capreoli. æterno mundum condere potuiſse. Hæc ſententia ab citatis autoribus, pluribus rationibus
Heruei, & aliorum. confirmatur:ego hinc inde firmiores ſe legi,quarum prima ea eſt;Illam potentiam,quā nūc
Prima ratio. Deus habet,quamque habuit,cùm mundum ædificauit,eandem quoque habuit ab æterno:
ita enim fuit omnipotens ab æterno,ſicut modò eſt:nihil hoc habet dubitationis: quia nul-
la perfectio aliunde ipſi Deo in tempore obtingere poteſt:ſed in tempore eam habuit poten
tiam,qua vniuerſum condere potuit; ergo eademmet potentia potuiſset illi ab æterno inſer
Secunda rō. uire,vt tum vniuerſum ipſum condidiſset.Secunda;Si Deus non potuiſset mundum ab ęter
no conſtruere:ergo nunquam illum conſtruere potuiſset. Probant conſequentiam: ſi.n.æter
nitas Deo impedimēto fuit,quo minus virtutem ſuam in mundi procreatione oſtendere poſ
ſet;oportuiſset,eum per infinitam durationem expectaſse,dum hoc impedimentum auferre
tur:at infinita duratio finem nullum habet;igitur etiam nunc Deus expectaret, dum flueret
hæc infinita duratio,vt tandem,abſoluto fluxu,mundum inciperet procreare:cùm autem flu
xus hic infinitus ſubſiſtere nunquam poſſit,nunquam etiam Deus mundum edere poſset, ſi
Tertia ratio. illum ab æterno edere non potuiſset. Tertia,Qua ratione Deus effectum aliquem vno inſtā
ti parere potuit;eadem ratione eundem parere potuit inſtanti priori,& turſus alio priori,&
ſic in infinitum:ergo illum effectum,quem Deus vno inſtanti temporis edidit, eundem pa-
Quarta ratio riter ab omni temporum æternitate edere potuit. Quarta, Rei ab aliquo procreatæ non mi
nus repugnare videtur infinita duratio à parte poſteriore,quàm infinita duratio à parte ante
riore:ſed multæ ſunt res à Deo procreatæ,quæ tamen infinitam habent durationem à parte
poſteriore,vt ſunt Angeli,& rationales animæ; ergo cum effectu à Deo edito poteſt eadem
ratione manere infinita duratio à parte anteriore: non implicat igitur contradictionē mūdū
Quinta ratio à Deo ex æternitate cōdi potuiſſe. Quinta, Perfectior modus operandi potius arguit maiorē
potētiā,quàm potentiæ defectū:ſed agere liberè,& arbitratu ſuo,perfectior eſt modus ope-
randi,quàm agere neceſſitate naturæ;ergo hic modus operandi debet potius arguere perfe-
ctiorem potentiam,quàm potentiæ diminutionem: tunc ſic, ſi Deus ageret neceſſitate natu-
ræ,mundum ab æterno ædificare potuiſſet,immò ab æterno mūdum ædificaret; quemadmo
dum ſi ab ęterno fuiſſet ignis,ab ęterno fuiſſet calor,ab eo editus;ergo multò magis,cū Deus
liberè agat,vt omnes Theologi concedunt,ſequitur,ipſum ab æterno mūdum ædificare po
Sexta ratio. tuiſſe. Poſtrema,quam huius opinionis ſectatores,atque potiſſimùm Conimbricenſes, vali-
diſſimam putant,ea eſt. Si contradictionem inuolueret, rem aliquam à Deo ab æterno pro-
creatam fuiſſe,vel hoc eſſet,ratione creantis,vel ratione rei creatæ, vel ratione creationis æ-
ternæ:ſed nullo iſtorum modorum aliqua repugnantia eſt;ergo &c. Probant minorem pro-
poſitionem. Primùm,non eſſe repugnantiam,ratione Dei creantis: quia non minor eſt Dei
virtus ad creandum,quàm Solis ad illuminandum:ſed ſi Sol fuiſſet ab æterno, ab æterno illu
minaſſet,vt docet D. Aug.6.de Trin.c.1.ergo cū Deus æternus ſit,ab æterno creare potuit.
Deinde, nihil obſtare, ratione rei, quæ producitur,probant ſic: ſi enim rei,quæ eſt ab alio,
repugnaret eſſe ab æterno,tunc Dei filius non eſſet æternus,quod eſt abſurdum. Deniq; nul
lum eſſe impedimentum,ratione creationis æternæ,inde concludunt; quia ſi quod eſſet im-
pedimentum,ex eo maximè foret,quòd creatio ſit alicuius è nihilo productio( hinc.n.vide-
tur elici,id,quod creatur,obtinere eſſe poſt non eſſe,quod æternæ durationi aduerſatur)ve-
rùm rationem hanc nihil officere,inde patere putant,quia particula, *è nihilo*, in definitione
creationis,non ita ſumitur,vt ſignificet ordinem termini,ſub quo res priùs fuerit,& ( vt ipſi
aiunt)poſitiuè;ſed negatiuè, prout nimirum idem valet,atque non de aliquo, ſeu nullo ante
exiſtēte ſubiecto. Cùm igitur nec ratione creantis, nec ratione rei createę, nec ratione ęternę
crea-

creationis repugnantia vlla ſit, quo minus quippiam ab eterno effici potuerit, apparet iam ſententia hec valde commodè comprobata, mundum. ſ. ab eterno fuiſſe, nullam contradictionem inuoluere.

### *Oppoſita ſententia defenditur, quæ ſtatuit, contradictionem inuoluere, mundum ab æterno fuiſſe.* Cap. XII.

TAmetſi iam explicata ſnīa & à Diuo Thoma, & ab alijs preclariſſimis viris cùm Theologis, tùm etiam Philoſophis approbata eſt; longe tñ veriorem exiſtimo oppoſitam ſnīam, qua decernitur, contradictionē implicare, mundum à Deo fieri ab æterno potuiſſe. Huius ſnīæ autor, & caput fuit Doctor ſolēnis Henricus Gandauenſis quodl. 1. q. 7. & quodlib. 9. q. 17. quem ſecuti ſunt D. Bonau. ſecundo Snīarum d. 1. q. 2. Ricardus ibidem d. 1. q. 4. Magnus Albertus 8. lib. de Phyſ. auditu cap. 1. in extremo: Marſilius ſecundo ſnīarum, q. 1. artic. 2. atq; etiam inter Græcos Philoſophos Io. Gram. lib. de Mundi æternitate contra Proclum, cap. 3. & alij plures. Poſſem pro huius ſnīæ confirmatione innumeras ſanctorum Patrum autoritates recēſere, qui ſanxerunt, abſurdum maximum eſſe, putare, creaturam vllam ſimul cum creatore æternam eſſe poſſe. Verùm quoniã, quantum fieri poteſt, intra Philoſophiæ noſtræ limites conſiſtere libet; ideo rationibus potius, quàm autoritatibus pro hac opinione pugnandum eſſe, cenſui. Ex pluribus aūt, quæ apud Scholaſticos Doctores inueniuntur, tres ego tantum allaturus ſum, quibus huiuſcemodi ſnīam optimè probatum iri, mihi perſuadeo. Quarum prima hæc erit, quæ licet ſatis trita eſt, atq; vulgaris, nihilominus, peritiſſimorum virorum iudicio, inſolubilis eſt, nec vlla hactenus audita eſt ſolutio, in qua planè intellectus acquieſcere poſſit. Si mundus ab æterno condi potuiſſet, iam infiniti homines interijſſent, ſuam quiq; rationalem animam habentes. Sed rationalis anima immortalis eſt, vt inter omnes Theologos conſtat, inter quos præcipuè hæc ipſa diſputatio orta eſt, & vt ẽt alia diſputatione oſtēdemus, Ariſ. fuiſſe decretum; ergo ſi mundus ab æterno fuiſſet, infinitus nunc animarum re ipſa exiſtētium numerus reperiretur; quod nec eſſe, nec intellectu concipi poteſt. Conſequētia maioris euidentiſſima eſt: niſi enim homines, qui hactenus geniti ſunt, infiniti eſſent; igitur eſſent finiti, & aliquo certo, determinatoq; numero concluſi: omne autem finitum, per ablationem partis, tandem abſumitur; igitur retrocedēdo, hominelq; multis iam ante annis genitos, enumerando, tandem finitum hunc genitorum hominum numerum abſoluemus, ad primumq; hominem genitum deueniemus, antè quem nullus vnquam alius genitus eſt, non eſſet ergo mundus conditus ab æterno. Secunda, mundus, vt Theologi omnes fatētur, à Deo factus eſt: ſed factum eſſe, & æternum eſſe è diametro aduerſantur; ergo ſi mundus à Deo factus eſt, mundus æternus eſſe non poteſt. Adeo efficax mihi vr̃ hæc ratio, vt nullà prorſus indigeat confirmatione: nam ſi æternus eſt mundus, quid opus ipſe habet, vt ab aliquo efficiatur? Si ſemper fuit, quomodo factus eſt? Dices factus eſt ab æterno. Hoc percipere non poſſum; nam quod factum eſt, tranſit de non eſſe ad eſſe: quod aūt æternum eſt, ſic tranſire non põt. Æternus eſt Deus, qui nunquam factus eſt; cur à ſe mundus eſſe non poſſet, ſaltē (vt aiunt) negatiuè, ſi ſtatueretur æternus? Tertia, ſi mundus ab æterno ædificari potuiſſet, ſequeretur, eundem à Deo neceſſariò pēdere: ſed hoc conſequens Theologis omnibus aduerſatur; dēt igitur eiſdem quoq; aduerſari antecedēs. Probatur conſequentia. Ponamus, mundum vnà cum Deo æternum eſſe, tunc nullum inſtans ne cogitatione quidem ſumere licebit, quo ſit Deus, quo ẽt mundus non ſtatuatur: ſi igitur, vt veritas eſt, Deus liberè mundum condidit; ergo ipſum & condere, & non condere potuit. Tunc ſic, vel eo inſtanti, quo mundus eſt, potuit à Deo effici, vel ante, vel poſt: apta enim, ſatiſq; commoda eſt huiuſmodi diuiſio. Non eo inſtanti; quia tunc eſt: & quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. Nō poſt; quia ſemel editum, neceſſariò eſt editum. Ergo ante, atq; ita horum alterum ſequatur oportet, vel Deum ſua duratione mundum præceſſiſſe, quod eſt propoſitio noſtra; vel mundum à Deo neceſſariò conditum eſſe, quod & veritati, & Theologis omnibus aduerſatur.

San-

---

Opinio Henrici verior, quam ſecuti ſunt D. Bonauen. Ricardus. Albe. Magn. Marſilius. Io. Gram. & alij.

Prima ratio.

Secunda ra.

Tertia ratio.

*Sancti Thomæ reſponſio ad primam rationem, atq; eiuſdem confutatio.* Cap. XIII.

S. Tho. lib. 2. contra gent. c. 81. nititur ſoluere argumentum de infinita animarum multitudine.

Confutatio huius reſponſionis, quæ & confutata eſt in diſputatione de Animæ immortalitate, cap. 13.

TAnti roboris eſt primum argumẽtum, quod ad ſolemnis Doctoris ſnīam tuendam ſuperiore cap. propoſuimus, vt in eius ſolutionem, inſigniores aduerſæ partis Theologi, non parùm operis, laboris, ſtudijq; contulerint: propterea, vt, quantum illorũ ſolutiones valeant, cognoſcere poſſimus, nunc eæ nobis ad veritatis trutinam expẽdẽdæ ſunt. Incipiemuſq; primùm à S. Thoma, qui lib. 2. contra Gentiles cap. 81. vbi varia illorum Philoſophorum incommoda attulit, in quæ inciderunt, hoc argumẽto coactij concludit, non eſſe abſurdum, vel ſecundum Ariſ. infinitum re ipſa in rebus ſpiritualibus ſtatuere; & propterea nihil prohiberet, ſi mundus æternus eſſet, infinitum numerum animarum, re ipſa exiſtẽtium reperiri. Sed pace ſancti Doctoris, quem, vt debeo omnem præfatus reuerentiam, nomino, nõ puto, hanc eius reſponſionem veritatis malleo reſiſtere: vt enim aliàs monſtraui, numero, qua numerus eſt, repugnat infinitas: accidit aũt, vt eodẽ res corporeæ, aut ſpirituales numerẽtur; & propterea ſi numerus, vt numerus eſt, re ipſa infinitus eſſe non põt; res etiam numeratæ, ſiue corporeæ, ſiue ſpirituales illæ ſint, re ipſa infinitæ eſſe non poterunt. Quemadmodum igitur ne mente quidem concipere poſſumus, continuum aliquod re ipſa omnino diuiſum reperiri, adeo vt nulla pars ſit adhuc poſt factam diuiſionem accipiẽda, cùm id omne in infinitum diuiſibile ſit; ita nec vllum numerum concipere poſſumus, cui alterius numeri adiectio fieri nequeat cùm quilibet in infinitum adiectionem recipiat. Quoddam igitur effugiũ hoc eſſe vr, infinitum re ipſa numerum in rebus ſpiritualibus concedere. Hinc factum eſt, vt idem S. Thomas 1. par. Summę q. 46. ar. 2. ad octauum, re maturiùs conſiderata, huiuſce argumenti efficacitate conuictus, ſnīam mutarit, aliamq; reſponſionem exhibuerit: concedit enim ibi, defendi poſſe, mundum, quo ad aliquas eius partes, ab ęterno quidem condi potuiſſe; non tñ quo ad omnes: & excipit præcipuè humanum genus, idq; propter animarum infinitatem, de qua modò diſſerimus. Verùm non de infinitis ſolum animabus, ſed de alijs etiã quibuſcunque rebus hoc idem argumẽtum proponi põt, ſi mundus ab æterno eſſe potuiſſet: facilèq; nobis erit terminos argumẽti mutare, ne aduerſarij noſtri, animarum infinitatis metu perterriti, ſe ſe in fugam conijciant. Arguamus igitur ſic: ſi mundus ab æterno conditus eſſet: iam infiniti dies preterijſſent: ſingulis aũt diebus, Deus lapidem vnum creare, & eundem conſeruare potuiſſet: igitur nunc infinita re ipſa lapidum multitudo cõſtaret: non enim benè intelligi põt, quid prohibuiſſet, quo minus Deus ſingulis diebus vnum lapidẽ creare potuiſſet. Quod igitur aduerſarij in animarum multitudine concedere nolunt, id ipſum in multitudine lapidum admittere neceſſariò coguntur; in idẽ enim recidunt argumenta, de vtorumque infinitate propoſita.

S. Tho. mutauit rñſionem in 1. p. Summæ, q. 46. ar. 2. quæ tamẽ argũ nõ ſoluit.

Pondera diligenter hanc cõfutationẽ.

*Scoti reſponſio ad argumentum propoſitum de infinita animarum multitudine, atq; eiuſdem confutatio.* Cap. XIV.

Scotus ĩ præſenti quæſtione problematicus.

Maxima Scoti, qua argũ de infinita animarũ multitudine diluere contendit.

Perpende reſponſ. Scoti.

IAm vidimus, quæ nam difficillimo, & inextricabili huic argumẽto de infinita animarum multitudine à Diuo Thoma ſolutio allata fuerit: videamus nunc, quę nam ſolutiones ab alijs propoſitæ ſint: ingenijq; noſtri aciem exacuamus: fortaſſe enim cum ſubtilioribus doctoribus, qui inter Scholaſticos reperiantur, nobis nunc diſputatio habenda eſt. Horum primus eſt Io. Scotus, Doctor ſubtilis nuncupatus: qui lib. 2. Sñiarum d. 1. qõ. 3. tametſi in hac quæſtione, mundus ne ab æterno eſſe potuerit, problematicus eſt; neq; huc magis, quàm illuc propendeat; nititur tñ, ingenij ſui acumine, vtriuſque ſnīæ rationes diluere. Et ad propoſitum argumentum de infinitis animabus, quæ re ipſa modò conſiſterent, ſi mundus ab ęterno conditus eſſet, priuſquam reſpondeat, pronunciatum hoc in medium affert, vt facere conſueuit, quotieſcunq; grauiſſima, difficillimaq; argumẽta ſoluturus eſt. Quicquid à Deo, vno die fieri nõ põt (quia contradictionem includit:) id ipſum eadem ratione toto tempore infinito præterito fieri non potuit, ſeu infinitis diebus præteritis, ſi fuiſſent. Reddit rationem, qm̃ in hac die ſunt infinita inſtãtia; immò in vna hora, & in quacunq; particula vnius horę ſunt infinita inſtantia, in quæ diuidi poſſet; cùm quantitas continua ſit. Hoc pronunciato præmiſſo, & explicato, concedit, Deum quolibet inſtanti vnius diei vnam animam creare poſſe, ſicut quolibet die totius infiniti præteriti, ſi fuiſſet. At verò ſicut infinitis inſtãtibus huius diei,

Deus

Deus animas infinitas creare non põt, quia id contradictionem inuoluit: Eadem ratione, ſi dies infiniti iam præterijſſent, quod certè factum eſſet, ſi mundus ſtatueretur ęternus, nihilo minus infinitis illis diebus infinitas animas creare non potuiſſet: quia id contradictionem includit. Preuidit Scotus inſtantiam, quæ aduerſus hanc ſolutionem fieri poſſet, & ſolutionem quoq; inſtantię afferre conatus eſt. Inſtantia ea eſt: non enim infinitatis dierum prętėritorum in toto tempore infinito, ſi fuiſſet, & infinitatis momentorum vnius diei eadem ratio eſt: nam momenta vnius diei ſunt infinita poteſtate; quatenus, ſ. tota vna dies, & quęlibet hora, & quęlibet etiam vnius horę particula, ea ratione, qua continua eſt, diuiſionem in infinitum recipere põt: & quemadmodum puncta terminant partes lineę diuiſæ, ita momenta terminant partes temporis diuiſi. At verò, ſi mundus æternus eſſet, infinitiq; dies præterijſſent: iã illi non poteſtate, ſed re ipſa infiniti eſſēt: & ſi quolibet die Deus vnam animam creare potuiſſet: numerus nunc animarum re ipſa infinitus eſſet, atq; ita propoſitum argumentum adhuc in ſuo robore manet. Nititur Scotus hanc obiectionem diluere, aſſeritq; inſtantia vnius diei, vel vnius horę, cum infinitis inſtantibus infinitorum dierum præteritorum ęqualem infinitatem habere, & vtranq; tantum poteſtate eſſe: cum enim indiuiſibile non re ipſa, ſed poteſtate tantum in continuo ſit, atque tàm infinita inſtantia infinitorum dierum, quàm infinita *inſtantia* vnius diei, indiuiſibilia in tempore ſint, quod de numero continuorum eſt: *ſequitur*, vt illa quidem non re ipſa, ſed ſolum poteſtate infinita ſint, atq; adeo ſi quolibet *illorum* inſtantium Deus vnam animam creaſſet, non ideo tñ animarum numerus re ipſa *infinitus* eſſet, ſicut à nobis ſupra concluſum eſt. Subtiliſſimè quidem hanc Scotus inſtãtiam explicauit, quæ certè ab alio nullo explicari melius potuiſſet, argumẽtum nihilominus adhuc remanet inſolutum: nec miror, quia, vt iam dixi, inſolubile ſemper illud exiſtimaui. Quod aõt Scotus argumẽtum non ſoluerit, ita demonſtro. Putauit ipſe, infinitatem inſtantium vnius diei æqualem eſſe infinitati dierum præteritorum, ſi fuiſſent; & vtranque infinitatem poteſtate tantum eſſe: propterea quemadmodum implicat contradictionem, vno die, in quo ſunt infinita inſtantia, Deum infinitas animas procreare; ita ſi mundus poneretur æternus, contradictionem implicaret, ipſum toto pręterito tempore, in quo eſſent infiniti dies, infinitas animas procreaſſe. Hæc eſt ſumma totius Scoticæ ſolutionis. Videamus nunc, an caput difficultaris attigerit, & an par ratio ſit infinitatis inſtantium vnius diei, & infinitatis dierum totius præteriti temporis, ſi fuit ab æterno. Sciſcitabor ego ab Scoto, quæ nam eſt intima ratio, cur Deus vno die in quo ſunt infinita inſtantia, infinitas animas creare non poſſit? Reſponderet, opinor, quia hac vna die iam animas creare cępit, & quocunq; inſtanti ſuccedenti, nòuas creat: quia vero nunquam ad vltimum huius diei inſtans peruenire poſſumus (quoniam, vt diximus quælibet eius particula in infinitum diuiſibilis eſt) ideo ſequitur contradictio, vt Deus infinitas animas re ipſa ęreet: nam poſt quodcunq; inſtãs acceptum, dabitur iterum pars eiuſdem diei, & poſtea inſtãs, quo Deus aliam animam creare poterit, & ſic in infinitum. Quare poterit quidem Deus vno die ĩfinitas animas poteſtate creare, hoc eſt plures animas in infinitum: non tñ infinitum numerum animarum re ipſa, vt probat argumẽtum. Non video poſſe aliter Scotum huic petitioni reſpondere, ſi rectè reſponſurus ſit. Applicemus modò hoc idem infinito tempori præterito, videamuſque, an res eodem modo ſe habeat. Profectò ſi in rem hanc intimè, & accuratè ingenio penetremus, longè aliam rationem eſſe inueniemus: etenim ſi proportionem aliquam inter infinitatem inſtãtium vnius diei, & infinitatem dierum totius præteriti temporis, atque pariter inter infinitatem animarum, vtrobiq; creatarum, ſtatuere vellemus; oporteret, vt Deus aliquando tempore infinito præterito aĩas creare cępiſſet; ſicut poſitũ eſt, eum vno die creare cępiſſe: hoc modo inſtantia vnius diei, vel vnius horæ, & inſtantia infinitorũ dierũ æqualem infinitatem haberent, vt rectè cõcludit Scotus. Sed ſi nũquam Deus aliquo die infiniti præteriti teinporis animas creare cępit, adeo vt aliquod tempus antè cogitatione ſaltem fingere poſſimus, quo nullas omnino animas procreauerit; iam illa proportio tollitur, & fatendum neceſſariò eſt, animarum iã creatarum numerum non poteſtate, ſed re ipſa infinitum eſſe. Hoc autem facilè oſtenſurum me puto, ſi vnum diem toti tempori infinito præterito comparauero. Incepit Deus exempli gratia, hac die creare animas: ſit modò meridies: perſpicua res eſt, quamuis in qualibet huius diei particula infinita inſtãtia poteſtate reperiantur, huc uſque tñ Deum infinitas animas nõ

Inſtãtia, quæ fieri poſſet cõtra reſpõſionem Scoti.

Scoti ſolutio

Oſtendit autor ſolutionẽ Scoti inualidam eſſe.

Nota caput difficultatis.

Hinc elicitur defectus Scoticæ reſponſionis.

creaſſe; nam ante duas horas pauciores creauerat, & adhuc pauciores ante quatuor horas,
atque ita retrocedēdo, ad primam animam peruenire potero, quam Deus hac die creare cœ-
pit. At verò ſi mundus eſt æternus, & infiniti dies præterierūt, quomodo vnquam retrocedē
do, ad primam animam peruenire potero, quam Deus creare cœperit, ſi nunquam cœpit?
Quātuncunq; enim retrocedam, ſemper antè infinitæ animæ re ipſa reperiētur. Quod ſic pro
bo: nam ex 3. Phyſ. infinitum re ipſa illud eſt, quod pertranſiri nūquam poteſt: ſed ſi mūdus
æternus eſt, per quantācunque retroceſſionem, animarum numerus re ipſa exiſtētium, nun-
quam abſolui poteſt: ergo ſi mundus eſt æternus, infinita animarum multitudo re ipſa repe-
ritur, quod erat probandum. Dicet fortaſſe aliquis, falſum eſſe id, quod à nobis poſitum eſt,

Cōtradictio pē implicat aliquid ab æterno eſſe cœpiſſe.

nimirum Deum nūquam animas creare cœpiſſe: cœpit enim ab æterno. Nunquam ego didi
ci huius generis coniunctiones, vt. ſ. aliquod æternum ſit, & illud ipſum durationis principiū
habuerit: nam ſi cœpit eſſe, antè nō erat: & ſi ſemper fuit, nunquam cœpit eſſe: non igitur fie
ri poteſt, vt aliquid cœperit ab æterno creari. Hæc ſatis cum Scoto.

### *Bachoni reſponſio ad idem argumentum, atq; eiuſdem confutatio.* *Cap. XV.*

ALter Doctor, qui ad certamen adducitur, eſt Io. Bachonus, reſolutus appellatus, qui
lib. 2. Sn̄iarum d. 1. q. 6. art. 2. argumentum de infinitis lapidibus ſoluere nititur. Tue-
tur enim, ſi mundus ab æterno conditus eſſet, infinitiq; dies præterijſſent, in quorum quoli-
bet Deus lapidem vnum procreaſſet, atque omnes hactenus conſeruaſſet, non ideo tn̄ neceſ
ſe eſſe, vt infinita re ipſa lapidum multitudo reperiatur, quod & ipſe vniuerſali hac propoſi-

Quonam pacto Ioan. Bachonus argumentū de infinitis lapidibus ſoluat.

tione confirmat. Quantum finitum, inquit, infinitè, & ab æterno, quanto finito additum, nun
quam re ipſa infinitum quantum facere poteſt. Probat, quia eiuſmodi quantum re ipſa ne-
que infinitū erit, ratione eius, quod additur; quia hoc ponitur eſſe finitum: neq; ratione eius,
cui additur; quia finitum pariter illud eſſe ſtatuitur. Concedit igitur iſte Doctor, poſita mū-
di æternitate, dandam quidem multitudinem lapidum infinitam; ſed in hoc ſenſu, quia illa

Bachoni rñſio tripliciter deficit. Primus defectus.

ab anteriore parte terminū non haberet. Verùm hæc reſponſio tribus in rebus deficere mihi
videtur. Primo, quia ponit Bachonus, multitudinem illam lapidum, cui additamentum ali-
quod fieret, re ipſa finitam eſſe, quod tamen falſum eſt, ſi mundus ſtatuatur æternus; conſide
ro enim lapides, quos Deus ante centum annorum millia procreaſſet, ſi illi lapides non ſunt
infiniti: ergo finiti, atque ita certo aliquo, definitoque numero concluſi: minuo igitur ab hoc
numero ſimul vnum lapidem, & vnum diem per ſucceſſiuam retroceſſionem; ſi numerus la-
pidum finitus eſt, tandem poſt multa annorum millia, ad primum lapidem procreatum per-
uenire potero. Quod ſi dierum numerus numero lapidum proportione reſpondet, ſequitur,
vt ad vnum diem, ante quem nullus alius fuerit, aliquando peruenturus ſim: ſic igitur mun-
dus non eſſet æternus. Arguamus nunc oppoſito modo; ſi mundus eſt æternus, nullus fuit
primus dies, nec vllus fuit primus lapis procreatus; atque adeo ſi quolibet die, Deus vnum
lapidem procrearet, & omnes iam procreatos conſeruaſſet, numerus lapidum, modò exi-
ſtentium, re ipſa infinitus eſſet, quod erat probandum. Deficit ſecundò hæc Bachoni reſpon

Secundus defectus.

ſio; quia dicit, quantum finitum, infinitè additum quanto finito, illud re ipſa infinitum non
facere. Aut enim per quantum finitum, infinitè additum, idem quantum numero intel-
ligit, aut diuerſum: ſi idē numero, rectè dicit: nam ſi exempli gratia, tribus lapidibus, iam exi-
ſtentibus, infinitè duos eoſdem lapides adderem; nunquam certè lapidum numerus quina-
riū excederet: ſed hoc non eſt ad rem; qm̄ lapides, qui infinitis diebus à Deo procrearentur,
& prioribus lapidibus, iam exiſtentibus adderentur, non eſſent ijdem numero, ſed diuerſi. Si
vero intelligit, quātum nō idem numero, ſed diuerſum, infinitè alteri quanto additum, illud
re ipſa infinitum nō facere, falſum dicit, propterea quod ne mēte quidem concipi poteſt, quo
nam pacto ſi tribus lapidibus infinitè quis duos lapides, nō eoſdem, ſed alios addere poſſet,
adeo vt infinitum re ipſa additamētum eſſet, ſicut re ipſa eſſent infiniti dies, vt poſitum eſt:

Tertius defectus.

nō inde lapidū numerus re ipſa fieret infinitus. Deficit tertiò huius Doctoris reſpōſio; quia
dicit, hanc multitudinem lapidum eſſe quidem infinitam, non re ipſa; ſed in hoc ſenſu, quia
ab anteriore parte terminum non haberet. Etenim ſi ab anteriore parte terminum non ha-
beret, ergo nunquam multitudo hæc lapidum poſſet numeratione tranſiri, adeo, vt ad pri-
mum lapidem procreatum peruenire liceret: id autem omne re ipſa infinitum eſt, cùm ex

infini-

infinitis rebus iam exiſtentibus, conflatum ſit; ergo hæc lapidum multitudo non modò ſecūdum duratione͂, quia ſcilicet durationis principio careret, verum etiam re ipſa infinita eſſet.

*Recentiorum reſponſio ad idem argumentum & eiuſdem confutatio.* *Cap. XVI.*

NOn nihil adhuc ſupereſt, quò confugere poſſint ij, qui ſacram hanc (vt aiunt) anchoram ſoluere nituntur: ſed litus ſunt araturi: abrumpi enim nulla ratione poteſt. Sunt ex recētioribus Philoſophis nonnulli, qui mundi æternitate, atque etiam animorum immortalitate poſita, infinitas eſſe animas ab anteriore parte, non item à poſteriore concedunt: ab anteriore quidem; quoniam, ſi retrocedamus, nunquam animarum numerum abſoluemus: non ſic autem à poſteriore; quoniam animarum numerus continuò additamentum recipit. Neque abſurdum eſt, inquiunt, aliquid ex vna parte infinitum, ex altera verò finitum eſse: conſtat enim, Angelos à Deo creatos, initium ſuæ creationis habuiſſe, in perpetuum tamen duraturos eſse. Alij, è quorum numero fuit Franc. Piccol. lib. 2. de Motu c. 11. concedunt, poſita mundi æternitate, infinitum re ipſa animarum numerum reperiri, quem tamen nullum arbitrantur incommodum eſse, ſi ex ea parte, qua finitus eſt, acceſſionem aliquam recipere dicamus. Adduntque præterea, infinitam rerum per ſe exiſtentium multitudinem, quantancunque acceſſionem illa recipiat, nunquam tamen fieri poſse maiorem, quemadmodum per quantancunque diminutionem nunquam illam ipſam fieri poſse minorem. Portēta opiniorum ſunt hęc, horrendaque monſtra in naturali Philoſophia, quæ terrorem maximum ijs omnibus incutient, qui intenta mentis acie eadem contemplabuntur. Et vt ad primam reſponſionem veniamus, viderint ipſi quantum ea ad propoſitum argumentum attineat. Erat argumentum huiuſmodi, ſi mundus æternus eſset, infiniti iam dies præterijſsēt, in quorum quolibet Deus vel vnam animam, vel vnum lapidem creare potuiſset; numerus igitur animarum, aut lapidum re ipſa nunc infinitus eſset, ſi mundus ſtatueretur æternus. Quid huc, obſecro, ſpectat infinitudo illa ab anteriore, vel poſteriore parte? Si decem ſint homines in platea, illorum numerus re ipſa finitus eſt, nec vlla hic anterior, vel poſterior infinitudo conſideratur, ſed ſolū rerum, per ſe exiſtentium numerus, qui determinatus eſt, adiectionemque recipere poteſt. Eadem ratione, ſi hactenus infinitæ animæ, aut infiniti lapides editi, & conſeruati ſunt, iam illorum numerus re vera infinitus eſt: ſuntque huiuſmodi res per ſe exiſtentes, quibus nullus vel ab anteriore, vel à poſteriore parte fluxus conuenire poteſt. Dicēt, quemadmodum nunc poſita ſempiterna mundi duratione, animæ ab anteriore parte finitę ſunt, quia cœperunt aliquando creari, vt ex. gra. hoc die: ſunt autem infinitæ à parte poſteriore, quia ad vltimam animam procreandam peruenire nunquam licet: ita poſito hoc, tanquam vero, mundum. ſ. nunquam ortum eſse: finitæ ſunt animę, iam editæ, à parte poſteriore. quia adiectionem recipiunt: infinitæ autem à parte anteriore: quia ſi numerando retrocedamus, animarum, iā procreatarum, numerum abſoluere nunquam poterimus. O pulchram deceptionem. Animę, in poſterum procreandæ, à poſteriore parte infinitę ſunt: non re ipſa, quia non dum omnes procreatę ſunt: ſed poteſtate, quia poſt quancunque procreatam animam, adhuc alia in infinitum procreabitur. Animę verò, quę hactenus procreatę ſunt, iam omnes conſiſtunt, nec ſunt in fieri, ſed in facto eſse: nō igitur vel ab hac, vel ab illa parte, ſed re ipſa infinitę dicēdę ſunt ſi mundus ponatur æternus. Iam verò infinitudo illa ab anteriore, vel à poſteriore parte rebus competit, quę cum aliqua duratione cōſiderantur, ſicut rectè dictum eſt de Angelis, qui à Deo aliquando editi ſunt; perpetuum tame͂ durabunt ad tempus: non licet tame͂ reciprocari, vt. ſ. quod nunquam incepit eſſe, anterioremque ęternitate͂ habet, ęternitate careat poſteriore, & aliquando in perniciem abiturum ſit. Etenim id, quod ſemper fuit, non contingēs illud quidem, & accidentarium quippiam, ſed neceſsarium ſui natura eſt: quod aute͂ eiuſmodi eſt, deficere nunquam poteſt: contradictionem enim implicat, vt aliquando non ſit. Et verò propoſitio illa, nimirum ęternum ab vna parte eſt pariter ęternum ab altera, ſumpta eſt ab Ariſt. in calce primi libri de Cœlo, vbi docet, non poſse quicquam nouo ortu incipere, quin illud aliquando deſinat diſsolutione, & è conuerſo: quare concludit, non poſse à poſteriore parte perpetuum eſse, quod originem habuit ab anteriore. Quod verò attinet ad alteram reſponſionem, quę eſt viri doctiſſimi, ingenuè fateor inſcitiam meam, ſæpius hanc rem verſaui animo, eò tame͂ viribus meis peruenire nunquam valui, vt admitterem, id, quod in-

Cōis reſponſio recentiorū, qui concedunt, aīarum numerū infinitum eſſe à parte ante, non ā parte poſt.

Aliorū rñſio, qui cōcedūt, aīarū numerū re ipſa infinitū eſſe, recipereq; illum adiectionem maiorem tñ nequaquā fieri. vide Fran. Piccol. lib. 2. de motu, ca. 11.

Confutatio primæ reſpōſionis.

Confirmare nituntur reſponſionem.

Replica.

Infinitudo à parte ante, & à parte poſt, ſemper cum duratiōe, vel ſucceſſiōe aliqua accipienda eſt.

Quod eſt æternū à parte ante, æternum pariter eſt à parte poſt.

Cōfutatio alterius reſpōſionis.

finitum re ipſa eſt acceſſionem recipere poſſe. Demus, infinitam aliquam molem reperiri; quę nam quantitas ei addi poteſt, ſi omnem penitus quantitatem includit? Si qua ei quantitatis particula adderetur, priùs illa caruiſſet, atque ita re ipſa infinita moles non fuiſſet. Demus aliquod ens infinitę virtutis, cuiuſmodi eſt Deus; ſi perfectionem aliquam recipere poſſet, priùs illam non habuiſſet; non igitur infinitum ſecundum virtutem extitiſſet. Demus numerum re ipſa infinitum; ſi omnes numeros continet, quis numerus illi addi poterit? Non video igitur, quo nam pacto id, quod re ipſa infinitum eſt, adiectionem recipere poſſit. Dicet Piccol. id, quod re ipſa infinitum eſt, adiectionem recipere poſſe, ex ea parte, qua finitum aliquo modo eſt. Quid? habet ne infinitum re ipſa partes aliquas finitas? Si ex finitis partibus conflatum eſſet; dubio procul infinitum re ipſa nulla ratione appellaretur. Quòd ſi ſaltem ſecundum noſtrum intelligendi modum finitum quippiam in infinito ſtatuere velit, illudque idem adiectionem recipere; iam finitum erit, quod adiectionem recipiet, non etiam infinitū.

Infinitum re ipſa adiectionem recipere minimè pōt.

Defenſio Piccolomin. reſponſionis.

Replica.

Præterea propoſitio hæc, nimirum infinito, ex ea parte, qua finitum eſt, aliquid addi poſſe, locum tantummodo habere videtur in eo, quod poteſtate, non re ipſa infinitum eſt; planiùs, & apertiùs dicam, in eo tantum, quod eſt ſecundum durationem, vel ſucceſſionem infinitum. Si enim totum tempus tàm præteritum, quàm futurum ſimul accipi poſſet, hoc, admiſſa mūdi æternitate, infinitum eſſet. At verò ſi totum tempus præteritum conſideremus, quatenus præſenti die, aut inſtanti terminatum eſt; tunc ex hac parte finitum dicitur, & hoc modo adiectionem recipere poteſt. Sed grauius abſurdum eſt id, quod ſequitur, dum negat Piccolomineus, infinitum re ipſa maius fieri poſſe, eſto acceſſionem quantācunq; recipiat. Bone Deus, ſi infinitæ columnæ, centum cubitorum acceſſio fieri poſſet, non ne deinceps haberet illa cētum cubitos, quos priùs non habebat? Cur non igitur maior facta eſt? Reſpondebit, quia infinitum non poteſt fieri maius. Rectè ſanè: ſed quia non poteſt fieri maius, ideo implicat contradictionem, ipſam acceſſionem recipere. Figmēta igitur ſunt, dicere, infinito quippiam addi poſſe: illud nihilominus per nullam acceſſionem euadere maius. Inſolutum itaque manet hoc primum argumentum, de quo iam ſatis arbitror eſſe dictum.

Quo intelligendū ſit, infinitum adiectionem recipere poſſe, ex ea parte, qua finitum eſt.

Si infinitum poſſet adiectionem recipere, fieret maius; nō poteſt aūt fieri maius, quia non pōt adiectionem recipere.

### *Aduerſariorum reſponſiones ad ſecundam, & tertiam rationem, atque earundem confutationes. Cap. XVII.*

SEcundum argumentum, pro Henrici ſentētia 12. capite à nobis adductum, erat hoc: Mūdus à Deo factus eſt, immò ex nihilo factus eſt, ſecundum Theologos; ex nihilo autē fieri, & eſſe æternum, repugnant: opus eſt enim, vt quicquid ex nihilo factum eſt, priùs nō fuerit, poſtea verò factum ſit: quare &c. Reſpondent S. Tho. ſectatores, & ij etiam, qui quæſtionem hanc veluti problema quoddam defendunt, factum eſſe, & ęternum eſſe non repugnare: ſufficit enim, cur id quod ab æterno factum eſt, efficiente natura poſterius ſit, duratione verò non item. Pro declaratione afferunt exempla de Sole, & igne: Sol (inquiunt) ſplendorē, ignis pariter calorem edit; ſi autem Sol, & ignis ab æterno fuiſſent; tunc ſplendor, atque etiam calor ab æterno fuiſſent; nihilominus & ſplendor Sole, & calor igne fuiſſet tantùm natura poſterior. Porrò eſſe aliquid altero natura poſteriùs, nil aliud eſſe dicunt, quam vnum veluti effectum, alterum tanquam efficientem cauſam ponere. Aiunt rurſus, ſi mundus æternus eſset, non eſse mundi eſse eiuſdem natura præceſſiſset, non quidem poſitiuè, vt vtar eorum verbis, ſed priuatiuè; hoc eſt, mundus per ſe nunquam fuiſset, niſi Deus Opt. Max. ipſum creatione ad eſse perduxiſset. Satis apparens eſt huiuſmodi ſolutio; rationem tamen nequaquam diluit. Enimuerò quicquid re ipſa à Deo diſtinctum eſt, habet quoque modum, quem vocant interiorem, à modo interiore Dei, omnino diſtinctum: ſed modus interior Dei (quod ad durationem attinet) eſt æternitas; igitur hæc nulli creaturæ competere pōt; ac deinceps, ſi Deus mundum de non eſſe ad eſſe traduxit, proprium modum interiorem, nimirum æternitatem cum eo communicare non potuit, cùm mundus à Deo re ipſa diſtinctus ſit. Quòd ſi contendant aduerſarij, creaturam æternitatem participatam habere poſſe, hoc ipſis donemus; Intelligant tamen oportet, æuum tempus ipſum propriè æternitatem participatam appellari; ſicut enim creaturæ omnes habent eſſe per participationem, & illud eſſe non eſt propriè illud diuinum, quod ſimpliciter neceſſarium eſt; ſed eſt eſſe tale, quod eſt contingens, & veluti quidam diuinitatis radius: ita creaturæ habent æternitatem per participationem, non illammet di-

Vide Herueū trac. de mūdi æternit. q. 5. Io. Canonicū li. 8. Phyſ. q. 1. Capreolum in 2. d. 1. q. 1. art. 3. & alios.

Vt aliquid pductū ſit ſufficit ipſum eſſe natura pducēte poſteriꝰ; hinc eliciūt aduerſarij non repugnare, mūdū eſſe factū, & eſſe æternū.

Quid ſit eſſe altero natura poſterius.

Confutatio huius reſpōſionis.

Aeternitas, q̄ eſt modus interior Dei, nulli creaturæ cōuenire poteſt.

Quo intelligedū ſit crea

diuinam, quæ eſt tota ſimul & perfecta poſſeſſio, vt ait Boetius, ſed aliam, quæ eſt veluti quidã illius radius; hæc aũt eſt vel æuum, vel tẽpus. Nolo alijs medijs cõtra hanc rñſionẽ vti; ea enim ſatis commodè tertia ratione principali reijcitur: nam ſi mundus nulla duratione, ſed natura tantũ poſterior eſt Deo: igitur non ab eo liberè, ſed naturæ neceſſitate pẽdet. Probo conſequẽtiam, afferendo eadem exempla, quæ ab aduerſarijs allata ſunt. Splendor Solis natura tantum Sole poſterior eſt: ab eo tamẽ neceſſariò proficiſcitur: ſic calor poſterior eſt igne natura: & ignis neceſſariò calorem ex ſe fundit. Similiter ſi pes ab æterno ſupra puluerem extitiſſet: veſtigium pedis ab æterno in puluere fuiſſet, eſſetq; veſtigium pede natura poſterius: nihilominus veſtigium illud neceſſariò impreſſum eſſet. Eadem igitur ratione, ſi mundus Deo ſola natura poſterior eſt: igitur ab eodem non liberè, ſed neceſſariò pẽdebit.

turas habere æternitatẽ ꝑ participationem.

Sed videamus, quam reſponſionem huic tertiæ rationi afferant aduerſarij. Cùm dicebatur, ſi mundus ab æterno effici potuiſſet, ſequeretur, eundem à Deo neceſſariò pẽdere: negant conſequẽtiam. Ad probationẽ, concedunt, nullum inſtans durationis ſumendum eſſe, quo fuerit Deus, quo pariter non fuerit mundus: dari tñ neceſſariò inſtans naturæ, quo Deus, vt cauſa efficiens, mundum, vt effectum editum antecedit. Nec ob eam rem ſequitur, mundum à Deo neceſſariò pendere; quia illo inſtanti durationis, quo ipſum edidit, eodem ipſum non edere potuit: atq; ita liberè, & contingenter edidit. Et cùm dicebatur, omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. Reſpondent, veram eſſe hanc propoſitionem in ſenſu compoſito, non in ſenſu diuiſo: aut etiam veram eſſe, loquendo de neceſſitate conſequentiæ, non conſequentis. Pinguiore (vt aiunt) formula hæc à nobis pronuncianda ſunt, quò faciliùs ab omnibus intelligatur. Cùm Socrates mouetur, neceſſariò ille quidẽ mouetur, ſed in ſenſu compoſito. ſ. quatenus mouetur: non enim ſimul moueri, & non moueri poteſt: non autẽ in ſenſu diuiſo, quia potuit non moueri. Similiter dum currit, neceſſariò mouetur: non quidem neceſſitate conſequentis, quia ſicut contingenter currit, ita contingenter mouetur: ſed neceſſitate conſequentiæ; quia poſito curſu, ſequitur neceſſariò motus. Dicunt ergo, Deum neceſſariò mundum condidiſſe poſtquam condidit: quia non poteſt modò non edidiſſe: hæc autem non eſt neceſſitas ſimpliciter, & conſequentis, ſed (vt aiunt) ex ſuppoſitione, & conſequentiæ: efficitque propoſitionem veram, vt dictum eſt, in ſenſu compoſito, non autem in ſenſu diuiſo:

Aduerſariorum reſpõſio ad tertiã rationem.

Quo intelligẽda ſit hæc ꝓpoſitio, omne, quod eſt, qñ eſt, neceſſe eſt eſſe.

Neſcio quibus, aut vnde conquiſitis tricis nos inuoluant aduerſarij in re tàm clara, & expedita. Scio, illo inſtanti durationis, quo Deus mundum ædificauit, ipſum eodem mundum non ædificare potuiſſe: id tamen ponit, mundum aliquando non fuiſſe: nam ſi æternus eſt mundus, Deus, vt paulò inferiùs demonſtrabo, ipſum nulla ratione ab æterno non ædificare potuit. Vellem ego, vt cumulatè argumento ſatisfacerent, atq; ad eiuſdem formam reſponderent. Quærebatur enim, ſi mundus à Deo editus eſt, aut Deus illum edidit eo inſtanti, quo eſt, aut ante, aut poſt; dicamus clariùs, aut edidit ipſum, quando erat, aut quando non erat. Quando erat, non potuit, quidem, quia iam erat. Si quando non erat: igitur non eſt æternus.

Aduerſariorum rñſionis confutatio.

Reſpõdebunt fortaſſe, diuiſionem hanc rebus illis conuenire, quæ producuntur in tẽpore, non aũt illis, quæ conſtructæ ſunt ab æterno; propterea vanum eſt quærere, fuerit ne mundus editus quando erat, an quando non erat: editus enim eſt ab æterno, & ſemper fuit. Neq; abſurdum eſt, aliquid productum eſſe, & ſemper fuiſſe: nam Verbum diuinum à Patre productum eſt, quo tamen nulla duratione, ſed ſola origine poſterius eſt.

Effugium.

Senſim aduerſarij, nõ animaduertentes, ad ſñiam noſtram accedunt. Primùm, diuiſio à nobis propoſita, cuicunque rei neceſſariò competit, quę vel ex nihilo, vel ex aliquo facta eſt: quidquid enim non habet eſſe ex ſe, ſed ab aliquo editum eſt; neceſſe eſt omnino, vt tùm primum editũ ſit, cùm primum habuit eſſe poſt non eſſe: quòd ſi ei, quod æternum eſt, id nequaquam competere poteſt: ſequitur, vt contradictionem implicet id, quod æternum eſt, editum eſſe poſſe. Quod de diuino Verbo aſſerunt, meam omnino ſñiam comprobat; nauque diuinum Verbum æternum eſt à Patre productum eſt, & ſola origine ipſo Patre poſterius eſt: tñ, vt ait Athanaſius in Symbolo, neque eſt factũ, nec creatũ, ſed genitũ: ſicut Spiritus Sanctus neq; eſt factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. Iam verò cùm Verbum ſemper fuerit, à Patreq; genitum ſit, certè nõ libera, & contingens eius origo eſt, ſed neceſſaria; ita enim Pater ſemper genuit, ſemperq; gignit Filium, vt illum non gignere non poſſit. Si igitur ita mundus à Deo pendet, vt ſemper fuerit: opus eſt neceſſariò fateri, eundem à Deo non liberè, ſed naturæ neceſſitate pendere,

Proſecutio.

Concipi nõ pòt, quippiã ex nihilo, aut ex aliquo ꝓductum eſſe, & ſẽper fuiſſe,

Aeterna productio eẽ nõ pòt, quin ſit neceſſaria.



atque

Demonſtratiuè concluditur, mundum eſſe ens neceſſariũ, ſi ſemper fuit.

atque ita proprio telo aduerſarij noſtri iugulantur. Denique ex ſua ipſorum interpretatione, ad rem meam concludendam, demonſtrationem ſumo: dicebant, propoſitionem hãc, Omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe, intelligendam eſſe in ſenſu compoſito, ſ. quando eſt. Contra argumentor ſic; Mundum neceſſe eſt eſſe, quando eſt, in ſenſu compoſito: ſed mũdus ſemper fuit, vt iam poſitum eſt; ergo mundus fuit ſemper ens neceſſarium: quod autẽ eſt ens neceſſarium, non fuit contingenter editum, immò ſimpliciter, & omnino improductum eſt; igitur contradictionem inuoluit, mundum à Deo editum ex ęternitate fuiſſe. Fortaſſe obſcura ſunt, quæ hactenus diximus; eadem tamen in ſequenti capite illuſtriora fient, cùm oppoſitę ſententię argumenta diluemus.

## *Aduerſariorum rationes diluuntur.* Cap. XVIII.

Reſpõſio ad primã rõnẽ.

CONfirmata iam ſatis, & ſtabilita ſententia noſtra, temporis ratio poſtulare videtur, vt rationes, pro aduerſa opinione adductas, diſſoluamus. Ad primam igitur concedendum eſt, eandem omnipotentiam, quam habet Deus nunc, ab æterno etiam ipſum habuiſſe: ſed cùm infertur; ergo mundus ab æterno fuit, vel eſſe potuit; neganda eſt conſequentia: nõ enim mundus ideo ab æterno eſſe non potuit, quia ipſum Deus ab æterno ædificare non valuerit: ſed quia ipſe ab æterno ædificari non potuit: quemadmodum enim contradictionem implicat, quicquam ſine procreatione procreari; ita contradictionem inuoluit, aliquid effici ſine principio durationis. Potuit igitur Deus ſemper mundum efficere, ſed in hoc ſenſu, vt. ſ. nullum inſtans cogitatione ſumi poſſit, quo Deus mundum efficere non potuerit; non ob eã tamen rem ſequetur, mundum æternum eſſe: quoniam Deus ſemper mũdum propria duratione præcedit: propria autem duratio, quæ eſt menſura Dei, eſt æternitas; ac proinde quocunque inſtanti, cogitatione ficto, illud inſtans antecedente, quo mundus conditus eſt, eundem condidiſſet: non ideo tamen mundus æternus eſſet; quoniam Deus ipſum æternitate pręcederet. Ad ſecundam negatur conſequentia. Ad probationem, quam dicebatur, ſi æternitas impedimento fuiſſet Deo, quo minus mundum ab æterno condere potuiſſet, oporteret, vt expectaret per infinitam durationem, &c. Reſpondeo, æternitatem, quæ eſt modus intimus, & interior quædam mẽſura Dei, nullum ei impedimentum in mundi conſtructione attuliſſe, nec afferre potuiſſe: quinimmò non potuit Deus mundum conſtruere, quin ipſum inſtanti æternitatis conſtruxerit: vnicum enim eſt æternitatis inſtans, ſemper manens, atque indiuiſibile.

Ad ſecũdam rationem.

Cùm igitur Deus aliquid edit, nullum expectat tempus, ad illud edendum, ſed illud vnà cũ ſua mẽſura edit, quæ eſt tempus, vel æuum: ſic mundum edidit quidem Deus, inſtanti æternitatis: tamen edidit illum cum propria menſura, nimirum cum tempore, quo tùm primum definiri, vel (quod aiunt) menſurari cœpit, cùm primũ editus eſt. Nec intelligere poſſum, quo modo Theologi, qui mundum à Deo ſtatuunt ex nihilo conditum eſſe, ipſum decreuerint ex nihilo ab æterno condi potuiſſe: ſic enim potius non eſſe mundi, quàm eſſe eiuſdem ſimul ęternum cum opifice ponitur. Ad tertiam, concedendum eſt, qua ratione Deus mundum vno inſtanti ædificare potuit; eadem ipſum alio inſtanti priori, & rurſus alio priori, & ſic in infinitum ędificare potuiſſe, hoc inquam totum concedendum eſt, ſed de inſtanti cogitatione ficto: quia ante mundi conſtructionem nullum erat inſtans reale, niſi æternitatis: non inde tamen ſequitur, mundum æternum eſſe poſſe; quia ſemper deſcriberetur tẽpore, cum quo conditus eſt. Quemadmodum enim, ſi Deus nunc Angelum ederet, ille non tempore, ſed æuo, quod propria eſt Angelorum menſura, deſcriberetur: ita ſi mundus multis ab hinc annis conditus eſſet, non niſi propria menſura, quę eſt tempus, deſcribi poſſet. Explico dilucidiùs. Mũdus centum mille annis ante tempus illud, cum quo conditus eſt, à Deo ędificari potuiſſet: & rurſus totidem annis antę illos, & ſic in infinitum: ſi enim cœlum tot ante annis moueri cœpiſſet, iam tot annis, noſtro loquendi modo, eſſet ſemetipſo vetuſtius: æternum tamen nequaquam: tùm quia cum propria eius motus menſura, quę tempus eſt, editum eſſet: tũ ẽt quia in quantacunque antiquitate Deus mundum condidiſſet, ſemper eundẽ ęternitate pręcederet. Ad quartam, neganda eſt maior: non enim durationis à poſteriore parte, & durationis à parte anteriore par ratio eſſe videtur: non repugnat rebus procreatis ęterna duratio à parte poſteriore: quia nullam contradictionem inuoluit, res procreatas, quę ſi ſuę naturę relinquantur, deſinerent in non eſſe, à Deo per tempus infinitum conſeruari; implicat tamen

Ad tertiã rationem.

Ad quartam rationem.

con-

contradictionem, Deum rem aliquam procreare, & propria duratione illam non antecedere, quod fieri non poſset, ſi res procreata ſimul cum procreante ęterna eſset.

**Ad quintam rationem.**

Ad quintam, neganda eſt minor, nimirum liberam productionem neceſsaria productione perfectiorem eſſe: etenim perfectiſſima eſt illa productio, qua producens, & productum in vnitate naturę cõueniunt, qualis eſt productio diuinarum perſonarum, quę tamen neceſsaria eſt. Libera verò productio non ea eſt, vt quod liberè producitur, eandem cum producente naturam habeat: quo fit, vt libere producens effectum ęternum habere non poſſit; ſi enim liberè producit, certę vt producere, ita & non producere poteſt; accipio ergo illud inſtans, quo liberum efficiens ſe ad vtrunlibet oppoſitorum determinare poteſt; hoc modo ſemper præcedit effectum, aut non productum, aut non producẽdum.

**Obiectio.**

Dices, ſi neceſſaria productio, libera productione perfectior eſt, maiorem igitur Sol perfectionẽ in luminis effuſione, quàm Deus in vniuerſi creatione præſeferet; cùm hæc libera, illa verò neceſsaria productio ſit.

**Solutio.**

Reſpondeo, cùm Sol lumen ex ſe fundit, non illud quidem reali effectione, ſed ſimplici ſolùm emanatione producit; ideo hæc propriè dicta productio appellari non poteſt: quemadmodum vera productio ea eſt, cùm Pater ab ſe diſtinctum filium generat, in vnitate naturæ. Cùm verò Deus mundum creauit; reali illum effectione conſtruxit, quæ perfectior productio eſt, quàm ſimplex illa luminis à Sole manatio.

**Ad ſextam rationem.**

Ad ſextam, quam aduerſarij inſolubilem putant, dico, implicare contradictionem, creatum aliquod eſse ab æterno, & ratione creantis, & ratione rei creatæ, & ratione creationis.

**Repugnat aliquid æternũ eſſe ratione creantis.**

Ratione quidem creantis, non, quia quocunque inſtanti, cogitatione ficto, creare non potuiſset; ſed quia rem creatam ſecum æternam habere non poteſt. Vt enim ſuperiùs diximus, quocunque inſtanti illam creaſset, eandem cum propria duratione, quę vel tempus eſset, vel æuum, creaſset; hæc autẽ duratio ab illa duratione diſtincta eſset, quę propria Dei menſura dicitur; ea enim æternitas eſt, qua ſemper Deus rem creatam antecedit. Cùm verò dicitur in argumento, non minorem eſſe Dei virtutem ad creandum, quàm Solis ad illuminandum: reſpondeo, Solis, & illuminationis, ac Dei, & creaturæ maximè diuerſam ſimilitudinem eſſe: Sol enim ad illuminationem non ſicut propria cauſa ad ſuum effectum ſe habet, ſed ſicut effectus proximus ad effectum remotum: cauſa enim, quæ Solem effecit, ipſum quoque cum lumine effecit, quod eius perfectio eſt; & propterea nullum abſurdum eſt, duos effectus eadem omnino duratione, veluti menſura, definiri. Quemadmodum etiam de igne, & de calore dici ſolet: ignis enim, & calor ſunt duo effectus eiuſdem durationis, qui tamen ambo efficiẽtem cauſam ante ſe exigunt: ideo illa cauſa, quæ ignem effecit, in eodẽ quoque calorem effecit; quanuis, ea ratione, qua calor effectus eſt à cauſa efficiẽte, remotior, quã ſit ignis; pendere ab igne, tanquam à propria cauſa videatur. Deus autem, & creatura nõ vt duo effectus, ſed vt cauſa efficiens, & effectus ſe habent; propterea ſimul æterni eſſe non poſſunt. Si enim eadem duratione definiri poſſent; præter Deum, & creaturam, aliam efficiẽtẽ cauſam ponere neceſſe eſſet, quæ illos vt duos effectus peperiſſet, quod non eſt aſſerendum.

**Ratione rei creatæ.**

Repugnat etiam, rem aliquam fuiſſe ab æterno, ratione rei creatæ. Et cùm opponitur, quia ſi rei, quæ eſt ab alio, ab æterno eſſe repugnaret, tunc Dei filius non eſſet æternus, Reſpõdeo, ei, quod eſt ab alio ſimpliciter, & abſolutè, & per modum originis, ab æterno eſſe non repugnare: bene tamen ei, quod eſt ab alio in diuerſitate naturæ, cuiuſmodi non eſt Dei filius, ſed ſola creatura.

**Ratione creationis.**

Repugnat tandẽ, ratione creationis. Et cùm arguitur, quia in definitione creationis, illa particula (de nihilo) non eſt accipienda poſitiuè, quaſi dicat, eſſe poſt non eſſe, ſed negatiuè, quatenus ſignificat productionem alicuius rei, nullo poſito ſubiecto. Ad hoc reſpõdeo, illius propoſitionis explicationem voluntariam eſſe, non autem veram, & neceſſariam: quod ſatis appoſitè ex conuenientia, & differentia, quæ inter generationem, & creationem ſtatuitur, elicere poterimus.

**Diſcrimẽ inter generationem, & creationem.**

Hoc enim inter generationem & creationem conuenit, quia vtraque eſt alicuius rei productio de non eſſe ad eſſe, vt apud omnes manifeſtum eſt. Differunt verò huiuſmodi productiones, quia generatio aliquod ante requirit ſubiectum, ex quo genitum fiat, creatio verò nullum. Cùm igitur de ratione creationis ſit, vt id, quod creatur, accipiat eſſe poſt non eſſe, ſequitur, creationem ab æterno eſſe nulla ratione potuiſse.

*Totius diſputationis epilogus,* Cap. XIX.

VT autem omnia quæcunque diximus, colligamus compendio, ſcire in primis oportet, mundi creationem, vnum eſſe ex articulis fidei, qui probabilibus quidem rationib. ſuaderi, nunquam tamen directè demonſtrationibus roborari poteſt.

Purus, ſimplexq; Philoſophus non pôt directè mundi ortũ ratiocinãdo concludere, ſed ſolũ per neceſſariam quandã conſecutionem.

Si quis enim in puris naturalibus conſtitutus, maximo ingenij lumine præditus, in ſyluis educatus, à nullo fideli edoctus, naturali tantùm lumine philoſopharetur; cùm omnem ille cognitionem à ſenſibus hauriret, ex pluribuſque congeſtis particularibus, vniuerſalem cognitionem eliceret, nunquam directè ad illam effectionem peruenire poſſet, qua aliquid ex nulla penitus ſubiecta materia procreatur. At verò ſi rerum omnium naturam diligenter ſpectaret, animique noſtri dignitatem conſideraret, atque abſurditatem infinitæ re ipſa multitudinis rerum per ſe exiſtẽtiũ cognoſceret; inde facilè elicere poſſet, aliquam aliam dari effectionem, ijs omnibus diſſimilem, quas continenter fieri videret, ac proinde, ſi non ſecundum quid nominis, ſaltem ſecundum quid rei ipſam creationem intelligeret. Id cùm ita ſit, dicere neceſſariò cogimur, Ariſt.

Ariſtotelicæ rõnes mundi æternitaẽ ꝓbantes, ab ijs tantum ſolui poſſunt, qui fidei lumine ſunt illuſtrati.

rationes, pro mũdi æternitate propoſitas, à puro, ſimplicique Philoſopho ſolui nequaquam poſſe: quinimmò apud veteres illos naturę interpretes, qui præter primum rerum omnium conditorem, materiam quampiam vnà cum illo æternam ſtatuerunt, ex qua vnumquodq; conſtitutum eſt, validiſſimas demonſtrationes eſſe. Simpliciter tamen, & abſolutè demonſtrationes non eſſe, quippe quæ ex falſis propoſitionibus conſtitutæ ſint, quæque à fidei lumine illuſtratis, ſolui nullo negocio poſſint. Ijs præſertim iactis fundamentis, Deum. ſ. non eſſe agens, quod impulſu naturæ ad agendum incitetur; ſed quod arbitratu ſuo efficiat, quicquid efficit. Deinde nullam dari materiam, æquè ac primum opificem ſempiternam; immò quæcunque ille proximè procreauit, ipſum ex nulla penitus materia fabricatum eſſe. Cæterùm

Cõtradictionẽ implicat, mundum ab æterno effici potuiſſe.

non ſolùm abſurdum eſt dicere, mundum æternum eſſe, verùm etiam contradictionem implicat, eundem ab æterno condi potuiſſe; non quidem opificis imbecillitate, ſed quia repugnat creaturæ, ſui creatoris menſura, hoc eſt æternitate deſcribi. Potuiſſet quidem Deus quocunque inſtanti, cogitatione ficto, ante tempus illud, quo mundus conditus eſt, eundem in infinitum ædificare; fingamus tamen mundum antiquum, quantum velimus, nunquam illum intelligimus æternum: quia ſtatim atque editus eſt, propria menſura deſcribitur: aut ſi æternus eſt, improductus neceſſariò eſt. Iam verò creaturæ, à Deo pendentes, ſunt duplicis generis,

Creaturæ à Deo editæ ſunt duplicis generis.

quædam habent totum ſuum eſſe ſimul, quemadmodum ſunt Angeli, Animæ noſtræ, & nonnulla fortaſſe, quæ Deus initiò procreauit, vt cęleſtia corpora; & hæ quo ad ſuam ſubſtãtiam, definiuntur æuo: quanuis illarũ motus tempore deſcribantur. Aliæ ſunt, quæ habent ſuum eſſe per ſucceſſionem, & iſtarum menſura eſt tempus. Has omnes neceſſe eſt Deum æternitate antecedere, edat illas quando velit, quinimmò cùm vnicum tantum ſit æternitatis inſtans, ſi Deus nunc exempli gratia Angelum crearet, ille quidem à Deo inſtanti æternitatis crearetur; cum nihilominus propria menſura, quæ æuum eſt, dimetiri liceret. Cùm autem inſtans æternitatis non fluat, eodem modo de quocunque fluxu præterito dicendum erit, ſiue realis ille fuerit, ſiue cogitatione fictus.

Speculare hoc diligenter, & rei veritatem percipies.

Finge nunc rerum omnium vacuitatem, mundumque cogita non dum conditum eſſe; nullum adeſt tempus, nullum æuum, ſed duntaxat æternitatis inſtans, quod re vera neque prius, neque poſterius admittit; ſed ſolùm (vt aiunt) per tẽporis coexiſtentiam. Incurrat nunc primùm Deus in mundi fabricam, facque, primum cęlũ duas tantum ab ortu ad occaſum reuolutiones abſoluiſſe; dices ne mundum in tempore factum? Nullum aderat tempus, Appellabis æternum? Aetatem habet tantum duorum dierũ. Quid igitur? Inſtanti æternitatis editus ille eſt; ſed cum propria, & interna menſura, quæ eſt tempus. Hinc tandem colligas, Deum aliquid abs ſe diſtinctum edere non poſſe, quin illud ſimul cum propria mẽſura edat, quæ eſt tempus, vel æuum; firmèque intelligas, nullam creaturam vnà cum ſuo creatore æternam eſſe poſſe.

# DE LIBERA PRIMI MOTORIS Actione, Diſputatio Sexta.

*Diſputationis origo.* *Caput Primum.*

INter eos conſtat, qui naturalium, diuinarumq; rerum volumina euoluunt, errores precipuos, qui in Peripatetica Philoſophia longè, lateque diſperſi ſunt, ex vno fonte, nimirum ex falſo illo de Mundi æternitate decreto penitus effluxiſſe. Infectum illum, peſtiferumque fontem, alia diſputatione, obſtruere conati ſumus: qua, neque æternum eſſe Mundum, neque ab ſummo, æternoq; opifice, ab omni temporũ æternitate, condi potuiſſe, validiſſimis, ni fallor, rationibus demõſtrauimus. Nunc autem, veneficus quidam vapor adhuc nobis expurgandus eſt, qui maxima ipſius fontis cauſa cenſetur. Ideo enim Peripateticorum princeps Mũdum æternum eſſe exiſtimauit; quia tanquam firmum, & ratum illud ſtatuit, Deum. ſ. non eſſe agens liberum, quod ſponte, arbitratuque ſuo in actionem incurrat: Sed potius neceſſarium, quod videlicet, impulſu quodam, atque neceſſitate naturæ, ad agendum incitetur. Placitum hoc, præſenti diſputatione, ad veritatis trutinam expendere decreuimus; hocque eo ordine, vt Philoſophi priùs, atque Theologi, de rei veritate: mox Doctores varij, de Ariſt. mente, diſputantes audiantur. Ardua profectò vtrobique diſputatio eſt; neceſſaria tamen, quę à nobis diligenter excutiatur, & dirimatur. Si enim Fors tulerit, vt ſacram hanc, quam vocant, anchoram abrumpamus, veramque Ariſt. mentem aperiamus; nulla poſthac, nec in præcipuis fidei noſtræ dogmatibus confirmandis, nec in ſynceris Ariſtotelis ſenſibus reſerandis, difficultate, aut ambiguitate tenebimur: quinimmò expeditus, & facilis ad vtrunque nobis aditus patefiet.

Errores precipui in Peripatetica philoſophia vñ de fluxerint. Lege diſput. de Mundi æter. cap. 1.

Quæſtio diſcutienda.

Ordo in diſputatio. ſeruandus.

Diſputatiõis difficultas, atque neceſſitas.

*Quæſtionis intellectus explicatur.* *Caput II.*

SEd priùs quàm diſputationem aggrediamur, atque argumentis, vltrò, citroque habitis decertemus, illud animaduertendum duximus, quod, pro vero huiuſce quæſtionis ſenſu aperiendo, pleriq; Philoſophi, nec non etiam Theologi obſeruarunt. Aliquem enim agere neceſſitate naturæ, duobus modis contingere poteſt. Vno modo, dùm ſolo naturæ impetu, abſque vlla intellectus, aut voluntatis operatione, in rem quampiam fertur: vt cùm ignis admotum ſibi obiectum calefacit: cùm ventriculus cibum conficit: cùm luminoſum corpus aerem illuſtrat. Hæ omnes, & multæ id genus aliæ operationes, neceſſariæ dicuntur, quia, nulla intellectus, nec voluntatis actione interueniente, à ſolo naturali agente proficiſcuntur, quod ita agit, vt non agere nulla ratione poſſit: neq enim ignis non calefacere, neq; ventriculus, ſi rectè habeat, cibum non coquere, neque luminoſum corpus non illuſtrare aerem poteſt. Altero modo aliquis dicitur agere, neceſſitate naturæ, quia, etſi intellectum, & voluntatem ad agendum adhibeat: liberè tamen non agit, ſed ita agit, vt nec actionem ſuſpendere, nec eandem inhibere queat. Hoc modo Theologi, de diuinis perſonis loquentes, aiunt, patrem, per actum intelligendi, generare filium: ambos verò, per actum amandi, ſpirare Spiritum ſanctum. Vtraq; operatio, vt interior, ita neceſſaria eſt: neque enim in libera patris facultate poſitum eſt, filium non generare: neque pater, & filius à Spiritus ſancti productione deſiſtere poſſunt: omnis ſiquidem operatio, quæ ad intimam diuinitatis ſubſtantiam pertinet, neceſſaria eſt, & contingentiam omnem excludit. Hac poſita, & explicata diſtinctione, ſciendum eſt, neminem adhuc inter Philoſophos extitiſſe, niſi fortè aliquem impium, atq; Philoſophi nomine indignum, qui Deum agere, neceſſitate naturæ, in priori ſignificatione, putauerit; eamque ſimplicem eſſe naturam, intellectus, & voluntatis expertem, crediderit: ac proinde, quicunque rectè Philoſophati ſunt, communi conſenſu affirmarunt, nullam eſſe operationem, quæ à Deo citra intellectus, & voluntatis conſpirationem, & quaſi concurſum extrinſecus oriatur. Dubium itaque eſt, effectus illi, qui à Deo proximè pendent, ea ne libertate ab eodem edantur, vt illos edere, & non edere poſſit: an intellectu etiam, & volun-

Aliquem agere neceſſitate naturæ duob' modis cõtingere põt. vide Herueũ quol. 2. q. 4. art. 2.

Pater in diuinis producit Filium, neceſſitate naturæ, & ambo eodẽ modo producũt Spiritum ſanctum.

Quicunq; rectè philoſophati ſunt, intellectum, & voluntatem, primo enti tribuerunt.

Quæſtioni ꝓpoſitę ſẽſus.

tate, ad eorum effectionem concurrentibus, neceſſitate aliqua ad illos pariendos, impellatur, vt eos non parere nullo modo queat. Hæc eſt quæſtio, de qua nunc diſputaturi ſumus.

### *Philoſophorum Argumenta præcipua, quibus probare nituntur, Deum agere neceſſitate naturæ. Cap. III.*

Opinio Philoſophorũ. HAc igitur de re diſſidium maximum in primis inter Philoſophos, atq; Theologos reperitur: illis omnem penitus libertatem à Deo amouentibus; his verò à rebus omnibus, ab eodem editis, neceſſitatem excludẽtibus. Nunc igitur potiora vtriuſq; ſniæ argumẽta proponamus: vt ijs diligẽter expenſis, quid tandem in tàm lubrica quæſtione ſentiẽdum ſit, facilè aperiamus.
Arg. primũ. Illi igitur, qui tuẽtur, Deum agere, neceſſitate naturæ, primò ſic argumẽtantur: niſi Deus ageret, neceſſitate naturæ, ſequeretur neceſsariò, ipſum agere contingẽter: Sed contingẽtia mutabilitatem, & inconſtantiam indicãt; ergo, ſi Deus ageret contingẽter, incõſtans, & mutabilis diceretur, quod eius naturæ penitus aduerſatur.
Argumẽtum ſecundum. Secundò, non minorem neceſſitatem accipit voluntas diuina à ſubſtantia diuina, quàm ab eadem accipiat intellectus diuinus: Sed intellectus diuinus eam neceſſitatem accipit, vt quicquid intelligit, neceſſariò intelligat; ergo eandem quoq; neceſſitatem habebit voluntas diuina, vt nimirum quicquid vult, neceſsariò velit; atq; adeò nullus erit effectus, qui à Deo contingẽter emanarit. Minor propoſitio perſpicua eſt. Maior etiam ab ipſiſmet Theologis admittitur: qui fatẽtur, intellectum, & voluntatem vnum, & idem re ipſa eſse cum natura diuina: ac deinceps eandẽmet neceſſitatẽ habere, quam habet natura diuina.
Arg. tertium. Tertiò, ille actus interior, quo Deus extra ſe quippiam efficere vult, eſt perfectio diuina; Sed perfectio diuina à Deo abeſse non põt; igitur quicquid Deus extra ſe vult, neceſsariò vult.
Arg. quartũ. Quartò, omne agẽs liberum, libertate contradictionis, vt agere, ita non agere põt; ac deinceps in eo potẽtia, ſeparata ab actu, & ſimiliter priuatio reperiri põt. Sed in Deo non poteſt eſse priuatio; alioquin nec perfectiſſimum ens, nec purus actus diceretur: ergo Deus non eſt agẽs liberũ, libertate cõtradictionis, vt nimirũ agere, & nõ agere poſſit.
Arg. quintũ. Quintò, oĩs potẽtia libera, libertate cõtradictionis, aliquo indiget, à quo ad agẽdum determinetur: Sed prima cauſa ab alio determinari non põt; alioquin non eſset prima, ergo prima cauſa non habet liberam ptãtem ad agẽdum; ſed quicquid agit, neceſsariò agit.
Arg. ſextum. Poſtremò, ſi Deus effectum aliquẽ contingẽter vellet, ſequeretur, vt aliquid contra eius voluntatem fieri poſset; Sed conſequẽs eſt abſurdum; ergo, & antecedẽs. Probant conſequẽtiam: effectus enim contingẽs ille dicitur, qui, vt eſse, ita non eſse põt; igitur oppoſitum eius, quod à diuina voluntate decretum eſt, aliquando fieri poterit, ſi, Deũ aliquid extra ſe contingẽter velle, concedamus. Alia etiam argumẽta, huc ſpectãtia, à pluribus afferri ſolẽt; ſed ſi quæ erunt, quæ quicquam roboris, aut firmitatis contineant, ea in ſecunda huius diſputationis parte proponẽtur à nobis, cùm Ariſt. ſententiam de re propoſita examinabimus.

### *Deum eſſe cauſam liberam firmiſſimis rationibus ſuadetur. Cap. IV.*

Opin. Theologorum. OPpoſita autem ſnĩa, & illa quidem veriſſima, ea eſt, quam Theologi potiſſimum defendunt, quæq; grauiſſimo diuinæ ſcripturæ teſtimonio, tanquam ſolidiſſimo fundamẽto nititur; Deum videlicet eſse cauſam liberam, quæ nulla naturæ neceſſitate compulſa; ſed arbitratu ſuo, res omnes extra ſe gignat, & proferat: ita .n. in Pſalmo 134. Regius Vates cecinit, ***Omnia quæcunq; voluit fecit***, vt plures aliæ autoritates, hoc idem oſtendẽtes, omittantur. Lubet aũt nunc, non quidẽ ad maiorẽ fidei noſtræ teſtificationem, quaſi teſtimonijs, aliundè, quàm è diuinis literis ſumptis, indigeat; ſed ad cumulatiorem doctrinam, atq; etiã ad faciliorem veritatis intelligentiam, nonnullas rationes afferre, quas Theologi præcipuè, ad hanc ſnĩam confirmãdam, adhibuerunt.
Prima ratio. Prima igitur eſt huiuſmodi, Deus per ſe, & natura ſua felix, atq; beatus eſt, igitur nihil extra ſe neceſsariò appetit, atque adeò nihil extra ſe neceſsariò agit. Conſecutionem ita probant: cùm enim Deus ſummè bonus, ac perfectiſſimus ſit, omnem profectò boni, & appetibilis rationem intra ſe continet; adeò vt re nulla exteriore indigeat, vt lib. 7. Politicorum cap. 1. Ariſt. quoq; fatetur: aliquam igitur perfectionẽ extrinſecus expectaret, ſi eius voluntas ab exteriore aliquo obiecto neceſsariò traheretur.
Secũda ratio. Secunda, ſi Deus aliquid extra ſe neceſsariò vellet, id potiſſimũ ſequeretur, vt Deus

non

non eſset Deus: ſed conſequẽs eſt abſurdum;ergo & antecedẽs. Probant cõſequẽtiam: Deus enim eſt ens,natura ſua perfectum, & abſolutè neceſſarium;eamq; neceſſariam conditionẽ obtinet,vt,quocunq; alio,ab eo diſtincto,non exiſtẽte,adhuc non eſse non poſſit: At ſi ad aliquid extra ſe neceſſariam relationem,vel habitudinem habeat,eo non exiſtẽte poterit non eſse,ergo,ſi quid extra ſe neceſſariò velit,non erit Deus;quia neceſſariam illam conditionẽ non obtinebit. Tertia ratio. Tertia,aliqui effectus contingẽtes,in rebus naturalibus reperiuntur,vt ipſimet quoq; Philoſophi fatẽtur, ergo prima cauſa extrinſecùs neceſſariò non agit. Probant conſequẽtiam: quoniam inferiores cauſæ modum agẽdi à prima recipiunt; ſi igitur prima cauſa neceſſariò mouet,& agit,inferiores quoq; cauſæ neceſſariò mouebunt,proprioſq; effectus neceſſariò effingẽt,atq; ita nullus contingens effectus in vniuerſo reperietur. Quarta rõ. Quarta,illa cauſa,quæ neceſſariò agit,oĩ conatu ſe ſe ad agẽdum applicat: vt.n. in eius poteſtate non eſt agere,& nõ agere: ita in eius ptãte,non eſt,maiorẽ,aut minorẽ intẽſionẽ,effectui tribuere;igitur ſi Deus neceſſariò ageret, omni conatu ageret; atque adeo effectus perfectiſſimos ederet, vt vlteriorẽ perfectionẽ acquirere non poſsent: hoc aũt falſum eſt: quia omnes effectus,qui à Deo emanarunt, finiti ſunt: ergo,vt minorẽ, ita maiorẽ perfectionẽ obtinere potuiſsent; non igitur Deus illos neceſſariò, ſed liberè, & contingẽter produxit. Quinta rõ. Quinta, Deus eſt agẽs per cognitionem;igitur ſi coactus operaretur, id efficeret,quod cognoſcit: ſed cognoſcit oppoſita:ergo ſimul efficeret oppoſita: atque adeò ne dum primum mobile ab ortu in occaſum,ſed idem ẽt ab occaſu in ortum circunduceret. Sexta ratio. Sexta,ſi Mundus ex Deo naturæ neceſſitate pẽderet,tunc nulla ratio aſſignari poſset,cur cæleſtium orbium nonnulli velociùs,alij tardiùs moueantur: cur quidem ab ortu ad occaſum, alij oppoſito modo circunuoluantur:cur in octaua ſphęra innumerabilis ſtellarum multitudo refulgeat; cæteræ verò vnicum tantum ſidus obtineant:cur planetæ ſemper ſub Zodaico reuoluantur, & modo inuicem nectantur, modo verò ẽt in ſitu omnino oppoſito conſtituantur,& aliorum huius generis plurimorum. Cùm igitur abſurdum ſit,dicere,tantam rerum molitionẽ,abſque vllo fine,atque cognitione factam eſse,abſurdum quoque erit,dicere, Mundum à Deo,naturæ neceſſitate pẽdere. Septima rõ. Septima,omne agẽs naturale,& neceſſarium ad vnum tantum agẽdi modum determinatum eſt,nec oppoſitos effectus edere valet, vt autor eſt Ariſt.8. Phyſ.text.8. ignis enim calefacere tantùm põt,frigefacere verò nequaquam; ſed Deus ad vnum tantùm agẽdi modum determinatus non eſt, quinimmò effectus varios, atque ẽt oppoſitos edit,igitur non eſt agẽs,quod agat,neceſſitate naturæ. Octaua rõ. Poſtrema,illud agẽs,quod agit neceſſitate naturæ,omnem ſuam actionem eò dirigit,vt quippiam ſibi ſimile procreet, vt in omnibus reb. naturalibus manifeſtum eſt,atqui Deus,extra ſe nihil,ſibi ſimile,procreat, non igitur extrinſecùs agit,neceſſitate naturæ.

### *Philoſophorum,Argumenta ſuperius propoſita diluuntur.* Cap. V.

THeologorum ſnĩa ſatis commodè iam confirmata,ſupereſt nunc, vt argumẽta,à Philoſophis propoſita,diluamus. Rñſio S. Thomæ ad primum argũ. Ad primum reſpondet S. Thomas,lib.1.Sent.diſt.43. quæſt.2.art.1.& in quæſtionibus diſputatis de potẽtia Dei,quæſt.3.art.15. Deum extrinſecùs neque neceſſariò,neque contingẽter agere;ſed medio quodam modo inter neceſſitatẽ,& cõtingẽtiam,hoc eſt ſui arbitrij libertate. Hic ſiquidem agẽdi modus ex neceſſitate conſtantiam accipit:ex contingẽtia verò facultatem quandam,ad res edẽdas,aliter ſe habẽdi. Negat igitur S. Thomas hanc conſecutionem, Deus extrinſecùs neceſſariò non agit, ergo contingẽter agit:nam medio modo agit. Alia rñſio. Doctiſſima quidẽm,& ſolidiſſima eſt hæc S. Thomæ reſponſio,nec vllo pacto reprobanda,quamuis ſint, qui exiſtimẽt,nullum abſurdum fore,ſi admittamus, Deum extrinſecùs contingenter agere. Quærunt enim,effectum illum,quem Deus extrinſecùs edit,poſſit ne,an non poſſit non edere? Hæc videntur eſse duo contradictoria,inter quæ medium nullum intercedit. Si.n.non põt,eum igitur neceſſariò edit. Si poteſt,edit illũ contingenter,quæ ſanè conſecutio non omninò aſpernanda vr̃. Nota. Quòd ſi quis fortè,cum Diuo Thoma,hoc argumẽto,liberam actionem,quàm contingẽtem concludere malit,illud ſaltem aduertat, liberam actionem inter neceſſariam, & contingentem mediam nequaquam appellari: ſed ipſam illam actionem,quę in nobis contingens eſt,in Deo potius liberam,quã contingentem nuncupari;vt ne veſtigium quidem vllum,aut vmbra,aut indicium vllius im-

per-

perfectionis in Deo relinquatur. Quamuis qui rem attentè conſideret, abſque vlla etiam im-

*Contingẽtia duplicẽ mutabilitatẽ indicare põt.*

perfectione, contingentiam in Deo ſtatuere nullo negotio poſſit. Etenim contingentia duplicem mutabilitatem, aut mutationem indicare poteſt; in voluntate ſcilicet operantis; aut in obiecto, volito ab operante: in voluntate operantis; quia nunc ipſa elicit actum, quẽ priùs non elicuit: in obiecto, volito ab operante; quia ipſum nunc habet eſſe, quod priùs non habebat. Hac poſita diſtinctione, fateor, ſi contingentia dicat mutationem in voluntate operãtis; eam vtique imperfectionem indicare: quemadmodum voluntati noſtræ accidit, quæ multos elicit nouos volendi actus: ſi autem dicat mutationem in ſolo obiecto, ab operante volito, nullam omnino imperfectionem indicare. Nunc in re noſtra, Deus extrinſecùs contingẽter agit, & contingenter vult: hæc autem contingentia nullam in voluntate diuina mutationem dicit, vt ſcilicet nouo volendi actu, vel noua, vt ita dicam, volitione, aliquid velit: quoniam quicquid vult, antiquo voluntatis actu, & eo quidem ab æterno elicito, vult; ſed dicit mutationem in obiecto volito, quod ſcilicet nunc eſt, & priùs non erat.

*Deus extrinſecùs liberè, & cõtingenter agit.*

*Ad ſecundũ.*

Ad ſecundum argumentum reſpondendum eſt, intellectum diuinum, & voluntatem diuinam dupliciter conſiderari poſſe: primò quoad eſſe abſolutum: deinde quo ad reſpectum, vel habitudinem, quam habent ad propria obiecta. Primo modo, eadem neceſſitate fruuntur, qua ipſamet fruitur natura diuina. Secundo verò modo, intellectus quidẽ in obiectum cognitum neceſſariò fertur: voluntas in obiectum volitum non item. Huius autem diſcriminis ratio ea eſt; quia intellectus eſt facultas naturalis, quæ, dum in proprium obiectum fertur, ipſum non intelligere nõ poteſt: voluntas verò eſt facultas libera; & propterea dum in proprium obiectum fertur, illud, vt velle, ita non velle poteſt.

*Diſcrimẽ inter intellectũ & volũtatẽ.*

*Ad tertium.*

Ad tertium, ſcito, Deum cum rebus, à ſe procreatis, perfectionem quidem ſuam communicare; ab eiſdem verò nullam penitus perfectionem accipere; ac proinde illum actum, quo quippiam extra ſe vult, ſecundum eſſe abſolutum, conſideratum, diuinam vtique perfectionem eſſe, nec à Deo vllo pacto ſeparari poſſe: eundem verò, ſpectatum quo ad habitudinem, ad effectus procreatos, vel procreandos; nec perfectionẽ dicere, nec imperfectionem: propterea habitudinem illam habere, & non habere poſſe.

*Ad quartum*

Ad quartum, illa pars maioris propoſitionis concedenda eſt, qua omne agens liberum, libertate contradictionis, & agere, & non agere poſſe dicebatur. Ad eam verò partem, qua inferebatur, in eo potentiam, ab actu ſeparatam inueniri; reſpondendum eſt, id quidem in eo agente verũ eſſe, cuius actio ab eius ſubſtantia diſtincta eſt; cuiuſmodi eſt omne agens, aliud à Deo: in Deo verò operatio ab eius ſubſtantia non diſtinguitur: & propterea in ipſo potentia quidem, ſeparata ab habitudine ad effectum, reperiri poteſt: non tamen ab actu ipſo, qui eſt ipſemet Deus. Quare operandi actus recens non aduenit ipſi Deo: ſed tantummodò actus ille nouam habitudinem ad editum effectum acquirere poteſt. Et quemadmodum editus effectus nouam relationem realem acquirit ad edens: ita edens nouam relationẽ rationis acquirit ad editum effectũ: ſed ſine vlla mutabilitate, & ſine vlla ei addita imperfectione.

*Ad quintum*

Ad quintum neganda eſt maior: quemadmodum enim voluntas noſtra ſe ipſam ad aliquid operandum determinat: ita multò magis id facere poteſt voluntas diuina: ac propterea libera eſt, libertate contradictionis.

*Ad ſextum.*

Ad ſextum neganda eſt conſecutio. Ad probationem reſpondendũ, effectum, à Deo volitum, non ideo contingentem dici; quia poſtquam à Deo volitus eſt, nõ eſſe poſſit: (eſt enim tunc neceſſarius, neceſſitate poſitionis) ſed dicitur contingẽs: quia Deus illum non neceſſariò, ſed liberè voluit. Non ergo ſequitur, aliquid contra diuinam voluntatem fieri poſſe, vt eo argumento concludebatur.

### *Opinio ſtatuentium, Deum, ex Ariſt. ſententia, extrinſecùs agere, neceſſitate naturæ.* Cap. VI.

*Deus ex ſñia Ariſtotelis, intellectu, & voluntate ꝑditus eſt.*

LOngè difficilior eſt altera diſputationis pars, qua in dubium vocatur, quidnã de re propoſita Ariſt. ſenſerit. Grauiores omnes tàm Philoſophi, quàm Theologi in eo conueniunt, Ariſt. ſcilicet ſtatuiſſe, Deum non eſſe agens neceſſarium, quod eo modo actionẽ edat, quo, aut ignis calorem, aut Sol lumen ex ſe fundit; hæc enim naturalia quædã agentia ſunt, quæ ſolo naturæ impetu, citra vllam cognitionem, operantur. Nuſquam autem apud Ariſt. legimus, eum diuino numini intellectum, & voluntatem ademiſſe; quinimmò pluribus in locis, Deum intellectu, & voluntate pollere, confeſſus eſt. Docuit enim 11. metaph. c. 6. diuinã

ſcien-

ſciētiam eſſe primum, ac proprium principium Vniuerſi. & 9. eiuſdem operis lib. tex. 10. ait, intellectum diuinum, propterea quod ad vtranque contradictionis partem indifferens eſt, id circo per appetitū, & electionem, ad opus applicari. Rurſus 2. Phyſ. tex. 50. docet, Deum, & naturam agere propter finē: Et 12. Metaph. tex. 52. ſcribit, Vniuerſi naturam optimū quiddam eſſe, ordinatum in finē, puta in Deum, ſicuti exercitus ordinem habet ad Ducem: quę omnia argumento ſunt, Ariſt. conceſſiſſe, Deum intelligendi, & volendi facultate pręditum eſſe. An autem ſtatuerit, Deum ita per intellectum, & voluntatem agere, vt actionem ſuſpē dere, & inhibere queat; non vna, eademque eſt Doctorum omnium conſenſio: afferam primùm tres diuerſas ſententias, mox quid mihi ſentiendum videatur, paucis aperiam. Fuit igitur prima ſententia, quæ communis appellari poteſt; nam in eam omnes ferè tàm Philoſophi, quàm Theologi conceſſerunt; Ariſt. ſcilicet exiſtimaſſe, vniuerſum à Deo quidem intellectu, & voluntate conditum eſſe; ex eo tamen naturæ quadam neceſſitate pendere, vt illud non condendi liberam facultatem non habuerit. Quam ſententiam ex Scholaſticis Doctoribus ſecuti ſunt Scotus lib. 1. Sentent. diſt. 8. q. 50. & in quolib. q. 7. Gregorius Ariminenſis in 1. diſt. 42. Herueus quolib. 2. q. 4. & in tract. de Mundi æternitate, q. 4. Iauellus 12. Metaph. q. 10. Soncinas ibidem q. 29. Dominicus à Soto 8. Phyſ. q. 1. Ex recentioribus verò Philoſophis Franciſcus Piccol. lib. de Cœlorum motoribus, c. 23. Franciſcus Bonamicus, lib. 10. de Motu, c. 36. Federicus Pendaſius, lib. 8. Phyſicæ texturæ, pat. 36. atque ſummatim ij omnes, qui, ex Ariſt. ſententia, vniuerſum à Deo non in genere quidem cauſę efficientis, ſed in genere tantùm cauſæ finalis, pendere exiſtimarunt. Porrò fundamentum præcipuum, quo Ariſt. ſnīa nititur, illud eſſe aiunt; quia nimirum Philoſophus concipere nequiuit, ſine Dei mutatione fieri potuiſſe, vt priùs nihil egerit, aut mouerit; poſteà verò agere, atq; mouere cęperit. Et quia Deum, immutabilē eſſe, crediderit; ideo eūdē ſemper ita agere arbitratus eſt, vt nō agere, nulla ratione poſſit: quod quidē nil aliud eſt, quàm agere neceſſitate naturę. Quòd autem hoc præcipuum fuerit Ariſtotelicæ opinionis fundamentum, ex varijs eiuſdem monumentis eliciunt: ſed præſertim ex 8. Phyſ. textib. 9. 13. 52. & 53. atq; etiam ex 9. Metaph. tex. 17. vbi docet, in æternis nihil eſſe in potentia, ſed omnia in actu: ex quo infert, non eſſe timendum, ne Cœlum quieſcat; quia neque ipſum eſt in potentia ad motum remittendum, neque motor eius, ad non mouendum. Rurſus lib. 12. Metaph. c. 6. concludit, nō ſatis eſſe ponere ſubſtantiam æternam, potentem mouere; quia aliàs poſſet etiam non mouere: ſed neceſſe eſſe, vt ſit actu mouens, ita, vt eius motio ſit ſuā ſubſtātia. Lib. etiam 2. de Cęlo probat, motum Cœli inuariabilem eſſe; quia motor eius immutabilis eſt. Sed validiſſimum argumētum, ad hoc ipſum oſtendendum, elici poteſt ex 7. & 8. contextu 8. libri Phyſ. vbi Ariſt. hunc in modum argumentatus eſt; ſi primum mouens tùm primū mouere cæpit, & antea non mouebat: aliquid igitur erat, quod eum à motione retardabat. Quæ ſanè conſecutio ſumit, primum motorem neceſſariò agere: nam alioquin facilè quiſpiam reſpondere potuiſſet, primū motorem antè à motu quidem abſtinuiſſe, non ob aliquod impedimentum, ſed quia integrum illi erat, non agere. Et propterea Auerroes in com. iſtius textus dicebat, rationabiliùs legum ſectatores, quàm Anaxagoram locutos eſſe: qui huiuſmodi cauſam, non in naturā, ſicut ipſe, ſed in diuinam voluntatem retulerunt. Hæc igitur ſunt apertiſſima teſtimonia, quibus prior hæc ſententia iam ſatis confirmata videri poteſt.

Loca varia apud Ariſt. idē confirmātia.

Opinio cōis, ſtatuēs, Deū, ex Ariſt. ſententia extrinſecùs agere neceſſitate naturæ.

Scotus. Greg. Arim. Herueus. Iauellus. Soncinas. Dom. à Soto Piccolomin. Bonamicus. Pendaſius.

Fundamētū præcipuū Ariſtotelicæ opinionis.

Loca varia, ex quib. prædictū fundamentum elicitur.

Validiſſimū argumentū, quo Ariſtot. ſnīa confirmari poteſt.

### *Opinio ſtatuentium, Deum, quò ad aliquos effectus, liberam agendi poteſtatem habere. Cap. VII.*

SEcunda fuit opinio, quæ non longè à communi recēdit, ſed ei ſolùm aliquid addit: Deū videlicet, ex Ariſt. ſententia, circa Cœlorum motus, circa ſpecierum procreationem, atq; ſummatim circa totius Mundi effectionem, & conſeruationem, agendi quidem libertate caruiſſe: at verò circa indiuidua, & res liberas, cuiuſmodi ſunt homines, nulla prorſus agendi neceſſitate vrgeri; ſed quicquid in illis agit, ita agere, vt omninò, ſi vellet, nō agere facilè poſſet. Ad hanc ſententiam comprobandam, multa pariter adducuntur eiuſdem Ariſt. teſtimonia. Primum elicitur ex libro de Mundo ad Alexandrum (ſi tamen liber ille Ariſtot. eſt): vbi Deum Imperatori comparat, qui omnibus præeſt, & quæcunque voluerit, conficit: & tandē concludit, quod in naui eſt gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in ciuitate Rex,

Primū teſtimonium.

in exercitu dux, hoc idem in Mundo Deum eſſe. Hoc ſolo diſcrimine, quia illis ipſis principatus laborioſus; perturbatus, & anxius eſt, Deo autem expers omnis mæſtitiæ, atq; laboris, nullamque corporis imbecillitatem afferens. Cùm enim in re immobili collocetur, cuncta, quò vult mouet; arbitratuq; ſuo, in diuerſis rerum generibus, atque naturis omnia verſat.

Secundum. Secundum elicitur ex 2. Phyſ. tex. 49. vbi Ariſt. diſtinguit agentia propter finem, in ea, quæ agunt, naturæ neceſſitate, & ea, quæ agunt, ex electione, ideſt mente, & ratione. Conſtat autem, Ariſtot. in poſteriore ordine primam cauſam collocaſſe; cùm ei tribuerit, vt naturales omnes cauſas ad ſuos fines dirigat.

Tertium. Tertium elicitur ex 8. Ethico, cap. 7. vbi aſſerit Ariſtot. Deum erga bonos amicitiam habere; & lib. 10. cap. 8. docet, eos, qui verè ſapientes ſunt, & rationem ducem ſequuntur, Deo chariſſimos eſſe: quæ certè munera non neceſſitatis, ſed libertatis eſſe videntur.

Quartum. Quartum elicitur ex 4. Topicor. cap. 5. vbi diſertis verbis Ariſt. ſcribit, Deum quædam facere poſſe, quæ nõ facit: quod certè non eſſet, ſi ageret, neceſſitate naturæ. Sed præter teſtimonia, ab ipſomet Ariſt. ſumpta, aliorum etiam teſtimonia habentur, qui de Ariſt. locuti ſunt.

Quintum. Refert enim Laertius in vita Ariſt. ipſum, antequam diem obiret, Deum oraſſe, ac religionis cauſa, teſtamento quædam fieri iuſſiſſe: quod certè non feciſſet, niſi diuinum numen precibus flecti, & honeſtis, pijſque hominum actionibus, ad benè merendum, allici poſſe, crediſſet.

Sextum. Maximum quoq; teſtimonium ab Alexandro ſumitur, in lib. de Fato, ad Antoninum, & Seuerum Imperatores: vbi, ex Ariſt. ſnĩa, admonet, à Deo beneficia petẽda eſſe, qui ea, & non dare, & concedere poteſt.

Septimum. Commentator etiam in diſputationibus contra Algazelem, diſputat. 3. & 11. dubio 1. & 2. ait, Deum, apud Ariſt. neque agere, neceſſitate naturæ, neque ex electione; ſed alio eminentiore modo, mortalibus incognito, quem ipſe ſolus nouit. Ille autem modus videtur auferre à Deo illam naturæ neceſſitatem, quæ dicit determinationem ad vnum; atq; etiam illam electionem, quæ mutabilitatem, & alias imperfectiones infert. Indicat verò eminentiorem quandam operandi rationem, ita ſimplicem, & vniformem, vt indifferentiam, & libertatem non excludat, & ita liberam, vt mutabilitatem non admittat.

## *Cuiuſdam recentioris opinio.* *Cap. VIII.*

Summa opinionis. Silentio hic prætereundam non arbitror grauiſſimi cuiuſdam viri ſnĩam; qui, contra omnium tàm veterum, quàm recentium Philoſophorum opinionem, exiſtimauit, Deum, Ariſt. decreto, non modò quò ad particulares quoſdam effectus, verùm etiam quò ad vniuerſalem Mundi procreationem, generalemque eius diſpoſitionem, & ordinem, agere libertate propria, vt ſcilicet Mundum condẽdi, & non condendi liberam facultatem habuerit. Quod ſicubi, apud Ariſtot. Deum extrinſecùs neceſſariò agere inueniatur, aſſerit grauiſſimus iſte vir, id non neceſſitate abſoluta, ſed neceſſitate poſitionis, intelligendum eſſe.

Explicatio opinionis. Hanc autem ſnĩam, vt ex diſputatione, cum eo habita, intelligere potui, ſubtili ſatis modo declarauit. Excogitauit enim, Deum ab omni temporum æternitate, in aliquo priori naturæ ſigno, Mundum condẽdi, & non condendi libertatem habuiſſe; ac propterea, nulla neceſſitate, ſed liberè, actum illum ſuæ voluntatis elicuiſſe, quo, Mundum condere, conſtituit. Hoc autem conſtituto, non potuiſſe Deũ Mundũ non ædificare; ſed ipſum neceſſariò ædificaſſe.

Probatio. Quod ſic probare conatus eſt. Etenim ſi, facta illa determinatione, Mundum ſtatim nõ condidiſſet: certè aut aliquod impedimẽtum extitiſſet, quod ipſum à Mundi fabrica retardaſſet: aut eum iam factæ determinationis pœnituiſſet: aut, ob aliam rẽ quampiam, actus ille voluntatis eius iã elicitus, inefficax redditus eſſet. Horum aũt nullum affirmare, fas eſt, tùm quia nihil erat, quod impedimẽtum aliquod afferre, aut aliquo pacto diuinæ voluntatis actum inefficacẽ reddere poſſet; tum etiam quia diuina voluntas immutabilis eſt, & idcirco quod ab æterno voluit, ſemper vult, & ſemper volet. Quare ſi ab æterno Mũdũ ædificare decreuit; ab æterno ipſum neceſſariò, neceſſitate poſitionis, ædificauit. Quòd autem Deus, in illo priori naturæ ſigno, eam libertatem habuerit, qua oppoſitos voluntatis actus, condendi ſcilicet, & non condendi Mundum elicere potuerit; eruit doctiſſimus iſte vir ex Ariſto. autoritatibus, paulò antè à nobis allatis; quibus, diuinam libertatem, expreſsè aſſerit, Ariſt. confeſſum fuiſſe.

### *Refellitur eorum opinio, qui, ex Ariſtot. ſententia, exiſtimarunt, Deum, quo ad particulares effectus, liberam agendi poteſtatem habere.* *Cap. IX.*

Prima opin. iam explicata, Ariſt. menti maximè cõſentanea eſt.

Secũda opinio pugnãtia includit.

PRopoſitis iam ſingulis opinionibus, ad hanc diſputationem attinentibus, reliquum modò eſt, vt illas diligenter expẽdamus, & quid in ſe veritatis, aut falſitatis contineant, aperiamus. Primam opinionem puto ſatis Ariſtotelicam eſſe; propterea de ea nunc nihil dicam: ſed in fine huius diſputationis, cùm meam ſnĩam ex intima Ariſt. mente deprompſero, eandem paulò diligentiùs examinabo. Illorum verò ſnĩam, qui ſtatuerunt, Deum, quo ad Mũdi procreationem, conſeruationem, generalẽ diſpoſitionem, & ordinem; atq; etiam, quo ad illarum rerum effectionem, quas ipſe proximè, nulliuſq; alterius opificis interuentu, in lucẽ edit: naturæ quadam neceſſitate teneri; quò verò ad aliquos particulares effectus, liberam agendi poteſtatem habere, arbitror contradictionem inuoluere: atq; inconſtantem Ariſt. reddere. Etenim fundamentum præcipuum, quo Ariſt. ſnĩa de Mundi æternitate, vel, vt cùm ipſis modò loquar, de æterna Mundi procreatione, nitebatur; illud erat, quia nimirum Deus nullam mutationem, nec vllam mutabilitatem ſubire valet: mutatus autem eſſet, ſi Mundũ recens ædificaſſet: ac proinde Mundum, nullo quidem tempore, ſed ab omni temporum æternitate, neceſſariò ædificauit. Vtor nunc ego, in eorum ſnĩam, eodem argumẽto: noua alicuius effectus procreatio, Ariſt. decreto, infert mutationem in Deo: ergo ſi Deus particulares aliquos effectus recens, ſua libertate, procrearet, quia. ſ. nullam habuit neceſſitatem eoſdem ab æterno procreandi: ſequeretur, vt eadem ratione, mutationem ſubiret. Quæreret enim aliquis, cur tùm primum, & non antè Deus particulares illos effectus edidit? Si dicatur, quia tunc voluit, & non antè: ergo mutatus eſt; quia factus eſt è non volente, volens. Sin autẽ quiſpiam diceret, Deum ab æterno, continuato voluntatis actu, effectus illos edere quidem voluiſſe; ſed illo tamen tempore, quo edidit. Vera quidem eſſet huiuſmodi reſponſio, & ad mẽtem Theologorum: non tñ ad mentem Ariſt. Nam eadem ratione, cùm ipſe à veteribus Philoſophis ſciſcitatur, cur, ſi ab æterno fuit Motor, aptus mouere, & mobile aptum moueri, nõ etiam ab æterno fuit motus? Cur ſi Mundum ab æterno ædificare potuit ipſum ab æterno non ædificauit? Reſponderi poſſet, quia ipſum ab æterno ædificare noluit: ſed ab æterno, continuato ſuæ voluntatis actu, abſque vlla mutatione, Mundum eo tempore ædificare voluiſſe, quo ipſum ædificauit: atque ita par omninò ratio erit, in procreatione rerum particulariũ, ac in effectione totius vniuerſi. Quod etiam validiùs confirmari poteſt; namq; ſi immutabilitas, ex ſua formali ratione, libertatem excludit, adeo, vt non poſſit quis liberè aliquid efficere, quin mutetur, vt Ariſt. voluit: dubio procul in omnibus effectibus, vel particularibus, libertatem excludet. Si verò de ratione ſua formali immutabilitas libertatem non excludit; ergo nec illam excludet in totius vniuerſi procreatione; ac proinde, citra vllam mutationem, Deus liberè, & quandocunque voluit, Mundum ædificare potuit.

Ratio efficax contra ſecundam opinionem.

Cõfirmatio

### *Recentioris opinio reÿcitur.* *Cap. X.*

Argumentũ efficax.

Tacita rñſio.

Confutatio.

Alia rñſio.

QVòd verò attinet ad alium dicendi modum, quem doctiſſimus ille recentior effinxit; is certè Metaphyſicus mihi potius, quàm Phyſicus eſſe vr: nec cogitare poſſum, quonã pacto cum illa libertate, quam ipſe, Ariſt. ſnĩa, in Deo reperire putauit, agendi neceſſitas manere poſſit. Sciſcitabor enim ab eruditiſſimo viro, cùm, in illo priori naturæ ſigno, Deus liberè actum voluntatis elicuit, quo, ſe, velle Mundum conſtruere, determinauit; quid poſteà eũ coegit, vt Mũdum ædificaret? Quanam ipſe neceſſitate compulſus fuit? Exteriore ne, an interiore? Non exteriore: quia nulla fuit, nec eſſe potuit. Si interiore: igitur nulla alia fuit, niſi propriæ naturæ neceſſitas, atq; ita eodem reuoluimur. Dicet, neceſſitatem illam abſolutam non fuiſſe, ſed ſolum poſitionis; quia iam, in illo priore naturæ ſigno, voluntas diuina libera fuit. At hoc eſt concedere Deo libertatem maiorem, & ab eodem auferre libertatem minorem. Ita enim argumẽtor: in cuius poteſtate eſt agere, & non agere, in eiuſdem poteſtate eſt modus agendi, puta hoc, vel illo modo, aut hoc, vel illo tempore agere: Si. n. in poteſtate mea eſt, ire Romam, & non ire: in mea etiam poteſtate eſt, iter facere menſe Martio, aut Aprili, & tranſire Bononia, vel Florentia. Quare ſi in Dei poteſtate fuit, Mundum ędificare, & non ædificare: in eiuſdem etiam poteſtate fuit, ipſum nunc, aut antè, aut poſt, aut quando voluit, ædificare: atque ita priore admiſſa libertate, in Deo neceſſitas nulla manet. Reſpondebit for

 taſſe,

taſſe,ſi in hominis poteſtate eſt agere,& non agere,in eiuſdem etiam poteſtate eſſe modum agendi;quia voluntas eius mutabilis eſt,& multos,vel oppoſitos actus, vnum poſt alterum, elicere poteſt. Res autē ſecus habet in Deo,cuius voluntas immutabilis eſt;propterea quicquid vult,ſtatim exequitur;cùm nihil ſit,quod illi impedimento eſſe poſſit.

Confutatio. Sed contra,quēadmodum enim homo oppoſitos voluntatis actus, vnum poſt alterum, elicere pōt, quod imperfectionis eſt,& mutabilitatem infert:ita vnum actum continuatum ad aliquod obiectum, vſque ad ſtatutum tempus producere valet,quod perfectionem ſignificat. Ex.gra.poſſum ego elicere hunc actum volendi ire Romam, menſe Septembri, & quamuis mutari poſſim:tamen fieri etiam poteſt,vt non muter:quare nunc elicio actum voluntatis,& tantummodo menſe Septembri illum voluntatis actum re præſtabo. Remoueamus igitur imperfectionem,ſcilicet mutationem voluntatis:idque ſolùm Deo, quod perfectionem indicat, tribuamus:ſi homo nunc aliquem voluntatis actum elicere poteſt; cuius tñ non niſi poſt multum temporis executio fiet,atque ille actus vſque ad ſtatutum tempus, citra vllam mutationem continuatus eſt;cur non item Deus ab æterno decernere potuit,ſe mundum,ſtatuto tēpore extruere velle:& voluntatis actum vſque ad illud tempus citra vllam mutationem,producere? Id cùm ita ſe habeat,perſpicua iam res eſt,cum priore libertate,iam poſita, nullam omnino neceſſitatem manere poſſe:ac deinceps abſurdum eſſe dicere; Ariſt.in Deo illam libertatem ſtatuiſſe;ſi enim eam admiſiſſet, dubio procul mundi æternitatem, non ita pertinaciter,aduerſus omnes Philoſophos defendiſſet.

Alia ſolutio. Sed adhuc recentior iſte reſpondere poſſet, meam hanc obiectionem veram quidem eſſe,atque illud re vera concludere,quod fides noſtra catholica docet:non tamen id,quod Ariſt.opinatus eſt,aut ſaltem,quod ex eius monumentis elicimus,ipſum opinari neceſſariò debuiſſe. Nanque Ariſt.& Theologi noſtri in eo conueniunt, Deum ſcilicet ab æterno decreuiſſe,ſe Mundum ædificare velle. In eo verò differunt,quia Theologi ſtatuunt, Deum eodem antiquo,& continuato voluntatis actu conſtituiſſe Mundum ſe ſtatuto tempore condere velle: Ariſt.autem eam actus voluntatis continuationem,abſque effectu edito,non agnouit. Ideo opinione deceptus eſt:exiſtimauitque effectum editum,perinde ac voluntatis actum, æternum eſſe:adeo vt inter vtrunque nullum omninò temporis interuallum,aut nulla penitus mora interponatur.

Confutatio. Hæc autem reſponſio nullius eſt momenti:oſtendo enim,ex Ariſt.dictis,nos elicere,ipſum & dixiſſe,& dicere debuiſſe, Deum, nulla penitus libertate,ſed naturæ neceſſitate in Mundi fabricam incurriſſe. Diſputabat enim Philoſophus aduerſus veteres, qui primam cauſam æternam eſſe ponebant,atque inſuper æternam eſſe aliquam materiam,aliquod Chaos, aliquod mobile. Ex hoc Ariſt.argumentum ſumpſit,quo ſe, Mundum æternum eſſe,demonſtrare arbitratus eſt; atque ita ratiocinabatur.

Ariſto.argūm ad probanda mundi æternitatem. Si ab æterno fuit Motor,& ab æterno fuit mobile, cur ab æterno non fuit motus? Profectò ſi non fuit motus ab æterno,impedimentum aliquod extitit,quod motorem prohibuit,quominus mobile mouere poſſet: ſed nullum huiuſmodi impedimentū fuit;quia ad motum efficiendum remoueri illud neceſſariò oportuiſſet,quod certè abſq; motu fieri non potuiſſet,atque ita motus ante motum datus eſſet, vt 1.c.8.lib.de Phyſico auditu ſatis luculenter demonſtrauit. Motor igitur ab æterno mobile mouit; quemadmodum ſi ab æterno fuiſſet ignis,& ſtupa,eidem admota,& nullum fuiſſet impedimentum, ab æterno fuiſſet combuſtio.

Hinc elicit, Ariſt.putaſſe Deum agere neceſſitate naturæ. Hoc erat Ariſt.argumentum:quod non ſolùm demonſtrandi vim, ſed ne vllam quidem probabilitatem haberet,niſi id tanquam certiſſimum exiſtimaſſet; Deum videlicet agere,neceſſitate naturæ. Si enim putaſſet,eum liberè extrinſecùs operari, aliquis, ex ipſius ſententia eius argumento ſatisfacere potuiſſet;dicendo, Deum ab æterno mobile non mouiſſe,non ob vllum impedimentum,ſed quia noluit:& hæc eſt ſolutio,qua Theologi Ariſtotelicum hoc argumentum diſſoluunt. Quinimmò omnes vno ore fatentur,argumentum hoc demonſtratiuum fore,ſi verum eſſet fundamentum illud,quod ipſe tanquam veriſſimū poſuit, Deum videlicet agere neceſſitate naturæ:quod cùm falſum,& inane ſit; tota eius ratiocinatio ruat penitus,neceſſe eſt.

Occupatio. Nec eſt,quod dicat aliquis, Deum in illo priori naturæ ſigno,agēdi libertatem habuiſſe:nam ſi tunc motor,atque etiam mobile fuit;decernere Deus potuiſſet,ſe Mundum ædificare nolle,atque adeò Ariſt.argumētum inualidum eſſet. Dices, æternum eſſe Mundum;quia Deus ab æterno liberè,ſe eundem ab æterno condere,determinauit. At verò quemnam firmum dabis teſtem huius æternæ determinationis? [illegible]

### *Reſponſiones quædam Cardinalis Toleti refutantur.* *Caput XI.*

CArd. Toletus 8. lib. Phyſ. c. 2. q. 3. quanuis cum alijs defendere videatur, Deũ, circa ſpecies vniuerſales, neceſsariam operationem habere; circa verò indiuidua, & res liberas, cuiuſmodi ſunt homines, liberum opificem eſse; tamen ipſe quoque ad hanc partem inclinare viſus eſt, vt ſcilicet Ariſt. ſtatuerit, Deum extrinſecùs, quo ad oẽs effectus, liberè prorſus agere: argumentumque à nobis antè propoſitũ duobus modis ſoluere conatus eſt, generatim, & particulatim. Primò igitur ait, cùm rationes Ariſt. quas 8. lib. Phyſ. ad probandam Mundi æternitatem conſtruxit, in multis peccent; mirum non eſset, ſi inter alia abſurda, in hoc ẽt inciderent, vt illam libertatem Deo adimerent, quam tam multis alijs in locis ipſemet Ariſtot. confeſsus eſt: ac ſi clarioribus verbis aſseruiſset, Ariſt. non ſibi ipſi conſtare, ſed pugnantia protuliſse. Deinde reſpondet, cùm Ariſt. præſertim ex veterum ſentẽtia, mobile aliquod ſimul cum motore æternum eſse, poſuiſset; cauſa neceſsariò quærenda erat, cur ſi Motor ab æterno fuit aptus mouere, & mobile aptum moueri, motus ab æterno non fuerit? Quæſiuit hoc Ariſt. ait Toletus, abſolutè, ſimpliciter, & in abſtracto nihil curando, eſset ne Deus agẽs liberum, an neceſsarium; quia quocunque modo ſtatuatur, aliqua ſemper quietis cauſa quærenda erit. Neque enim illa quies ex electione, ſine aliqua cauſa penderet: neq; à natura abſque impedimento aliquo, efficeretur; ac proinde contra naturã illa eſset, & violẽta. Hæc Toletus. Prior reſponſio facilè reijcitur: nam etſi Ariſtot. interdum veritate coactus, aliqua ſuis principijs aduerſantia, tacitè cõceſſerit, vt alibi docuimus, eidem tamen tribuendum nõ eſt, vt, eadem de re, oppoſito modo apertè diſseruerit, &, Deum modò agens liberum, modò neceſsarium eſse, docuerit. Quòd verò attinet ad alteram reſponſionem, haud certe video, quonam pacto propoſitum iam argumentum expediat. Ait Toletus, quærẽdã eſse cauſam quietis, ſiue agens liberum, ſiue neceſsarium ſit. Sed, obſecro, quænam alia quietis cauſa quærẽda eſt: cùm iam conſtet, ipſam à motoris voluntate pendere, ſi agens liberum ſtatuatur? Hoc poſito, ſtatim, vt prædiximus, ruit Ariſt. argumẽtũ: licet enim Motor ab æterno fuerit aptus mouere, & mobile aptum moueri: motus tamen neceſsariò non fuit. Ratio eſt, quia Motor noluit mouere. Et ſi quæratur, cur noluit mouere? Reſponderi poteſt, quia illi non placuit. Eſt artifex, aptus ex. gra. ad conſtruendam nauim: ſunt ẽt ligna apta, & idonea, ex quib. fiat nauis; erit ne tunc neceſſariò nauis? Minimè verò. Quid ita? Quia artifex, qui eſt agens liberum, non vult illam conſtruere. Ita de Motore, & Mobili dicendum eſt. Ponamus enim, Deũ ab æterno coelum edidiſse; quanuis contradictionem id implicet, vt alia diſputatione patefecimus; tunc cælum ab æterno ad motum recipiendum habilitàtem habuiſſet: non tamen ſequeretur, vt ab æterno motum neceſſariò recepiſſet; quia ſi Deus ipſum liberè ab æterno effeciſſet; liberè etiam efficere potuiſſet, vt tanta duratione cum quiete manſiſſet. Neque verò quies illa violenta extitiſſet, vt Toletus arbitratus eſt; quoniam illa nullam perfectionẽ impediuiſſet, quam Cælum per motum accepturũ eſſet: mouetur enim Cælum, vt ſuam potius perfectionem cum rebus inferioribus communicet, quàm vt vllam perfectionem per motũ obtineat. Quinimmò ſi Deus ab æterno ignem in terræ ſuperficie procreaſſet, cumque ibi aliquo tempore quieſcere voluiſſet: tunc illa quies violenta ſimpliciter non fuiſſet: & ſi enim ignis cõtra propriæ naturæ propenſionem ibi manſiſset; ſupremæ tamen naturæ voluntati paruiſset, idque ad violentiam ſimpliciter tollendam ſatis eſt. Quare etiamſi mobile, ab æterno aptum moueri, quieuiſset; eius tamen quies violenta non fuiſset; quia ſecundum primæ cauſæ beneplacitum extitiſset.

Prima rẽſio Toleti ad argumentũ antè cõſtructũ.

Altera rẽſio.

Reijcitur prima reſpõſio.

Reſponſio altera confutatur.

Quare diſp. de Mundi æternitate.

Nota diligenter.

Nihil poteſt eſſe violentũ, quod fit ſecũdum beneplacitum primæ cauſæ.

### *Explicantur illa Ariſt. loca, quibus probatum eſt, Deum, ex illius ſententia, habere libertatem agendi.* *Cap. XII.*

DVo adhuc nobis, pro perfecta huius queſtionis diſcuſſione, facienda ſunt. Alterum eſt, vt autoritates illas explicemus, quibus, veluti teſtimonijs quibuſdam, aduerſarij probare nituntur, Deum, ex Ariſtot. ſententia, vel quo ad aliquos effectus, vel quo ad omnes liberam agendi poteſtatem habere. Alterum, vt omnes decernamus, quænam re

Ad primum teſtimoniũ.

vera de difficultate propoſita fuerit Ariſt.mẽs. Quod igitur attinet ad primum teſtimoniũ, illud in primis apud Peripateticos valdè ſuſpectum eſt: multi enim negãt, libellum illum de Mundo, Alexandro dicatum, ab Ariſt. editum eſſe; quemadmodum etiam ab aduerſarijs obſeruatum eſt. Sed ſit Ariſt. opuſculum illud; ex allatis verbis nihil aliud tandem elicimus, niſi Deum vniuerſi Principem, atq; Rectorem eſſe: eundẽque intellectu, & voluntate agere, quę quidẽ voluntas impediri põt à nemine. Ex eo tñ loco inferre non licet, diuinam voluntatem eſſe liberam ad oppoſitos actus: diceret.n. Peripateticus, diuinæ bonitati repugnare, aliquod bonum facere poſſe, & illud tñ efficere nolle; propterea quæcunq; bona ſunt, Deus vult, & ea non põt non velle, alioquin non eſset Deus: ita Peripatetici huic primæ autoritati ſatisfaciunt.

Ad ſecundũ.

Secundum teſtimonium nihil aliud oſtẽdit, niſi præcipuum modum, quo Deus extrinſecùs operatur: ijs.n. verbis, Ariſt. monere vult, tametſi Deus agat, naturæ neceſſitate; eũ tñ non ita agere, vt in eius actione, nulla penitus intellectus, & voluntatis operatio concurrat; Sed eſse agẽs per voluntatẽ: ita tñ, vt neceſsariò velit quicquid vult.

Ad tertium.

Ad tertium reſponderi põt, ex eodemmet Ariſt. loco, Deum eſse familiarem ſapiẽti, atq; illum viſitare: hanc tñ familiaritatẽ nullum arguere voluntatis actum, quo ſe Deus ad amicum conuertat; ſed tantùm quandam quaſi ſympathiam indicare: quò.n. aliqui ſapiẽtiores ſunt, & maiorem bonitatis gradum adepti; eò ſimiliores Deo reddi, & quandam cum eo quaſi familiaritatem contrahere dicuntur.

Ad quartum

Ad quartum eſt communis reſponſio, quæcunq; ab Ariſt. in Topicis tradita ſunt, ea probabiliter tantùm, non ſcientificè intelligẽda eſse. Sed poteſt etiã dici, ſi Deus multa non faciat, quę facere poſset; hoc non ideo eſse, quia nolit: ſed quia ea, quæ illius actionem recipere deberẽt, minus rectè affecta ſunt.

Ad quintum

Ad quintum fatẽtur Peripatetici, in Deũ, ex Ariſt. ſnĩa, eſse preces effundẽdas: illud tamen aduertunt, Deum precibus minimè flecti, nec vllo pacto mutari; ſed nos tantummodo ijs congruẽter parari, ad recipiẽda munera, quæ ab eius liberalitate proficiſcuntur.

Ad ſextum.

Ad ſextum reſpondẽdum primò eſt, in moralibus ſermonibus, & in illis preſertim, qui ad Principes diriguntur, multa dici pro populorum, & principum inſtitutione; non tamen ſcientificè. Sed præterea dicẽdum eſt, Deum, ad largiẽda munera, ſemper paratum eſse: quòd ſi interdum non largiatur; id non ex eo pendere, quia nolit; ſed quia parati non ſunt, & commodè affecti, qui ea recipere deberẽt.

Ad ſeptimũ.

Ad vltimum reſpondendum eſt, Auerroem, fortaſse veritate coactum, admittere voluiſse, Deum agere, neceſſitate naturæ: neq; ob reuerentiam, quam ſemper Ariſt. exhibuit: (illum enim tanquam Idolũ veneratus eſt) aduerſus ipſum docere voluiſse, Deum liberè, & contingenter agere: ſed inter duo extrema, medium excogitaſse, docuiſseque, Deum agere, modo quodam eminentiore, nobis quidem ignoto, illi verò duntaxat manifeſto.

## *Quid hac de re Ariſtot. ſenſerit opinio Autoris.* Cap. XIII.

Reliquum tandem eſt, vt perdifficili huic diſputationi finem imponamus, atque ex propria ſententia decernamus, quænam, de re propoſita, fuerit Ariſtot. mens. Lubrica certè res, & quæ diu grauiſſimorum Doctorum ingenia exercuit: fatetur enim Dominicus à Soto. Philoſophus, atq; Theologus eruditiſſimus, neminem ſe vidiſse, cui hac de re Ariſt. ſententia penitus explorata fuerit. Conabimur nos tamen, Deo benè iuuante, tantam difficultatem enucleatius, quantùm fieri poterit, explicare. Longè igitur petito huius ſermonis exordio, operepretium eſt, ante omnia, fundamentum vnum ſtatuere, quod ſi forte minus ad rem initiò cuipiam videbitur; illud tamen, diligenter conſideratum, huic noſtræ ſententiæ explicandæ, appoſitiſſimum tandem iudicabit.

Fundamẽtũ præcipuũ pro huius difficultatis explicatione.

Sit igitur fundamentum huiuſmodi, Ariſtot. ſtatuiſſe, humanam animam eſse immortalem. Non eſt, cur pro huius fundamenti confirmatione quidquam dicam: illud enim, alia diſputatione, commodè ſatis probaturus ſum. Hoc igitur poſito fundamento, ſententiam meam tribus concluſionibus explicabo, quarum prima ſit hæc.

Prima cõcluſio.

Si Ariſtot. principia ſpectemus, & ea pariter, quæ ipſe expreſsè, & ex propria ſententia docuit: dicere debemus, ipſum confeſsum fuiſse Deum agere neceſſitate naturę. Hanc cõcluſionem ita probo. Nemini dubium eſt, Ariſtot. aduerſus omnes Philoſophos ſtatuiſse, Mundum ab æterno conditum eſse: argumentum autem præcipuum, quo ad id probandum vſus eſt, inde ſuum robur, & firmitatem accepit: quia Deus extrinſecùs neceſsariò operatur,

niſi

niſi enim id tanquam firmum,& ratum Ariſto, habuiſſet; dubio procul argumentum illud demonſtratiuum non iudicaſſet. Sed de hoc iam ſatis ſuperiùs.

Secunda concluſio.

Secunda Ariſtot, ponens Mundi æternitatem, non potuit non conceſſiſſe, Deum agere neceſſitate naturę. Hęc concluſio ſatis perſpicua eſt, cùm enim ab æterno editum, & editum neceſſitate naturæ, ſe ſe neceſſariò conſequantur, quemadmodum in diuinarum perſonarum productione Theologi etiam fatentur; neceſſe eſt, vt qui primum concedit, alterum quoque concedere teneatur: Sed Ariſtot, apertiſſimè conceſſit, Mundum ab æterno conditum eſſe, ergo concedere etiam neceſſariò tenetur, eundem à Deo, naturæ neceſſitate, pendere.

Tertia concluſio.

Tertia, Si diligenter ſpectemus, non ea, quæ Ariſtot. expreſſe docuit, nec ea, quæ ex ipſius principijs manifeſtè deducuntur; ſed nonnulla tantùm, quæ ipſe veritate coactus, negare non potuit, & quæ ab eodem fortaſſe inuito, ne dicam imprudente, multis tamen obſcuritatibus, & ambiguitatibus implicata, exierunt, dicere debemus, Ariſtot, cogi concedere, Deum liberè, arbitratuque ſuo extrinſecus operari. Hæc concluſio, alioquin paulò durior, euidentiſſimas habet probationes.

Pondera diligenter hæc Ariſt. loca.

Etenim Ariſtot, 12. Metaphyſ. text. 16. apertiſſimis verbis confeſſus eſt, humanam animam non priùs in lucem emergere, quàm ipſe homo conſiſtat; ſed ſimul eſſe cum proprio compoſito, cuius eſt forma: quod etiam de omnibus formis, quæ compoſita perficiunt, intelligi voluit; idque ad differentiam formarum mouentium, quæ res, ſuorum orbium conuerſionibus editas, æternitate præcedunt: expreſſè tamen Ariſtot. de rationali anima mentionem facit, vt text. 17. videre licet. Rurſus lib. 2. de ortu animalium, cap. 3, apertiſſimè docet, rationalem animam non oriri de poteſtate materiæ; ſed extrinſecùs accedere, atque diuinitus procreari. Duo igitur in hiſce locis Ariſtot. fatetur. Primum, rationalem animam, à Deo proximè editam eſſe. Deinde, ſingulam vniuſcuiuſque hominis animam non ab æterno, ſed in tempore ab eodem conditam fuiſſe.

Arg. efficax pro tertia concluſione.

His ita conſtitutis, ſic argumentor; præcipua cauſa, cur Ariſtot. arbitratus eſt, Deum agere neceſſitate naturæ, ea fuit, quia, ſi qua noua operatio ab ipſo emanaret, iam mutationem aliquam neceſſariò ſubiret. Quæro nunc ex Ariſt. noua animarum procreatio, dicat ne mutationem in Deo, an non? Si dicit; non rectè igitur Deo illam aſcripſit. Sin minus, & tamen noua eſt: ergo Deus non agit neceſſitate naturæ. Probo conſequentiã: cùm.n. animarum procreatio ab ipſo proximè pẽdeat: dubio procul ab æterno illa fuiſſet, ſi Deus ageret neceſſitate naturæ: fit autem continuò in tempore; ergo ſignum eſt, Deum extrinſecùs agere quando vult, nec vlla ad agendum neceſſitate compelli.

Reſponſio.

Dicet fortaſſe aliquis, Deum non niſi occaſione corporis, debitè iam affecti, requiſitiſque inſtrumentis inſtructi, animas procreare, ac proinde vel neceſſariò agere, vel ſaltem, dum agit, non mutari.

Confutatio.

Contrà, nam ſi ad nouam operationem eſt neceſſaria mutatio, vt Ariſtot. tuetur, etiamſi noua occaſione oblata, operatio fiat: adhuc tamen ea ipſa cum mutatione fiet: noua enim oblata occaſio, efficere non poteſt, quin id, quod agit, è non agente agens fiat. Quòd ſi dicas, nouam operationem ſine mutatione à Deo fieri, quia ab æterno occaſionem præuidens, ita conſtituit, & eodem modo ſe habens, ſtatuto tempore exequitur; idẽ profectò de motu Cæli, & de Mundi procreatione intelligere Ariſ. debuiſſet: nã ſine vlla externa occaſione, æterna ſua ſapiẽtia, & voluntate decernere potuit id, quod ſtatuto tẽpore abſque mutatione facturus erat.

Reſponſio.

Audire mihi videor Peripateticum reſpondentem, Deum, in animarum procreationẽ, eodem modo ſemper ſe habere: quòd ſi non ſemper animas procreet; hoc ideò eſſe, quia non ſemper adſunt corpora, ad ipſas recipiẽdas præparata: quemadmodum Sol ſuo lumine, & calore, ſemper eod modo ſe habet; ſi tamen ſemper exempli gratia, non liquefaciat, aut non cogat, hoc ideò eſt, quia non ſemper adeſt cera; aut lutum.

Confutatio.

Sed futilis eſt hæc reſponſio, & aduerſatur eis, quæ iam ſuperiùs, ex communi Philoſophorum conſenſione poſita ſunt: Deum videlicet non agere neceſſitate naturæ, eo modo, quo ignis neceſſitate naturæ calefacit; ſed ita agere, vt intellectus, & voluntaris operationes non excludantur. Quicquid igitur ab æterno cognouit, bonum eſſe, illud ab æterno voluit; repugnaret enim ſuæ bonitati, illud noluiſſe: & hoc eſt, ſecũdum grauiores Philoſophos, agere neceſſitate naturæ. Tunc ita argumentor: aut Deus ab æterno voluit animam exempli gratia. Petri procreare, aut ſtatuto tempore: ſi ſtatuto tempore, tunc ſcilicet quando procreauit: ergo, dum illam procreauit, mutatus eſt: quia operatio noua fuit, &, ex Ariſtotelis decreto, noua operatio mutationem infert: Si ab æterno: cur igitur, ſi agit neceſſitate naturæ, illam ab

æterno non procreauit? Reſpondebit aliquis, Deum ab æterno Petri animam procreare voluiſse, tamen quia ſciuit, illam futuram eſse corporis formam, ideo, eodem antiquo voluntatis actu, illam eo tempore procreare decreuit, quo corpus Petri ad eam recipiendam paratum eſset. Sed contrà, quemadmodum enim in cuius poteſtate eſt agere, & non agere, in eiuſdem poteſtate eſt modus agendi: ita viciſſim in cuius poteſtate eſt modus agendi, in eiuſdem poteſtate eſt agere, & non agere. Probo hoc aſsumptum; quia ſi in poteſtate mea eſt cras, vel perendie ire Venetias: in mea ẽt poteſtate eſt ire vel nõ ire: nã hodie poſsũ ire, & nõ ire, cras potero ire, & non ire, & ita de alijs diebus in infinitum dicendum erit; ſi cras potero ire, & non ire: ergo ſimpliciter, & abſolutè potero Venetias ire, & non ire. Nunc ad rem noſtram, Deus vult animam Petri eo tempore procreare; quo corpus eius ad ipſam recipiendam paratum eſt: ergo illam procreare, & non procreare poteſt. Probo conſequentiam: ſi enim Deus, naturæ neceſſitate ad illam animam procreandam compelleretur, cùm ab æterno voluntatis actum elicuerit, quo ipſam procreare determinauit: eam certè ab æterno neceſſariò procreaſset: Si verò ab æterno, voluntatis actum elicuit, & illius efficacitatem vſque ad ſtatutum tempus producere potuit; ergo potuit vſque in longius tempus: & potuit etiam ante illud tempus; atque adeo ſimpliciter, & abſolutè procreare illam animam, & non procreare potuit. Nec eſt, quod dicat aliquis, occaſione corporis, iam conſtructi, diuinæ voluntatis actum efficacem reddi: quia impium, & contra diuinam eminentiam eſset, dicere, Deum ab æterno aliquid proximè, & abſque alterius cauſæ interuentu, procreare voluiſse; & illud tamen, alicuius occaſionis defectu, procreare non potuiſse; ac ſi Deus, vi à rebus externis, ad operandum traheretur. Hęc puto ad probandam, & explicandam tertiam concluſionem ſatis eſse debere. Quemadmodum igitur Ariſt. humani animi immortalitatem apertiſſimè cognouit: atque rurſus veram rerum creationem ſubodoratus eſt, vt alibi patefecimus: ita ex ijs locis, quæ paulò antè notauimus, facilè elici poteſt, eidẽ quoque liberam primi motoris actionem ſuboluiſse: de qua tamen, quemadmodum etiam de cæteris rebus, quas ſuæ Philoſophiæ principijs tueri non potuit, parcè admodum, atque reſtrictè ſemper locutus eſt.

*Margin notes:* Confutatio. — Occupatio. — Totius diſputationis concluſio.

DE

# IN QVONAM GENERE CAVSAE, ea, quæ Ariſt. æterna poſuit, à Deo pendeant.

## Diſputatio Septima.

*Apparatus ad Diſputationem.* *Caput Primum.*

QVicunque, huius mundi pulchritudinem, eiuſque diligentem, atque incredibilem fabricam contemplantur, admirantur communiter illi quidē omnia; ſed illud præ cæteris verſare animo nūquam deſinūt, quonam pacto ex quatuor illis rerum initijs, terra, aqua, aere, & igne, varia inter ſe proportione compactis, tam multa rerum genera orta, procreataque fuerint.

Ordinata cōtemplatio rerum naturalium.

Saxa vident, atque metalla, ſenſus omnis, & motus pariter expertia, infimumque naturæ gradum obtinentia.

Saxa, atque metalla.

Stirpes, & arbores circunſpiciunt, terræ quidem immobiles inhærentes; at naturalem vitam viuentes, atque ex eadem terra, familiarem ſibi ſuccum elicientes.

Stirpes, & arbores.

Beſtiarum inſuper diſparia genera vndique cernunt, aut cicurum, aut ferarum, aut in terra degentium, aut in aere volitantium, aut in aqua natantium, aut etiam ad ſaxa natiuis teſtis inhærentium, quibus natura ſenſum, & appetitum ingenuit.

Beſtiæ diuerſi generis.

Hominem intuentur, ratione præditum, in quo fingendo ſuos omnes natura conatus adhibuit; eſt enim vniuerſi compendium, quinta rerum omnium eſſentia, & quaſi Deum dixeris, in terris habitantem.

Homo.

Cælum ſuſpiciunt, tot orbibus diſtinctum, tot ſideribus exornatum, tamque varijs reuolutionibus circunductum.

Cœlum.

Eiuſque ſubſtantiam ingenij ſubtilitate percurrentes, ad puriſſimas illas, ſimpliciſſimaſque mentes contemplandas extollūtur, quæ nulla materię labe coinquinatæ ſunt, nihil illis ſubijcitur, quod ceu ſpecies perficiant; ſed perpetuis intellectionibus, motionibuſque deſtinatæ, cęleſtibus orbibus præſtò ſunt.

Intelligētię.

Nondum autem abſoluta contemplatio eſt; cùm enim motrices iſtæ ſubſtantiæ, quæ ab eorum præcipuo munere, intelligentiæ nuncupantur, parem omninò vim, & facultatem obtineant, qua ſuis quæque orbibus perennem motum impertiantur; conſentaneum exiſtimarunt, aliam adhuc ſuperiorem mentem, & illam quidem vnicam exiſtere, quæ vim omnem mouendi, immò etiam perfectionem quancunque inferioribus detulerit; & à qua quicquid boni in vniuerſo conſpicitur, ſiue proximè, ſiue alterius interiectu, defluxerit.

Supremę mētis īdagatio.

Mentem hanc ſupremam, quòd prima omninò ſit, nec ab vllo pendeat; ſed ipſa per ſe neceſſaria, æterna, & infinita dicatur, tanquam quid optimum, ac perfectiſſimum conceperunt; vt neque maius quicquam, neque perfectius excogitari poſſit. Et propterea id ipſum, quod eſt, eam eſſe dixerunt, ac inſuper primum motorem, æternam cauſam, primum principium; vltimum finem, & ad ſummam Deum ipſum, cuius nutu, atque conſilio, vniuerſa hæc Mundi machina gubernatur.

Mētis ſupremæ excellentia, variaque eiuſdem attributa.

In hoc Mundi Rectore, optimoque principe, omnis tandem eorum contemplatio terminatur; quæ cùm altius aſcendere nequeat, inde ſtatim reflexa, ad rerum rurſum vniuerſitatem redit, atque in maximam dubitationē incidit. Cùm enim tantum apparatum in fortunæ temeritatem referre non omnes auderent; dubitare cæperunt, cuinam ille, aut à quo tādem opifice factus ſit? Effecerit ne illum aliquando Deus, qui, ceu artifex aliquis, delectationem ab opere ceperit? An, eodem intra ſe ipſum manente, nec aliud quippiam extra ſe cogitante, ornatus iſte, quaſi radius quidam perfectionis, & bonitatis eius ſemper extiterit; vt omnia nimirum, varijs muneribus deſtinata, eum ipſum tantummodò, tanquam finē reſpiciāt, ſuaſque omnes in illum actiones conferant?

Diſputatiōis introductio.

Difficultatem hanc ij omnes quàm facillimè expedient, quibus lumen aliquod veritatis affulſit: qui pro comperto quidem habēt, ab ſummo Deo, tanquam ab effectrice cauſa, cęlum, & terram, atque adeò Vniuerſum ipſum vſquequaque pendere.

Veritas Catholicę fidei.

Qui verò ſupero lumine deſtituti ſunt, veluti in tenebris ambulantes, huc, illuc commeant, nec facilem ad veritatem aditum diſpiciunt. Id multis quidem Philoſophis, ſed Ariſt. potiſſimùm accidiſſe, probabile eſt; qui ſuam illam de Mundi æternitate opinionē conſeruans, adeò variè de re propoſita locutus eſt, vt quid re vera ſenſerit, nondum planè ab eius interpretibus ſit definitum. Nonnulli enim Deo efficiendi vim, Alij abſque vlla efficientia,

Difficultas maxima de re propoſita in doctrina Ariſto.

finis

finis tantummodò rationem, ex Ariſt. ſnīa tribuerunt. Quam quidem controuerſiam, tanquam in Philoſophia primariam, pro viribus nos quoque dirimere, operępretium duximus. Eo tū ordine, vt priùs nonnullis, quæ ad faciliorem diſputationis intelligentiam neceſſaria ſunt, breuiter explicatis, potiores vtriuſq; ſnīæ rationes audiant. Mox probabilior ſnīa aperiatur, atque ab obiectionibus vindicetur. Demùm, ſi quid in Ariſt. repertum fuerit, quod fidei noſtrę Catholicæ aduerſetur, id omne, tanquam à veritate alienum penitus explodatur.

Ordo in diſputatione ſeruandus.

### *Scitu quædam neceſſaria, ante diſputationis examen.* *Cap. II.*

Obſeruatio prima.

FAcilior erit vnicuique diſputatio hęc, ſi priùs nonnulla explicauerimus, quæ homonymiam omnem amoueant, & idipſum quod quærimus, dilucidè patefaciant. Obſeruandum igitur primò eſt, verbum hoc facere, vel efficere, duobus modis vſurpari ſolere. Vno modo cōiter, & in lata quadam ſignificatione; tuncque omnibus cauſarum generibus optimè congruit. Nam materia efficere dr̄, cùm in rebus inconſtantiam parit: efficit enim, vt res eſſe, atque non eſſe poſſint. Forma quoq; efficit, cùm vnumquodque conſtituat, & rebus omnib. actum impertiatur. Priuationi conuenit facere, quàtenus maleficiū machinatur. Sed & finis tunc efficit, cùm ad aliquid agendum efficiens allicit, atque mouet. Non eſt qui dubitet, an id genus efficientiæ Deo competat: norunt enim omnes, neq; Deum eſſe materiā, ex qua aliquid fiat: neque formam, quæ aliquid conſtituat: neque priuationem, quæ maleficium machinetur: norunt pariter, eſſe finem, ad quèm omnia tendunt. Altero modo verbum facere accipitur preſſius, quatenus efficienti tantummodò competit, à tribus alijs cauſarum generib. ſeparato: tunc enim aliquid verè, & propriè facere, eſt illud de poteſtate ad actum, & energiam deducere: & hoc modo in dubium vocatur, àn Deo competat efficiēdi vis, qua res, quę natura ſua non ſunt, verè effecerit, atque in lucem protulerit. Obſeruandum ſecundò eſt, efficientiam propriè dictam triplicem effectionem recipere poſſe; nimirum effectionē cum mutatione, cuiuſmodi ſunt effectiones omnes, quas in hoc inferiore Mundo contingere cernimus: creationem, quæ eſt effectio alicuius ex nihilo: & ſimplicem emanationē, cuiuſmodi eſt origo luminis à Sole. De creatione non erit hic ſermo: diſputatio enim inter Philoſophos eſt, qui, aliquid ex nihilo fieri poſſe, apertiſſimè negarunt. Diſputabimus ergo de duobus alijs effectionum generibus: & illud præcipuè diſquiremus, an ea, quæ dr̄ ſimplex emanatio, vera effectio, & medium quiddam inter creationem, & effectionē cum mutatione, nuncupari poſſit. Obſeruandum eſt tertiò, totam vniuerſi molem res duplicis generis continere. Aliæ enim generationi, & interitui obnoxiæ ſunt, vt ſublunaria cuncta, ex elemētis concreta. Alię verò, quæ generationis, & interitus ſunt expertes; & huiuſmodi ſunt materia prima, cæleſtia corpora, & motrices mētes, cęleſtibus orbibus aſſiſtentes. His addi poſſent elemēta, ſecundū totam eorum ſubſtantiam conſiderata: ſed omittuntur, quia in eorum partibus continuam habēt generationem, & diſſolutionem, & eam ſemper habuerunt; dicunturq; æterna, hoc eſt eadem ſemper manere, tantummodò per æquiualentiam. Difficultas igitur non eſt, an res, quæ in dies generantur, & intereunt, à Deo, vt ab efficiēte cauſa proficiſcantur: conſtat enim, alias eſſe cauſas naturales, aut proximas, aut remotas, à quibus oriuntur. Nam multa à Cælò fiunt tanquam ab agente vniuerſali; aliqua à particularibus agentibus, vt planta fit à planta, bos à boue, homo ab homine, & eodem modo de alijs. Sed dubium præcipuum eſt, an res illæ, quas Ariſt. ęternas, & neceſſarias eſſe, exiſtimauit, à Deo, tanquam à cauſa verè efficiente, originem ducant: hęc enim eſt illa quæſtio, in qua tùm veteres, tùm recētiores Philoſophi ſua ingenia mirum in modum exercuerunt. Addunt nonnulli hanc aliam quæſtionem; ſit ne Deus efficiens quoque cauſa motus primi cęli: an motus ille ab inferiore aliqua intelligentia proximè oriatur? Quam quidem difficultatem nos alia diſputatione aperiemus.

Obſeruatio ſecunda.

Obſeruatio tertia.

### *Opinio ſtatuentium, æterna, apud Ariſtot. habere cauſam efficientem.* *Cap. III.*

CVm iam ſatis pateat, quidnam illud ſit, de quo præcipuè diſputaturi ſumus; age nunc diſputationem incipiamus: primòq; eorum opinionem recēſeamus, qui, de Ariſt. ſnīa ſtatuerunt, ea, quæ ipſemet æterna exiſtimauit, à Deo, vt ab efficiēte cauſa, proficiſci. Huius opinionis autor, ac defenſor præcipuus fuit Angelicus Doctor 1. par. ſummæ quæſt. 44. art. 1. & lib. 2. contra gētiles cap. 15. quem Thomiſtæ omnes ſecuti ſunt: præſertim Iauellus 12.

S. Thomas.

Iauellus.

Meta-

Metaph. q. 28. Paulus Soncinas, eod. lib. q. 16, & alij plures. In eandem ſnĩam deſcendit Doctor ſubtilis, lib. 1. Sent. diſt. 8. q. 5. lib. 2. diſt. 1. q. 3. & potiſſimum in quolibe. q. 7. prope finẽ. Ex recentioribus verò Philoſophis Marcus Antonius Zimara in Tab. & in Theorem. quotieſcunq; hac de re locutus eſt; & Cardinalis Toletus 8. Phyſ. q. 6. eidem opinioni firmiſſimè ſubſcripſerunt. In qua tñ nonnihil diſſidij reperitur; putauit enim S. Thomas, eam ſolius Ariſtot. nõ etiam Auerrois ſnĩam extitiſſe; quippe qui lib. 12. Metaph. com. 41. & 8. Phyſ. com. 22. Cælum ab alio non pendere contra Alexandrum apertiſſimè docuerit. Libro verò de ſubſtantia orbis oppoſitum defenderit; vbi fatetur, tametſi Cælum perpetuum ſit; Deum nihilominus, & quo ad eius motum, & quo ad eius ſubſtantiam, illius cauſam cẽſeri. Sunt alij, qui defendunt, cæleſtia quidem corpora, quæ in doctrina Ariſt. æterna ſunt, efficientem cauſam habere; Intelligentias verò non item. Verùm ne huiuſmodi quæſtio tot capita habeat, priorẽ hanc ſnĩam, vt vnicam tantùm proferemus; quæ erit: æterna omnia quæcunq; tandẽ illa ſint, ex Ariſt. ſnĩa efficientem cauſam habere. Quicquid Auerr. ſenſerit, nihil modò curabimus: non enim de Auerro. ſed de Ariſt. ſnĩa diſputaturi ſumus. Iam verò multas affert Cardinal. Toletus rationes, & autoritates, ex libris Rethoricorum, ex Moralibus, & ex alijs popularibus libris erutas: multæ pariter afferuntur ab alijs, quibus ſuadere conantur, ea, quæ Ariſt. æterna poſuit, veram, & propriè dictam cauſam efficientem habere. Nos autem, multis prætermiſſis, rationes tantùm præcipuas, ex dogmaticis libris ſumptas, proponemus. Primam igitur accipiunt ex 2. Metaph. tex. 4. vbi ſcribit Ariſt. neceſſe eſſe, vt æternarum rerum principia ſemper veriſſima ſint; rationemq; reddit, quĩ aliorum veritatis cauſæ dicuntur. Cõceſſit igitur Ariſt. æterna habere cauſam, & illam quidem efficientẽ: cùm principij ratio efficienti cauſæ potiſſimum tribuatur. Secundam eliciunt ex 8. Phyſ. tex. 15. vbi Ariſt. Democritum reprehendit, qui dicebat, quaſdam res propterea quòd æternæ ſunt, idcirco cauſam nullam habere: Democritum aũt Ariſt. non reprehendiſſet, niſi, ęterna cauſam habere poſſe, cenſuiſſet. Tertiam ſumunt ex 5. Metaph. tex. 6. vbi docet Ariſt. nihil prohibere, quominus neceſſariorum quorundam alteræ cauſæ ſint: concedit igitur, quædam neceſſaria habere cauſam ſuæ neceſſitatis: ſed quæcunq; ſunt neceſſaria, ſunt ẽt æterna: ergo idem quoq; ſtatuit, æterna habere cauſam ſuæ æternitatis. Quartam afferunt ex eod. 2. Metaphyſ. tex. 4. nuper citato, vbi monet Ariſt. id, quod eſt primum, & maximum in vnoquoq; genere, illud idem eſſe cauſam omnium, quæ in illo genere continẽtur: Sed Deus eſt primum ens, & maximum ens, immò ẽt veriſſimum ens, vt patet 12. Metaph. tex. 37. ergo Deus eſt cauſa efficiẽs omnium, quæ continentur in ente: Sed in ente continẽtur etiam res æternæ; ergo Deus eſt cauſa efficiens rerum ęternarum. Quintam eruunt ex 12. Metaph. tex. 52. vbi ait Ariſt. Deũ eſſe cauſam ordinis vniuerſi: hinc huiuſcemodi conſecutionem deducunt; ergo Deus eſt cauſa efficiens vniuerſi, atq; eorum omnium, quæ vniuerſum ipſum complectitur. Quæ conſecutio à nonnullis ita probatur. Quicquid eſt cauſa alicuius affectionis, eſt ẽt cauſa ſubiecti eiuſdem affectionis: Sed ordo eſt quædam affectio vniuerſi; ergo, cùm Deus ſit cauſa effectrix ordinis vniuerſi, erit etiam cauſa effectrix eorum omnium, quæ in vniuerſo continẽtur. Ab alijs verò eadem conſecutio ſic probatur. Cùm res omnes ſecundum naturam ordinatæ ſint; (non enim ordo illis accidentalis, & extrarius; ſed intimus, atq; eſſentialis eſt) niſi Deus naturas ipſas efficeret, nunquam profectò ordinem in illis efficeret; concipi enim non poteſt, quomodo Deus ordinem in naturis abſq; naturis efficiat. Veriſſima igitur eſt huiuſmodi cõſecutio: Deus eſt cauſa ordinis vniuerſi; ergo eſt cauſa efficiens ipſius vniuerſi.

*Pau. Soncin. — Scotus. — Zimara. — Card. Tolet. — Diſſidium in hac opinio. — Prima ratio. — Secunda. — Tertia. — Quarta. — Quinta.*

## *Opinio [illegible] æterna ſecundum Ariſt. non habere cauſam efficientem.* Cap. IV.

Oppoſitam ſnĩam tuentur duo grauiſſimi, & ſubtiliſſimi viri, atq; in Peripatetica Philoſophia maximè exercitati, nimirum Gregorius Ariminenſis, & Ioannes Bacconus, vterq; lib. 2. Snĩarum; d. 1. q. 1. Qui duobus præcipuis fundamentis innixi, quę à nullo certè Peripatetico negari poſſunt, arbitrati ſunt, in doctrina Ariſt. nullo pacto defendi poſſe, ea, quæ æterna ſunt à Deo, vt ab efficiente cauſa proficiſci. Alterum fundamẽtum eſt, ex nihilo nihil fieri, Hoc iecit Ariſt. lib. 1. de Phyſico auditu, tex. 33. & vbiq; in ſua Philoſophia frequẽter repetit, atq; ab omnibus cuiuſuis generis Philoſophis adeò receptum eſt, vt de illo nulla prorſus dubitatio contingat. Alterum eſt, motum cęli nunquam incepiſſe. Hoc ſatis

*Greg. Arim. & Io. Bacconus hanc ſententiam tuẽt duobus fundamentis innixi. — Fundamentũ primum. — Fundamentum alterum*

patet

patet in poſtrema parte 8.libri Phyſ.eſtque in doctrina Ariſt.apertiſſimum, vt probatione
non egeat. Quinimmò ex eodem fundamento elicuit, motum, abſolutè ſpectatum, æternum
eſse; quod probauit initio eiuſdem libri: immò etiam æternum eſſe vniuerſum; quod proba-
uit lib.1.de Cęlo. His itaque duobus fundamentis tanquam firmiſſimis in eius doctrina ma
**Materia prima ſecundum Ariſto. nõ eſt facta.** nentibus, iam clarè conſtat, ea, quæ æterna ſunt, puta materiam primam, Cęlum, & intelli-
gentias, efficientem cauſam habere non poſſe. De materia patet: ſi enim ab aliquo facta eſ-
ſet, tunc neceſſariò ex aliquo facta eſſet, ſtante primo fundamento; & illud rurſum aut æter-
num eſſet, aut aliquando factum: ſi factum; ergo ex aliquo alio, quod materiæ rationem ha
beret, atque ita in materiebus abitio eſſet in infinitum. Vel igitur dicẽdum eſt, materiam ex
**Cęlũ non habet cauſam efficientem à qua pendeat.** nihilo factam eſſe, quod nullus Philoſophus admitteret: vel, eandem nunquam factam eſſe,
quæ fuit Ariſt.opinio. De cęlo etiam facilè probatur: cęlum nanque ſecũdum Ariſt. ſimpli-
ciſſimum corpus eſt: non enim conſtat ex materia, & informãte forma, ſicut ſublunaria cor-
pora; ſed ex orbe, & intelligentia aſſiſtente: nec aliam habet materiam, niſi loco mobilem,
quam Scholæ appellant materiam ad vbi, vt docet 8.li. Metaph.tex.12. Si igitur cęlum nul
lam habet materiam, ex qua factum ſit, neceſse eſt dicere, aut ipſum ex nihilo factum eſse,
**Intelligẽtiæ quoq; carẽt cauſa efficiente.** quod eſt contra Ariſt. aut nunquam factum eſse, quod fuit eius decretum. De Intelligentijs
id ipſum eadem ratione oſtenditur: quoniam Intelligẽtiæ ſimpliciſſimæ ſunt; appellantur
enim ſubſtantiæ abſtractę, quia à motu, & à materia ſenſibili penitus abiunctę ſunt, vt totus
docet 12.Metaph.liber: quare ipſæ quoque aut ex nihilo factæ ſunt: aut nullã prorſus habẽt
**Prima ratio pro ſentẽtia.** efficientem cauſam, à qua profectæ ſint. Sed, ad hanc ſententiam validiùs cõfirmãdam, tres
præcipuè rationes communiter adducuntur. Quarum prima ea eſt; nulla res per ſe, &, natura
ſua, neceſsaria, habet efficientem cauſam, à qua pendeat: ſed intelligẽtię ſunt res per ſe, &, na
tura ſua, neceſsariæ, vt docet Ariſt.9.Metaph.tex.21.& 22.& lib.12. eiuſdẽ operis, tex.41.
ergo intelligentiæ non habent cauſam efficientẽ, à qua pẽdeant. Maior propoſitio perſpicua
**Secunda rõ.** eſt: Quod.n.ab alio effectum eſt, iam natura ſua poteſt non eſse: ſi aũt poteſt nõ eſse, non eſt
ens neceſsarium. Secunda, nullum æternum poteſt eſse genitum, atque adeò nullum æternũ
habet cauſam efficientem, à qua genitum, vel quocunque modo effectum ſit, vt patet 1.de cę
**Tertia ratio.** lo tex.104. Sed materia prima, cęlum, & intelligentiæ ſunt entia æterna; ergo nec genita, nec
vllo modo ab efficiente aliqua cauſa edita eſſe poſſunt. Tertia, cauſa efficiens ex 2.Phyſ.at-
que etiam ex 5.& 9.Metaph. ea dicitur, quæ eſt principium, vnde oritur motus: nulla enim
actio eſt, quæ ſine mutatione fiat, vt habetur 1.de Generatione, tex.45. Sed quæcunq; æter
na ſunt, per motum edita eſse non poſsunt; alioquin non eſsent æterna; ergo quæcunque æ-
terna ſunt, nullam habent cauſam agentem, vel efficientem, à qua pendeant.

## *Explicatur modus, quo cælum, & intelligentia à Deo pendent, vt à cauſa finali.* Cap. V.

PRobatum eſt hactenus ſatis commodè, ea, quæ æterna ſunt, efficientem cauſam hr̃e non
poſſe. Nunc proximè oſtendendum eſſet, eadem à Deo, vt à finali cauſa pendere. Verùm
quoniam hac de re nulla prorſus inter Doctores controuerſia eſt, cùm omnes id ipſum rotũ
do ore fateantur; ideo non eſt, cur, ad id probandum, rationes multas afferamus: ſed ſatis erit,
ſi modum explicauerimus, quo Deus finis omnium eſſe dicatur. Modum hũnc perbellè qui-
**Bacconi exẽplum ad rẽ propoſitã aperiendam.** dem, ſed tamen, vt opinor, Platonicè potius, quàm Peripateticè tradidit Ioannes Bacconus,
loco ſupra citato, art.2. Ponamus, inquit, aliquẽ à ſemetipſo intelligi, vt ipſemet ſit princeps:
tũc, ſi prĩceps eſt, neceſſe eſt, vt & ciuitates habeat, & ciues, quib. dñetur. Quòd aũt oporteat,
ciues, & ciuitates effici; id oritur ex imperfectione eius actus intelligendi: nam ſi actus ille per
fectus omninò eſſet; tunc eum ipſum, per quandam conſecutionem, ea omnia neceſſariò con
ſequerentur, quæ ad ſuum finem neceſſaria ſunt, videlicet ciuitates, & ciues: idque omni effi-
cientia remota. Hoc enim proculdubio maiorem intelligentis perfectionẽ indicaret (vt.ſ.ea
omnia eius intellectionem neceſſariò conſequantur) quàm ſi priùs intelligens ſe ipſum intel
ligat: poſtea verò ea efficiantur, quæ ad ipſum, vt ad finem, dirigi debent. Sicut maioris per-
**Applicatio.** fectionis eſſet, ſi virtutes à natura nobis ineſſent, quàm ſi eædem laboribus, & vigilijs ſint pa-
randæ. Nunc autem in re noſtra; Deus optimus maximus princeps vnus eſt, quo entia om-
nia benè diſponuntur, vt ait Ariſt.12.Metaph. in extremo. Hic autẽ princeps ſe ipſum opti-
mè intelligit, & eo ipſo, quòd intelligit, ſe vnum principem eſſe, ob maximam eius actus intel

ligendi perfectionem, per quandam conſecutionem, &, vt aiunt, concomitantiam, Intelligentiæ, cæleſtia corpora, & ſummatim æterna omnia, neceſſariò oriuntur, ac veluti diuinæ bonitatis radij, vbiq; refulgent; ipſumq; Deum, vt finem præcipuum ſuarum operationum, reſpiciunt. Hic porrò nulla efficientia ſtatuitur, qua æterna hæc entia edita ſint: ſed poſita tãtùm diuina intellectione, & illa quidẽ perfectiſſima, ea ſtatim emergunt, & ad Deũ, vt ad finalẽ cãm, diriguntur. Viſa eſt etiam hæc ſñia Medicorum principi, Auicennę, 9. Metaphy. cap. 4. ſuboluiſſe: quanuis poſtea, in ea aperienda; Theologis potiùs noſtris, quàm Ariſt. conſenſerit. Ait enim, nos ad aſſequẽdum illud, quod appetimus, & cogitatione fingimus, motu, & voluntate indigere, vt illud nimirum edamus; neq; enim ſola cogitatio pictori ſatis eſt, ad picturam efficiendam, neque ędificatori, ad domum conſtruendam; ſed opus eſt præterea, vt voluntas exècutrici facultati imperet, vt in actum erumpat, ac deinceps ad opus artifex exeat. Ens autem primum, quod eſt Deus, his opus non habet: ſed eo ipſo, quòd ſe cauſam eſſe intelligit, ſtatim effectus neceſſariò adeſt. Porrò in hoc diſtat Auicẽnę ſñia ab ea, quam Bacconus putauit, Ariſt. & Auerr. itidem extitiſſe: nam Auicenna poſuit, Deum, ſuo intelligendi actu, res efficere, eo modo, quo Theologi ſtatuunt, Deum extrinſecùs, vt efficiẽtem cauſam, per actum Intellectus, atq; præcipue voluntatis res omnes procreare. Ariſt. autem, & Auer. expoſitore Baccone, exiſtimarunt, res ęternas, abſq; vlla efficientia perfectiſſimum actum diuini Intellectus, per quandam comitantiam neceſſariò conſequi, vt explicatum eſt antè.

Auicẽnæ ſententia.

Quo differat Auicẽnæ ſententia ab ea, quam Ariſt. & Auer. Bacconus attribuit.

Verùm, vti dicebam, Platonica hæc potius, quã Peripatetica mihi videntur: non enim Ariſtot. qui rerum omnium, quas docuit, rationem reddere ſolitus eſt, ita facilè pronunciaſſet, ab eo intelligendi actu, quo Deus ſemetipſum intelligit, materiam primam, cęleſtia corpora, atque motrices intelligentias pẽdere, quaſi hęc non exiſterent, niſi Deus ſemetipſum intelligeret: quænam enim huius rei ratio afferri poteſt? Sat igitur Ariſt. fuit, hęc ipſa æterna, & neceſſaria eſſe, & à nullo, vt ab efficiente cauſa proficiſci; Deum tamen, vt perfectiſſimum ens reſpicere, in cuius gratiam operantur; huncque eſſe modum, quo æterna à Deo pẽdent, vt à cauſa finali.

Bacconi explicatio reijcitur, & oſtẽditur modus, quo æterna ſecundũ Ariſto. à Deo pẽdeant, vt à cã finali.

*Decernitur, vtra prædictarum opinionum magis Ariſt. conſentiat.* *Cap. VI.*

DVas de difficultate propoſita ſñias diuerſas recenſuimus: alteram, quæ ſtatuit, æterna à Deo, vt ab efficiente cauſa proficiſci: alteram, quæ tuetur, nullam dari æternarum rerum efficientem cauſam, ſed tantummodò finalem. Nunc aũt decernendum videtur, vtra earum magis Ariſtotelica ſit. Quod quidem tametſi in tanta argumentorum, & Ariſt. autoritatum diuerſitate, difficillimum ſit, conabimur tñ, rem ita agere, vt vera, atq; germana Ariſt. ſñia ex ipſiuſmet principijs elicita videatur. Itaque cùm rationibus, tùm autoritatibus, pro vtraq; parte propoſitis, diligenter expenſis, in eam ſñiam veni, vt crediderim, opinionem illam, quæ ſtatuit, materiam primam, Cælum, & Intelligentias à Deo tantummodò, vt à finali cauſa pẽdere, vt abſolutè falſam, ita longè magis, quàm oppoſitam, Peripateticam eſſe.

Deciſio quæſtionis.

Etenim duo illa fundamenta, quæ ſuperius ex Ariſt. excerpta ſunt, nimirum illi fauere videtur: atq; illud potiſſimùm ex nihilo nihil fieri. Cùm enim Ariſt. materiam primam æternam eſſe, docuiſſet; non eam profectò ingenitam, ſed ab æterno conditam pronunciaſſet, ſi ea, quę æterna ſunt, effici poſſe, putauiſſet. Sed & firmiſſimum eſt alterum fundamẽtum, nimirum omne efficiens, quòd verè efficiens ſit, nihil, niſi per motum efficere poſſe: nec aliud eſſe efficientis munus, quàm id, quod verè in poteſtate eſt, ad energiæ actum reuocare: quod quidẽ in rebus æternis, quæ re ipſa ſemper fuerunt, locum nullum habere poteſt, vt ſatis commodè explicatum eſt antè. Porrò, aliud genus efficientis cauſæ, vel actiuę potentię, Ariſt. ſtatuiſſe, id ſanè difficulter à Peripateticis admitteretur; cùm de illo genere neq; in 2. lib. Phyſ. neque in 5. neq; in 9. Metaph. vbi totum genus efficientis cauſæ, atq; & actiuæ potentiæ rationem, pleniſſimè explicauit, vllam vnquam mentionem fecerit. Grauiſſimè igitur reprehẽdendus eſſet, ſi illam efficientem cauſam aperuiſſet, qua effectus omnes in rebus hiſce ſublunaribus continenter eduntur: illum verò efficiendi modum, quo Cęlum, & Intelligentię, immò vniuerſum ipſum à Deo pẽdet, penitus neglexiſſet. Sed aliud præterea eſt, quod nos in hanc ſñiam adduxit; quia, ſicut iam alibi probauimus, contradictionem implicare, Mundum ab æterno effici potuiſſe: quod enim æternum eſt, eo ipſo, quòd eſt ęternum, ingenitum, & infectum

Approbãtur fundamenta poſterioris ſententiæ.

Autoris fundamentũ pręcipuum.

dicitur. Neque verò vllum incommodum inde ſequitur: nam dicere ęternum non eſse factũ, quid aliud tandem eſt, niſi aſserere, æternum ęternitate potiri? Qui enim fatetur, ęternũ non habere cauſam, à qua factum ſit: illud ipſum ſemper fuiſse, atque adeo ęternum eſse neceſsariò fatetur. At verò qui putant, id, quod æternum eſt, efficiẽtem cauſam habere, duabus (mea quidẽ ſnĩa) difficultatibus implicantur. Primò, quia explicare tenẽtur id, quod explicari nullo modo poteſt; nimirum, quonam pacto ęternum habeat cauſam efficiẽtem. Deinde, quia cùm in æternis efficientem cauſam admittunt, in dubium vocant id, quod iam tanquam firmum, & ratum poſuerunt; videlicet, ſit ne æternum id, quod habet cauſam efficientem, necne? Putant fortaſse, abſurdum maximum eſse, efficiendi vim, quæ maximam perfectionem indicat, Deo eripere; & in grauius abſurdum, per imprudẽtiam, incidunt, dùm perfectiſſimo enti illud neceſsarium eſse arbitrantur, quo imperfecta quæque entia opus habent. Non enim Deus perfectiſſimus diceretur, niſi in illo priore naturæ ſigno, quo ſe ipſum perfectiſſimum intelligit, cætera quoque exiſterent, quæ illi, tanquam fini, neceſsaria ſunt; ſed opus eſſet, vt ad illa efficienda operam conferret. Hæc autem Philoſophi, ſupero lumine deſtituti, enunciarunt; quia interiores illas Dei operationes non cognouerunt, quibus ipſe nulla prorſus ad res exteriores habita ratione, perfectiſſimus eſt: de quibus quidem operationib. Theologi noſtri cumulatiſſimè diſputarunt.

Quibus tricis inuoluantur alterius ſententiæ autores.

Animaduerſio neceſſaria.

*Fundamenta præcipua defendentium, æterna habere cauſam efficientem.* *Cap. VII.*

Quemadmodum verum eſse abſolutè fatemur, vniuerſum à Deo, non quidem ab æternitate, ſed in tempore, vel cum tempore conditum eſse, vt fides noſtra catholica docet: ita illud veriſſimum arbitramur, Ariſt. naturæ tantùm luminẽ philoſophatum, veritatem hanc minimè percepiſse: immò potius, ſuis principijs innixum, hanc falſitatem protuliſse, Deũ videlicet earum rerum, quas ipſe æternas exiſtimauit, finalem tantùm cauſam exiſtere. Quod cùm ita ſit, diſputatio nunc cum alterius ſententiæ autoribus inſtituenda nobis eſt: eorumq; fundamenta, quibus ipſi ſententiam noſtram oppugnare nituntur, pro viribus euertẽda. Qui igitur defendunt, æterna, ex Ariſt. ſententia, habere cauſam efficientem, hiſce potiſſimũ fundamentis nituntur, quibus etiam ſentẽtię noſtræ rationes facilè ſe ſoluere arbitrati ſunt. Primum fundamentum eſt, effectionem duplicem eſse: alteram particularem, quæ fit ab agente particulari: & hæc neceſsariò motum aliquem exigit: alteram vniuerſalem, quæ fit ab agente primo, & vniuerſali; & hæc nullum motum, nec mutationem depoſuit: ſed ſimplex quędam emanatio eſt, quæ non ponit, efficiens eſse tempore, ſed natura tantùm prius eo, quod efficitur. Vt lumen à Sole fluit, per ſimplicem emanationem; Sol tamen, non tempore, ſed natura tantùm lumen præcedit: & hoc fuit fundamentum S. Tho. Secundum fundamentum fuit Heruei, in tract. de Mundi æternitate; q. 4. qui arbitratus eſt, Ariſt. agnouiſse creationẽ, quæ eſt effectio alicuius ex nihilo. Duplicem tamen creationem aſserit reperiri: alteram, quam vocat cum nouitate eſsendi; & eſt illa, quam ponunt Theologi: hancque aſserit, Ariſt. ignoraſse: alteram ſine nouitate eſsendi; & hanc dicit, Ariſt. conceſſiſse; quia poſuit, Mundum ab omni temporum æternitate ex nihilo factum eſse. Tertium fundamentum poſitum eſt ab Scoto, lib. 2. Senten. diſt. 1. q. 2. eſtq; huiuſmodi. Cùm aliquid de nihilo fieri dicimus, illa particula, De, duplicem ordinem ſignificare poteſt, vel durationis, vel naturæ. Si ordinem ſignificet durationis, ſenſus eſt, aliquid de nihilo ita effici, vt non eſse eius, eſse eiuſdem duratione præcedat. Si verò ſignificet ordinem naturæ, id rurſum duobus modis contingere poteſt. Vno modo poſitiuè, ut vtar eius verbis: alterò, priuatiuè. Poſitiuè, ita, vt non eſse, in aliquo naturæ ſigno, præcedat eſse. Priuatiuè verò, vt non eſse præcederet quidem, niſi ab exteriore agente illud impediretur, quod eſse largitur. Expediet fortaſse rem hanc exemplo aliquo illuſtrare: & appoſitiſſimum erit exẽplum de forma, & priuatione, ad materiam relatis. Quęrere enim quiſpiam poſset, vtrum horum principiorum prius cum materia copuletur? Reſpondet Scotus, priuationem eam eſse, quæ ordine naturę priuatiuè formam in materia pręcedit. Ratio eſt, quia materia, ſecundum ſuam naturam ſpectata, nec eſset cum forma, nec ſine forma: tamẽ, hoc ordine naturæ priuatiuo, prius in materia priuatio ineſset, niſi naturale agens, formam edendo, atque illam in materiam inducendo, principium alterum, hoc eſt priuationem præueniret. Ita in rè noſtra dicit Scotus, ea, quæ Ariſt. ęterna poſuit, ex ſe, & natura

Nota hic veritatem abſolutam, & veritatẽ de eo, quod Ariſt. cenſuit.

Fundamentũ S. Thomæ.

Fundamentũ Heruei.

Fundamentũ Scoti.

Exemplũ aperiens fundamẽtũ Sco.

Applicatio.

tura

tura ſua, nec habere eſse, nec eius oppoſitum, quod eſt non eſse: tamen, ordine naturæ priuatiuo, non eſse eorundem præceſſiſset eſse, niſi illud ab ſummo, ęternoq; agente impeditum fuiſset, quod eſse rebus ęternis largitum eſt. Hic igitur eſt modus creationis, & efficientię, quem Scotus, in doctrina Ariſt. ponendum eſse, putauit. Quartum fundamentum fuit Zimarę: qui pariter diſtinctionem illam de duplici ordine naturę, poſitiuo, & priuatiuo, in medium attulit. Exiſtimauitq; non eſſe eius, quod æternum eſt, priuatiuo naturæ ordine, eiuſdem eſſe pręcedere: ſed tamen in ſenſu ab eo longè diuerſo, quem Scotus arbitratus eſt. Voluit enim Zimara, id, quod ab æterno ex nihilo factum eſt, in omni naturę inſtanti, ens ęternum, & per ſe neceſſarium eſſe; ita tñ, vt ab alio ſuperiore pẽdeat, quo nõ exiſtẽte, nec ipſum pariter exiſtere diceretur. Remoto. n. per intellectum, eo, à quo pendet: illud ipſum, quod pẽdet, primò concipitur, vt non ens: quia verò illud ens, à quo pendet, ſimpliciter neceſſarium eſt; hinc fit, vt illud etiam, quod ab ipſo pendet, ens per ſe neceſſarium ſit, & ſemper exiſtẽs.

Fundamentũ Zimaræ.

## *Duo priora aduerſariorum fundamenta reÿciuntur.* *Caput VIII.*

HÆc porrò fundamenta, quamuis doctiſſimorum virorum ingenijs exculpta, & enucleata ſint: non eam tñ ſoliditatem habent, quin à nobis dirui, quàm facillimè poſſint. Et quod ad primum attinet, illud ſanè voluntarium potius, quàm ex Philoſophia Peripatetica deductum eſt: nuſquam enim Ariſt. de illo vniuerſali agente, quod rem aliquam ſine mutatione efficiat, mentionẽ fecit: nec vllum principium efficiens, aut actiuam potentiam poſuit, quæ motum aliquem non reſpiciat. Iam ante, ex eodem Ariſt. primo de Generatione, tex. 45. monuimus, omne agens, ſeu efficiens eſse neceſsariò mouens: & potentiam actiuam eſse principium tranſmutandi aliud, quatenus aliud, vt ab eodem, lib. 9. Metaph. tex. 13. definita eſt: nullibi ergo apud Ariſt. hoc principium efficiens, vel actiua potentia, ſine mutatione reperitur. Nonnulli ex recentioribus putarunt, actiuam potentiam, ſine mutatione, elici poſse ex eodem 9. Metaph. tex. 1. vbi Ariſt. præter illam potentiam, quæ in rebus ſenſibilibus, atq; mobilibus ineſt, aliam aſserit potentiam in rebus intellectualibus, & immobilibus reperiri: & illam quidem eam eſse, quæ mutationem non agnoſcit. Verùm ſi textum illum diligenter conſiderauerint, Ariſt. inuenient, apertiſſimè pronunciaſse, potentiam illam, quę in rebus intellectualibus ſempiternis, & immobilibus reperitur, minus propriè potentiam appellandam eſse; veram autem, & propriè dictam potentiam eam ſolùm dici, quæ in rebus mobilibus inuenitur: cùm motus, ex 3. Phyſ. tex. 9. ſit actus entis in potentia. Illa igitur potẽtia, quæ eſt in rebus ſempiternis, propterea quòd ſemper cum actu coniuncta eſt, ideo verè, & propriè dictę potentię nomen non meretur. Hinc Ariſt. 3. Phyſ. tex. 32. dicebat, in rebus æternis eſse, & poſse minimè differre, valet. n. hęc conſecutio, ſubſtantia ęterna poteſt eſse; ergo eſt: põt intelligere; ergo intelligit: poteſt mouere; ergo mouet: propterea ſcitè admodum Ariſt. hanc potẽtiam, quæ eſt in rebus ęternis, non explicauit, niſi cùm de actu locutus eſt. Huc accedit, quòd ęterna non habẽt potentiam, niſi ſecundum quid: orbis enim lunę non eſt in potẽtia ad motum ſimpliciter: ſed ad hunc motum, ideſt ad hanc reuolutionem, vel reuolutionis partem. Sed mittamus hęc, validioreq; argumẽto oſtendamus, Ariſto. hanc effectionem, ſine mutatione, non cognouiſse. Etenim 8. Phyſ. oſtendere volens, motum ęternũ eſse, cùm iam poſuiſset, atq; etiam probaſset, motum omnem tàm mouens, quàm mobile precedere neceſsariò debere: quæſiuit ex veteribus Philoſophis, quibus cum diſputabat, poneréntne mouens, & mobile facta eſse, an ęterna? Vbi primùm animaduertere licet, hanc Ariſt. rationem quam demonſtrationem eſse putauit, per locum ab oppoſitis, conſtructam eſse; voluit igitur, factum eſse, & ęternum, membra oppoſita dici: alioquin, ſi quid ab ęterno fieri potuiſset, illa ratio nihil in ſe roboris contineret. Sed pręterea continuans Ariſto. iam inceptam ratiocinationem; ſi ponant, inquit, veteres Philoſophi motorem, & mobile facta eſse: ergo per motum facta erunt, atq; ita ante primum motum dabitur alius motus: quæ cõſecutio locum nullum haberet, niſi vniuerſalis huius propoſitionis veritas vſquequaq; conſtaret: quicquid verè, & propriè fit, per motum neceſsariò fit. Quod verò attinet ad ſimplicem illam emanationem, quam aduerſarij inducunt, vt Ariſt. Theologum faciant: illud profectò commentitium omninò eſt: nam præter ſimplicem emanationem, quę eſt vera effectio alicuius ex nihilo, quam Theologi noſtri veram creationem appellant; nulla alia datur ſim-

Reijcitur fundamẽtum S. Thomæ.

Nonnullorũ recentiorum error.

Explicat̃ locus Ariſt. 9. Metaph. tex. 1.

In ęternis nõ differt eſſe à poſſe.

Efficax argumentũ oſtendens, Ariſto. nõ cognouiſſe effectionẽ ſine mutatione.

Oſtenditur, præter creationem, nullam dari ſimplicẽ emanationem, quæ vera effectio dicenda ſit.

plex emanatio, quæ cauſam verè efficientem deſignet. Etenim lumen à Sole quidē emanat, & ponit, Solem ipſo natura priorem; Sol tamen efficiens cauſa luminis non eſt: nam lumen eſt perfectio Solis; eſt quid intimum Soli; ſimulque exiſtit cum Sole. Sicut etiam candor ſimpliciter emanat à niue, & perſpicuitas ab aqua; tamē nec nix candorem, nec aqua perſpicuitatem efficit; ſunt enim hæc ipſis congenita, vt nimirum illis poſitis, hæc accidentia neceſſariò ipſa conſequantur: quò fit, vt inter ipſa ordo quidem naturę tātummodò reperiatur, qui à nonnullis Scholaſticis dicitur præſuppoſitio huius ab hoc; nulla tamē efficiētiæ ratio. Materia etiam prima in ſeſe continet propēſionem illam vniuerſalem, ad omnes formas recipiēdas, & illa propēſio emanat ſimpliciter à materia; tamen materia nullo modo illam propēſionem efficit; quia ſtatim, vt materia eſt, illa propēſio adeſt: & ſi materia, vt vult Ariſt. eſt ęterna; illa pariter propēſio erit æterna. Nec approbandos illos cēſeo, qui propriam affectionē à ſubiecto in genere efficiētis cauſæ pēdere exiſtimarunt; pēdet enim in genere cauſę materialis, non ex qua, ſed in qua: nam ſubiectum illud eſt, quod ſibi congenitam affectionē in ſeſe recipit. Itaque lumē non efficitur à Sole: ſed in eius ſubſtantia, vt propria perfectio recipitur; ſic candor in ſubſtantia niuis: perſpicuitas in ſubſtantia aquæ: propēſio ad formam, in ſubſtantia materiæ: & vniuersè omnis propria affectio in ſubſtantia ſui ſubiecti. Sed longè etiam à veritate recedit fundamētum Heruei, quo aſseruit, Ariſ. cognouiſse creationem, quę eſt effectio alicuius de nihilo, ſed tamē ſine nouitate eſsēdi. Aliàs ego monſtraui, Ariſ. etiam creationē, quæ eſt cum nouitate eſsēdi ſagacius odoratum fuiſse: tamē quia illam ſuæ Philoſophiæ principijs repugnare cognouit: ideo firmam ſemper, & conſtantē vniuerſalē illam propoſitionem eſse voluit, ex nihilo nihil fit: nec vnquam creationē illam docere, aut aperire in animo habuit: immo neque etiam creationem illam, quæ ſit ſine nouitate eſsēdi, vt putauit Herueus. Hoc autē ex ipſomet Ariſt. oſtēdi facilè poteſt; dùm enim 1. Phyſ. probare nititur, materiam non eſse factam, ſed ingenitam, atque ęternam: (nam apud eum, idē eſt ęternum, & ingenitum: idem eſt factum, & genitum) eo argumēto vtitur: Si materia facta eſset; igitur ex aliquo facta eſset. Iā verò, ſi conceſſiſset effectionem alicuius ex nihilo; ſine nouitate eſsēdi: hæc ratio nullius roboris eſset: aliquis enim, ex eius principijs, reſpondere poſſet, materiam & eſse æternam, & eſſe factam; non tamen de aliquo, ſed de nihilo. Quare ſi Ariſtot. ratio alicuius momēti eſt, nullo pacto dicere poſſumus, eum conceſſiſſe creationem, ſine nouitate eſſendi. Audire mihi videor aliquem dicentem, propoſitam Ariſt. rationem eò tēdere, vt probet, materiam non eſſe factam in tempore; non tamen, vt concludat, materiam abſolutè factam non eſſe; cùm ab æterno ex nihilo facta ſit. Sed leuiſſima eſt hæc reſponſio: non enim ibi Ariſt. diſputandum propoſuit, ſit ne materia ab æterno, an in tempore facta; ſed ſit ne materia abſolutè facta, an potius ingenita, atque æterna. Quare cùm concluſiſſet, eam ingenitam, atque æternam eſſe; docuiſſe viſus eſt, omne ingenitum eſſe æternum, atq; adeo nullum æternum efficientem cauſam habere.

Propria affectio non pendet à ſubiecto in genere cauſæ efficiētis, ſed materialis.

Refellit fundamētū Heruei.

Quære diſp. de Anim. immort. ca. 17. & diſput de lib. pri. mot act. cap. vlt.

Occupatio.

## *Duo poſteriora aduerſariorum fundamenta refutantur.* Cap. IX.

INfirmum quoque eſt, ſatiſque debile fundamentum, à Scoto poſitum, quo ſtatuit, æterna ita efficientem cauſam habere, vt eorum non eſse, priuatiuo quodam naturæ ordine, eorūdem eſse præcedat; cùm illa ex ſe, & natura ſua, nec eſse, nec non eſse habeant: ſed habuiſsent non eſse, niſi illud à primo agente præuētum fuiſset, quod illis eſse largitum eſset. Fundamētum hoc in Peripatetica Philoſophia conſtare nullo modo poteſt: quod enim verè æternum eſt, id, Peripateticis neceſſarium pariter eſt: quod verò neceſſarium eſt, tantum abeſt, vt ex ſe nec eſse, nec non eſse habeat, vt ex ſe potius eſse neceſſariò habeat; alioquin non ens neceſſarium, ſed merè contingens diceretur; quia contingenter ad eſse, & ad non eſse, ſe haberet. Quod etiam exemplo materiæ primæ, ab eodem Scoto poſito, oſtendi facilè poteſt. Materia, inquit, prima, tametſi, ſecundum Philoſophos, ab æterno cum forma coniuncta fuerit; nihilominus, per ſe, & natura ſua, neque eſt cum priuatione, neque cum forma: priuatio tñ, priuatiuo naturæ ordine, formam in materia præcedit; quia, ſibi relicta, priùs in materia fuiſſet, niſi naturale agens illam præueniſset, atque formam in materiam introduxiſset. Hinc vnum elicio, quod negari nulla ratione poteſt, videlicet, materiam forma præditam neceſſariò non eſse; ſed ad ipſam contingenter ſe habere: Ratio eſt in promptu: quoniam, ex ſe, &

Euertitur fūdamētū Sco.

Argumētum ductū ab exēplo Scoti.

natura ſua, formam nõ habet; ſed illam extrinſecùs accipit. Quemadmodum etiam ſi Sol ab æterno aerem illuminaſset, quanuis aer nunquam ſine lumine fuiſset: nihilominus non neceſsariò, & intime illuminatus eſset; ſed contingenter, & extrinſecùs: quia ſecundum ſuã naturam ſpectatus, & ad lumen, & àd luminis carentiam contingẽter ſe habet. Nunc igitur ad rem noſtram: ſi materia prima, cęlum, & Intelligẽtiæ natura ſua non habent eſse; ergo non ſunt entia per ſe neceſsaria, neque æterna, ſed merè contingentia. Dicet aliquis, hac potiſſimùm ratione, ea ipſa entia neceſſaria eſſe, quia ab omni temporum æternitate à neceſſario agente edita ſunt. Sed hoc nihil eſt: ſi enim id fieri potuiſſet, ex hoc tantùm concluderetur, illa entia ab alio quidem neceſſaria eſſe; ſed tamẽ per ſe, & natura ſua, contingentia. Neq; verò hìc dicere poſſumus, illa entia ex ſe, & ab alio neceſſaria eſſe: (quẽadmodum putauit Auicen. 9. Metaph. c. 4. eſſe omnes Intelligentias, alias à prima: quod tamen optimè reprobauit Auerroes 12. Metaph. comm. 44.) tùm quia contradictionem implicat, aliquid eſſe neceſſarium ex ſe, & illud ab alio, puta ab efficiente cauſa pendere, quæ verè, & propriè efficiens ſit, vt confirmat Auerr. 12. Metaph. comm. 41. tùm etiam, quia, Autore Scoto, hæc entia æterna, quæ ſupra recenſuimus, ex ſe neceſſaria eſſe non poſſunt: cùm vt ipſe dicit, ex ſe, & natura ſua, eſſe non habeant. Denique falſum eſt 4. fundamentum, à Zimara excogitatum: nam ſi æterna in nullo naturæ ſigno habent non eſſe: ergo æterna in nullo naturæ ſigno hẽnt cauſam efficientem, à qua pendeant. Si enim ſemper fuerunt: ergo nunquam facta ſunt: ſi nunquam facta ſunt: ergo nullum habent efficiens: niſi fortaſſe efficiens aliquod fingere velimus, quod nihil efficiat: ſitque potius nomine, quàm re ipſa efficiens. Sed ait Zimara, remota prima cauſa, neque Intelligentiæ, neque cælum, neque materia prima conſiſtere queunt: ergo hæc omnia ab illa prima cauſa neceſſariò pendent. Admitteret hoc quidem Bacconus, nõ tamen in genere cauſæ efficientis, vt Zimara putauit, ſed ſolùm in genere cauſæ finalis. Nam poſita prima cauſa, ſtatim ex ipſa conſurgunt radij perfectionis, & bonitatis eius: ſicut, poſito Sole, ſtatim ipſum neceſſariò conſequitur lumen, quod eſt eius perfectio: idque ſine vlla prorſus efficientia: niſi efficere largè ſumatur, quatenus à tribus alijs cauſarum generibus minimè differt. Nos autem negabimus, remota prima cauſa, Intelligentias, cælum, & materiã primam conſiſtere non poſſe: Si enim hæc, ex Ariſt. ſententia, æterna, & neceſſaria ſunt; quocunque ſublato, quod ad eorum naturam, atque ſubſtantiam non pertineat, adhuc nihilominus permanebunt, aliumque ſuarum operationum finem ſibi conſtituent.

Exemplũ aliud rẽ apertè conficiẽs.

Tacita rõſio.

Confutatio.

Neceſſarium ex ſe, & ab alio ſecundũ rectè philoſophantes, non datur.

Diruitur fundamentũ Zimaræ.

Obiectio Zimaræ.

Solutio Bacconi.

Solutio Autoris.

### *Thomiſtarum reſponſiones ad argumenta, quæ pro opinione Gregorij, & Bacconis adducta ſunt. Cap. X.*

EVerſis iam aduerſariorum fundamentis, proximum eſt nunc, vt reſponſiones illas recẽſeamus, quibus ipſi argumenta, pro opinione Gregorij Ariminenſis, atque Bacconis adducta, ſoluere conati ſunt. Ad primum itaque negant maiorem propoſitionem. Ad cuius probationem reſpondent, id, quod ab alio effectum eſt, natura quidem ſua habere non eſſe: tamen non poſſe non eſſe: idque in ſenſu compoſito, quatenus ſcilicet ab agente neceſſario pendet, quod non efficere non poteſt: hincque fieri, vt id, quod editum eſt, ens pariter neceſſariũ ſit. Hæc eſt reſponſio. S. Tho. 1. par. q. 44. art. 1. ad ſecundum: quam ſecutus eſt Ferrarienſis 2. contra gentiles c. 30. Paulus Soncinas 12. Metaph. q. 16. & alij etiam recentiores Thomiſtæ. Ad ſecundum concedunt, nullum æternum genitum eſse poſse: negant tamen, nullum æternum habere cauſam efficientem: cùm enim Ariſt. 1. de cęlo tex. 104. Mundum æternũ eſse tuetur, non intendit probare, ipſum à nullo, vt ab efficiente cauſa pendere; ſed ipſum tantummodò editum generatione non eſse: repugnat enim ei, quod æternum eſt, vt generatione editum ſit. Quare tametſi materia prima, cęlum, & Intelligẽtię nunquam genitæ ſint; cauſam nihilominus efficiẽtem habẽt, quæ illas ab omni temporum æternitate procreauit. Ad tertium reſpondẽt, cauſam illam, quæ res ex nihilo efficit, propriè agentem non eſse: quoniã cauſa agẽs, propriè dicta, non agit ſine motu, vel mutatione; ſed appellari cauſam agẽtem, ſecundum ſimilitudinem; quia nimirum ita dat eſse ſuo effectui, per ſimplicem effectionẽ, ſicut vera agẽtia, per motum, aut mutationem. Et propterea Ariſt. 2. Phyſ. & 5. Metaph. vbi de efficiente cauſa diſputauit, efficiẽtem cauſam, vniuersè acceptam, non definiuit, ſed tantummodò cauſam agẽtem, quæ per motum, & mutationem efficit, quicquid efficit: de qua locutus

Ad primum.

Ad ſecundũ.

Ad tertium.

eſt 1. de generatione tex. 45. Reſpondent itaque, ęterna non habere cauſam agentem, pro-
priè dictam; ſed ſolum, ſecundum ſimilitudinem.

*Confutatio primæ reſponſionis.* *Cap. XI.*

QVanuis, deſtructis iam aduerſariorum fundamentis, quibus eorum reſponſiones ad ar-
gumenta, pro noſtra ſnīa propoſita, nitebantur; ipſæ quoque reſponſiones omninò in-
firmæ, ac penitus debilitatæ maneant: nihilominus, ad Ariſt. ſnīam dilucidius aperiendam,
ipſas quoq; reſponſiones ſingillatim refellere operæpretium duximus. Quòd igitur ad pri-
mam attinet, quæ eſt S. Doctoris, perfectò ad eius ſnīam tuēdam, appoſitior afferri nulla po
terat: nec ita facilè à quouis alio ea reijci poſſet, qui cum proteruo aliquo diſputationem ha
beret. Nos autem, qui nihil aliud, niſi Ariſt. ſnīam, de re propoſita, expiſcari cupimus: quiq;
etiam arbitramur, eos omnes, qui noſtram hanc diſputationem aliquando lecturi ſunt, hóc
Validiſſimũ argumen. cõtra rñſionem S. Tho. — idem exoptare debere: haud difficulter eam ipſam refellemus. Itaque in eam hoc argumē-
tum dirigimus: quod ſi demonſtratiuum non eſt, parum certè à demonſtratione abeſt. Intel-
ligentiæ ſunt æternæ, ergo ſemper fuerunt: ſi ſemper fuerunt; ergo nunquam factæ ſunt; ſi nũ
quam factæ ſunt, ergo non habent cauſam efficientē, à qua æternitatem, atque neceſſitatem
acceperint. Argumētum hoc apud quoſcunque verè Peripateticos, ita concludere arbitror,
vt nulla ratione ſolui poſſit: quod facilè patebit, ſi propoſitiones ſingulę conſiderabuntur. In
antecedēte nulla prorſus difficultas eſt; nam & Ariſt. perhibuit, Intelligentias æternas eſſe:
& nos iam ponimus, id ipſum Ariſt. docuiſſe. Prima conſequētia proximè ab antecedēte ex
oritur, nec probatione indiget: nam ex ethymologia nominis eius, quod æternum, vel ſempi
ternum eſt, conijcimus, illud ſemper fuiſſe. Secunda conſequētia per locum ab oppoſitis ſa-
tis perſpicua eſt: ſi enim aliquid ſemper fuit; ſignum euidentiſſimum eſt, illud nunquam fa-
ctum fuiſſe. Quod quidem ſi admittatur, ſequetur ſtatim veritas vltimæ conſequētiæ, illud
videlicet non habere cauſam efficiētem, à qua æternitatem, vel neceſſitatem acceperit. Su-
Rñſio, q̃ fortaſſe afferri poſſet. — ſpicor nihilominus, Thomiſtas, ſi ſuam ſnīam aliquo pacto tueri velint, ſecundam conſecu-
tionem negaturos eſſe; dicent enim, argumētationem hanc minimè valere: hoc ſemper fuit:
Confutatio. — ergo nunquam factum eſt. Sed probo ego veritatem huiuſmodi conſequētiæ, &, per locũ
ab appoſitis, ita argumentor: Si falſum eſt, id, quod ſemper fuit, nunquam factum eſſe: ergo
verum eſt, id, quod ſemper fuit, aliquando factum eſſe: ſi aliquando factum eſt; ergo in tem-
pore factum eſt: ſi in tempore, factum eſt: ergo habuit eſſe, poſt non eſſe: ſi habuit eſſe,
poſt non eſſe: ergo non eſt æternum: Vera eſt igitur huiuſmodi conſecutio, hoc ſemper fuit;
Alia rñſio. — ergo nunquam factum eſt. Reſpondebunt fortaſſe, irritam eſſe hanc conſecutionē: falſum
Confutatio. — eſt, id nunquam factum eſſe; ergo verum eſt, id aliquando, ideſt in tēpore factum eſſe: nam
quod ſemper ſuit, factum eſt ab æterno. At verò puto, me nunc cum Philoſophis diſputa-
re, nec certè ſcio, an quiſpiam negare poſſit, duo hæc inuicem opponi, nunquam factum eſ-
ſe, & aliquando factum eſſe: nihilominus contra hanc reſponſionem ita argumētor. Niſi fi-
ctio hæc ſit, id, quod ſemper fuit, ab æterno factum eſſe, neceſſe eſt, vt hęc propoſitio perpe-
tua ſit, atque in omnibus rebus abſolutè vera, vt nimirum id liceat abſolutiſſimè pronuncia-
re; omne id, quod ſemper fuit ab ęterno factum eſt: nunc addo minorem, ex qua falſam con
ſecutionem elicio: ſed Deus ſemper fuit, ergo Deus ab ęterno factus eſt: quod tñ quis affir-
mare audeat? Quare, ſi Deus, eò pręcipuè, quia æternus eſt, nunquam factus eſt; ſequetur
hinc veritas huius vniuerſalis propoſitionis, omne id, quod eſt æternũ, eo, quia ſemper fuit,
Alia rñſio. — nunquam factum eſt. Arbitror, Thomiſtas, & Scotiſtas pariter reſponſuros eſſe; id, quod
ſemper fuit, eſſe in duplici diſcrimine; aut enim ſemper fuit à ſe, cuiuſmodi eſt Deus, & hoc
nunquam factum eſt: aut ſemper fuit ab alio, & hoc factum eſt ab æterno. Sed eòdem re-
Confutatio. — uoluimur, & reſponſio petit principium: inducitur enim, æternum factum fuiſſe à cauſa effi-
ciente, quę nihil efficit; habetque ſolùm nomen cauſæ efficientis, vt dictum eſt antè. Et quē-
admodum aſſerunt iſti, Intelligentias à Deo ab æterno effectas fuiſſe, quia ſunt ab alio, ſed
tñ modo quodam efficiendi, qui non eſt per motum, quod idem eſſet, ac ſi dixiſſent, factas
eſſe ab efficiente, quod non eſt efficiens; ita aliquis dicere poſſet: cùm Deus æternus ſit, atq;
à ſe, ipſum pariter ab eterno à ſemetipſo factum fuiſſe, ſed quadam efficientia, quæ non eſt
Reijcit alia reſponſio. — eiuſdem generis cum illa efficiētia, qua cętera efficiuntur. Dicent contradictionem implica

re, ali-

re, aliquid ſemetipſum efficere. Et nos dicemus, implicare contradictionem, id, quod ſemper fuit, factum fuiſſe: cùm nullum inſtans ne cogitatione quidem fingi poſſit, quo non fuerit. Afferre ſolent inſtantiã de Sole, & lumine; ſed illa iã ſupra ſatis commodè reiecta eſt. Firma igitur manet iam propoſita demonſtratio: Intelligentiæ ſunt æternæ: ergo ſemper fuerunt; ergo nunquam factæ ſunt: ergo non habent cauſam efficiẽtem, à qua pendeant. Cuius quidẽ robur atque ſoliditas patere etiam poteſt ex oppoſita demonſtratione, cùm enim Petrus ex gra. non ſit æternus: ſtatim ſequitur, ipſum non ſemper fuiſſe, ſi non ſemper fuit: ergo aliquãdo factus eſt, ſi aliquando factus eſt, ergo habet cauſam efficientem, à qua pendet.

Quære ſup. cap. 8.

*Confutatio cæterarum reſponſionum.* Cap. XII.

RESponſio quoq; ad ſecundum argumentum parùm in ſe continet firmitatis; negant, æternum potuiſſe gigni; & admittũt, illud idem à prima cauſa factum eſſe. Miror, cur, quemadmodum effinxerũt aliquod factum ſine mutatione, non etiam excogitarint aliquod genitum, ſine alteratione, vt idem ſit factum ab æterno, ac genitum ab æterno. Quòd ſi aliud putent, eſſe factum, & aliud genitum: conſulantq; quæſo Ariſt. 1. Phyſ. à tex. 57. vſq; ad 71. & ibi eum docere inuenient, quicquid fiat, ex ſubiecto aliquo, hoc eſt ex materia neceſſariò fieri: voluit igitur, idem eſſe fieri, ac generari: quoniam materia eſt ſubiectum generationis. Si ergo apud Ariſt. fieri, & generari, factum eſſe, & genitum eſſe idem ſunt: ſequitur, vt ſi nullum æternum poteſt eſſe genitum; pari ratione, nullum æternum poſſit eſſe factum. Huc accedit, quòd ſi mundus factus eſſet, ex materia neceſſario factus eſſet: cùm ab æterno materia fuerit, ex qua confici potuiſſet. Si itaque Mundus ab æterno factus eſſet: tunc Mundus ab æterno genitus eſſet: negauit autem Ariſt. Mundum ab æterno genitum eſſe: ergo negauit pariter, Mundum ab æterno factum eſſe; atq; ita ſecundum argumentum in ſuo robore manet.

Reijcitur reſponſio ad ſecundum argumentum.

Factũ, & genitum apud Ariſto. idem ſunt.

Reſponſio ad tertium, confutatione non eget; nam ipſa ſemetipſam ſatis commodè reprehendit: ſtatuit enim, illud agens, quod ex nihilo ab æterno aliquid efficit, non eſſe verè, & propriè agẽs; propterea quod ſine mutatione agit, ſed ſecundum ſimilitudinem tantùm. At hoc ipſum eſt, quod nos intẽdimus: nihil enim aliud probare volumus, niſi id, quod æternum eſt, efficientem cauſam habere non poſſe; quæ verè, & propriè efficiens eſſe dicatur. Non negamus, æterna à primo ente pendere: quinimmò aſſerimus, primum ens illa eadem effeciſſe: ſed efficientia, largo modo ſumpta, quatenus alijs quoque tribus cauſarum generibus competere poteſt.

Refellitur reſponſio ad 3. argũ.

*Reſponſio multiplex ad primam rationem aduerſariorum.* Cap. XIII.

REiectis aduerſariorum reſponſionibus, nunc difficillimum caput aggredimur, quo rationes, ad eorum ſñiam confirmandam, propoſitas, explicaturi ſumus: grauiſſimas illas quidem, & magni momẽti, quæque doctiſſimorum virorum ingenia mirum in modum exercuerunt. Ad primam variæ ſunt reſponſiones. Gregorius Ariminenſis locum illum Ariſt. facilè expedit; ait enim, nihil aliud indè elici, niſi Deum eſſe principium ſempiternorum, in genere cauſæ finalis, quatenus. ſ. ea omnia ad illum, tanquam ad Principem, ordinantur, & diriguntur. Sed profectò lata nimis hęc reſponſio eſt: locus enim ille, qui frequenter adducitur, & magnum re vera negotium faceſſit, magis propriam, ſibique etiam magis accommodatam reſponſionem expoſtit. Ideo Ioannes Bacconus textum illum diligenter conſiderãs, dixit, Deum eſſe quidem cauſam agentem, & primam rerum omnium, quæ efficiuntur, non tñ earum rerum, quæ perpetuæ ſunt: niſi fortaſſe agentem cauſam ad omne cauſarum genus extẽdere velimus, vt antè dictum eſt. Porrò, Deum non eſſe cauſam efficientem eorum, quæ ſemper ſunt, ſed ſolùm finalem, elicit ex eodem textu: vbi Ariſt. ſermonem ducens, ait, perpetua non habere cauſam; ſed illa potius eſſe cauſas cæterorum: & loquitur, ait Bacconus, de cauſa efficiente: ita enim ſcribit, *nec illis, vt ſint, aliquid aliud cauſa eſt, ſed illa cæteris*. Sed neque hæc Bacconi reſponſio ſatisfacere omninò videtur, pręſertim quo ad poſtremam eius partem attinet: ſiquidem Ariſt. concedere omninò videtur, ſempiterna habere principia, docereq; illa principia veriſſima eſſe, quia cauſam non habent, à qua pẽdeant, quoad eſſe, ac deinceps quoad veritatem, ſed tamen cæterorum cauſæ exiſtunt. Non igitur negauit Ariſt. ea, quæ ſemper ſunt, cauſam habere. Sed dixit principia eorum, quæ ſemper ſunt, ab aliquo nõ

Ad primam rationẽ rñſio Greg. Arim. Reijcitur hæc reſponſio.

Rñſio Bacconi.

Confutatio.

pen-

Reſpõſio Pēdaſij, quæ ꝓpius ad veritatē accedit.

pēdere. Paulò propiùs ad veram huius loci interpretationem viſus eſt acceſſiſse Feder. Pendaſius, lib. 8. Phyſ. texturæ par. 43. propè finē: vbi ait, dictum illud Ariſt. *(principia ſemper exiſtentium neceſſe eſt veriſsima eſſe)* ita intelligi debere, vt ſcilicet inter ſemper entia, ea, quæ prima, atque præcipua dicuntur, veriſſima ſint: & nullam eſſe cauſam veritatis ipſorum; cùm prima omninò ſint. Locutus eſt autem Ariſt. in numero plurali; quia nondum definiuit, quę, quot, aut qualia ſint ea, quæ inter ſemper entia, prima, atque præcipua dicuntur: id autē definiet 12. lib.. vbi concludet, propterea quòd entia nolunt malè diſponi, idcirco vnum to-

Rñſio Autoris.

tius vniuerſi principem ſtatuēdum eſse. Sapientiſſimus hic ſenex, hac ingenioſa ſua expoſitione, mihi, multùm hac in re cunctanti, & dubitanti, occaſionē præbuit, veram, vt arbitror, Ariſtot. mētem aperiēdi. Non poteſt quidē, cum ijs, quæ alibi ipſemet docuit, expoſitio illa cohærere, quę paſſim ab aduerſarijs affertur, ipſum videlicet exiſtimaſſe, ea, quæ æterna ſunt, puta Intelligētias, cęleſtia corpora, atque materiam primam à Deo, vt ab efficiēte cauſa pendere: iam enim ſupra ſatis oſtendimus, contradictionem implicare, vel ex Ariſt. ſnīa, æterna hēre cauſam efficientem: quapropter, ſi in eius ſnīa perſiſtere velimus; aliam dictorum verbo-

Vera explanatio textus 4 lib. 2 Metaph.

rum explanationem afferre cogimur, quæ intimam eius mētem patefaciat. Dicendum igitur puto, per principia ſemper entium non eſse intelligēda principia ſempiternorum, quaſi ea, quæ ſempiterna ſunt, principia habeant; ſed intelligēda eſse, principia ſempiternorum, ſecundum conſtructionem intranſitiuam, vt Scholæ dicunt, quatenus. ſ. ad ſempiternas res pertinēt, vel quatenus de ſempiternis rebus dicuntur, aut clariùs principia illius generis, vel ordinis, quæ ſempiterna ſunt. Non enim omnia principia ſempiterna ſunt; quædam enim aliquādo ſunt, & aliquando non ſunt: ea verò, de quibus Ariſt. loquitur, ſemper ſunt. Hæc aūt principia dixit eſſe veriſſima; quia ab illis cæterorum entium eſse, atque adeo veritas omninò pēdet: cùm veritas propria ſit entis affectio, vt vnitas: & ipſum ens neceſsariò conſequatur. Itaque Deus, Intelligentiæ, atque cęleſtia corpora, quia ſemper ſunt, & aliorum principia dicūtur, iccirco veriſſima ſunt: non enim aliquando ſunt, & aliquando non ſunt: ſed ſemper entitatem habēt, atque adeo conſequētem veritatē. Cætera verò entia, quæ ab huiuſmodi principijs orta ſunt, entitatem quidem, & veritatem habent; tamen magis entia, & magis etiam vera dicuntur principia illa, à quibus pendent; ob illam regulam Dialecticam, propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Nō immeritò igitur Ariſt. aſseruit, hæc ſemper entia, quę cęterorum principia dicuntur, veriſſima eſse: in quibus & Deum, & Intelligentias, & cęleſtia

Cur Ariſt. inter principia veriſſima, ꝗ ſemper ſunt, materiam nō numerauerit.

corpora comprehendit. Duplici autē ratione materiam primam omiſit, tametſi ipſa quoque principij rationē obtineat. Primò, quia materia habet minimum entitatis, atque adeo habet minimum veritatis: non igitur inter ea principia collocari debuit, quæ veriſſima ſunt. Deinde verò, quia Ariſt. ibi loquitur de principijs rerum in genere cauſæ efficientis: materia verò eſt principium in genere cauſæ materialis: ideo inter principia veriſſima, primam materiam non numerauit: & hanc puto eſſe germanam illius loci interpretationem.

## *Reſponſio ad ſecundam rationem.* *Cap. XIV.*

Breuis, & ſolida rñſio.

AD ſecundam rationem, quæ, tanquam fundamento, nititur autoritate Ariſt. 8. Phyſ. tex. 15. paucis reſpondendum eſt, Ariſt. in eo textu non eſſe locutum de principijs rei, ſed de principijs cognitionis: concluſio enim à principijs pendet; principia vero à nullo; cùm per ſe nota ſint; nullaque ratione demonſtrari poſſint. Sed afferri etiam poteſt reſponſio cō-

Rñſio cōis.

munis, quæ profectò obijcienda non eſt, videlicet Ariſt. ibi locutum eſſe de æternis complexis: ſunt enim quædam concluſiones veræ, quæ tametſi perpetuæ ſunt; ſuæ nihilominus veritatis cauſam habent; cùm per principia demonſtrari poſſint, quemadmodum ibi dat exemplum Ariſt. de triangulo. Hæc enim propoſitio, triangulus habet tres angulos, pares duobus rectis, eſt propoſitio perpetuæ veritatis; hæc tamen perpetua veritas habet principia, à quib. proficiſcitur. Loquitur ergo ibi Ariſt. de huiuſmodi æternis complexis, nec vllo modo eius conſilium fuit, ibi docere, æterna entia, cuiuſmodi ſunt Intelligentiæ, Cęleſtia corpora, atq; materia prima, de quibus modò diſſerimus, efficientem cauſam habere. Nonnulli recentiſſi-

Inſtātia quorundam recētium Thomiſtarum.

mi Thomiſtæ reſponſionem hanc refellere conantur, ea ratione, quia ibi Ariſt. de principio æterni motus contra Democritum diſputat; vultque, æternam rei cauſam quærendam, & aſſignandam eſſe: conſtat autem, æternum motum non eſſe quid complexum, ſed incomplexum.

Solutio.

xum. Sed iſti profectò textum illum 15. oſcitanter legerunt: quoniam ibi Ariſtot. de æterno motu, non contra Democritum, ſed contra Empedoclem diſputat: immò ne de motus quidẽ æternitate ibi potiſſimùm contra Empedoclem diſputat, quaſi nullo modo Empedocles æter num eſſe motum ſtatuerit: ſed cùm poſuiſſet, litem, & amicitiam, viciſſitudine quadam, motus & quietis cauſam eſſe, nullamque illius viciſſitudinis rationem reddidiſſet; in hoc potiſſimùm Ariſt. ipſum reprehendit, quemadmodum ſimul reprehẽdit Democritum, ad quẽ Empedocles, vt ſuam ſententiam tueretur, confugerat. Democritus exiſtimabat, fortuitâ atomorum concurſione, res continuò gigni, & interire; ſi quis ab eo huius rei cauſam ſciſcitabatur, reſpondebat, hoc ita ſemper factum fuiſſe, & eius, quod ſemper eſt, nullam cauſam quærendam eſſe. Hoc autem illud eſt, quod Ariſt. reprehendit: docet enim, aliqua eſſe perpetua, quæ cauſam habent, cuiuſmodi ſunt concluſiones illæ perpetuæ veritatis, quæ per ſua principia demonſtrari poſſunt, vt ſupra dictum eſt.

Iauellus contra hanc ſolutionem.

Iauellus tamen contra hanc reſponſionem ita argumentatur; niſi enim Ariſt. ibi etiam de æterno incomplexo loqui intenderet; tunc eius ratio contra Empedoclem nulla eſſet: hanc enim conſequentiam negare facilè poſſet, complexum æternum habet cauſam; ergo, & incomplexum.

Obuiam itur Iauello.

Verùm hæc confutatio nullius roboris eſt: iam enim ſupra oſtendimus, Ariſt. de motus æternitate, vel de principio æterni motus cõtra Empedoclem non diſputaſſe: ſed illum reprehendiſſe, quia nullam illius viciſſitudinis cauſam reddiderit; cùm tamen reddi facilè potuiſſet, etiam ſi æterna illa eſſet: nõn enim abſurdũ eſt, aliqua æterna cauſam hr̃e, quicquid contrà Democritus aſſeruerit.

Explanatio tex. 15. lib. 8. Phyſi.

Nunc autẽ planiùs locum illum explanare libet, ex quo etiam ſententiæ noſtræ confirmationem eliciemus. Poſuerat Democritus hanc propoſitionem indefinitam, æterna non habere cauſam; ſi hæc propoſitio, tanquam vniuerſalis accipiatur, falſa eſt, ait Ariſt. ſi autem ad duas particulares reuocetur; tunc altera vera erit, altera falſa. Falſa erit hæc propoſitio, aliqua æterna non habẽt cauſam; quia propoſitiones perpetuæ veritatis habent cauſam; & in hoc Ariſt. Democritum reprehendit. Vera tamẽ erit hæc propoſitio, aliqua æterna non habent cauſam; quia principia, quæ perpetua ſunt, non habent cauſam, & in hoc Ariſt. Democritum commendauit.

Ariſt. verba, notatu digna

Ex ijs igitur Ariſt. verbis eiuſdem contextus, *principiorum tamen, quæ perpetua ſunt, non eſt altera cauſa*, apertiſſimè elicimus, Ariſt. exiſtimaſſe, ea, quæ perpetua ſunt, ab alio, vt ab efficiente cauſa, non pendere.

### *Reſponſio ad tertiam rationem.* *Cap. XV.*

QVòd attinet ad tertiam rationem, ſumptam ex autoritate Ariſt. 5. Metaph. tex. 6. miror ſanè, viros alioqui doctiſſimos ex eo loco, ad ſuam ſententiam confirmandam, argumentum duxiſſe; quandoquidem Ariſt. in prioribus Metaph. libris regulas quaſdam tantummodò tradit, & terminorum quorundam proprietates explicat; ſemperq; in generalibus verſatur, nec eorum quicquam definit, quæ in quæſtionem vocari ſolent; cuius generis multa, præſertim 12. lib. dilucidè aperuit, atque ſubtiliter enodauit.

Explanatio tex. 6. lib. 5. Metaph.

Itaque in 6. illo textu, iam citato modos nonnullos explicauit, quibus aliquod neceſſarium dici conſueuit; in quibus etiam eorum neceſſitatem collocauit, quę complexa vocantur; cuiuſmodi ſunt concluſiones, quę demonſtrandi vim habent. De ijs igitur potiſſimùm loquens, ait neceſſariorum quorundam alteras eſſe cauſas, quorundam verò nullas. Illa neceſſaria, quę cauſas habent, dicit, eſſe concluſiones neceſſarias; ea enim à principijs, vt à cauſis pendent; ſicut hęc concluſio, homo eſt riſibilis: pendet ab hoc principio, homo eſt rationalis. Illa verò neceſſaria, quę cauſam non habent, ſunt ipſamet principia, quę, vt ſupra diximus, per ſe nota ſunt, nec demonſtrari poſſunt. Si igitur Ariſt. in eo textu, atque potiſſimùm in ijs verbis, ab aduerſarijs citatis, loquitur de neceſſarijs complexis, vt omnes eius interpretes teſtantur; quinimmò ipſemet S. Tho. & Scotus, qui contrariam ſententiam tuentur, vt apud ipſos, in ipſius contextus explanatione videre licet: quid eſt, cur aduerſarij locum illum Ariſt. tanti faciant, nobiſque tanquam ſuę ſentẽtię validiſſimum fundamentum obijciant?

Inſtantia Iauelli.

Iauellus hanc reſponſionem cùm ferre haudquaquam poſſet, ita eam refellit: nam tametſi Ariſt. citato loco, de neceſſarijs complexis verba faciat: nihilominus de neceſſarijs etiam incomplexis ſermonem habet: poſtquam enim dixit *quorundam itaque alia eſt cauſa, vt neceſſaria ſint*, ſtatim ſubdit, *quare & propriè neceſſarium eſt, quod ſimplex*. Verba hęc ait, à Iuellus, de prima cauſa, quę Deus eſt, ab omnibus intelli-

telliguntur: nam Deus eſt propriè ens neceſſarium, & abſolutè ſimplex. Sicut ergo Ariſt. docuit, concluſiones neceſſarias à neceſſarijs principijs pẽdere; ita etiam docuit, illa entia neceſſaria, quæ à Deo diuerſa ſunt, ab ipſo, vt ab efficiente cauſa proficiſci; cùm ille verè, & propriè neceſſarius eſſe dicatur. Verùm ſcire debet Iauellus, tametſi verba illa, *quare, & propriè neceſſarium eſt, &c.* Soli Deo ſecundum rei veritatem, conueniant: (nam ſolus Deus eſt verè neceſſarius, ſimpliciſſimus, & à nullo prodẽs:) nihilominus non eo conſilio ab Ariſto. ſcripta eſſe, vt Deo tantummodò ea conuenire putauerit, vniuerſè enim, & in abſtracto locutus eſt, nec tunc rem vllam animo concepit. Etenim, cùm plures neceſſitatis modos deſcripſiſſet; tandem modum quẽdam, maximè proprium, explicauit, qui iure ijs omnibus conueniet, quæ verè neceſſaria dicuntur. Nondum autem Ariſt. definiuit, an aliqua huius generis neceſſaria reperiantur: vel ſi reperiãtur, ſint ne plura, an vnum tantùm: hac enim de re 12. eiuſdem operis lib. cumulatiſſimè diſputabit. Ideo ſub conditione loquens, in fine eiuſdem contextus, ita ſcribit, *ſi igitur aliqua perpetua, & immobilia ſunt, nihil in eis violentum, aut præter naturam eſt*, ex quibus verbis elicimus, eius mentem fuiſſe, ea omnia entia, quæ ipſe neceſſaria putauit, ita neceſſaria eſſe, vt aliter ſe habere non poſſint; ſed illis proprium neceſſitatis modum conuenire, nullamq; prorſus cauſam habere, à qua proficiſcantur: cuius quidẽ generis, lib. 12. omnes ſeparatas ſubſtantias eſſe docebit. Tantum igitur obeſt, vt aduerſarij ex hoc textu, id, quod cupiunt, elicere poſſint, vt noſtram potius, iam ſatis explicatam, ſententiam apertiſſimè confirment.

Reſponſio. [margin]

### *Reſponſio ad quartam rationem.* *Cap. XVI.*

QVarta ratio ſumpta erat ex 2. Metaph. tex. 4. cui, ſi rectè ſatisfacere velimus, opus eſt priùs, vt Ariſt. ſnĩam explicemus: deinceps verò difficultatis caput attingemus. Quòd ad Ariſt. ſnĩam attinet, nihil planè aliud, illius contextus initio, docere intẽdit, niſi Metaphyſicam eſſe ſcientiam ſpeculatiuam; immò ſciẽtiarum ſpeculatiuarum caput. Nam finis ſciẽtiæ ſpeculatiuæ veritas eſt: Metaphyſica autem ea potiſſimùm, quæ veriſſima ſunt, contemplatur, videlicet prima rerum principia, à quibus, & eſſe, & veritas cęterarum rerum omninò pẽdet: illa autem veriſſima dicuntur, quæ in cauſa ſunt, cur cætera vera ſint. Quòd verè attinet ad propoſitam difficultatem, ex hoc loco aduerſarij, ad ſuam ſnĩam tuendã, vniuerſalem hanc propoſitionem ſumpſerunt. Primum in vnoquoque genere eſt cauſa eorum omnium, quæ in illo genere continẽtur, ac potiſſimùm efficiens. Priuſquam vlterius progrediamur, tametſi hæc propoſitio alioqui vera eſt; nihilominus ſenſus ille, quem ei aduerſarij tribuerunt; non eſt ille idem, quem in citato contextu Ariſt. intellexit: ibi enim docuit, rerum principia veriſſima eſſe, quia ſunt cauſã veritatis aliarum rerum: ibi tñ nõ definiuit, aliquod vnum reperiri ens, à quo cętera omnia; quæcunq; illa ſint, ſiue æterna, ſiue temporaria, vt ab efficiente cauſa proficiſcantur. Sed ſit vera propoſitio in eo ſenſu, quem aduerſarij putarunt; primum videlicet in vnoquoq; genere eſſe cauſam efficientem eorum omnium, quæ in illo genere continẽtur; facilè tñ reſpondere poſſumus, id intelligi tantum debere de ijs rebus, quæ verè effectæ ſunt, cuiuſmodi non ſunt res æternæ, de quibus modò diſſerimus: quæ aũt æterna nõ ſunt, ſed aliqñ facta, vtiq; à Deo, vel proximè, vel alterius interuẽtu, vt ab efficiente cauſa oriuntur. Dicent aduerſarij, nõ ne Deus quoq; inter entia æterna principatũ obtinet, vt primum ens verè ſit, & appelletur? Quidni igitur ęternorũ entium cauſa dicetur? Argumentum hoc rectè quidem ſecundum rei veritatem concluderet: nam Deus re vera eſt abſolutè primum in genere entium, atq; adeo entia omnia, tàm concreta, quàm abſtracta, tàm caduca, quàm immortalia, ab ipſo, vt ab efficiente cauſa, proficiſcuntur. At verò apud Ariſt. qui, præter Deum, alia quoq; entia æterna, & neceſſaria poſuit, hoc argumentum non ita concluderet: reſponderet enim, Deum inter ęterna entia primum quidem eſſe, non à quo, ſupple ipſa pendeant, vel facta ſint; ſed gratia cuius, ſupple exerceantur, & operẽtur. Quare nihil aliud concludit, niſi Deum eſſe cauſam finalem entium æternorum, vel etiam eorundẽ (ſi cum alijs dicere velimus) conſeruatricem. Verùm contra hanc reſponſionem duo afferuntur argumẽta: alterum Heruei; alterum S. Thomæ. Herueus quolib. 2. q. 1. ita argumentatur; Quod habet cauſam finalem, habet etiam cauſam efficiẽtem, cuius gratia factum eſt, vt patet ex definitione cauſæ finalis. 2. Phyſ. & 2. Metaphyſ. ab Ariſt. tradita: Sed æterna, vt

Explanatio text. 4. lib. 2. Metaph. [margin]

Nota ſenſum illius propoſitionis, primum in vnoquoq; genere eſt cauſa omniũ, &c. [margin]

Obiectio aduerſariorum [margin]

Solutio. [margin]

Inſtãtia Heruei. [margin]

Cęlum,

Cęlum,& Intelligentię, habent cām finalem, vt iam conceſſū eſt; ergo habent cām efficientem. Ad hoc argumentum reſpondendum eſt in maiori propoſitione deceptionem quandam latere, quam non omnes fortaſſe animaduerterunt. Etenim cùm finis moueat efficiens ad aliquid agendum; hinc potius ſequitur, vt quicquid habet cauſam efficientem, habeat pariter cauſam finalem: non enim efficiens agit, niſi à fine metaphoricè motum fuerit: inde tñ concludere non licet, vt quicquid habet cauſam finalem, habeat neceſſariò cauſam efficientem; non enim ſatis capio hanc neceſſitatem. Sed rurſum inſtabunt aduerſarij; modus operandi cauſæ finalis in eo conſiſtit, vt efficiens moueat ad efficiendum, ergo quod habet cauſam finalem, habet neceſſariò cauſam efficientem. Sunt qui huic rationi ita reſpondeant, finem habere vim ad mouendum efficiens, vt aliquid efficiat, ſi imperfectum illud ſit, cuius generis ſunt efficientia omnia, præter Deum. At verò, ſi illud efficiens, vel agens, vel quocunque nomine appelletur, perfectiſſimum ſit, vt poſito nimirum eo intelligendi actu, quo ſe finem omnium intelligit, ſtatim per quandam emanationem, ea omnia iam conſiſtant, quæ ipſummet, vt finem reſpiciunt; tunc non eſt neceſſe, vt in efficiendi actum erumpat: & hoc modo Deus ad æterna entia ſe habet. Huc accedit, quòd Deus non habet finem, alium à ſe, à quo moueri poſſit: ſed ipſemet eſt finis omnium: ideo eo poſito, ob maximam eius perfectionem, ſtatim cætera neceſſariò conſequuntur. Hæc reſponſio, quæ certè Doctori Reſoluto nõ diſpliceret, ſi verum fateri liceat, difficultatis caput non attingit. Ideo aliter reſpondẽdum puto, finalem cauſam dupliciter ſpectari poſſe, vel penes id, quod ad efficiendum mouetur; vel penes id, quod ab efficiente proficiſcitur. Si poſteriore modo ſpectetur, verum eſt, quicquid habet cauſam finalem, habere quoq; cauſam efficientem. At ſi priore modo ſatis eſt, vt id, quod efficit, finem habeat, in cuius gratiam efficiat; non tamen neceſſe eſt, vt efficientẽ cauſam habeat, à qua pendeat. Igitur quicquid ab Intelligentijs, per Cęli motum efficitur, habet ſimul cauſam efficientem, & finalem; at Intelligentiæ ipſæ, quæ æternæ, & neceſſariæ ſunt, habent quidem finalem cauſam ſuarum operationum; efficientem verò, à qua editæ ſint, nequaquam. S. Thomas in quæſtionibus diſputatis de potentia, quæſt. 5. art. 1. contra ſuperiorem reſponſionem ita argumentatur: quod habet cauſam conſeruantẽ, habet etiam cauſam efficientem: igitur ſi Cęlum, & Intelligẽtiæ à Deo pẽdent, vt à cauſa conſeruante, ab eodẽ quoq; pendebũt, vt à cauſa efficiente. Qui tueri vellet, Cęlum, & Intelligentias pendere à Deo, vt à cauſa conſeruante, negare poſſet aſſumptum: quoniam Sol eſt cauſa conſeruatiua ſui luminis; non tñ illud efficit; quia, vt antè dictum eſt, poſito Sole, eum ſtatim lumẽ, vt eius perfectio, abſq; vlla efficientia, conſequitur. Pari ratione ignis eſt cauſa conſeruatiua caloris; & tamen illum non efficit; ſed calor ab eodem tanquam proprietas quædam, abſque vlla effectione, proficiſcitur. Niſi effectionem largè, & impropriè accipere vellemus, vt initio huius diſputationis animaduertimus. Sed magis Peripateticè reſpondebit, qui dixerit, falſum eſſe apud Ariſt. ſubſtantias æternas, & neceſſarias habere cauſam conſeruantem: ipſæ enim ſatis per ſe conſeruantur, cùm æternæ, & neceſſariæ ſint.

Reſponſio. — Replica. — Solutio aliorum. — Solutio Autoris. — Inſtantia S. Thom. — Reſponſio. — Nota aliã reſponſionem.

### *Reſponſio ad quintam rationem.* Cap. XVII.

AD quintam rationem, ſumptam ex 12. Metaph. tex. 52. reſpondendum eſt, ex eo loco, illud non elici, quod aduerſarij exiſtimarunt; quinetiam oppoſitum faciliùs duci. Nõ enim ibi Ariſt. Deum eſſe cauſam efficientem ordinis in rebus naturalibus, aſſeruit, (ſi enim ita eſſet, rectè vtiq; concludẽdum eſſet, Deum pariter ipſarum rerum naturalium efficientẽ cauſam dici; cùm præſertim ordo in rebus naturalibus non accidẽtarius, & externus, ſed intimus; & neceſſarius ſit) Sed cùm antè docuiſſet, primum mouens, vt bonum, & amatum mouere, atq; adeo eſſe bonum, & finem vniuerſi; externum tñ, & ab eo ſeparatum; inquirit ibi, an natura vniuerſi, præter externum hoc bonum, ſeparatumq; finem, bonum etiam, & finem intimum habeat. Affirmatiuamque partem tuetur, & docet, finem illum intimum, quod & bonum vniuerſi dicitur, in eius partium ordine conſiſtere. Quemadmodum enim exercitus duplicem habet finem: alterum internum, & ille quidem eſt ordo, qui veluti forma quædam, & perfectio exercitus dicitur: alterum externum, qui eſt dux, in cuius gratiam exercitus paratus eſt, & à quo exercitus gubernatur, & regitur. Ita propemodum de vniuerſo dicendum eſt: habet enim illud finem intimum, qui in ordine partium eius conſiſtit: quippe qui ordo,

Explanatio tex. 52. li. 12. Metaphy. — Bonum vniuerſi duplex, internum, & externum. — Bonum internum vniuerſi eſt ordo, ex-

ternum verò eſt primum mouens. veluti forma quædam,& vniuerſi perfectio eſt:habet inſuper finem externum,qui eſt primũ
mouens,ad quod omnia diriguntur. Aliud ergo eſt dicere,in natura vniuerſi ordinem reperi
ri:aliud verò, Deum eſſe cauſam effectricem ordinis in vniuerſo;primum enim in citato con
Obiectio. textu apud Ariſt. legitur;ſecundum verò nequaquam. Sed inſtabit aliquis ; cùm ordo in im-
materialibus ſubſtantijs,in cęleſtibus corporibus,in elementis,in animalibus,& plantis, &
in rebus quoque ſenſu carentibus,reperiatur;quiſnam illum effecit , niſi primum mouens ef
Solutio. fecerit?temerè ne,& fortuitò factus eſt? Reſpondetur,quemadmodum in aliqua domo , vbi
eſt pater familias,eſt vxor,ſunt liberi,ſerui,beſtiæ,iumenta,& id genus alia, non omnia qui-
dem ab ipſo edita,reperitur ordo,non aliũde ortus,quàm ex quodam,animi impetu, quo ad
exequenda mandata patris familias,impelluntur;ita in toto vniuerſo , vbi tàm varia rerum
genera conſpiciuntur,pulcherrimus quidem ordo reperitur;cuius tamen cauſam aliam nullã
eſſe dixeris,quàm inſitam illam vim in rebus omnibus naturalibus , quaſi radium quendam
bonitatis diuinæ,qua & grauia deorſum,& leuia ſurſum,& quæ nec grauia,nec leuia ſunt,in
orbem mouentur;& ad ſummam omnia probè,vt primo motori obtemperent, ſuis muneri-
bus funguntur;ea etiam,quæ nulla prorſus cognitione prædita ſunt;hincque dicere conſue-
uimus,ea ipſa à non errante Intelligentia moueri. Id cùm ita ſe habeat , tueri facilè poſſu-
mus,ordinem in rebus naturalibus reperiri,etiamſi æterna à Deo , vt ab efficiente cauſa non
pendeant:ea enim ſemper extiterunt,à quibus poſteà præſertim ab Intelligentijs,& corpori-
bus cęleſtibus,reliqua omnia,in genere cauſæ efficientis,cum illa propenſione ad finem vlti
mum,edita ſunt.

### *Nonnullorum argumentorum ſolutio,quæ contra iam explicatam Ariſt. ſententiam fieri ſolent. Cap. XVIII.*

IAm ſatis conſtare arbitror,quænã ſit Ariſt. ſententia de re à nobis propoſita:nemo enim,
qui & eius Philoſophiæ principia,& ea,quæ varijs in locis hac de re ſcripſit,diligenter cõ-
ſiderauerit,dubitabit aliquando,quin omninò decreuerit,æterna omnia à Deo, tantummo-
dò in genere cauſæ finalis,non etiam efficientis,proficiſci. Cæterùm quò vnuſquiſque in via
Peripatetica ſententiã hanc firmiùs tueri poſſit,præter rationes,ab Ariſt. autoritate deſum-
ptas,iam à nobis explicatas,nonnulla etiam argumenta proponi ſolent, quæ ſtudioſis viris
negocium maximum faceſſerent,niſi à nobis pro viribus ſoluerentur. Argumẽta varia à Sco
to,ab Herueo,& ab alijs paſſim afferuntur;probantia potiſſimùm, Intelligẽtias à Deo, vt ab
efficiente cauſa pẽdere: Sed omnia fortaſſe ad quatuor præcipua reuocari facilè poſſunt,quę
Arg. primũ. Cardinalis Toletus lib. 8. Phyſ. q. 6. propè finem optimè collegit. Primum igitur argumentũ
eſt huiuſmodi;vel Intelligentiæ habent eſſe à ſe,vel à Deo:ſi à Deo, ab ipſo igitur pendent ,
vt à cauſa efficiente:ſi à ſe;quæritur, vtrum, amoto Deo, amitterent illud eſſe, quod habent,
nec ne? Si amitterent:ergo illud eſſe non habebant à ſe: ſi non amitterent ; ergo non refere-
Rñſio Bacconi. bantur ad Deum,vt ad finem eſſentialem. Ad hoc argumentum ſunt duæ reſponſiones ; Al
tera Bacconi,qui negauit, Intelligentias habere eſſe à ſe:habent enim,inquit,eſſe à Deo;non
tamen vt à cauſa efficiente,ſed vt à cauſa finali. Cùm verò quærebatur,amoto Deo eſſent ne
Intelligentię;nec ne? Reſpondet, Intelligentias non fore;ſtatim enim amitterent ſuum eſſe ,
propterea quòd illud eſſe eſt veluti radius quidam diuinę bonitatis,qui perfectiſſimum actũ
diuini intellectus neceſſariò conſequitur:propterea,ſi non eſſet Deus, actus ille intelligẽdi nõ
eſſet:ſi non eſſet ille actus intelligendi,non eſſent pariter Intelligentiæ, quæ illum neceſſariò
Rñſio Heruei. conſequuntur. Sed contra hanc reſponſionem argumentatur Herueus quolib. 2. q. 1. omne ,
quod ſibi derelictum eſt,non ens;neceſſariò habet cauſam efficientem,à quã pendet: Sed In-
telligentiæ,ſi ſuę naturæ relinquantur,amoto Deo,deſinerent in non entia : ergo habẽt cau-
Solutio Bacconi. ſam efficientem. Ad hoc argumentum reſpondet Bacconus lib. 2. ſentent. d. 1. q. 1. art. 4. pro-
pe finem:explicatque maiorem illam propoſitionem,& ait,omne, quod ſibi derelictum , eſt
non ens,eamque poteſtatem habet, vt motus, vel mutationis ſubiectum eſſe poſſit : id omne
habet cauſam efficientem:huiuſmodi autem non ſunt Intelligentiæ, nec alia quæcunque en
tia;quæ æterna dicuntur. Et ſi arguatur;quia ſi quid de ſe eſt non ens : ergo requirit neceſſa-
riò cauſam largientem eſſe. Reſpondet;id quidem verum eſſe : tamen illam cauſam non eſſe
effi-

efficientem,ſed ſolùm finalem. Et tota ratio,cur efficiens cauſa non requiratur,eſt, quia ęter
na eam poteſtatem non habent,quæ efficienti reſpondeat;de qua quidem poteſtate iam ſu-
pra à nobis cumulatè diſputatum eſt. Tueantur qui velint hanc Bacconi reſponſionem: no- **Reſpõſio Bonamici, cui ſubſcribit autor.**
bis magis arridet altera reſponſio,quæ eſt nonnullorum Peripateticorum, ex recẽtiorum nu
mero,præſertim Franciſci Bonamici,lib.10.de Motu c.25.in extremo:qui concedit, Intelli-
gentias habere eſſe à ſe. Cùm verò quæritur,conſiſterent ne Intelligentiæ,ſi non eſſet Deus?
Reſpondet primùm,ſe ægrè hanc,vel id genus alias hypotheſes admittere, quæ nullo pacto
fingi poſſunt,tantùm abeſt,vt ratione apprehẽdantur.Qui enim fieri poteſt,inquit,vt Deus,
qui eſt ens neceſſarium,immò ipſamet neceſſitas,ponatur aliquando non eſſe? Nihilòminus
hoc poſito,tanquam quodàm abſurdo,quodque nulla ratione fieri poſſit, concedit,aſſeritq́;
fore,vt Intelligentiæ conſiſterent,cùm æternæ,& neceſsariæ ſint. Et cùm arguitur;ergo non
referebantur ad Deum,vt ad finem eſsentialem. Negat conſequentiam:quoniam tametſi ſe
cundum ſuam ſubſtantiam ſint à ſe;nihilominus ſecundum propriam operationẽ, ad Deũ,
vt ad finem præcipuum referuntur. Sunt qui hanc reſponſionem,tanquam falſam, & parũ **Inſtantiæ cõtra rñſionem Bonamici.**
Ariſtoteli conſentaneam,omninò refellant:abſurdum enim eſse putant, in Peripatetica phi
loſophia exiſtimare,Intelligentias à ſe,æternas,& neceſsarias eſse,ſicuti eſt Deus. Omnia e-
nim hæc attributa,perfectionem maximam indicant:quapropter Intelligentię,eandẽ,quam
Deus,perfectionem haberent, nec Deus ipſas perfectione anteiret. Quod ſi ita eſset,nulla
profectò ratio videretur,cur Intelligentię potiùs,ad Deum,tanquam ad finem, referrentur,
quàm oppoſito modo. Si enim a ſe ęternę,& neceſsarię ſunt; ergo nihil minùs perfectionis
habent,quàm Deus ipſe:cur igitur,ſicut illarum operatio ad Deum dirigitur, non etiã Dei
operatio ad illas dirigatur? Pręterea ne hoc quidem intellectus concipere poteſt, quomodo
ſcilicet,amoto Deo,Intelligentiæ conſiſtant:nam tunc earum ſubſtantia abſque operatione
maneret;cùm illud ampliùs non eſſet,ad quod,vt ad finem eſſentialem dirigebatur.Quæ ta-
men abſurda,quanuis ex illa falſa hypotheſi oriantur;magnam nihilominus intellectui per
turbationem afferunt;nec illis vllo pacto acquieſcere poteſt. Cæterùm hæc confutatio,quan **Solutio ex peripatetica doctrina.**
uis multa continet,quæ à veritate aliena non ſunt;nihil tamen olet ex Lyceo: vbi didicerũt
Peripatetici, Intelligẽtias omnes,quia æternæ,& neceſſarię ſunt,idcirco eſſe à ſe,ſicuti Deus,
hoc eſt à nullo vnquam effectas. Neque verò illud admittunt, Intelligentias omnes,quia ſunt
à ſe,ideò æqualis eſſe perfectionis:ordo enim vniuerſi,id expoſcit,vt altera alteram perfectio
ne antecedat;immò vt vna omnium perfectiſſima ſit,quæ appelletur Deus, quamque cæte-
ræ,vt ſuarum operationum finem reſpiciant. Quæ ſi amoueretur,non ideo tamen cæteræ In
telligentiæ aut perirent funditus,aut fine deſtitutæ,ocióſæ manerent;ſed ſua quęque munia
obirent:ita tamen,vt ad perfectiorem intelligẽtiam,tanquam ad Deum,& finem vltimum,
omnis cæterarum operatio dirigeretur. Secundum argumentum illud eſt: modus operandi **Arg. ſecũdũ.**
ſequitur modum eſsendi: Intelligentiæ in operando à Deo pendent:ergo & in eſsẽdò. Ar- **Reſponſio.**
gumẽtum hoc non mihi illius roboris,& firmitatis eſse videtur,quam fortaſse Illuſtriſsimus
Cardinalis exiſtimauit:nam aut maior propoſitio abſolutè falſa eſt:aut ſi quid veritatis ha-
bet,hoc ideo eſt,quia operatio eſsentiam neceſsariò ponit. Sicut ergo non valet hæc conſecu
tio; Serui in operando,a Domino pendent;ergo & in eſsendo:ita non valet; Intelligentiæ in
operando à Deo pendent;ergo & in eſsendo. Tertium,aut omnes Intelligentiæ ſunt æquè **Arg. tertium**
perfectæ,aut vna altera perfectior eſt:ſi ſunt æquè perfectæ;omnes igitur Dij ſunt: nec vlla
ſubordinatio eſt:nec magis hæc ad illam,quàm oppoſito modo refertur. Si autem non om-
nes ſunt æqualis perfectionis, ergo illæ imperfectiores non habent eſse à ſe;cùm nulla ratio
reddi poſſit,cur ſe cęteris imperfectiores fecerint:omnes igitur habent eſse à Deo. Hoc ar- **Reſponſio.**
gumentum facilè diluitur:dicendum enim eſt,non omnes Intelligentias æqualem perfectio
nem habere,idque propter ordinem,& pulchritudinem vniuerſi,quæ in rerum varietate cõ-
ſiſtit;eſse tamen à ſe,in eo ſenſu,quia ſcilicet ab alio effectę non ſunt. Quartum, quod ha- **Arg. quartũ.**
bet eſse à ſe,eſt propter ſe: Intelligentię non ſunt propter ſe,ſed propter Deum:ergo nõ hẽnt
eſse à ſe,ſed à Deo. Huic argumẽto reſponderet Bacconus,quod habet eſse omninò à ſe,a- **Rñſio Bacconi.**
deò vt ab alio,vt ab efficiente,vel vt à fine non pendeat,id ipſum eſse propter ſe, cuiuſmodi
eſt Deus: Intelligentiæ verò non ſunt omninò à ſe,quia pendent à Deo, in genere cauſæ fi-
nalis,hincque fieri,vt non ſint propter ſe,ſed propter Deum. Sed magis peripatetica eſt re-

Reſpõſio Bonamici magis peripatetica.

ſponſio Bonamici, qui, cùm putaret, ex Ariſt. ſnīa, Intelligentias habere eſſe à ſe; fatetur quoque eaſdem eſſe propter ſe; quod quidem non obiectiuè (vt vtar eius verbis) ſed formaliter tantùm intelligendum eſſe affirmauit. Sunt autem Intelligentiæ formaliter propter ſe; quia ſunt propter ſuam ſubſtantiam, & entitatem. Non ſunt verò propter ſe obiectiuè; quia illarum operationes Deum, vt obiectum, & finem præcipuum reſpiciunt.

### *Ariſtotelicæ ſententiæ defectus oſtenditur, & fidei Catholicæ veritas declaratur.* Cap. XIX.

HActenus Peripatetici fuimus, atq; germanam Ariſt. ſnīam, de modo, quo ea quæ ipſe æterna poſuit, à Deo pendeant, ſatis commodè patefecimus. Nunc autem extra eiuſdē Philoſophię pomeria, pauliſper euagabimur, ſuperoque lumine inſigniti, fidei catholicæ veritatem, in fine huiuſce diſputationis aperiemus.

Ariſto. error de re propoſita vnde ortus.

Errauit Ariſt. dùm efficientiæ rationem Deo eripuit: cuius quidem erroris præcipua occaſio fuit peruerſum illud dogma, de Mundi æternitate, quod ſibimet potiſſimùm aſſumpſit. Etenim, ſi æternus eſt Mundus, neceſſe eſt dicere, ipſum ſemper fuiſſe, atque adeo nunquam factum eſſe; cùm omnis propriè dicta effectio motum aliquem exigat, poteſtatemq; indicet in eo, quod efficitur: quæ certè in rebus æternis reperiri nullo modo poſſunt. Quapropter, vt Deum, tanquam primam cauſam, totiuſque vniuerſi Principē, atque Rectorem agnoſceremus, docuit Ariſt. ipſum eſſe finē præcipuum, quē entia omnia, atque potiſſimùm æterna reſpiciunt: ac deinceps, vniuerſum ab eodem in genere cauſæ finalis pēdere, aſſeuerauit. Neque verò Deum vnquam feriari putauit: ſed ab oī tēporum æternitate intelligendi munus exercuiſſe, ſummũq; principem ſe eſſe cognouiſſe, &, abſque vlla efficientia, ea omnia ab æterno pariter extitiſſe, quæ ipſi tanquā ſupremo principi neceſſaria erant. Hæc Ariſt. naturali tantum lumine illuſtratus, enunciauit:

Veritas Catholicę fidei.

ſed tamen abſolutam rei veritatem attingere nequiuit. Igitur, ſecundum fidem catholicam, aliter nobis philoſophandum eſt: illudq; in primis, tanquam firmum, & ratum ſtatuendum; Mundum videlicet non eſſe æternum: immò tantùm abeſſe, vt ęternus ille ſit, vt ne ex æterno quidē tempore ædificari potuerit, vt alibi probauimus. In tēpore igitur, aut cùm tempore conditus eſt, cùm antè omninò non eſſet: ac propterea effectorem habet, à quo pēdet: cùm autem nulla creatura eiuſmodi autor eſſe poſſit: quia nulla effecta non eſt; concludēdum neceſſariò videtur, ipſius vniuerſi effectorem eſſe Deum.

Deus ad aliquid efficiendū neq; motu, neq; tempore, neque materia indiget.

Ceterùm neque motu, neque tēpore indiget Deus ad aliquid efficiēdū: immò nec materia quidē vlla, ex qua aliquid efficiat; alioquin eminętioris perfectionis non eſſet, quàm ſint omnia hęc inferiora efficiētia: ideo ex nihilo res omnes effęcit, quodam effectionis genere, quæ creatio paſſim nuncupatur: quā quidem aut Ariſt. ignorauit, aut ſaltem, tanquam ſuis principijs repugnantem, ſe neſcire ſimulauit.

Interiores Dei operationes, & illæ quidē æternæ.

Porrò Deus nunquam fuit per totam æternitatē feriatus: ſiquidē etiam antequā Mūdus conditus eſſet, exercuit non modò intelligēdi munus, vt Ariſt. cenſuit: ſed etiam volendi: id verò, ratione alia, atq. ipſe excogitauit: quamque nunquam nec ipſe, nec quiuis alius Philoſophus, fidei lumine deſtitutus, intelligere potuit. Nanq; intelligēdi, atque volēdi actibus, quipppiam intra diuinam ſubſtantiam productum eſt, & etiam num producitur: eaque neceſſitate, vt omninò non produci non potuerit.

Diuinarum perſonarum productio.

Hincque æterna, & neceſſaria diuinarum perſonarū productio habetur: filij ſiquidem ab improducto patre, per actum intellectus, & Spiritus ſan. à patre, & à filio, per actum voluntatis. Fuit igitur ſemper in Deo hæc interior productio, eaq; ſola Deus adeò perfectus eſt, vt nulla vnquā re extrinſecùs indiguerit: alioquin, ſi quid illi opus eſſet, quod intra ſe non haberet, iam Deus non diceretur.

Deus, ſeipſo pfectus, nulla neceſſitate, ſed mera libertate, ac liberalitate mundum ædificauit.

Finge, Mūdum nunquam conditum eſſe, aut eundem nunc penitus aboleri: manebit nihilominus Deus, vſquequaq; perfectus: non enim Intelligētiæ, cęleſtia corpora, aut alia quæcunque ex eorum numero. quæ creata ſunt, vllam illi perfectionem addere poſſunt. Itaq; nulla neceſſitas fuit, quamobrem Deus cōderet vniuerſum: quia & abſque vniuerſo, fuiſſet Deus: ſed ipſum mera libertate, immò etiam ingenti liberalitate condidit, ſuamque bonitatem diffundere, & eam, cum rebus à ſe creatis cōmunicare voluit.

Deus eſt primū efficiens, & vltimus finis.

Quò factum eſt, vt res omnes, ab ipſo editæ, eundem, vt primum principium, primamque efficientem cauſam agnoſcant, atque etiam in illum, vt in vltimum finem, & in optimum quiddam, ſuas omnes operationes dirigant.

# DE MOTORE PRIMI ORBIS.

## Diſputatio Octaua.

*Diſputationis introductio.* *Caput Primum.*

EOrum, quæ Ariſtot. æternitatis prærogatiua gaudere, exiſtimauit, duo ſunt genera: alia enim permanentia: alia in fluxu poſita. Permanentia ſunt Intelligentiæ, cæleſtia corpora, materia prima, & elementa, ſecundum totam eorum ſubſtantiam conſiderata. In ijs autem, quæ influxu poſita ſunt, motus, & tempus præcipuè numerantur, quod tandem nil aliud re vera dixeris, niſi motum. De æternis permanentibus iam cumulatè ſuperiore diſputatione à nobis diſputatum eſt: vbi oſtendimus, Intelligentias, & reliqua omnia, quæ Ariſtot. æterna poſuit, à Deo tantummodo in genere cauſæ finalis, non etiam efficientis proficiſci. De rebus autem æternis, quæ in fluxu poſitæ ſunt, nobis nunc diſputandum videtur; ac potiſſimùm de motu: qui vt ſubiectum, in quo inhęreat; ita efficiens, à quo oriatur, neceſſariò expoſcit. Ariſtot. initio octaui libri de Phyſico auditu diſcutiendum propoſuit, fuerit ne ſemper motus ita, vt nunquam factus ſit: an potius aliquando cæperit; cùm antè omninò non eſſet? Concluſitque motum incæpiſſe nunquam; ſed ſemper fuiſſe: propterea quod, motu quocunque aſſignato, ſemper verum eſt, dicere, ante eum motum, alium eiuſdem generis motum in infinitum fuiſſe. Verùm, quoniam motus omnes particulares, qui in rebus hiſce inferioribus conſpiciuntur, quiete aliquando terminantur; ideo ratiocinando elicuit, ſucceſſionem æternam plurium particularium motuum conſtare nullo modo poſſe, niſi aliquis particularis motus alicuius particularis corporis reperiatur, qui, vt nunquam cæperit, ita nũquam finem habiturus ſit: quem quidem particularem motum dixit eſſe motum Cęli à quo æternitas motus, abſolutè ſpectati originem ducit. Porrò Cælum non vnum tantùm corpus eſt; ſed quiddam ex pluribus corporibus, ſeu orbibus aggregatum: quilibet enim orbis ſuum habet priuatum motorem; ita vt ex motore, & mobili vnum fiat, quod per ſe moueri dicatur; quodque in partem per ſe motam, & partem per ſe mouentem quodammodo diuidatur. Itaque cùm æterna ſint cæleſtia corpora, quæ mouentur, & æternæ ſint Intelligentiæ, quæ mouent; æternus pariter motus, à motore fluens, & in mobili receptus, dicendus erit. Quemadmodum ergo diſputatum à nobis eſt, an cęleſtia corpora, & Intelligentię, quę æternæ ſunt, habeant cauſam efficientem, à qua pendeant; ita nunc ſtatuendum arbitramur, an cælorum motus, cùm æterni ſint, efficientem cauſam habere poſſint, à qua fluant. Quoniam verò in toto ſphęrarum globo, vt multa mobilia corpora, & multæ motrices ſubſtantiæ, inuicem ſubordinatæ, reperiuntur; ita pariter multi reperiuntur ſubordinati motus, qui tandem à motu primi Cęli, tanquam ab eo, qui præter cæteros eſt præcipuus, legem, & ordinem accipiunt; ideo, cæteris motibus relictis, de motu tantummodo primi Cęli diſputaturi ſumus; quęrentes, ab vno ne tantùm, an à pluribus motoribus oriatur; habeatque cauſam verè efficientem, an ſolùm finalem, quemadmodum res æternæ, quæ permanentes ſunt. Quæſtionem hanc, quę inter difficillimas numeratur, paucis quidem, ſed tamen ordine aliquo examinabimus. Primùm, vt intellectus ad germanam Ariſtot. ſententiam intelligendã preparetur, opiniones pręcipuas, quæ hac de re in medium afferuntur, breui recenſebimus. Deinde opinionem illam, quæ magis Peripatetica erit, pro viribus explicare, atque etiam rationibus confirmare conabimur. Præterea obiectionib. quibus eadem aliquo pacto labefactari ſolet, ſatisfaciemus. Ad extremum quantùm Ariſtot. ſententia à fidei catholicæ veritate deficiat, aperiemus.

> Aeterna ſunt duplicis generis.
>
> Motus abſolutè ſpectatus æternus eſt.
>
> A motu cęli æternitas in cæteris motibus deriuat.
>
> Quæſtio diſcutienda.
>
> Ordo in diſputatiõe ſeruandus.

*De re propoſita opiniones præcipua,* *Cap. II.*

QVatuor itaque de difficultate propoſita præcipuas opiniones reperio. Prima eſt communis, ſatiſque celebris, videlicet, vnumquenque cęleſtem orbem duos motores habere: alterum proprium: communem alterum. Motorem proprium vocant Intelligentiam, or-

> Opinio communis.

bi applicatam. Motorem communem appellant primam Intelligētiam, ſiue Deum, qui nulli ei applicatus eſt. Dicunt ergo, qui hanc opinionem ſequuntur, Motorem proprium cuiuſlibet orbis ipſum tantummodo in genere cauſæ efficientis mouere. Motorem verò communem mouere vnumquēque orbem in genere cauſę finalis. Hanc opinionem ex veteribus Scholaſticis acerrimè tuetur Cardinalis Aureolus lib. 1. Sententiarum diſt. 42. queſt. 1. art. 1. propoſ. 3. Et videtur etiam fuiſſe opinio Auerrois 12. Metaph. comm. 41. quam defendit Iandunus 12. Metaph. queſt. 17, quamuis alij putent, ipſum ſtatuiſſe, primum motorem eſſe applicatum primo orbi, atque illum in vtroque genere cauſę mouere: id quod ex eodem 12. lib. comm. 43. & 44. paſſim eliciunt. Secunda fuit ſententia Alexandri lib. 1. quæſtionum naturalium, queſt. 1. & 12. Metaph. comm. 20. 29. & 34. qui putauit, vnumquenque orbem duos pariter motores habere; non tamen alterum proprium, alterum communem; ſed ambos proprios: alterum tamen coniunctum, alterum ſeparatum. Motorem coniunctum dixit eſſe rationalem animam: ſeparatum verò aſſiſtentem Intelligentiam. Exiſtimauit enim Alexander, cęleſtia corpora, cùm nobiliſſima ſint, nobiliſſima quoq; forma prędita eſſe debere: forma autem, omnium nobiliſſima, eſt anima; & inter animæ ſpecies, ea, quæ rationis particeps eſt. Itaque arbitratus eſt, celeſtia corpora rationalem animam, vt informantē formam habere; atque ab ipſa eorum motum, vt ab efficiente cauſa proficiſci: ab aſſiſtente verò Intelligentia, vt à cauſa finali. Arbitratus eſt inſuper, ex Ariſt. ſententia, tot eſſe Intelligentias, quot cęleſtes orbes: & per primam Intelligentiam intellexit Deum, qui primo orbi aſſiſtit, atque adeò motum primi orbis à rationali anima, vt à cauſa efficiente: à Deo verò, vt à cauſa finali proficiſci. Quod autem de motu primi orbis aſſeruit, idem quoque de motoribus cęterorum orbium intelligendum eſſe cenſuit. In hanc Alexandri ſententiā viſus eſt ex Arabibus irrepſiſſe Auicenna 9. Metaphy. cap. 3. qui tamen, pręter duos motores proprios, addidit motorem vniuerſalem, quē omnium finē eſſe perhibuit. Ex recentioribus verò Philoſophis Franciſcus Bonamicus lib. 10. de motu cap. 31. eandem firmiſſimè amplexatus eſt. Tertia fuit ſententia Gregorij Ariminenſis lib. 2. Sentent. diſt. 1. queſt. 1. art. 2. qui cum Ariſtot. putauit, nomine primę Intelligentię, non eſſe intelligendam Intelligētiam aliquam, ijs omnibus communem, quę cęleſtes orbes circumuoluunt, ſed ſupremum numen, hoc eſt Deū, qui proximè primo orbi coniunctus eſt, atque illum non ſolùm in genere cauſæ finalis, verùm etiam in genere cauſæ efficientis circunducit. Id quod etiam de inferioribus Intelligentijs affirmauit, quas tùm in ratione efficientis, tùm in ratione finis ſuos orbes mouere exiſtimauit. Et in hanc ſententiam Federicus Pendaſius lib. 8. Phyſice texture, par. 39. & Franciſcus Piccolomineus, lib. de Cęlorum motoribus cap. 17. inclinarunt. Quarta fuit ſentētia S. Thomæ 12. Metaph. com. 44. Scoti 1. Sent. diſt. 8. queſt. 5. & in quolib. queſt. 7. Bacconi 2. Sententiarum diſt. 16. queſt. vnica, art. 3. & Cardinalis Caietani, queſt. de immenſa Dei virtute: qui putarunt, orbes omnes inferiores vnicum tantùm motorem habere, & illum quidem ſeparatum, nimirum Intelligentiam aſſiſtentem: primum autem orbem, pręter primam Intelligentiam, ei applicatam, Deū quoque tanquam ſui motus pręcipuam cauſam obtinere. Statuunt enim, Deum, & primi orbis Intelligentiam duos ſubordinatos motores eſſe, atque vtrunque in genere cauſæ efficientis primum orbem mouere. Intelligentiam quidē proximè: Deum verò, Intelligentiæ interiectu: omnes autem inferiores orbes à propria Intelligentia, tanquam ab efficiente cauſa motum accipere.

Aureolus. Auerroes. Iandunus. Opinio Alexandri. Auicenna. Bonamicus. Opinio Gregorij. Pendaſius. Piccolomi. Opinio San. Thomæ. Scoti. Bacconi. Caietani.

### *Probabilior ſententia explicatur; primoq; Deus oſtenditur mouere primum Cœlum in genere cauſæ finalis.* Cap. III.

EX quatuor iam relatis opinionibus, ſi abſolutam rei veritatem ſpectemus, quę eſt veritas catholicę fidei, poſtremam, quę fuit San. Thomæ, Scoti, & aliorum, longē cęteris anteferendam eſſe cenſeo. Si verò puram, atque ſynceram Ariſtot. mentem indagare velimus, à tertia ſententiā, quæ fuit Gregorij Ariminenſis, non arbitror recedendum: ea enim Philoſophiam Peripateticam maximè redolet, & Ariſt. fundamētis facillimè ſuſtinetur. Pro cuius faciliore intelligētia propoſitiones aliquot afferemus, quę ita inuicē aptæ, atq; connexę ſunt, vt aliā aliā neceſſariò conſequatur: eas tū non oēs probabimus; ſed nōnullas, tanquā

Autor defendit ſententiā Greg. Arim. vt probabiliorem.

aliqui

aliqui probatas,ex Ariſt.ſnīa,nūc ponemus:aliquas verò,quæ magis intimè ad rē hanc atti
re videntur,cū ne rōnibus,tùm & Ariſt,autoritatib.cōfirmabimus. Prima igitur propoſitio Pro intelligētia probabilioris ſniæ.
ſit hæc; Cęlum nulla ſpecieanimæ animatum eſt,nec vllam prorſus informantem formam
habet. Secunda,quilibet orbis propriam habet Intelligentiam aſſiſtentem, à qua tùm vt Prima propoſitio.
ab efficiente,tùm vt à finali cauſa mouetur. Tertia,Intelligentia primi orbis non eſt ex nu Secunda.
mero ſecundarum Intelligentiarum,ſed eſt abſolutè prima Intelligentia,quę vocatur Deus. Tertia.
Quarta,Intelligentiæ omnes tàm prima,quàm ſecundæ,vt per ſe æternæ, & neceſſariæ, ita Quarta.
virtute finita præditæ ſunt. Quinta,quò ſuperior eſt aliqua Intelligentia, eò perfectior dici- Quinta.
tur:ideò Intelligentia primi orbis omnium perfectiſſima eſt. Sexta,omnes inferiores Intelli Sexta.
gentiæ ex ſe habent mouendi virtutem:tametſi omnes ſuas operationes in ſupremam Intel-
ligētiam,tanquam in optimum quiddam,& finem præcipuum dirigant. Relictis multis pro-
poſitionibus,quæ ſolùm à nobis,vt diximus,facilioris intelligentiæ cauſa,poſitæ ſunt: non-
nullas tantùm probabimus,ex quibus propoſitæ difficultatis enodatio pendere potiſſimùm
videtur. Probandum igitur primò eſt, Deum,qui abſolutè primum mouēs nuncupatur,mo- Deus mouet primum orbem in genere cauſæ finalis.
uere primum orbem in generę cauſæ finalis. Etenim Deus,cùm perfectiſsimus ſit, in eo ge-
nere çauſæ mouere debet,quod omnem imperfectionem excludit, quodque perfectionē ma
ximam indicat:hoc autem eſt genus cauſæ finalis:igitur Deus mouet primum orbem, in ge- Arg. primū.
nere cauſæ finalis. Minor propoſitio perſpicua eſt ex 2. Metaph.tex.8.atque ex 3.eiuſdem
operis libro tex.3.vbi habemus,conditionem finis,eſſe bonum,& eum,qui finem aufert, bo-
num pariter auferre:eùm finis illud ſit,cuius gratia cætera ſunt,& gratia boni cuncta eſſe di
cantur. Præterea ille Motor,qui dum mouet,omninò ſeruatur immobilis,mouet vt finis:ſed Arg.ſecūdū.
Deus, vt inter omnes conſtat,ab omni motu prorſus immunis eſt:ergo dum mouet,vt finis,
mouet. Maior propoſitio elicitur ex Ariſtotele 12.Metaph.tex.36.vbi expreſſis verbis aſſe-
rit,ea,quæ mouent,quatenus amantur,& deſiderantur,mouere non mota, hoc eſt immobi-
lia penitus eſſe;concluditque,primum principium,quod eſt Deus,mouere,vt amatum,& de
ſideratum,vt appetibile,& intelligibile. Rurſus,ita ſe habet Deus ad vniuerſum, vt Rex ad Arg.tertiū.
ciuitatem,& Regna:eſt enim princeps vniuerſi;immò etiam vnus princeps, vt docet Ariſt.
12.Metaph.tex.vltimo: ſed,vt conſtat apud ipſum 5.Metaph.cap.1.ciuitates, & Regna re
feruntur ad principem,vt ad finē;igitur ea omnia, quæ in vniuerſo ſunt, Deum Opt. Max.
tanquam finem reſpiciunt;atque adeo & primum mobile,& primus motus à prima Intelli-
gentia,vt à çauſa finali proficiſcitur. Denique illa perfectio, quę inferioribus Intelligentijs Arg.quartū.
tribuitur,ſupremę Intelligentię eripienda non eſt:ſed inferioribus Intelligentijs id tribuitur,
vt ſcilicet ſuos orbes in genere cauſę finalis circunuoluant;non igitur hoc idem à ſuprema In
telligentia remouendum eſt. Minor propoſitio elicitur ex Ariſt.12.Metaph. tex.48.vbi do-
cet, Intelligentias omnes orbibus aſſiſtere,ſuarumque lationum fines eſſe.

### *Oſtenditur, Deum mouere primum orbem etiam in genere cauſæ efficientis. Cap. IV.*

PRobatur prętereà, Deum eſſe primum mouens,in genere quoque cauſæ efficientis:ratio Prima ratio.
nes,& autoritates multę ſunt,ſed afferam præcipuas. Prima elicitur ex 2.Phyſ.tex.73.v-
bi Ariſt.de cauſa efficiente apertiſſimè verba faciens,docet,duo eſse mouētium genera, quę
Phyſicè mouent:alterum quidem phyſicum,& eſt illud, quod in ſe ipſo motus principium
habet:alterum verò non phyſicum,& eſt illud,quod in ſe ipſo motus principium nullum ha
bet:quia ſcilicet ita mouet,vt non moueatur;hoc autem eſt mouens,omnium primum, pe-
nituſque immobile. Tunc liceat ſic argumentari; Mouens,omnium primum, quod eſt peni-
tus immobile,cùm dixit Ariſt.aliud nihil,niſi Deum intellexit:illud autem mouens dixit mo
uere in genere cauſæ efficiētis,cùm de cauſa efficiente ibi loquatur; ergo Deus, ex ſententia
Ariſ.mouet in genere cauſę efficientis. Secunda ratio elicitur ex 8.Phyſ.tex.27.vbi Ariſ.ad Secunda rō.
confirmandum peruulgatum illud theorema,omne,quod mouetur,ab alio mouetur, diuiſio
nem quandam mouentium,atque mobilium ponit;ibique,vt perſpicuum eſt,de cauſa effi-
ciente loquitur; nam ſi de fine tantùm locutus eſset,non contēdiſset probare, quicquid mo
uetur,ab alio moueri;ſed alterius grā moueri. Multa igitur mouentia,atq; mobilia ibi Ariſ.
diuidit,& ſubdiuidit,donec ad primū motorē perueniat,quē,tā per ſe,q̄ ex accidenti, immo

bilem eſſe, oſtendit. Nunc ita argumentemur; Deus, in ordine mouentium, in genere cauſæ efficientis, eſt primum, à quo cætera pendent; eſtq; motor penitus immobilis: igitur non ſolùm eſt motor, vt finis, verùm etiam vt efficiens.

Tertia ratio.

Tertia ratio elicitur ex eodem 8. Phyſic. tex. 48. vbi docet Ariſt. ſi motus perpetuus eſt, fore neceſſariò, vtq; & primũ mouens perpetuũ ſit: & querẽs ſit ne primũ mouens, vnum, an plura? tandẽ concludit, vnum, & immobile eſſe, & illud quidem cęterarum rerum motus principium exiſtere: id, quod etiam 12. Metaphy. pluribus in locis confirmauit. Tunc ſic; Deus immobilis eſt, & principium motus cęterarum rerum; igitur non ſolum in genere cauſę finalis, verùm etiam efficientis cuncta mouere dicitur.

Quarta rõ.

Quarta ratio educi poteſt ex eo. libro tex. 78. & 79. atq; hunc in modum concludi; Deus in eo genere cauſę primum orbem mouere dicitur, quod ea potiſſimùm media indicant, quę Ariſt. ſumpſit, ad probandũ, primum mouens corporeę magnitudinis expertẽ eſſe: ſed illa media indicãt genus cauſę efficientis; Deus igitur mouet primũ orbẽ, in genere cauſę efficientis. Probatur minor; ex eo .n. Ariſt. elicit, primum mouens magnitudine carere, quia aut eſſet virtus in magnitudine finita, aut in magnitudine infinita: & rurſus, cũ infinita magnitudo dari nõ poſſit, aut in magnitudine finita eſſet virtus finita, aut infinita: nõ finita, quia ſi alterius finitę ſubſtantię virtus augeretur; tunc illa propriũ mobile velociùs moueret, quàm primũ mouens: nec infinita, quia tẽporis momento moueret. Conſtat autẽ, mouere velociùs, & mouere momento, non propriè finem motus, ſed veram eiuſdem efficientiã indicare: igitur tanquam perſpicuum relinquitur, primum mouens, non ſolùm in genere cauſæ finalis, verùm etiam in genere cauſę efficientis, primum mobile circunuoluere.

Cur abſolutè interdum primum mouens dicatur mouere celũ i genere cãæ finalis.

Et quòniam mouere in ratione finis nobilior, atque perfectior mouendi modus eſt, quàm in ratione efficientis; hinc fit, vt in Peripateticorum ſcholis frequentius audiatur, primum mouens mouere Cęlum in genere cauſæ finalis: tametſi qui rectè Ariſt. ſenſa percipient, nunquam Deo efficientiæ rationem ad motum eripient.

## *An Deus, ex Ariſtot. ſententia, primum orbem proximè moueat, opinio Ianduni. Cap. V.*

Caput diſputationis.

Illud nunc diſputatione aperiẽdum videtur, quod totius difficultatis eſt caput, & de quo inter celeberrimos Philoſophos magna diſſenſio eſt: ſit ne Deus prima Intelligentia, primo orbi proximè applicata, quem in vtroque genere cauſæ moueat: an eundem potiùs, inferioris alicuius Intelligentiæ interuentu circunducat. Ioannes de Ianduno, Philoſophus acutiſſimus; atq; in Auerrois doctrina exercitatiſſimus, 12. Metaphy. queſt. 17. poſteriorem partem, tanquam ex Ariſt. probabiliorem, ſecutus eſt. eamque nonnullis rationibus, atque etiam Auerrois autoritatibus comprobauit.

Prima ratio Ianduni, qua probat Deũ non eſſe primam intelligentiam primo orbi applicatam.

Primò ſic argumentatur: Præter id, quod, vt amatum, & deſideratum mouet, aliud profectò mouens ponendum eſt, quod, vt amans, & deſiderans moueat: ſed primum principium mouet, vt amatum, & deſideratum, vt ait Ariſtot. 12. Metaphy. tex. 36. ergo pręter primum principium, mouens aliud ponere neceſſe eſt, quod, vt amans, & deſiderans moueat: hoc autem aliud non eſt, niſi Intelligentia primi orbis, quę proximè, vt cauſa efficiens, ipſum perenni motu circunuoluit.

Secunda rõ.

Prętereà, quicquid motum efficit, illum ſanè efficit, propter aliquid ſe nobilius, vt docet Ariſtot. 2. de Coelo tex. 64. ſed primum mouens aliquid ſe nobilius habere non poteſt; cùm ſit optimum in natura; ergo motum primi Cęli proximè non efficit.

Tertia ratio.

Ad hęc, ſi primus motor primum orbem proximè moueret, tunc illum temporis momento moueret, quod certè fieri nulla ratione poteſt. Conſecutionem probat: cùm enim virtus, quæ cauſa eſt æternitatis motus reliquis omnibus virtutibus maior ſit, dubio procul minus temporis in mouendo exigit, quàm alia quæcunq; virtus; ſed ſi aliæ virtutes ſimul ponantur, ex illis quædam orietur virtus, quæ breuiſſimo tempore mouere poterit; ergo neceſſe eſt, vt virtus omnium ſuprema, ſi proximè moueat, nihil omninò temporis ad mouendum depoſcat; atque adeo momento temporis moueat.

Cõfirmatio ex Auer.

Confirmat Iandunus hanc ſententiam autoritate Auerrois 8. Phyſ. comm. 79. & 12. Metaphy. comm. 41. vbi docet, primum motum à duplici motore pendere: quorum alter eſt finitę, alter verò infinitę motionis. A primo, qui cum orbe coniunctus eſt proximè motum effici aſſeuerauit. Ab altero verò, qui ſeparatus eſt, motus ęternitatem exoriri. Noluit igitur

Commentator, primum principium, quod eſt Deus, quodq; virtutem habet, ſecundum durationem, infinitam, magnitudini, vt ſubiecto, annexum eſſe, neq; etiam ad vllum mobile corpus applicationem habere: ſed motorem penitus ſeparatum, & eſſe, & iure optimo nuncupari. Hanc ſententiam San. Thomas, Scotus, Caietanus, & alij huius claſſis autores amplexati ſunt: cùm enim, ex Ariſt. placito, Deum infinita virtute prædítum eſſe, ſtatuiſſent; profectò aſſerere coacti ſunt, aliam dari Intelligentiam, & illam quidem finitæ virtutis, cui primi orbis circumuolutio proximè aſcribatur: alioquin, ſi Deo aſcriberetur, orbis ille momento temporis moueretur. Sed ratio quædã eſt, his oĩbus cõis, quę hunc in modũ confici ſolet. Nulla eſt neceſſitas, nec vlla cõgruẽtia, cur Deus primũ Cęlũ proximè moueat; ergo danda eſt aliqua Intelligẽtia, ei applicata, à qua proximè moueatur. Nullã eſſe neceſſitatem ex eo probant, quia Deus ad motum quoq; cæterorum orbium, vt cauſa efficiens, omninò concurrit: eis tamen applicatus non eſt; igitur quemadmodum illi orbes proximè à proprijs Intelligentijs circumuoluuntur, & Deum præterea, vt efficientem cauſam expoſcunt; ita primus orbis à prima Intelligentia ei applicata, vt ab efficiente proximo moueri poterit; cùm Deus vniuerſalis cauſa motus ſtatuatur. Nullam verò eſſe congruẽtiam, ita oſtendunt: nam abſonum eſt, vniuerſi Principem ea ipſa munia obire, quæ ab eius ſubditis ſuſtinentur: Deo autem ſubditæ ſunt Intelligentiæ, & illę quidem cęleſtibus orbibus mouendis addictæ ſunt; ab hoc igitur munere ipſe vacare debet, eminentiorq; illi efficiẽdi ratio tribuenda eſt, ne molæ perpetuò alligatus cenſeatur.

*S. Tho. Scot. Caiet. & alij eiuſdem ſententiæ.*

*Ratio cõmunis, & valdè probabilis pro hac ſentẽtia.*

### *Intelligentiam, primum orbem proximè mouentem, ex Ariſtotelis ſententia, Deum eſſe.* Cap. VI.

ABſolutam quidem rei veritatem præſefert opinio illa, quæ ſtatuit, Deum nullum orbem proximè mouere: ſed eſſe ſupremam Intelligentiam, quæ inferioribus Intelligentijs mouendi virtutem impertiatur; cùm ipſe per ſe immobilis omninò ſit: Intelligentiam verò, primo orbi applicatam, eumq; continẽter mouentem, tametſi prima nuncupatur; non eſſe tamen abſolutè primam; ſed primam inter inferiores, quia maiorem, & nobiliorem mouendi virtutẽ à primo motore, qui eſt Deus Opt. Max. receperit, quẽadmodum S. Thomas, Scotus, Caietanus, atq; alij Scholaſtici Doctores arbitrati ſunt. Contingere etiam poteſt, vt hoc idem Auerroes, qui hac in re varius, ſibiq; ſæpè diſſimilis fuit, aliquando protulerit, vt Iandunus exiſtimauit. Hanc autem veritatem Ariſto. percepiſſe, atq; in ſua Philoſophia promulgaſſe, nemo profectò, qui ea, quæ 8. lib. de Phyſ. auditu, & 12. Metaphy. ſcripta reliquit, diligenter perpenderit, affirmare vnquam audebit. Etenim 8. lib. Phyſic. cùm oſtendiſſet, motum antè, retroq; æternum eſſe: motum omnem tàm mouẽs, quàm mobile neceſſariò depoſcere; quicquid mouetur, ab alio moueri: tandem, ne in mouentibus, & motis in infinitum abiretur, nos ad vnum primum motorem, penitus immobilem manu duxit: quem quidem, vt immobilem, ita æternum, & à magnitudine ſecretum eſſe, probauit; omnibuſq; perfectionibus, quæ ipſi conuenire poſſunt, inſigniuit. Duxit quidẽ nos Ariſtot. ad hunc primum motorem, penitus immobilem, in 8. Phyſ. ſub dubio tamen reliquit, vnus ne ſit hic primus motor, an plures: & ſi plures, numero ne finiti, an infiniti: & ſi finiti, quotnam tandem illi ſint, id, quod poſtea 12. lib. diuinæ Philoſophiæ omninò aperuit, ac ſecundum propriam ſententiã definiuit. Nanq; tex. 41. non oblitus eorum, quæ 8. phyſ. docuerat, iam ſe oſtendiſſe affirmauit, quandam reperiri ſubſtantiam æternam, immobilem, à rebus ſenſibilibus ſeparatam, omni magnitudine carentem, ac penitus impartibilem. Nominè autem huius æternæ ſubſtantiæ, quanuis primam ſubſtantiam, quæ Deus eſt, animo conceperit; optimam nihilominus docendi methodum attendens, confuſum quippiã, hoc eſt totum ſubſtantiarum abſtractarũ genus, intellexit, quod quidem nomine primi mouentis tunc ſignificauit, ad quod vt infinitam illam progreſſionem euitaremus, deueniendum tandem eſſe demonſtrauit. Vt hinc eliciamus, eſſentialia omnia prædicata, quæ primo motori Ariſtot. tribuit, cæteris quoque ſeparatis ſubſtantijs eundem tribuiſſe: omnes enim Intelligentias per ſe æternas, immobiles, neceſſarias, à rebus ſenſibilibus ſeparatas, magnitudine carentes, & impartibiles iudicauit. Id cùm ita ſe habeat, diſcutiendum proponit, tex. 42. eiuſdem 12. libri, in hoc genere abſtracta-

*Ianduni opinio abſolutè vera; non tamen Peripatetica.*

*Auer. hac in re varius.*

*Notabilis ratiocinatio, qua oſtenditur, Ariſt. nullũ aliũ Deũ, niſi primi orbis intelligẽtiam cognouiſſe.*

*Quid nomine æternæ ſubſtãtię mouẽtis, ac penitus immobilis 8 li. Phy. Ariſt. intellexerit.*

Secundū numerum cœleſtium orbiū ſeparatarum ſubſtantiarū numerū Ariſt. indagauit. ſtractarum mentium vna ne tantùm ſubſtantia,an plures reperiantur? Cumque præter primam ſubſtantiam mobilem, quam ipſe ſtellatum Cęlum eſſe putauit, errantium quoque Stellarum lationes perſpiciantur;concluſit tex.43.tot eſſe abſtractas ſubſtantias mouentes, quot ſunt ſubſtantiæ mobiles,quæ irrequieto motu circunferuntur;ita enim ſcribit,*conſtat itaque neceſſe eſſe,tot ſubſtantias eſſe,natura perpetuas,& per ſe immobiles,& abſq; magnitudine,* ſi igitur,ſecundum numerum cæleſtium orbium, ſeparatarum mentium numerum Ariſtoteles indagauit;liquidò iam vnicuique conſtare debet,ex Ariſtotelis ſententia, nullam aliam Intelligentiam ponendam eſſe,præter illas,quæ cęleſtibus orbibus præſtò adſunt; atque adeo nullum alium Deum,niſi Intelligentiam primi orbis,Ariſtotelem cognouiſſe. Etenim quanuis Intelligentiæ omnes,quo ad intima,& eſſentialia prędicata inter ſe conueniāt; Indagatio primę Intelligētiæ, quæ Deus eſt. nihilominus,vt vniuerſi perfectio clariùs refulgeat,ordinem quendam inter ſe inferioris, & ſuperioris conſeruant,ratione cuius maiorem,aut minorem perfectionem habere dicuntur: quò enim ſuperior orbis eſt,eò perfectiorem Intelligentiam obtinet: ac proptereà, ob congruentem totius vniuerſi diſpoſitionem,concluſit Ariſtoteles in fine 12.libri,dandam eſſe vnam ſupremam Intelligentiam,omnium perfectiſſimam,à qua,veluti ab vniuerſi principe, atque rectore,res omnes gubernentur,quamque,vt finem præcipuum,& cæteræ Intelligentiæ,& omnia,quæ tota hæc vniuerſi moles complectitur,reſpiciant; quam quidem intelligētiam Deum Opt. Max,eſſe exiſtimauit. Hanc putant grauiores Interpretes, vt Piccolomin. Pendaſius,& alij plures,cùm veteres,tùm recentiores,germanam Ariſtotelis ſententiam extitiſſe:quibus ego,rationibus,& autoritatibus,in vtranque partem adductis,diligenter expēſis,libentiſſimè tandem ſubſcripſi.

## *Ianduni,& aliorum ſuperiùs propoſitæ rationes explicantur.* *Cap. VII.*

CVm iam,ex Ariſt.ſententia,decretum ſit,motorem primi orbis non eſſe Intelligentiam aliquam è ſecundarum numero, ſed Intelligentiam abſolutè primam,hoc eſt Deum, qui ipſum, in vtroque genere cauſæ, perpetua reuolutione conuertit;nunc argumenta Ianduni,& aliorum,quæ oppoſitum probare videntur,nobis pro viribus diluenda ſunt. Primum Succus Alexandri ſententiæ. argumentum,quicunque Alexandri partes tuentur,eius ſententiæ accommodare facilè poſſunt:dicerent enim,id, quod in primo orbe intelligibile,& expetibile eſt, nil aliud eſſe, niſi Deum,qui proximè cum illo orbe coniunctus eſt;eumque in genere cauſæ finalis perpetuò mouet:id autem,quod intelligit,& expetit,eiuſdem orbis rationalem animam eſſe, à qua,vt ab efficiente cauſa circunuoluitur. Nos autem,qui cęleſtia corpora prorſus inanimata eſſe Ad primum argumētum Ianduni. defendimus,vt alia diſputatione oſtendemus,argumentum illud aliter explicare tenemur. Explicat famoſa propoſitio Ariſtot. 12. Met. tex. 36. Itaque pro eius ſolutione obſeruandum duximus,famoſam illam propoſitionem, quæ legitur apud Ariſtotelem 12.Metaph.tex.36.videlicet *primum principium vt appetibile,& intelligibile mouet,* non de ſola prima ſeparata ſubſtantia,ſed de omnibus nullo delectu,intelligendam eſſe:nondum enim Ariſtot.definiuerat,ſit ne vnum tantùm principium,æternum, neceſſarium,& immobile,quod eo modo moueat,an plura:quod poſtea eodem libro tex.43 abſolutiſſima definitione perſcripſit. Itaque omnis Intelligentia proximè cum ſuo orbe coniuncta eſt,& ſuum orbem in genere cauſæ efficientis proximè mouet. Sed finis præterea proprij motus appellatur:cùm vnaquæque ſuam bonitatem,atque perfectionem expetat;quanuis omnium ſuprema,quòd optimi rationem habeat,ab omnibus expetibilis eſt,finiſque omnium præcipuus eſſe dicitur,vt inferius paulò apertiùs explanabimus. Nunc argumenti ra- Formalis argumenti ſolutio. tionem ineamus. Concedenda igitur eſt maior propoſitio,qua dicebatur,præter id, quod,vt amatum,& deſideratum mouet,aliud ponēdum eſſe,quod,vt amans,& deſiderans, moueat: ſed cum hac limitatione,quotieſcunque amatum,& deſideratum, & amans,atque deſiderās in vnum re ipſa non coeant. Iam verò tam in primo orbe,quàm in cæteris,id,quod amat,atque deſiderat,ab eo,quod amatur,& deſideratur diſtinctum non eſt;ſed vnum,& idem re ipſa cenſentur;quanuis illud vnum diſtinctas formales rationes obtineat. Quælibet igitur Intelligentia,vt à ſemetipſa intelligibilis,& expetibilis eſt,ſuum orbem, in genere cauſæ finalis circunuoluit:vt verò ſemetipſam intelligit,& expetit,eundem in genere cauſæ efficientis circunducit. Ad ſecundū. Secundum argumentum eadem reſponſione diluitur:fatemur enim,quicquid motum

tum efficit, illum efficere propter aliquid ſe nobilius; ab ſe tamen aut re ipſa, aut formali tantùm ratione diſtinctum: id, quod in primo mouente facilè deprehenditur: primum enim mouens, vt amatum, & deſideratum, atque vt finis proprij motus, ſemetipſo quatenus amat, & deſiderat, propriumque motum efficit, nobilius eſt, ſiquidem ratio finis nobilior, atque perfectior eſt ratione efficientis. Ad tertium neganda eſt conſecutio. Ad probationem reſpõdendum, nullam virtutem, quantumuis perfectam, momento temporis mouere poſſe, niſi ſecundum intenſionem infinita ſit: virtus autem primi motoris, ex Ariſtotelis ſententia, infinita non eſt, vt 12. Metaphyſicorum quæſt. 15. ipſe quoque Iandunus exiſtimauit: quare, cùm omnium perfectiſſima ſit, ſequitur quidem, vt breuiſſimo temporis ſpacio ampliſſimum circuitum abſoluat, qualis eſt primi mobilis reuolutio; momento verò nequaquam. Et ſi aliarum Intelligentiarum virtutes ſimul iungerentur, aut etiam ita augerentur, vt ex illis, ſimul iunctis, maior virtus, quàm ſit virtus primi motoris, exoriretur; tunc illa virtus, cùm itidem finita eſſet, adhuc breuiore tempore, non tamen puncto, aut articulo temporis mouere poſſet. Confirmatio ex Auerroe ſumpta, parùm nobis obeſſe poteſt: quicquid enim ipſe hac de re ſenſerit, non laboramus; cùm præſertim apud omnes conſtet, eum hac in re non ſibi conſtitiſſe: aliud enim 8. Phyſic. & 12. Metaphyſ. aliud verò primo cap. libelli de ſubſtantia orbis aſſerere viſus eſt. Hoc certò ſcimus, poſitionem illam de duobus motoribus, altero finitæ, altero infinitæ motionis, Ariſtotelicam non eſſe: cùm in quoque orbe vnicum tantùm motorem, finitum ſecundum virtutem, infinitum verò ſecundum durationem Ariſtoteles ſtatuerit. Sunt tamen, qui Auerroem cum Ariſtotele conciliare nitantur; aiunt enim, per duos motores, vnum tantùm motorem, ſecundum ſubſtantiam, Auerroem intellexiſſe; qui tamen quaſi duorum motorum munere fungantur, quatenus ſuum orbem, & vt finis, & vt efficiens circunducit: verum hoc nihil ad nos. Ad rationem Scholaſticorum negandum eſt antecedens, quo ad vtranque partem. Ad primam probationem negandum eſt, Deum, vt efficientem cauſam, ad motum inferiorum orbium concurrere; cùm quilibet orbis à propria Intelligentia, vt ab efficiente, & vt à fine moueatur, quare neceſſe eſt, vt etiam primus orbis coniunctam ſibi habeat primam Intelligentiam, à qua proximè, vt ab efficiente, & vt à fine, pariter moueatur. Ita Ariſtoteles, qui præter Intelligentiam, primo orbi applicatam, ſuperiorem Intelligentiam non agnouit, huic probationi ſatisfaceret. Ad alteram probationem reſpondendum eſt, valdè abſurdum fore, principium illud, quod ſecundum ſuã ſubſtantiam actu eſt, omnique potentia vacuum, vt 12. Metaphyſ. tex. 30. Ariſtoteles docet, iners iacere, & ſine vlla motione feriari. Neque enim primo orbi applicatum illa eadem munia ſuſtinet, quæ aliæ ſubditæ illi Intelligentiæ preſtant: ad eas namque particulares tantùm motus pertinent; illud verò, cui vniuerſi principatus aſcribitur, vniuerſalis motus opifex eſt, qui ſanè cæteris quibuſcunque motibus longè nobilior, atque præſtantior iudicatur. Neque rurſum hoc primum principium, quod eſt Deus, quoniam primo orbi præſtò adeſt, tanquam mercenarius quidam, operoſo labori perpetuò addictus, cenſendum videtur; quia dum orbem mouet, ſola virtutis applicatione mouet; vt in mouendo haudquaquam laboret, nec vlla prorſus defatigatione laxetur: neceſſitate igitur fit, & congruentia, vt primum orbem proximè moueat.

Ad tertium.

Ad cõfirmationẽ ex Auerroe.

Ad communem Scholaſticorum rationem.

*Franciſci Bonamici obiectiones aduerſus prædictas ſolutiones.* Cap. VIII.

FRanciſcus Bonamicus, Philoſophus celeberrimus, hac in re; vt pluribus etiam in alijs, Alexandri ſectator, lib. 10. de Motu cap. 31. ægrè ferens, Deum, in Ariſtotelis doctrina, efficientem cauſam motus Cęli nuncupari, pluribus rationibus oſtendere nititur, in Cęlo id, quod intelligitur, & appetitur, re ipſa ab eo, quod intelligit, & appetit diſtinctum eſſe: atque adeo, id, quod cæleſtem motum efficit, & id, quod eiuſdem motus finis eſſe dicitur, in vnum recidere nequaquam poſſe; quæ quidem rationes, ad veritatem planius aperiendam, nobis recenſendæ, atque etiam explicandæ ſunt. Deum igitur, ex Ariſtotelis ſententia, vt finem tantummodo, non etiam vt efficientem, cęlum mouere, ita primum oſtendit. Diſputans enim Ariſtoteles de eo, quod à primo principio conuerſione mouetur, illud aſſerit, abſque vlla controuerſia, cęlum eſſe; eiuſque motum inde oriri, quia

Prima obiectio.

mo-

mouens amatur, & intelligitur: neceſse eſt igitur, inquit, vt mobile amet, atque intelligat: ſed mobile eſt cęlum; ergo cęlum amat, & intelligit Deum, non autem Deus amat,
Secunda. & intelligit ſe ipſum. Præterea, ſi Deus, vt efficiens, Cælum moueret, tunc Ariſtoteles cum finem non attigiſset, quem in 8. lib. Phyſicorum præcipuè intendit: vt ſcilicet poſt varia mouentia, atque mobilia, ad vnum primum motorem penitus immobilem nos tandem perduceret: primus autem motor non eſset penitus immobilis, ſi, vt efficiens, moueret,
Tertia. tunc enim à fine neceſsariò moueretur. Rurſus 12. Metaphyſ. diſcutiendum propoſuit Ariſtoteles, quanam ratione primum principium mouere dicatur; ibique ſtatim, vt finem, illud mouere, nulla prorſus efficientis cauſæ habita mentione, definiuit. Quòd ſi quis dicat, Deum, vt efficientem ſimul, & finalem cauſam mouere, ſuique ipſius appetitu duci; finiſque tantummodo rationem, tanquam nobiliorem expreſſam eſſe. Refellit Bonamicus, quia tunc Deus nihilominus mobilis diceretur; cùm à ſemetipſo motum acciperet:
Quarta quod tamen eſſe nullo modo poteſt. Nanque appetitus ab indigentia, & priuatione naſcitur: Deus verò nullius rei indigens eſt; in eo igitur appetitus reperiri non poteſt. Quid
Quinta enim appeteret? ſemetipſum fortaſſe? Minimè verò, quia tunc appeteret quod ſemper haberet; & forma formam cuperet, quod eſt contra Ariſtotelem primo Phyſic. text. 81.
Sexta. Ad hæc, aut Deus explet animum ſuum, per ſe mouendo, vt ſibi ſatisfaciat: aut propter Cęlum ipſum, ne deſidia capiatur, & otio tabeſcat: aut quia inde reliqua beneficiũ ſint aliquod acceptura. Hoc quidem poſterius dati non conuenit: nam ſola finis conditio ſatis eſt, vt alia ab eo beneficium accipiant. Neque ſecundum; quia tunc eius vita ad alterum foret, atque adeo ſeruilis, & infima. Si verò primum admittatur, vt Deus ſcilicet, propter ſe ipſum, Cælum moueat; tunc externa re indigeret, vt ſuo munere fungeretur: eiuſque actio neceſſariò corporea, & organica eſſet; ſiquidem ad explendum ſuum de-
Septima. ſiderium, corpore vteretur. Huc accedit, quòd ſi Deus, vt efficiens, cælum moueret; tunc ſemetipſum per accidens moueret, quia quatenùs Cælo annexus moueret: id autem omne
Octaua. caducum eſſe 8. lib. Phyſic. tex. 52. Ariſtoteles docuit. Ad hæc, Ariſtoteles primo de Cælo tex. 100. rationem reddens, cur Deus immutabilis prorſus dicatur, eam, inquit, eſſe, quia nihil aliud melius eſſe poteſt, à quo moueatur: ſi igitur in Deo eſſet appetitus, quo ſe ipſum appeteret, tunc in eodem ſubiecto melioris, & deterioris ratio reperiretur, quod eſt maxi-
Nona. mum abſurdum. Neque verò eò confugias, ait Bonamicus, dari videlicet in ſubſtantia diuina, id, quod appetit, ab eo, quod appetitur, non re ipſa quidem, ſed ſola ratione diſtinctũ, quemadmodum in Deo, abſque vlla imperfectione vnum, & idem re ipſa ſunt, intelligens, id, quod intelligitur, & Intelligentia ipſa: quoniam appetentis, & efficientis non eadem omninò ratio eſt, ac intelligentis: ſiquidem intellectio interna functio eſt; efficientia vero externa; ac propterea inter id, quod intelligit, & quod intelligitur ſola rationis diſtinctio ſatis eſ-
Decima. ſe poteſt: inter id verò, quod appetit, & quod appetitur, non item. Denique affert Bonamicus autoritatem Ariſtotelis 12. Metaphyſ. text. 55. vbi aduerſus Anaxagoram diſputans, (qui extra confuſam illam rerum congeriem, ponebat intellectum impermiſtum, quem appellabat Deum; eique vim efficiendi tribuebat) expreſsè docet, primo principio efficiendi vim accommodari nullo modo poſſe: nam, inquit, mens mouet quidem; verùm alicuius gratia mouet, hoc eſt in ratione finis: quare alterum, ſupple quærendum eſt, quod moueat in ratione efficientis: quod quidem Bonamicus cum Alexandro cæli animam eſſe putauit.

### *Bonamici obiectionibus occurritur.* *Cap. IX.*

Ad primam. HViuſmodi autem obiectionibus occurrere, haud difficile eſt. Ad primam, admittimus, cælum eſſe corpus illud, quod à primo principio conuerſione torquetur; eiuſq; motum inde oriri, quia mouens intelligitur, atque expetitur: negamus tamen, neceſse eſse, vt id, quod mouetur primum principium intelligat, & appetat: primum enim principium non à cælo,
Ad ſecundã. quod mouetur, ſed à ſemetipſo intelligitur, & appetitur. Ad ſecundam neganda eſt conſecutio, videlicet primum motorem non eſse penitus immobilem, ſi moueat, vt efficiens: quæcunque enim verè mobilia ſunt, ea aut ab alio mouentur, aut ſaltem ab aliquo, ſupple intus contento, quod eſt pars mouens: cuiuſmodi eſt anima in animalibus, quæ non ab alio quidẽ, ſed ab aliquo tamẽ moueri dicũtur. Primus aũt motor nec ab alio, nec ab aliquo mouetur: qua-

re,

re, tametſi, vt efficiens, mouet; nihilominus immobilis omninò dicitur, quia finis, à quo mouetur, extrarius illi non eſt, ſed intimus, cùm ipſemet finis ſui motus eſſe dicatur. Huc etiam accedit, quod ille motus, quo ipſe, vt efficiens, à ſemetipſo, vt à fine mouetur, non verus, & proprius, ſed metaphoricus eſt; ac proinde motorem mobilem denominare non poteſt. Ad tertiam reſpondendum eſt, Ariſtotelem 12. Metaph. ſtatuiſſe, primum principium mouere in ratione finis, neque vllam efficientis cauſæ mentionem feciſſe, quia iam ſæpius 8. lib. de Phyſico auditu docuerat, illud ipſum in genere cauſæ efficientis mouere, vt nos ſupra capite 4. ſatis euidenter oſtendimus: 12. vero lib. Metaph. ſolius finis, propterea quod eius conditio nobilior eſt, tantummodo mentionem feciſſe. Ad quartum dicimus, appetitum duplicem eſſe; alterum deſiderij; alterum delectationis, & complacentiæ. Primus quidē ex indigentia, & priuatione naſcitur: ſecundus verò nequaquam. In Deo autem nullus eſt appetitus deſiderij, ſed tantummodo delectationis, & complacentiæ. Ad quintam reſpondemus, Deum appetere ſe ipſum, atque adeo id, quod ſemper habet; appetitu quidem delectationis, non autem deſiderij: quo etiam appetitu prima rerum materies eam formam appetit, qua reapſe prædita eſt. Ad ſextam dicendum eſt, Deum propter ſe ipſum Cælum mouere: negandum tamen, re aliqua externa indigere; cùm enim perfectiſſimus ſit, nullius profectò rei indigens eſt. Quòd ſi ad motum efficiendum indigere cœlo videatur, id ſanè non eſt, ad aliquam perfectionem acquirendam, ſed potius ad eius bonitatem cum cæteris communicandam. Neque verò hinc deducere licet, eius actionem corpoream eſſe: quoniā Deus alligatus cœlo non eſt, eique ita affixus, vt videns facultas oculo affixa dicitur; ſed ſimpliciſſimus, ab omnique corporea mole abiunctus penitus eſt, vt in extrema parte 8. lib. de Phyſico auditu Ariſtoteles apertiſſimè demonſtrauit. Ad ſeptimam neganda eſt conſequentia: tunc enim Deus, ſaltem per accidens, mouere ſemetipſum diceretur, ſi eſſet forma, quæ cæleſte corpus eo modo perficeret, quo anima corpus animalis perficit. At verò Deus tantummodo cœleſti orbi præſtò adeſt, nullaque ei cum corpore affinitas, aut communio intercedit; hinc que fit, vt perpetui temporis motum efficere poſſit. Ad octauam reſpondemus, nullum abſurdum eſſe, in eodem ſubiecto, hoc eſt in ſubſtantia diuina, boni, & melioris diſtinctas rationes reperiri: ratio ſiquidem efficientis bona eſt, finis autem melior: quæ tamen rationes vni, & eidem rei, hoc eſt ipſi Deo optimè conuenire dicuntur, vt ſupra ſatis declaratum eſt. Ad nonam dicimus, in Deo ita internam functionem eſſe appetentiam, ſicut intellectionem: vt enim Deus ſe ipſum intelligit; ita ſe ipſum appetit: hoc tamen verum eſt, ex illius intellectione, & appetentia alicuius exterioris effectionem exoriri. Ad decimam reſpondemus, Ariſtotelem Anaxagoram ibi non reprehendere, quia impermiſto illi intellectui efficiendi rationem tribuerit, ſed quòd finis rationem non expreſſerit: ideò aſſeruit, mentem mouere quidem, ſed alicuius gratia, id eſt propter finem; ac propterea, præter intellectum illum impermiſtum, qui mouet, vt efficiens, principium aliud ſtatuendū eſſe, quod moueat vt finis. Niſi forte, ſubdit Ariſtoteles, aſſirmet Anaxagoras, quod nos aſſerimus, videlicet, intellectum, & id, quod intelligitur, idem penitus eſſe: atque rurſus intellectum, non propter aliud, ſed propter ſemetipſum, mouere: hęc enim eſt eius loci germana interpretatio, vt optimè D. Th. in illius contextus commentario animaduertit.

Ad tertiam.

Ad quartam

Ad quintam

Ad ſextam.

Ad ſeptimā.

Ad octauam

Ad nonam.

Ad decimā.

### *Quonam pacto Deus primi orbis motum efficiat.* Cap. X.

Concluſum eſt à nobis, primum orbem tàm in genere cauſæ efficientis, quàm in genere cauſæ finalis à primo, abſolutoque motore continenter moueri. Nunc autem, quo nam pacto Deus huiuſcemodi motum efficiat, & quiſnam ſit appetitus ille, quo in genere cauſę finalis ad eum edendum incitetur, cumulatioris doctrinæ gratia, explicare operæpretium duximus. Quod igitur ad efficientiam attinet, multis omiſſis, quæ veluti motus principia à varijs Philoſophis in Cœlo ſtatuuntur; (ſunt enim, qui Platonicè potius, quàm Peripateticè, Deum, Mentem non participatam, Animam, & Naturam, tanquam ſubordinata quædam mouendi principia in Cœlo conſtituant) cœlum tantummodo, vt aggregatum quippiam, ex Intelligentia, & orbe conſiderabimus, atq; adeo in primo orbe duo tantùm, quæ ad eius motum neceſſaria ſunt, ex Ariſ. ſententia conſtituemus; Deum videlicet, qui proxima, & efficiēs cauſa illius motus dicitur, & habilitatem quandam, non interiorem quidem, ſed exteriorem, qua,

Simplicius.

Cælum omne conſtat ex intelligentia & orbe.

qua, ratione rotundæ figuræ, primus orbis ad conuerſionem recipiendam aptus, atque idoneus cenſetur.

In cœlo nulla eſt interior ad motũ, habilitas, ſed ſolũ exterior. Quære diſputa. de cæleſt. ſubſtan.

Quod autem de primo orbe dicimus, idem etiam de cæteris orbibus intelligendum eſſe putamus: cùm enim tota ſubſtantia cęleſtis ſimpliciſſima ſit, nec vllam prorſus informantem formam obtineat; dubio procul interiore quoque habilitate careat, neceſſe eſt, qua proprio aliquo motu cieatur; ſed de hoc aliàs. Hęc cùm ita ſe habeant, paulò propius ad id, quod propoſitum eſt, explicandum accedamus: quod facilè quidem præſtabimus, ſi modum illum, quo animalis motus ab anima efficitur, intenta mentis acie contemplabimur: cũ præſertim, cęlum veluti magnum quoddam animal eſſe, Ariſt. 8. Phyſ. tex. 17. affirmauerit.

Prĩcipiũ motus in animali duplex.

Iam verò principium motus in animali duplex eſt, imaginatio, & appetitus, ſeu intellectus, & voluntas, vt 3. de Anima tex. 48. Ariſt. docet: imaginatio quidem, & appetitus in brutis: intellectus verò, & voluntas in homine. Et intellectus quidem non ſpeculatiuus, quatenus abſolutè aliquid conſiderat, verum ne illud, an falſum ſit; ſed practicus, quatenus bonum ne aliquid, an malum eſſe decernit; illudque voluntati proſequendum, aut fugiendum eſse dictat.

Quõ in animali motus efficiatur.

Itaque cùm intellectus rem quampiam, vt bonam apprehendit, eamque voluntati obijcit; tunc ſtatim, rationalis appetitus exoritur, atque motrix facultas exuſcitatur, nulla alia re potius, quàm voluntatis imperio concitata: quandoquidem id, quod expers corporis eſt, corporeis rebus facilè dominatur, & imperat, vt Anaxagoræ placitum fuit, ab Ariſt. 8. Phyſ. text. 37. & 3. de Anima tex. 4. & alijs etiam in locis ſæpiſſimè cõprobatum. Cùm itaque animal rei cuiuſpiam aſsequendæ cupiditate tenetur; tunc, voluntate, & appetitu imperante, oritur motus, qui ab anima efficitur: in cuius gratiam tot animalis partes, tot mẽbra, quaſi idonea, atque aptiſſima inſtrumenta parata ſunt.

Quõ efficiatur motus in corporib. cęleſtibus.

Hoc eodem ferè modo in cæleſtibus corporibus, quaſi diuinis quibuſdam animalibus, motum effici putato; ſed ſine vllis inſtrumentis, quippe quæ in cælo neceſsaria non ſunt. Et vt de primo orbe loquamur, de cuius motore inſtituta diſputatio eſt; Deus, qui illi proximè aſſiſtit, primò ſe ipſum intelligit, mox & appetit: ex intellectione autem, & appetitu oritur ille motus, quo primò orbem perpetuò circunducit. Qualis autem ſit appetitus eius, vel ob quem finem primum orbem circunuoluat, luculentius ſequenti capite docturi ſumus: nunc illud intellexiſse ſatis ſit, Deum, intelligendo, & appetendo, hoc eſt per intellectum, & voluntatem, tanquam per conuenientia principia, primi orbis motum efficere.

Præter intellectum, & voluntatem putauit Bacconus dari tertiam facultatem, qua cęli motus efficiatur.

Neque verò præter hæc duo principia, tertia poteſtas, vel facultas, qua proximè motus efficiatur, ponenda eſt, vt Ioannes Bacconus 2. Senten. diſt. 16. quæſt. vnica, art. 4. exiſtimauit: ea potiſſimùm ratione, quia Intelligentia orbi aſſiſtens, proprium motum efficere dicitur, quatenus ſeparata quædam forma eſt: cùm enim actio formæ conueniat; multò magis ſimplici, ſeparatæque formæ tribuetur; atque adeo Intelligẽtia, quæ ſimpliciſſima forma eſt, & vt intelligit, & vt appetit, & vt etiam ſeparata forma eſt, ſui orbis motum efficiet.

Bacconi ſententia refutatur.

Sed profectò tertiam hanc poteſtatẽ ſuperuacaneam eſse exiſtimo, ſit enim verum id, quod Bacconus aſsumpſit, formæ videlicet actionem conuenire, vt veriſſimum quidem eſt, & ab Ariſt. ſæpius pronunciatum; illud tamen attendendum, agentia, quæ per propriam formam agunt, duplicis generis eſse, alia merè naturalia, quę, natura tantùm duce, abſque vlla cognitione operantur; eo modo, quo ignem vrere, grauia deorſum, & leuia ſurſum tẽdere dicimus: alia, quæ imaginatione, & appetitu, ſeu ratione, & voluntate, ad agẽdum vtuntur: quo in genere animalia omnia, & ſuo etiam modo Intelligentiæ continentur.

Agentia ſunt duplicis generis, alia merè naturalia, alia per cognitionem.

Agit homo ex. gratia per ſuam formam, quæ anima eſt, & illa quidem motus principium dicitur; tamẽ, quatenus forma eſt, intellectum, & voluntatem non excludit; quinimò hiſce facultatibus prædita, motus principium appellatur. Sic Intelligentia eſt forma, quæ, quatenus forma, motum efficit; tamen illa forma non eſt merè naturalis, vt forma ignis, ſed intellectum, & voluntatem continet; quãuis, ex Ariſt. ſententia, agat neceſſitate naturæ.

Piccolominei ſententia de motu cæli.

Illud quoque minus approbandum cenſeo, quod à viro excellentiſs. Franciſco Piccolom. lib. de Cęlorum motorib. cap. 17. traditum eſt; videlicet cęli motum pulſione, & attractionẽ fieri: pulſione quidem, quatenus mens, vt efficiens, ſua virtute cęlum tangens, illud ſecundum naturam pellit; cùm ad eum motum procliue ſit: attractione verò, quatenus eadem mens, vt finis, diuino quodam modo illud idem ad ſe trahit; indeque motus ab eodem in idem proficiſcitur.

Confutatio.

Etenim pulſio, & attractio ſpecies quædam violenti motus eſſe dicuntur, vt 7. Phyſ. Ariſtoteles ſcribit: in cęlo autem nullus motus violentus ponendus eſt, quare, cùm cęlum, ob ſuam figuram rotundam, ad

cir-

circularem motum, exteriorem habilitatem hàbeat; ſolus appulſus virtutis ſuperæ mentis ad ſimplicem eius generis motum efficiendum, atque etiam infinitum ad tempus producendum ſatis erit;cùm abſque vllo labore,aut laſſitudine moueat. Huc accedit,quòd,cùm ſimplici corpori ſimplex motus iure optimo aſcribatur,vt initio primi de Cęlo Ariſt. docet; neutiquam cæleſti corpori,quod ſimpliciſſimum eſt,motus,ex pulſione,& attractione compoſitus,conuenire debet. Quapropter cùm Intelligentia quælibet ſuo orbi, ſecundum ſubſtantiam,præſens ſit;ab ea ipſa virtus quædam emanat,quæ proximè orbem pertingit,atque,illius virtutis interuentu, orbis in gyrum perpetuò ducitur. Nec deeſt fortaſſe aliqua etiam ratio huius conuerſionis in Intelligentia mouente; vt enim rotunda Cęli figura ad eam conuerſionem recipiendam habilis eſt,quæ fit ab eodem in idem;ita Intelligentia ad eundē motum efficiendum idonea iudicatur;quia tàm intelligendo,quàm appetendo in ſe ipſam conuertitur;ſe ipſam enim,vt antè dictum eſt,intelligit,& appetit.

Cur cælũ ab intelligentia in orbem ducatur.

## *Quamnam vim habeat finis abſolutè mouendi.* *Cap. XI.*

QVòd verò ad finem attinet,quò res dilucidior euadat,explicabimus primùm modum illum,quo finis abſolutè mouet: deinde verò particulatim oſtendemus, quemnam finem appetant,aut conſequi intendant cęleſtes globi, dùm perpetua reuolutione torquentur; vel quænam ſit vis illius finis, quæ ad Cælos voluendos ſatis eſſe videatur. Mirum igitur fortaſſe cuipiam videbitur, quomodo finis, qui vt plurimum à re mobili longè diſtat, vim vllam motricem habere poſſit? Nihilominus experiētia docet,ſi quis aut fame,aut ſiti confectus ſit,idemque aut quippiam eſui aptum,aut perſpicuum fontem procul aſpiciat; hunc ipſum à rebus iſtis viſis non moueri ſolùm, ſed vehementer impelli,curſuque velociſſimo incitari. Quantum exciret,ſtimuletque Veneris appetitus, nihil eſt, quod patefaciam:aliquis enim finis,huc ſpectans,ſemel apprehenſus,vel per longiſſimum ſpacium nullo negocio mouebit. Appetitus itidem gloriæ incitamentum maximum,ad varios ſubeundos labores,& ad multas operationes edendas,eſſe ſolet. Quid quæris? Tantæ virtutis,& efficacitatis eſt finis,ad mouendum;vt etiam ſi in re ipſa non ſit,ſed in ſola cogitatione conſiſtat;vehementer nihilominus mouere,& impellere poſſit. Hinc duo notabilia eliciuntur. Alterum eſt finem idcirco efficiens mouere,quia habet rationem boni; & illius quidem aut veri,aut ſaltem apparentis. Alterum,finem,qui ſemper habet rationem boni, mouere nullo modo poſſe, niſi ab efficiente apprehenſus ſit. Quod igitur à fine mouetur,cognoſcente facultate præditum eſſe debet;alioquin,ſi finem non cognoſceret,eundem certè non appeteret,nec vnquam ad illum aſſequēdum moueretur. Equus ex.gra. virentem herbam longè proſpicit, illamque ſtatim, tanquam quid bonum,& ad famem expellendam,atque ad ſuam vitam conſeruandam idoneum apprehendit;propterea ex huius finis apprehenſione, appetitus quidam in eo, ad illũ conſequendum,excitatur:conſequi autem illum finem non poteſt, niſi illuc moueatur; ideo facultas motrix in actum erumpit,atque accommodatis inſtrumentis, equum eodem impellit. Quæ verò cognitione carent,vt lapides,& id genus alia,à fine moueri non poſſunt:dum enim,remoto impedimento, deorſum contendunt, quamuis locus ille eorum conſeruationi idoneus ſit;ab illis tamen intentus non eſt, ſed ab vniuerſali natura; hincque fit, vt appetitus lapidis, ad inferum locum, purè naturalis,ad differentiam appetitus animalis, & rationalis,appelletur. Patet igitur,quonam pacto finis,vel a particulari,vel ab vniuerſali agente apprehenſus,vim habeat abſolutè mouendi.

Inductione oſtenditur finem habere facultatē mouendi.

Finis habet rationem boni, aut veri, aut apparentis.

Finis mouere nō poteſt, niſi vt à cognoſcente facultate apprehēſus eſt.

Exemplum.

Quæ cognitione carent, mouentur à fine ab vniuerſali natura intento.

## *Quomodo Deus primum Cælum, & reliquæ Intelligentiæ inferiores orbes in genere cauſæ finalis circunducant.* *Cap. XII.*

NVnc verò qualiſnam ſit primi Cæli,ac reliquorum etiam orbium appetitus,quo in genere cauſæ finalis,ad æternum motum incitantur, vberiore nobis ſermone promendũ eſt. Illud tamen in primis noſſe diligenter oportet,cum,ſecundum communem loquēdi modum,appetitum in Cælo ſtatuimus,illudque in genere cauſæ finalis moueri aſſerimus;nulla prorſus cognoſcente facultate præditum illud eſſe intendimus; quinimo id ipſum quacunq; anima carere defendimus. Quapropter cùm de Cęlo nunc loquimur,illud non ſeorſùm accipimus,quatenus ſcilicet ab Intelligentia ſecretum eſt:conſtat enim illud,ſic acceptum,ſim-

Qua ratione cælum appetere dicatur.

pliciſſimã eſſe ſubſtantiã, vel ſimpliciſſimũ ſubiectum nullã materiæ, & formæ compoſitionem includens. Accipimus ergo Cælum vnà cum Intelligentia mouente: quæ tametſi non forma quidem informans, ſed aſſiſtens ſtatuatur; nihilominus adeo intimè cum eo coniuncta eſt, vt Auerroes 2. de Cęlo, comm. 3. affirmare auſus ſit, ex Intelligentia, & orbe magis vnum fieri, quàm ex materia, & forma: quę tamen propoſitio, quantum veritatis contineat, alibi patefaciemus. Vt planiùs igitur eloquamur, dicimus, non Cęlum quidem eſſe, quod intelligat, & appetat, ſed Intelligentiam, Cęli motricem; proptereà inueſtigare tenemur, quonam fine Intelligentia quælibet, ſiue ſit prima, ſiue ex ſecundarum ordine, ad propriũ orbem perpetuò voluendum excitetur. Qua de re cùm Ariſt. parcè quidem, & perobſcurè locutus ſit, quippe qui ſenſibus id attingere nequiuerit; Auerroem, tãquam arduæ huius difficultatis diligentiſſimum ſcrutatorem, & (vt probabile eſt) Ariſtotelicæ mentis optimum interpretem, adhibere cogimur: qui lib. 12. Metaph. comm. 36. ſatis aptè docuit, finem præcipuum, ob quem Intelligentia quęlibet ſuum orbem conuertit, neque eſſe motum ipſum, neque ſublunarium rerum procreationem; ſed propriam tantummodo bonitatem, atque perfectionem. Etenim cùm æterna, neceſſaria, atque perfecta ſit Intelligentia omnis; nihilque ſit, quod ad illius interiorem perfectionem deſiderari poſſit; cuiuſnam rei deſiderio captæ, ſi propriam earum ſubſtantiam, atque nobilitatem cogitatione ſecludas, perpetuis cõuerſionibus ſe addicere? finis igitur præcipuus, ob quem ſuos orbes perpetuò mouent, eſt propriæ bonitatis, atque interioris huius perfectionis cognitio; & veluti quoddam illius quaſi conſeruandæ, ac diffundendæ deſiderium. Non mehercule quòd illæ, aut eſſent interituræ, aut quippiam de illarum perfectione imminueretur, niſi mouerent. Sed quia turpe, & incongruũ omninò eſſet, nobiliſſimas formas, quas ſi proprio, aptoque nomine appellare velis, nihil aliud, quàm actiones dixeris, perpetuo otio torpeſcere, ac veluti inſinuatis manibus feriari.

Peruulgatũ Auerrois pronuntiatum.

Quære d ſp. de cœli animatione. ca. 25.

Quiſnam ſit finis, cuius gratia intelligentia, quælibet ſuũ orbem conuertit.

Quemadmodum igitur aliquis, vt optimum temperamentum, ſibi à natura donatum, faciliùs conſeruet, artẽ aliquam tractat, pingit, ſculpit, fingit, & id genus alias operationes edit, ne deſidia capiatur, & otio marceſcat; cuiuſque finis præcipuus nõ eſt exercitatio, neque opus vllum, arte aliqua conficiendum; ſed propriç tantummodo ſanitatis conſeruatio: ita propemodum Intelligentiæ, vt ſuam illam nobilitatem, optimamque, vt ita dicam habitudinem perpetuò tueantur, in mouendis cæleſtibus orbibus, ſuos omnes conatus, ac vires exercent: ex quorum deinceps motu tam varia rerum genera in hoc inferiore mundo procreantur. Itaque omnis earum motus propter ſe ipſas primò, deinde verò propter res alias, ab eiſdem intenditur: ſiquidem, vt docet Auerroes 2. de Cęlo comm. 17. & 21. & 2. Phyſic. comm. 88. entis ſimpliciter neceſſarij ea videtur eſſe conditio, vt non illud quidem ad ſuam actionem, ſed potius contra actio ad illud, vt ad finem dirigatur. Cæterùm conſiderandum eſt, ex eodem Auerroe 12. Metaph. comm. 44. inter primum motorem, & motores inferiores, ſicut etiam inter motum primi orbis, & motum cæterorum orbium, nonnihil diſcriminis intercedere. Namque motor primi orbis ita ſui motus finis eſſe ſtatuitur, vt propter nullum alium motorem factus eſſe dicatur. At verò cæteri motores ſuorum quidem motuum fines proprij appellantur; omnes tamen inferiorum orbium motus, ad primum etiam motorem, tãquam ad finem vniuerſalem, atque præcipuum diriguntur. Et quemadmodum inferiores conuerſiones primo motui ſubijciuntur, & ab illo omnis earum perfectio quodammodo deriuatur; ita etiam, inferiores motores primo, ac præcipuo motori ſubditi ſunt, ac veluti eius miniſtri dicuntur, cùm ad ipſum, & propter ipſum, tanquam finem vltimum, ſuas omnes actiones inſtituant. Hincque fit, vt primus motor non ſolùm finis proprij motus, & motuum inferiorũ orbium, ſed finis etiam omnium Intelligentiarum iure optimo nuncupetur. Quem putes igitur in vniuerſo primum motorẽ eſſe? Si eius naturam ſpectes, optimum quiddam iudicabis, quo certè nihil melius excogitari poſſit; alioquin primus motor non diceretur. At ſi eius munia conſideres, Regẽ dices in ſuo Regno, cuius iuſſa miniſtri optimi, & nobiliſſimi capeſſunt, admirabiliq; ordine, atq; celeritate exequuntur. Vt. n. Rex totius Regni; miniſtri verò prouinciarũ, ciuitatum, & oppidorum procurationẽ habent, ita primus motor, dũ ab ortu in occaſum primũ orbẽ conuertit, vniuerſalẽ mundi conſtitutionẽ, & diſpoſitionẽ intendit; inferiores verò motores, dũ oppoſitis motib. ſuos orbes circũducunt, particulariũ rerũ procreationes moliuntur. Hincq; nonnulli lapides, alij metalla, plantas alij, alij animalia, priuatis

Exemplum Auerrois.

Diſcrimẽ inter primum motorem, & motores inferiores.

Primus motor eſt finis proprij motus, & cæterorum etiam motuum.

Primus motor eſt optimum quiddã in vniuerſo.

Primus motor in vniuerſo eſt ſicut Rex in ſuo Regno.

ſuis conuerſionibus effingere dicuntur; quæ tamen abſq; prima, & vniuerſali cõuerſione perfici nulla ratione poſſent. Aut ſi mauis, dic primum motorem veluti quendam vniuerſalem artificem eſſe. Architectus ſiquidem, qui palatium, aut nauim ædificaturus ſit, multos inferiores opifices habeat, quorum manus adhibeat, neceſſe eſt: alios, qui ligna ſecent, alios, qui eadem dolēt, & ad opus accommodēt: alios, qui illa hùc illùc aſportent, aut alijs huius generis muneribus deſtinatos. Proprium quidem finem habent, dum operantur hi omnes inferiores artifices: ſed præterea finem etiam præcipuum, & vniuerſalem agnoſcunt, ſupremũ videlicet Architectum, cui obtemperare nituntur, & in cuius gratiam ſuas omnes actiones inſtituunt. Architectus igitur vniuerſi Deus eſt: cuius miniſtri, atq; inferiores artifices ſunt ei ſubditæ Intelligentiæ: quæ ſuos quidem orbes, propter ſe ipſas, tanquam propter finem proximum, mouent; ſed præterea ſupremam quoque Intelligentiam, tanquam finem præcipuum, & vniuerſalem reſpiciunt, ad cuius nutum, & arbitrium totas ſe fingere, & accommodare dicuntur. Hæc ex Auerroe excerpta ſunt, quæ libenter quidem attuli; quia maximè cum veritate conſentiunt: interdum enim Philoſophi, dum rectè intellectum affectum habent, imprudentes in veritatem incurrunt. An autem Peripatetica omninò ſint, vel Platonicum potius Philoſophandi modum redoleant, aliorum ſit iudicium. Hoc ego vereor, ne multas ambiguitates, atque in doctrina Ariſt. difficultates inducant. Demus enim, Ariſtotelica hæc eſſe, quibuſnam, obſecro, rationibus tueri quis poterit, Intelligentias omnes æternas, & per ſe neceſſarias eſſe, & vnamquanq; proprij motus finem exiſtere; & nihilominus dari inter iſtas Intelligentiam vnam ſupremam, quæ omnium finis eſſe dicatur, cuique reliquæ omnes veluti ſubditæ pareant, & obtemperent? Vnde hæc quæſo prioritas inter ipſas? Hic ordo? Hæc perfectionis varietas? Ideo Ariſt. huius explicationis difficultatem optimè cognoſcens, ne grauioribus fortaſſe incommodis vrgeretur, ſi ſuis principijs innixus diſputare vellet; ab hac altiſſima contemplatione ſatis quidem callidè, atq; verſutè abſtinuit. Illud nimirum memoria tenēs, quod initio 2. Metaphyſ. docuit, ita videlicet intellectum noſtrum ad ſeparatas iſtas ſubſtantias, quæ in natura manifeſtiſſimæ ſunt, ſe habere, ſicut oculus noctuę ad lumen Solis. Nos verò, intra naturæ limites conſiſtentes, exigua hac cognitione, ſiue ab Ariſt. ſiue ab Auerroe tradita, contenti erimus: neq; enim nos fugit, ipſum etiam Ariſtot. docuiſſe, rerum cæleſtium, vel minimam cognitionem, alia quacunque maxima longè præſtantiorem eſſe.

Primus motor eſt veluti quidam vniuerſalis artifex.

Difficultates maximæ ſex plicata Ariſ. opinione latentes.

Ariſt. verſutia.

Lib. 1. de part. animal. cap. 5.

*Præcipuæ obiectionis ſolutio, quæ Ariſtot. iam explicatam ſententiam labefactare videtur.* Cap. XIII.

QVò autem firmiùs iam explicatam Ariſt. ſententiam vnuſquiſq; tueri poſſit; præcipua quædam obiectio remouẽda eſt, qua ipſa paſſim infirmari videtur, vt plures alias, quippe quę non ſunt magni ponderis, omittamus. Concluſum eſt, ex Ariſt. ſnīa, tàm motum primi orbis, quàm reliquos motus à proprijs Intelligẽtijs tàm in genere cauſæ efficientis, quàm in genere cauſæ finalis proficiſci. De cauſa finali nemo eſt, qui dubitet: per ſe enim perſpecta res eſt, & ſatis etiam commodè ſuperius explicata. Dubium autem maximum oboritur de cauſa efficiente: nanq; ei, quod æternum eſt, repugnat omninò efficientem cauſam habere, vt ſuperiore diſputatione cumulatiſſimè oſtẽdimus: Cælorum autem motus æterni ſunt, vt palàm Ariſt. docuit; efficientẽ igitur cauſam habere nequeunt. Huic obiectioni tali pacto occurrendum eſt; dicendumq; in rebus permanentibus, atque in rebus, quæ in fluxu poſitæ ſunt, longè diſparem rationem eſſe. Res permanẽtes, ſi æternæ ſint, efficiẽtem cauſam habere nullo modo poſſunt: quoniam totum ſuum eſſe ſimul habent, atq; adeò ſi ab efficiẽte cauſa factæ eſſent; tunc neceſſariò illorum non eſſe eorundem eſſe aliqua duratione præceſſiſſet, ac deinceps nõ eſſent æternæ. Res verò, quæ in fluxu poſitæ ſunt, cuiuſmodi eſt motus, non habent totum ſuum eſſe ſimul, ſed partem poſt partem accipiunt, eorumque eſſe in fieri conſiſtit: ac propterea nihil abſurdi eſt, ſi huiuſcemodi res tametſi æternæ ſunt, efficientem cauſam habeant, à qua pendeant. Etenim efficientis munus illud eſſe videtur, vt ſcilicet, rem de poteſtate ad actum deducat: quod quidem in mouente, & mobili optimè ſeruatur: mobile enim ſemper eſt in potẽtia, vel ad totum motum, vel ad aliquam partem motus: efficiens autem illud extrahit de poteſtate ad actum. Itaque motus Cęli efficientem cauſam

Obiectio.

Solutio.

Res æternæ permanẽtes, efficiẽtẽ cauſam habere non poſſunt.

Rebus æternis in fluxu poſitis, nõ repugnat efficientia.

Efficiẽtis munus.

N 2 ha-

habere poteſt:tùm quia ſemper noua eſt aliqua eius pars, tùm etiam, quia non omnes conuerſiones æternæ fuerunt, ſed ſemper altera alteram in infinitum præceſſit. Non igitur aliqua Cæli conuerſio ita ab efficiente cauſa pendere dicitur, vt ab omni temporum æternitate fuerit:ſic enim profectò efficientem cauſam non haberet: ſed quacunque accepta Cæli conuerſione, verum eſt dicere, hanc conuerſionem à motore proprio, tanquam ab efficiente cauſa proficiſci; eam tamen tùm primùm incepiſſe, & ante illam aliam conuerſionem fuiſſe: & ſic in infinitum:atq; ita cęleſtis motus æternitas intelligēda eſt. Quinetiam ſi vnam tantùm conuerſionem accipiamus, tunc in ea notare poſſumus vnam partem, quę tùm primùm incępit, & antè non fuit: efficientem igitur cauſam habere potuit: Nulla igitur repugnantia eſt, quo minus res æternæ, quæ in fluxu poſitæ ſunt, cauſam habeant efficientem.

Quonam pacto ęternitas ì cęleſtib. cōuerſionib. intelligēda ſit.

## *Ariſtotelicæ ſententiæ defectus oſtenditur, & fidei catholicæ veritas declaratur. Cap. XIV.*

QVæcunq; Ariſt. naturæ tantùm lumine, philoſophatus, huc ſpectantia docuerit: ſatis, ſuperque hactenus aperuimus. Nunc autem, ne quid erroris apud intellectum noſtrum maneat, hęc diſputatio, fidei catholicæ veritate, concludenda eſt. Illud igitur in primis, tanquam omninò falſum, & erroneum habendum eſt, intelligentias omnes per ſe æternas, & neceſſarias eſſe: ſolus enim Deus abſolutè æternus eſt, & Intelligentias omnes, propria menſura, quæ eſt æternitas, neceſſariò precedit: & illas quidem æternitatis momento, quod vnum tantùm eſt, ſemperq; manet, non autem ab omni temporum æternitate procreauit; immò ne procreare quidem potuit, quia contradictionem id implicat, vt alibi docuimus. Intelligentiæ itaq; omnes, quæ Angeli frequēter à Theologis nuncupari ſolent, ſecundum fidei catholicæ veritatem propria menſura, quæ eſt æuum, circumſcribuntur, nec vllo pacto neceſſariæ ſunt, cùm à Deò liberè, & contingenter procreatæ fuerint. Falſum prętereà eſt, tot eſſe Intelligentias, quot cælestes orbes: id quidem Ariſt. pronunciauit, qui ab ijs tantùm, quę ſenſibus obijciuntur, rerum cognitionem hauſit. Fides autem catholica docet, Intelligentias innumerabiles eſſe, quæ non ſolùm cæleſtibus orbibus voluendis addictę, verùm etiam pluribus alijs muneribus deſtinatæ ſunt: quas Dionyſius Areopagita in tres hierarchias, & nouē choros pulcherrimè diſtinxit. Sed illud quoq; abſurdum eſt, Intelligentiam, primum orbē circumuoluentem, Deum eſſe: incongruum enim omninò videretur, vniuerſi principem, atque rectorem eadem prorſus munera exequi, quæ à ſuis ſubditis miniſtrantur. Longe igitur perfectior, & eminentior operandi modus illi tribuitur; qui in eo potiſſimùm conſiſtere dicitur, quia ſcilicet Intelligentijs, & rebus omnibus mouendi virtutem impertitur. Deniq; à doctrina catholica alienum eſt, aſſerere, quaſlibet Intelligentias propriarum conuerſionum fines eſſe: cùm enim ab ſummo Deo, vt ab efficiente cauſa pēdeant: dicendum neceſſariò eſt, non propter ſe ipſas, ſed propter Deum eos orbes, quibus præſunt, circumuoluere: quandoquidem ſubditi, atq; miniſtri omnes ſuas operationes in finem, ab eorum principe, & domino intentum dirigere conantur. Itaq; puriſſimi iſti, ac ſimpliciſſimi ſpiritus, mira intelligēdi acie, rerum omnium Ideas in mente diuina, tanquam in fulgentiſſimo ſpeculo intuentur: diuini quoque conſilij participes facti ſunt, quo, rerum procreatione, ſuam Deus bonitatem expromere cupit: & propterea, tanquam eius ſeruitio addicti, Cęlorum conuerſionibus continenter incumbunt; quibus ad realem conſiſtentiam deducunt quęcunque eſſe tantùm cognitum, & ideale in mente ſummi opificis obtinebant. Cęterùm cùm vna tantùm ęterna, perfectiſſimaque ſubſtantia ſit, à qua cętera pendent; facile intelligere poſſumus, ordinem aliquem ſuperioris, & inferioris in ipſis Intelligentijs reperiri: quò enim Intelligentia aliqua ſuperior, Deoque vicinior eſt; eò etiam perfectione longè cęteris antecellere dicitur: id, quod Ariſt. qui Intelligentias omnes ęternas, & neceſſarias poſuit, explicare difficillimè potuit.

Solus Deus æternus eſt.

Intelligentię neque æternæ, neque neceſſarię ſunt.

Multò plures ſunt intelligētiæ, quàm cœleſtes orbes.

Intelligentia primi orbis nō eſt Deus.

Intelligentię non mouent propter ſeipſas, ſed propter Deum, qui etiam eſt finis omniū intelligentiarum.

Rerum procreatio intelligentiarum miniſterio vt fiat.

DE

# DE MOTV GRAVIVM ET LEVIVM,

## Diſputatio nona.

*Diſputationis præparatio.* *Caput Primum.*

LEX, & neceſſaria eorum, quæ mouentur, conditio ea eſt, vt nulla ſit res cuiuſuis generis, quæ motum aliquo pacto experiatur, quin illum aliunde recipiat. Quò factum eſt, vt Ariſt. & in 7. & in 8. lib. de Phyſico auditu, theorema hoc, tanquam certiſſimum, & euidẽtiſſimum, immò etiam validiſſimis rationibus confirmatum, pronuuciarit, videlicet omne, quod mouetur, ab aliquo neceſſariò moueri. Vniuerſalis igitur maxima lex iſta eſt, à qua nulla res, quæ mouetur, immunis eſſe poteſt, ſiue illa ſimplex, ſiue miſta, ſiue animata, ſiue inanimata ſit. Quid plura? Illæ etiam res, quæ vulgò, & à Philoſophis quoque ex ſe, & ſua ſponte moueri dicuntur, motum ab aliquo neceſſariò recipiunt. De ijs, quæ vi, & præter naturam ciẽtur, nihil eſt prorſus, quòd dubitemus, à quonam ipſa moueantur: Si enim ſurſum agitetur lapis, vel ipſe viſus teſtimonio eſt, illum à proiectore motum accipere. In animantibus quoque tametſi res non ita ſenſibus pateat, quòd principium motus intus abditum deliteſcat, ratio tñ ſatis euidenter commonſtrat, diſtingui animal in partem per ſe mouẽtem, quæ eſt anima, & partem per ſe motam, quæ eſt corpus. Non eſt pariter cognitu valdè difficile, à quonam miſta corpora, animæ expertia, ad proprias regiones impellantur: cùm enim ex elemẽtis coagmẽtata ſint, quorum in ipſis ex grauiſſimorum Philoſophorum ſñia, nec eſt, nec eſſe poteſt æquale pondus; iam cuique rectè ratiocinanti planum ſit, ab illo elemẽto miſta corpora moueri, cuius plures in ſe ſe portiones includunt: & eſt cõe, ſatiſque peruulgatum Philoſophorum axioma, miſta corpora ad motum prædominantis elementi concitari. At verò à quonam ſimplicia corpora, leuitate, vel grauitate prædita, moueantur, nullam in ſe partem continẽtia, cui motus efficientia tribui poſſit; cùm ſimplicia ſint, &, vt Græci aiunt, omogenea; animæ etiam ſint expertia, à qua prodire motum cenſeri ab aliquo fortaſſe poſſet; nullam prorſus cognitionem habẽtia, qua locum quempiam, veluti ſibi opportunum, & ſuæ conſeruationi idoneum expetere poſſint; res certè valdè lubrica eſt, nec minus cognitu, quàm explicatu difficilis. Cuius quidem difficultatis teſtes oculatiſſimi eſſe poſſunt omnes cùm veteres, tùm recentiores Philoſophi, qui hac de re aliqua conſcripſerunt: quot enim eorum capita, tot ferè eorundẽ ſñiæ reperiuntur. Exiſtimarunt nonnulli, eiuſmodi corpora motum ſuum accipere à Cęlo pellẽte. Alij à quodam externo principio, ipſa ad propria loca trahẽte. Alij ab externo motore, vim ſuam in illis imprimente. Alij à quibuſdam, veluti externi motoris inſtrumentis, quæ ad ipſorum ſubſtantiam pertineant. Alij virtute propria, natiuoque impetu, ſemetipſa, animalium inſtar, in proprias regiones tràducere; idque citra vllam vniuerſalis iam præfatæ legis tranſgreſſionem. Alij etiam alia multa protulerunt, quæ omnia recenſere nimis longum, & præterea ſuperuacaneum eſſet. Quanuis autem opiniones omnes ad duas tantùm reuocari poſſent, quarum altera decernit, grauia, & leuia à ſe ipſis; altera ab externo motore cieri; ij tñ, qui hiſce opinionibus ſubſcripſerunt, in illis explicandis, & confirmandis varias quoque ſñas protulerunt, quarum ſanè multitudo non paruam ſtudẽtibus confuſionẽ peperit. Difficilis igitur eſt quæſtio hæc, ſcire nimirum, à quonam particula illa ex. gra. ignis moueatur, cùm ſtatim, ac in terræ ſuperficie, vel in aere genita eſt, nulla mora, ſi nullum adſit obſtaculum, quàm poteſt celerimo curſu, in propriam regionem concedit. Profectò ſi quam vnquam difficultatẽ in cæteris diſputationibus expertus ſum, in hac examinanda quæſtione, maximam, ita me Deus amet, difficultatem comperiſſe me fateor: neque id tàm in vera ſñia inueſtiganda (puto enim, niſi me ratio fallit, illam à me inuẽtam) quàm in eadẽ ita facilè, & dilucidè explicanda, vt ab omnibus nullo negocio intelligeretur. Sed ſpero, me hac etiam in re voti compotem fore: cùm enim ex agendæ rei diuiſione, & ordine, cognitionis dimidium pẽdere videatur: non dubito, quin huiuſce diſputationis diuiſione rectè apprehenſa, reliqua omnia, quę tractanda ſunt, omnibus cognitu quàm facillima

Omne, quod mouetur, ab aliquo neceſſariò mouet.

Theorema vniuerſale.

A quo nam moueantur proiecta.

Pricipiũ motus n animalibus quod nam ſit.

A quonã miſta corpora naturaliter moueantur.

Proponitur diſputatio de motu grauiũ & leuium.

Opinionũ varietas de re propoſita.

Diſputatio difficilima.

Ordo in diſputatiõe ſeruandus. ſtẹura ſint. Ergo in quinq; partes præcipuas vniũerſa hæc diſputatio diſtributa erit. Primò ad faciliorem diſputationis intelligentiam, nonnulla, quæ neceſsaria ſunt paucis explicabimus. Deinde opiniones illas, quæ, hac de re, præcipuæ, atq; famoſę iudicãtur, in medium adducemus: quarum quidem cognitio nullam afferet perturbationem, ſed erit potius quoddam rudimentum, & ad veram opinionem intelligendam præparatio. Mox quædam veluti cenſura omnium dictarum opinionum habebitur: multa enim & probè dicta, aliqua etiam non ita veritati conſentanea reperiemus; quæ bene dicta ſunt comprobabimus; quæ autem minus rectè, refellemus. Deinceps quàm facillimè ſñĩam illam, quam veriſſimam arbitramur, explicabimus. Poſtremò, ſi quæ rationes ſententiæ noſtræ videbuntur aduerſæ; eas omnes pro viribus diluere conabimur.

### *Quæſtionis intellectus explicatur.* Cap. II.

Cõſideratio prima. REm igitur aggrediẽtes, cõſiderandũ primo loco eſt, per corpora, grauitate, aut leuitate prędita, non ſimplicia tantùm, verùmetiam ex his miſta, tàm animata, quàm animæ expertia, intelligi poſſe. In hac autem diſputatione nullum de miſtis animatis ſermonem habituri ſumus: alia enim quæſtio eſt, quę dę animalium inceſſu proponitur, quæriturque num illa à ſemetipſis moueantur. Similiter nec de miſtorum, anima carentium, motu verba faciemus: ea enim motu prædominantis elementi moueri, ſatis, ſuperq; in libris de Cælo Ariſtoteles patefecit. De ſolo igitur motu, quo ſimplicia corpora, grauia, & leuia in proprias regiones feruntur, ſermonem hac diſputatione ſumus habituri. Cõſideratio ſecunda. Rurſus cùm motus grauium, & leuium duplex ſit: quorum altero pelluntur, & huc, illuc truduntur: altero ſecundum naturãm, ſponteq; eò mouentur, vbi ſeruari debent: de priori motu nobis nunc diſputandum non erit; diſtincta enim quæſtio eſt illa de motu proiectorum ab ea, quam nunc propoſuimus, quæque naturalem tantùm motum iſtorum corporum reſpicit. Cõſideratio tertia. Obſeruandum eſt tertiò, cùm quærimus, à quonam grauia, & leuia corpora moueantur; nos eum motum non ſpectare, quo prædicta corpora ſenſim in lucem eduntur: Sed motum illum, quo eadem iam edita, illicò in proprias ſedes feruntur. Cõſideratio quarta. Notandum eſt pręterea, cùm quærimus, à quonam grauia, & leuia corpora moueantur; quæſtionem hanc in duplici genere cauſę intelligi poſſe: vel in genere cauſę finalis: vel in genere cauſę efficiẽtis. Nos, relicto priori genere, quæremus de ſecundo: nam & ſi finis mouere dicatur (mouet enim efficiens;) ille tñ motus non verus, & realis, ſed metaphoricus eſt, vt 2. lib. de Phyſico auditu Ariſt. docet. Cõſideratio quinta. Poſtremò, cùm duobus modis aliquid ab alio moueri contingat, nimirùm per ſe, & ex accidẽti; nos in præſenti diſputatione non ſumus inueſtigaturi principium, quod ex accidẽti mouet: hoc. n. fortaſſe pōt eſſe multiplex: quamuis ſit vnum præcipuũ, vt videbimus: ſed exploraturi ſumus principiũ per ſe illud videlicet, à quo, vt ab efficiẽte cauſa, naturalis ſimpliciũ corporum motus proficiſcitur.

### *Veterum Philoſophorum, de motu grauium, & leuium, opiniones præcipuæ.* Cap. III.

IIs explicatis, quæ ad faciliorem huiuſce diſputationis intelligẽtiam neceſſaria videbantur: varias nunc cùm veterum, tùm recentium Philoſophorum opiniones recenſeamus, vt ex earum diligenti diſcuſſione, veram tandem ſñĩam nobis colligere liceat. Ordiemur itaque à priſcorum Philoſophorum decretis: in quibus enarrandis haud multum temporis cõteremus; propterea quod multa ipſi quidem, ſed tñ nulla ratione munita, protulerunt. Tres autem reperiuntur ſñĩæ præcipuæ, quæ tametſi falſæ ſunt; aliquam ſaltem veritatis ſpeciem præſeferunt. Prima Empedocli aſcribitur, qui putauit, ſimplicia corpora grauia, & leuia

Prima opin. elemẽta moueri à cœlo. dùm in proprias regiones contendunt, à Cęlo, tanquam à principe cauſa moueri: quippe qđ, ob maximam naturæ ſuæ pręſtantiam, atque nobilitatem, cæterorum corporum commercium, & familiaritatem quodammodo abhorrens, illa vi quadam propellit à ſe; & quò grauiora ſunt, eò longius, rapidiſſimo eius motu, pelluntur. Ideò terra, omnium grauiſſima, ad remotiſſimum centri locum detruditur: aqua minus grauis, in proximè ſuperiorem locum conſedit: cetera verò elementa, quæ maiorem à Cęlo diſſimilitudinem habẽt, in ſuperiorib. inferioris huius Mundi regionibus detinẽtur. Cùm autem iſthęc elementorum conſtitutio ad velociſſimum Cęli motum referatur, fit, vt eo abſq; vlla intermiſſione, perſeuerante, conſtitutio iſta nunquam varietur; ſed elemẽta tota ita in ſuis locis commorentur, vt ab eis re-

cedere nulla ratione queant. Secunda fuit opinio nonnullorum, qui arbitrati ſunt, elementa, dùm propria loca petunt, ab alia re nulla, quàm ab iiſdem proprijs locis moueri: idq; ob quã dam conuenientiam, & ſympathiam, quæ inter locum, & locatum reperitur. Locus, ſiquidẽ vim habet ad ſe trahendi locatum, quod ab ipſis ſeruari debet: eo ferè modo, quo Herculeus lapis vim habet, qua ferrum quadam naturæ benignitate allicit, hincque fit, vt dùm lapis ad centrum proximè accedit, maiore ab eodem auiditate trahatur. Tertia fuit opinio aliorum, qui exiſtimarunt, elementa, dùm ad proprias ſedes feruntur, neque à Celo, neque à loco, ſed à medio, in quo re ipſa reperiuntur, tanquam à principe cauſa moueri: non alia ſanè ratione, niſi quia medium, virtute quadam, & proprietate præditum eſt, qua corpus, in ſe repertum, ad proprium locum quodammodo manu ducat. Etenim, ſi corpus contentum eo leuius ſit; tunc ſtatim ſe illi, ſecundũ omnes ſuas partes, velociſſimè ſubijcit, illudque ſurſum in propriam regionem impellit. Si verò grauius ſit; tunc ſe itidem illi, ſecundum omnes ſuas partes ſuperinducit, illudque deorſum ad proprium locum detrudit. Alia plura à veteribus Philoſophis hac de re dicta ſunt, quæ recenſere non eſt operæprecium.

Secunda opinio, elemẽta moueri à loco.

Tertia opin. elemẽta moueri à medio

*Opinio Alberti, S. Tho. Aegidij, & aliorum, ſtatuentium grauia, & leuia corpora non moueri à ſe ipſis. Cap. IV.*

QVid Ariſt. hac de re ſenſerit, ambiguum eſt apud interpretes, varios varia ſentientes. Magnus Albertus 8. lib. Phyſ. tract. 2. c. 4. D. Tho. & cum eo Cardinalis Caietanus 1. par. Summæ q. 18. art. 1. Romanus Ægidius quolib. 5. q. 16. & alij complures id primò tanquam ratum, & firmum in Ariſtotele ſtatuerunt, grauia, & leuia corpora, cùm in naturalia loca tendunt, à ſe ipſis, vt à principe cauſa, nullo pacto moueri. Quod quidem & ex varijs Ariſtotelis locis elicuerunt, & rationibus etiam validiſſimis comprobarunt. Primò enim Ariſ. 8. lib. de Phyſico auditu, tex. 28. diſcrimen ſtatuens inter grauia, & leuia corpora, atque animalia; illud eſſe aſſeruit, quia animalia ab interno principio mouentur, nimirum ab anima; atque adeò à ſe ipſis moueri dicuntur: grauia autem, & leuia corpora non ab ſe quidem, ſed ab externo motore mouentur: quibus ſanè verbis ſatis perſpicuè ſuam Ariſt. ſententiam aperuiſſe viſus eſt. Præterea in fine tex. 32. eiuſdem octaui libri proponebatur obiectio huiuſmodi. Si grauia, & leuia corpora non à ſe ipſis, ſed ab externo motore mouerentur, fore, vt corũ motus violentus potius, quàm naturalis dicendus eſſet; cùm natura ex ſecundo eiuſdem operis lib. non externum quidem, ſed internum principium motus appelletur. Soluens Ariſt. hãc obiectionem, ait; Vt motus aliquis naturalis dicatur, ſatis eſſe, in eo, quod mouetur, paſſiuũ principium reperiri, ratione cuius id totum, quod mouetur, propenſionem habeat ad motũ recipiendum. Cùm igitur ſimplicia corpora materiam obtineant, quæ dicitur principiũ paſſiuum, à quo ipſa, ad motum ſubeundum, propenſionem recipiunt; eiuſmodi principium ſatis erit, vt illorum motus naturalis dicatur; quanuis extra ipſa illud principium ſit, à quo, tanquam ab effectrice cauſa cientur. Apertè igitur hac ſolutione Ariſt. docuit, ſimplicia corpora non à ſe ipſis, ſed ab externo motore moueri. Rurſus quicquid mouet, actu eſt; quicquid autem mouetur, poteſtate: cùm igitur idem ſimul actu, & poteſtate eſſe non poſſit; neceſſe eſt, in eo omni, quod mouetur, diſtinctionem inter partem per ſe motam, & partem, per ſe mouentem reperiri. Hæc quippe diſtinctio in animalibus perſpicua eſt, in quibus anima à corpore ſecernitur: in grauibus autem, & leuibus corporibus non item; quoniam in illis non niſi materia, & forma reperitur. Demus, formam eſſe partem, actu mouentem; deerit altera pars, quæ actu moueatur: ea enim non poteſt eſſe materia; quoniam id, quod motum localem recipit, perfecta, atque determinata exiſtentia præditum eſſe debet: huiuſmodi autem non eſt materia, quæ natura ſua, indeterminata eſt: igitur nec mouere actu, nec moueri ab aliquo poteſt. Alterum igitur ex his duobus admittendum neceſſariò eſt, vel idem ſimul eſſe actu, & poteſtate, ſi grauia, & leuia corpora à ſe ipſis moueri dicamus, quod videtur abſurdum; vel grauia, & leuia corpora ab externo tantùm motore moueri, quæ fuit Ariſt. opinio. Poſtremò, quæcunque à ſe ipſis mouentur, ſecundum omnes loci differentias ſe mouere, immò etiã arbitratu ſuo quieſcere poſſunt: ſicut in animalibus apparet, quæ ante, retrò, ſurſum, deorsũ, dextrorſum, & ſiniſtrorſum mouentur: tardè etiam, & velociter progrediuntur: & quotieſcunque volunt, cùm à curſu, tùm etiam à motu abſtinẽt. At ſimplicia corpora grauia, & leuia ne

Albertus.
S. Tho.
Aegidius.

Arg. primũ

Arg. ſecũdũ.

Arg. tertium.

Arg quartũ.

que ſiſtere ſe poſſunt, dum ſunt in curſu, neque contrarijs motibus agitari: non igitur à ſeipſis, vt animalia, ſed ab externo motore neceſſariò mouentur.

### *Grauia, & leuia corpora, ex eorundem autorum ſententia, tanquam à principe cauſa, moueri à generante. Cap. V.*

Motor externus grauiũ, & leuium duplex per ſe, & ex accidẽti.

Motor per ſe eſt generãs. Motor ex accidenti eſt remouens prohibens.

Ariſt. loca idẽ confirmãtia.

Mouere quid ſit.

Poteſtas ad motũ in quo que elemẽto duplex, eſſẽtialis, & accidentalis.

Poteſtas eſſentialis q̃d. Poteſtas accidẽtalis quę dicatur.

QVisnam autem ſit hic motor externus, cuius beneficio grauia, & leuia corpora in proprias regiones aguntur, optimè quidem hac diſtinctione à prædictis autoribus explicatur. Duplex, inquiunt, eſt motor, qui motum in huiuſcemodi corporibus efficit: alter per ſe, & vt cauſa præcipua: alter ex accidenti, & vt cauſa proxima. Motorem per ſe, dicunt eſſe generans. Motorem verò ex accidenti eum eſſe affirmant, qui impedimentum aufert: conſtat autem, vtrunque motorem externum eſſe, nec ad iſtorum corporum ſubſtantiam intimè pertinere. Hanc putant fuiſſe Ariſt. ſentẽtiam in textibus 17.29. & 32.8. lib. Phyſ. in tex. 9. libri ſecundi de Cęlo: in textibus 24. & 25. quarti eiuſdem operis libri: in libro de Motu animalium, c. 3. & in omnibus alijs locis, vbi hac de re locutus eſt. Enimuerò cùm mouere nihil aliud ſit, niſi rem de poteſtate ad actum deducere; neceſſe eſt, vt quemadmodum in ſimplici corpore graui, aut leui duplex ineſt poteſtas, quæ duplicem actum reſpicit: duplex pariter reperiatur motor, qui duplici huic poteſtati reſpondeat: cuius quidem ope, atque ſubſidio, corpus ſimplex actum illum acquirat, ad quẽ poteſtatem habebat. Itaque ſimplex corpus, grauitate præditum, duplicem habet poteſtatem naturaliter aſcendendi: dico duplicem poteſtatem: quia, ſi leue eſſet, vnicam tantùm poteſtatem haberet. Similiter ſimplex corpus, leuitate affectum: duplicem habet poteſtatem naturaliter deſcendendi: alteram, quam vocant eſſentialem: alteram, quam appellant accidentalem. Poteſtas eſſentialis ea eſt, quæ formã ſubſtantialem rei grauis, aut leuis, tanquam actum ſibi reſpondẽtem reſpicit. Poteſtas verò accidẽtalis ea dicitur, quæ ad locum, aut ſuperum, aut inferum, tanquam ad ſuum proprium relatiuum refertur. Prior poteſtas appellatur eſſentialis, ea ratione, quia id, quod graue eſt, actu, & re ipſa ſecundum naturam non aſcendit; ſed potius deſcendit, niſi quid impediat: poteſtatem autẽ habet aſcendendi, quatenus, ſi tranſmutetur, obtinere poteſt ſubſtantialem formam eius, quod leue eſt, ac ſubindę leuitatis effectum, qui eſt ſurſum aſcendere. Poſterior verò poteſtas dicitur accidentalis: quoniam cùm ſimplex corpus graue iam factum eſt leue, ſi extra locum ſuum reperiatur, ſtatim ſurſum aſcẽdit; ſi autem non aſcendat, & vi alicubi, ob impedimentum aliquod detineatur: hoc eſt ex accidenti: quia accidit ei, vt cohibeatur, nec liberum habeat exitum in propriam regionem.

Exẽplũ rem totam dilucidè aperiens.

Illuſtremus rem totam exemplo. Terra elemẽtum eſt graue: & quatenus tale eſt, poteſtatem primùm habet eſſentialem, atque remotã ſurſum naturaliter aſcendendi; quia eius materia eſt in potentia ad recipiendam formã ſubſtantialem aut aeris, aut ignis, quæ leuia elementa ſunt. Cùm autem ex terra factus eſt aer: iã in materiam actus primus nimirum forma ſubſtantialis aeris introducta eſt, & ea pariter omnia, quæ formam illam ſubſtantialem conſequuntur, vt caliditas, humiditas, leuitas, & alia id genus accidentia. Genito igitur aere, ſi ſolutus ille ſit, & ſui iuris: in propriam ſtatim regionem concedit: ſin autem aſcenſus eius ab aliquo prohibeatur; inuitus decumbit, atque quieſcit.

Cõcluſio huius opinion.

Dicunt igitur prędicti autores, ſimplex corpus graue, quò ad actum primum, eſſentiali potentiæ reſpondentem, vt à principe cauſa, moueri à generante, illud enim eſt, quod elemẽto graui, ſubſtantialem formam elementi leuis, atque etiam conſequentem leuitatem impertitur. Quò verò ad actum ſecundum, accidentali potentiæ reſpondentem, qui eſt ſurſum aſcẽdere, dicunt ab eo moueri, qui impedimentum remouet; ille enim proxima eius motus cauſa abſque dubio cenſetur, quemadmodum Ariſtoteles in ſupra citatis locis dilucidè patefecit.

### *Grauia, & leuia corpora, vt prædictis autoribus placuit, ab eorum ſubſtantiali forma, atque itidem à grauitate, aut leuitate, tanquam ab inſtrumento generantis, moueri. Cap. VI.*

Grauia, & leuia mouẽtur à forma, vt ab inſtrumẽ.

PRæter præcipuam, & proximam, habent etiam grauia, & leuia corpora ſuorum motuũ inſtrumentariam cauſam, quam autores prædicti ſubſtantialem eorundem corporũ formam, & conſequentem pariter grauitatem, aut leuitatem eſſe putarunt: ita tamen, vt forma

ſit

ſit inſtrumentum magis principale; grauitas autem, aut leuitas minus principale. Hanc ſententiam ex Ariſt. primùm eliciunt, lib. 4. de Cęlo tex. 25. vbi docere viſus eſt, grauia, & leuia corpora non ſolùm habere in ſe principium paſſiuum ſuorum motuum, puta materiam; verùm etiam principium actiuum, quod quidem eſt eorum ſubſtantialis forma.

*Autoritas Ariſt.*

Afferunt deinde rationes varias, ad hanc ſententiam confirmandam. Primò, quia, cùm grauia, & leuia corpora, abſente generāte, vel etiam diſſoluto, ad proprias regiones ferantur: inſtrumentum aliquod, ab eo relictum, neceſſariò dandum eſt, cuius vi moueantur; hoc autem aut eſt principale: & ſic eſt forma ſubſtantialis illius corporis, quod mouetur: aut minus principale: & ſic eſt grauitas, aut leuitas, quæ ſubſtantialem illius corporis formam conſequuntur.

*Prima ratio.*

Præterea munus formæ ſubſtantialis eſt rei compoſitæ abſolutum actum, perfectamque rationem impertiri; ergo neceſſe eſt, vt eadem forma omnes actus accidētarios pariat, qui rei compoſitę proprij, atque natiui ſunt; quique, naturæ ordine, actum primum conſequuntur: huiuſmodi autem actus ſunt illi motus, quibus vnaquæque compoſita res ad proprium locum tendit: ergo forma ſubſtantialis principale iſtorum motuum inſtrumētum eſſe dicetur: cùm iam probatum ſit, præcipuam cauſam eſſe generans; cauſam verò proximam eſſe omne illud, quod impedimentum remouet.

*Secūda ratio*

Grauitatem autem, & leuitatem eſſe inſtrumenta minus principalia, ita probant: quia huiuſmodi qualitates nihil aliud ſunt, quàm facultates motrices, à natura datæ, ad exequendum motum: ſicut intellectus datus eſt ad exequendum actum intelligēdi, & voluntas ad exequendum actum volendi; ſunt igitur inſtrumenta motus. Ideò Ariſtot. 4. de Cęlo tex. 2. dicebat, grauia, & leuia corpora incitamenta quædam motus in ſe habere, hoc eſt fomites ad motus: per fomites autem grauitatem, & leuitatem intellexit.

*Tertia ratio.*

Afferunt denique poſtremam rationem, qua ſimul probant, formam ſubſtantialē, vt inſtrumentum præcipuum, grauitatem verò, aut leuitatem, vt inſtrumēta minus præcipua, grauia, leuiaque corpora ad ſua loca mouere: quoniam, vt facultates animę ab eſſentia animæ: ita grauitas, & leuitas à forma ſubſtantiali grauium, & leuium corporum proficiſcuntur; ergo eo modo, quo actiones animæ ab eius facultatibus pēdent: ita motus grauium, & leuium corporum à grauitate, & leuitate pendebit: ſed actiones animæ pendent ab anima, tanquam à primo miniſtro principalis agentis: (illud enim eſt, quod omnia agit) à facultatibus verò, tanquàm ab ancillis eiuſdem miniſtri; ergo motus grauium, & leuium corporum à forma ſubſtantiali tāquā ab inſtrumento magis principali: à grauitate autem, & leuitate, tanquam ab inſtrumento minus principali proficiſcetur. Hactenus de hac prima opinione.

*Quarta ratio*

*Opinio aſſerentium, grauia, & leuia corpora non ab externo, ſed ab interno motore, hoc eſt à ſe ipſis moueri. Cap. VII.*

OPpoſitam verò ſnīam, videlicet grauia, & leuia corpora non ab externo, ſed ab interno motore, hoc eſt à ſe ipſis moueri, viri grauiſſimi, ac ſubtiliſſimi, tàm ex Scholaſticorum, quàm ex recentium Philoſophorum numero, defenderunt; præſertim Scotus 2. Sent. diſt. 2. quæſt. 10. Gregorius Ariminenſis eodē lib. diſt. 6. q. 1. art. 3. Iandulus 8. Phyſ. quæſt. 12. Alexander Achillinus lib. 3. de Elemētis, quæſt. 2. Buridanus, Zimara, Sueſſanus, Zabarella, & alij complures.

*Scotus.*
*Greg. Arim.*
*Iandunus.*
*Alex. Achil.*
*Buridanus.*
*Zimara.*
*Sueſſanus.*
*Zabarella.*

Hanc autem ſnīam plurimis rationibus, & ijs quidem firmiſſimis, vt apud ipſos videre licet, comprobarunt: quarum ego pręcipuas, breuitatis cauſa, tantummodo recenſebo. Primam eliciunt ex Ariſt. 2. Phyſ. tex. 4. vbi naturę definitionem explicans, diſcrimē patefacit, quod inter naturalia, & artificioſa corpora intercedit; nitq; artificioſa corpora nullum intra ſe effectionis principium habere: naturalia verò ſuæ motionis principium in ſe continere. Tunc ſic argumētantur: Elemēta non ſunt corpora artificioſa, ſed naturalia; igitur in ſe ipſis ſui motus principium continēt, quod quidem aliud eſſe non poteſt, niſi eorū ſubſtantialis forma.

*Prima ratio.*

Addunt ſecundam rationem, ſumptam ex definitione naturæ, quę ita habet; Natura eſt principium motus, & quietis: forma eſt natura, vt 2. Phyſ. Ariſt. ſæpè docet: ergo forma in elemētis eſt principium motus: non paſſiuum: quia proprium formæ eſt agere, non pati: ergo actiuum; ac deinceps elemēta, cùm ad propria loca tendunt, à ſe ipſis, hoc eſt à proprijs formis mouētur.

*Secunda.*

Tertiò hunc in modum ratiocinantur: Effectus, actu exiſtēs, cauſam pariter, actu exiſtentem, depoſcit, vt habetur 2. Phyſ. tex. 37. & 5. Metaph. tex. 3. veritatéque habet huiuſmodi propoſitio in eo potiſſimum effectu, cuius eſſe conſiſtit in

*Tertia.*

fieri, cuiuſmodi eſt motus: Sed deſcẽſus rei grauis, vt terræ, vel aquæ, eſt effectus, actu exiſtẽs, ergo hic effectus actu exiſtentẽ cām depoſcit. Experiamur nūc, inquiunt, an, per ſatis cōmodā diuiſionem huiuſmodi cām, actu exiſtẽtem, inuenire poſſimus: oportet enim, vt ſit vel generans, vel remouens impedimẽtum, vel Cœlum, vel medium, vel locus naturalis, vel internum aliquod principium, puta forma ſubſtantialis; aliam cauſam fingere difficile quidem eſt. At generans eſſe non poteſt: quia non amplius agit; immò ne agere quidẽ poteſt, cū amplius corpus graue non tangat: & omnis actio materialis per contactum fiat. Huc accedit, quòd, dùm graue corpus deorſum tẽdit, fieri poteſt, vt generans multò iam antè interierit. Sed fac etiam, non interijſſe, quieſcere ſaltem poteſt, dum illud, quod ab eo genitum eſt, reapsè mouetur: ac motor, corporea mole præditus, nō mouet, niſi moueatur, vt docet Ariſt. 3. Phyſ. tex. 3. & ſequẽtibus, (ſolius enim primi mouẽtis eſt, mouere non motum) cauſa igitur huiuſmodi effectus, actu exiſtẽtis, hoc eſt ſimplicis corporis motus, ad propriam regionẽ nō poteſt eſſe generans. Sed neq; etiam eſſe poteſt id, quod impedimẽtum remouet; propterea quòd eius actio non niſi in impedimẽti remotione conſiſtit: poſtquam autẽ impedimentum ſublatū eſt, adhuc nihilominus graue corpus deorſum fluit; & id, quod impedimẽtū remouet, nullam amplius in illud corpus actionẽ habet; ſtatim enim vt impedimẽtum ſublatum eſt, actio eius euanuit. Neq; rurſus huiuſmodi cauſa poteſt eſſe Cælum, neq; medium, neq; locus naturalis, quemadmodum Ariſt. contra veteres Philoſophos in calce 2. libri de Cœlo pluribus rationibus demonſtrauit, & nos etiam infra probaturi ſumus. Relinquitur ergo, vt talis cauſa ſit aliquod internum principium, nimirum forma ſubſtantialis illius rei, quæ mouetur.

Quarta. Ducunt præterea validiſſimum argumẽtum ab experiẽtia. Si enim aliquandiu corpus aliquod graue, filo alligatum, atque in aere ſuſpenſum maneat; poſtea verò ſuo pōdere, filū frangat, & deorſum feratur; quæraturq; à quonam motus iſte factus ſit? Aliqui fortaſſe cum Ariſt. reſpondebunt, à remouẽte impedimẽtum. At certum eſt, nullum aliud impedimẽtum fuiſſe, niſi filum ipſum, idq; ab alio nullo, præterquam ab ipſomet corpore graui, deorſum ſua grauitate premẽte, ſublatum eſſe. Tunc ſic; corpus graue impedimẽtum remouere non poteſt, niſi ipſummet priùs, vel tempore, vel natura ſaltem moueatur; cùm nullum mouens corporeū mouere poſſit, niſi motum, vt paulò antè dictum eſt; igitur corpus graue priùs mouet ſe ipſum, deinde verò eius motum ſequitur fractio fili, ac demùm eiuſdem corporis ad proprium locum deſcẽſus conſpicuus fit. Quareà propria virtute, non item ab externo aliquo principio grauia, & leuia corpora ad propria loca mouentur.

Quinta. Vrgent poſtremò hac quoque ratione. Quicquid extrinſecùs cietur, aut pellitur, aut trahitur, aut voluitur, aut vehitur, vt docet Ariſt. lib. 7. Phyſ. tex. 10. Sed nulla iſtarum motionum ſpecies grauibus, & leuibus corporibus conuenit, dum naturalia loca petunt; cùm eorum motus naturales ſint, hi verò omnes contra naturam: igitur neceſſariò dicendum eſt, cùm huiuſmodi corpora naturaliter mouentur: ea non ab externo, ſed ab interno motore, hoc eſt à ſeipſis moueri.

### *Prædicta opinio ab Auerroe explicatur.* *Caput VIII.*

CÆterùm quò facilius intelligerent omnes, opinionem hanc, iam ſatis rationibus confirmatam, ex Ariſtotelico fonte hauſtam eſſe; autores varij, qui eam acerrimè defenderunt, varijs modis illam explicare, atque Ariſt. verbis accommodare conati ſunt: quos omnes Iacobus Zabarella, lib. 1. de Motu grauium, & leuium c. 5. & ſequentibus optimè collegit; & eos breuiter nos quoque hic afferemus, vt illos poſtreà, vnà cum cæteris opinionibus, pōſitemus. Incipiemus igitur ab Auerroe, qui multis quidem in locis hanc quæſtionem tractauit; ſed tamen cùm non vbique eadem aſſeruerit: dubius nonnullis in tanta difficultate viſus eſt; tametſi, qui in eius doctrina exercitati ſunt, ex ijs omnibus, quæ ab ipſo pronunciata ſunt, facilè eius ſententiam ſe elicere profitentur. Auerroes itaque 8. lib. de Phyſico auditu ea explicans, quæ Ariſt. hac de re docuit, apertiſſima potius illius verba, atque pariter ſententiam confirmare, quàm aliud quicquam, ex proprio ingenio exceptum, addere videtur: ait enim, grauia, & leuia per ſe à generante moueri: non autem à ſe. Cuius rei rationem afferens in comm. 30. eam inquit eſſe, quoniam elementa in partem per ſe motam, & partẽ per ſe mouentem, ſiue, vt ipſe ait, in motorem, & motum diuidi nequeunt. Hoc autem dixit propter materiam, quæ, cùm non ſit ens perfectè exiſtens; nec motum alteri dare, nec eundem

Lege Zabar. lib. 1. de motu grauium, & leuium.

Auer. opinio hac de re multis ambigua.

Elementa putauit Auer. per ſe moueri, non tamen à ſe.

in ſe recipere poteſt, vt antè dictum eſt. Huius oppoſitum videtur docuiſſe in comm. 1. 2. lib. Phyſ. vbi diſertis verbis aſſeruit, elementa moueri à ſe; quoniam principium motus in ſe ipſis habent. Et 4. eiuſdem operis lib. comm. 71. ait, motorem in elemento eſſe formam; motum verò materiam; atque adeò, elementum in motorem, & motum diſtingui poſſe. Sed apertiſſimè rem hanc explicauit 3. lib. de Cęlo, comm. 28. vbi ait, motorem in elemento eſſe formam; motum verò materiam; & illam quidem non nudam, ſed formatam, ideſt compoſitum ipſum; ita tamen, vt ratione materiæ moueri dicatur. Sic enim elementum verè in ſe ipſo principium motus, tàm actiuum, quàm paſſiuum habere dicitur: nam vtroque munere fungitur forma, vt duobus modis accepta: mouet enim, quatenus forma; mouetur autem quatenus materiam perficit. Satis clara, & aperta eſſet hæc Auerrois explicatio, niſi ea, quæ ipſemet 4. lib. Phyſ. loco paulò antè citato addidit, negotium aliquod faceſſerent, & perturbationem maximam afferrent. Confirmat quidem ibi, quod alibi docuit, elementum videlicet à ſemetipſo moueri: addit tamen, non moueri à ſe ipſo per ſe, ſed ſolùm ex accidenti. Graue enim deſcendens, inquit, aërem medium, vt cauſa, primò mouet: deinde, ad motum cadentis aëris, ipſum etiam graue mouetur. Quare, à primo ad vltimum, elementum à ſe per accidens mouetur. quatenus enim graue deſcendens aërem trudit, mouet illum per ſe: quatenus verò aer illi cedit, mouetur ex accidenti. Vtitur autem, ad hoc explicandum, exemplo nautę, qui, dum natim mouet per ſe, ſe ipſum quoque ex accidenti mouet: motum enim nauis neceſſariò conſequitur motus ſui ipſius. Ex his omnibus Auerroiſtæ colligunt, hanc eſſe veram, & germanam Auerrois ſententiam de Motu grauium, & leuium, varijs in locis ab eodem traditam; grauia, & leuia corpora, dum naturali motu in proprias regiones contendunt, à ſe ipſis quidem, non tamen per ſe, ſed ex accidenti tantùm moueri: atque ita concludunt, Auerroem ex ſententia Ariſtotelis ſtatuiſſe, grauia, & leuia non ſolùm externum, verùm etiam internum ſuorum motuum principium habere.

Idē alibi docuit, elemēta moueri à ſe ipſis, diuidiq; in partē per ſe motam, & partē per ſe mouentem.

Tandem putauit Auerr. elemēta moueri à ſe, nō tamē per ſe, ſed ex accidenti.

Exemplū Auer.

### *Eadem ſententia explicatur à Scoto.* Cap. IX.

SCotus, loco citato, tuetur quoque, elementa à ſe ipſis moueri; non tamen ex accidenti, vt putauit Auerroes, ſed per ſe, & virtute propria. Quoniam verò ſententiam hanc dubiā quodammodo reddere videbatur obiectio illa, quæ paſſim afferri ſolet, elementum videlicet in partem per ſe mouentem, & partem per ſe motam diſtingui non poſſe. Reſpondet, diſtinctionem hanc in elemento neceſſariam non eſſe. Pro cuius explicatione, diſtinctionem affert de duplici agente. Alterum, inquit, eſt agens vniuocum, quod formale interdum appellatur. Alterum æquiuocum, quod virtuale quoque nuncupari ſolet. Agens vniuocum illud eſt, quod in altero eam formam imprimit, quam in ſe continet, vt ignis; ferrum calefaciēs, vniuocum agens dicitur, quoniam cum ferro calorem communicat, quo ipſe præditus eſt. Agens æquiuocum illud dicitur, quod virtute ſua quippiam in altero gignit, quo ipſum deſtitutum eſt: vt Cęlum hæc inferiora calefaciens, dicitur agens æquiuocum; quoniam calorē parit, quem tamen verè, &, vt aiunt, formaliter non habet. Hac poſita, & explicata diſtinctione, ait Scotus, ſi de vniuoco agente ſermo fiat; illud certè in ſemetipſum agere nulla ratione poſſe: iam enim eam formam re ipſa obtinet, quam progignit; ac propterea eādem rurſus recipere nequit; quotieſcunque igitur agit, in alterum, à ſe re ipſa diſtinctum, neceſſariò agit. Si verò de æquiuoco agente loquamur; tunc, cùm illud in ſe eam formam non habeat, quam ſua virtute progignit; eandem proculdubio in ſeſe recipere, ac deinceps in ſemetipſum agere poteſt. Simul enim, ad eandem formam, habet actum virtualem, & potentiam formalem: actum quidem virtualem, illam edendi: potentiam verò formalem, illam recipiendi, nō igitur abſurdum eſt, vt formalem actum, quem non habet, à ſemetipſo recipere poſſit. Nunc ad rem. Cùm elementi forma, ad motum localem, ſit agens æquiuocum, habeatque totum elementum formalem potentiam ad motum illum recipiendum; abſque vlla repugnantia elementum à ſua procreatrice virtute localem motum recipere poteſt. Cumque illa virtus ab elemento re ipſa diſtincta non ſit, fit, vt cùm mouetur, non ab alio quidem, ſed à ſe ipſo moueri dicatur. Et ſi quæratur à Scoto, quid reſpondendum erit autoritate Ariſtotelis, diſertiſſimis verbis 8. lib. Phyſ. aſſerentis, elementa à ſe ipſis non moueri? Reſpondet, ideò Ariſtotelem dixiſſe, elementa non moueri à ſe, quia more animalium non progrediuntur: quæ, cùm

2. Sent. d. 2. q. 10.

Obiectio.

Solutio Sco.

Agēs duplex vniuocū, & æquiuocum.

Agēs vniuocum quid.

Agens æquiuocum quid.

Quod nā ſit illud agens, quod in ſe ipſū agere poteſt.

Quo elementa à ſe ipſis moueantur.

Occurrit Scotus præcipuæ Ariſt. autoritati.

ex apprehenſione,& appetitu agant,ſiſtere ſe ipſa poſſunt in medio curſu, & in oppoſitas e-
tiam loci differentias mouere:quod tamen elementis minimè conuenit. Non negauit autem
Ariſt.elementa moueri à ſe,ideſt à propria virtute.

### *Explicatio Gregorij Ariminenſis.* *Cap. X.*

GRegorius etiam Ariminenſis lib.2.Sententiarum diſt.6.q.1.art.3.antè citato,idem ſen
ſit,vt nimirùm grauia,leuiaque corpora non ab externo aliquo motore, ſed à ſe ipſis
moueantur. Cùm enim,quicquid mouetur,ab aliquo neceſſariò moueatur, vt patet 7.& 8.
Phyſ.& iam antè probatum ſit,grauia,& leuia corpora à nullo externo motore moueri;con-
Greg. Arim. côtra Auerr.
cludit Gregorius ea neceſſariò à ſemetipſis moueri. Neque verò putauit,huiuſmodi corpo
ra à ſeipſis moueri ex accidenti,eò modo,quo Auerroes arbitratus eſt;ſed per ſe, hoc eſt vir
tute propria:nam tametſi,dum propria loca petunt,medium aliquod corpus moueri contin
gat;cuius quidem motum grauium,& leuium corporum motus conſequatur;medium tamē
illud,ſiue ſit aer,ſiue aqua,nũquam moueretur,niſi à corpore graui,aut leui ſurſum,aut deor
ſum,ſua leuitate, aut grauitate premente,pelleretur. Priùs igitur natura eſt motus rei gra-
uis,aut leuis,quàm ſit motus medij;atque adeò in illo priori ſigno aſſignandus eſt motor, à
quo grauia,& leuia corpora moueantur:cumque nullus adſit externus motor;neceſſariò con
cludendum eſt,ea corpora à ſemetipſis moueri. Verùm quoniam duæ ſunt Ariſtotelis auto-
ritates,ſatis famoſæ,quæ huic ſententiæ rectè obijci videntur;ideò Gregorius eiſdem autori
Prima autoritas Ariſt. Reſpõ. Greg.
tatibus obuiam ire conatus eſt. Prima elicitur ex 8.lib.Phyſ.tex.29.vbi Ariſtoteles apertiſ
ſimis verbis pronunciauit,grauia,& leuia corpora à ſe ipſis non moueri. Huic autoritati re
ſpondet Gregorius,ea ratione id ab Ariſtotele dictum eſſe;quoniam oportet,huiuſmodi cor
pora,priùſquam moueantur,extra natiuam ſedem conſtitui;ibique à genitore aliquo per ſe
edita eſſe,atque illis motus impedimenta adimi: quod cùm per ſe ipſa præſtare nequeant:
externo motore neceſſariò egent:& in hoc ſenſu,ait Gregorius,Ariſtotelem intellexiſſe,gra-
uia,& leuia à ſe ipſis moueri non poſſe. Altera autoritas elicitur ex eodem libro tex.32.vbi
Altera autoritas Ariſto.
docuit Ariſtoteles,grauia,& leuia corpora per ſe à generante moueri; ex accidenti autem à
remouente prohibens:per ſe igitur à ſe ipſis non mouentur,cùm iam Ariſtoteles illud indica
Rñſio Greg.
rit,à quo ipſa per ſe moueantur. Reſpondet Gregorius,hæc Ariſtotelis verba, ſi rectè per-
pendantur,ſuam ſententiam nequaquam euertere;immò potius validiſſimè confirmare. Ete
nim non fuit Ariſtotelis conſilium,ait Gregorius,ibi docere,grauia,& leuia corpora per ſe à
generante proximè,nulliuſque alterius interuentu,moueri:ſed tantummodò docere voluit,
generans ideo per ſe mouendi vim obtinere,quia rei genitæ formam parit,à qua poſtea eiuſ
dem motus exoritur;niſi tamen aliquid ſit,quod impediat:tunc enim neceſſe eſt,impedimen
tum ab aliquo remoueri,vt res genita ad proprium locum tendere poſſit.

### *Explicatio Iacobi Zabarellæ.* *Cap. XI.*

HAnc tandem ſententiam Iacobus Zabarella lib.1.de Motu grauium,& leuium, capiti-
bus 11.& 12.duabus diſtinctionibus,& quinque concluſionibus ſe explicare profeſſus
eſt;& miſtam quandam opinionem peperit,ex ijs,quæ Auerróes,Scotus,& Gregorius Ari-
Prior diſtinctio Zabar.
minenſis tradiderunt. Prior diſtinctio eſt huiuſmodi: cùm mouere ſit rem de poteſtate ad
actum deducere;in explicando motu grauium,& leuium,triplex poteſtas occurrit,ſcilicet ad
actum primum,hoc eſt ad formam ſubſtantialem;& hæc appellatur eſſentialis:ad actum ſe
cundum,hoc eſt ad motum,qui conſequitur formam;& hæc appellatur accidentalis: & ad
Tertia quædam poteſtas in elemento à Zabarel excogitata.
locum,ad quem motus grauium,& leuium corporum terminatur. Hæc autem tertia pote-
ſtas à Iacobo Zabarella excogitata eſt:nam ſine illius cognitione,quæſtionem hanc aſſerit;
explicari nequaquam poſſe. Etenim elementum graue primò eſt in potentia eſſentiali ad a-
ſcendendum;quia eſt in potentia,vt fiat leue,vt docet Ariſtoteles: poſtquàm factum eſt le-
ue,niſi quid impediat,ſtatim ſurſum aſcendit: ſi verò impedimentum aliquod adeſt;tũc po-
teſtatem habet,ſurſum aſcendendi. Sed cùm,impedimento ſublato,re ipſa mouetur; tũc ter-
tiam adhuc poteſtatem habet:quia nondum definitum terminum nactum eſt: & hæc pote-
Poſterior diſtinctio.
ſtas ad locum dicitur. Poſterior diſtinctio ea eſt,duplex eſt efficiens;alterum cum tranſmu
tatione;& huic propriè conuenit definitio potentiæ actiuæ,quæ 9.Metaph.ab Ariſtotele tra
dita

dita eſt;ſcilicet potentia actiua eſt principium tranſmutandi aliud in quantum aliud:& huiuſmodi efficiens exigit neceſſariò patiens,quod à ſe diuerſum ſit;quia nihil ſe ipſum mutare,& de poteſtate ad actum deducere poteſt. Hoc etiam efficiens habet à patiente aliquam reſiſtẽtiam,à qua in motu ſucceſſio proficiſcitur. Alterum eſt efficiens,ſine tranſmutatione; ſed per ſolam emanationem effectus ab eo:quaſi enim,ipſo non operãte, effectus ſponte ſua illud conſequitur, ſicut vmbra corpus; & huiuſmodi efficiens in corporibus naturalibus eſt forma,ad accidentia,& proprietates in eadem re conſequentes. Quemadmodum etiam rationalitas dicitur in homine effectrix cauſa riſibilitatis; non quidem per tranſmutationem; quia non facit ipſum ex non riſibili riſibilem;ſed per ſimplicem emanationem:cùm enim rationale eſt,ſtatim ipſum riſibile neceſſariò conſequitur. His duabus poſitis, atque explicatis diſtinctionibus,affert Zabarella quinque concluſiones. Prima,ſi fiat ſermo de poteſtate eſſentiali;ab hac elemẽtum ad actum deducitur à ſolo generante,quemadmodum Ariſto.expreſsè docet,& ſatis ſuperius explicatum eſt. Secunda, ſi fiat ſermo de poteſtate accidentali;ab hac elemẽtum ad actum ducitur à remouente impedimentum:quę etiam concluſio ex ipſomet Ariſtot.clara eſt. Tertia, ſi conſideremus tertiam poteſtatem in graui,aut leui,extra locum ſuum exiſtente,nec impedito,quæ quidem poteſtas eſt ad locum,quem non obtinet;ab hac ad actum ducitur,& ad ſuum locum mouetur à propria forma,tãquam ab agente,non per tranſmutationem,ſed per ſolam emanationem. Hanc concluſionem probat,& argumẽtis antè adductis,& multis alijs cùm rationibus,tùm autoritatibus, vt vnicuique apud ipſum videre licet. Quarta,in motu naturali grauium,& leuium non neceſſariò requiritur, vt mouens à moto re ipſa penitus diſtinctum ſit. Hanc concluſionem, tanquam ex ſe perſpicuam relinquit:quoniam cùm elemẽti forma ſit cauſa effectrix motus,per ſolam emanationem,non exigit,vt id,quod mouetur,à ſe re ipſa diſtinctum ſit:mouet enim,vt forma,mouetur autem,vt iuncta materiæ: quatenus ſcilicet ex his duabus partibus totum compoſitum coaleſcit. Quinta,ſi motum elemẽti ad motorem,per veram efficientiam, & tranſmutationem,redigere velimus: elemẽtum à ſe ipſo mouetur, vt ab agente tranſmutante:non tamen per ſe,ſed ex accidenti. Probat hanc concluſionem,cum ordinem explicando,ſi non temporis,at ſaltem naturæ, qui in grauis,& leuis corporis motu neceſſariò reperitur. Primùm quidem elemẽtum per ſe à ſua forma mouetur,tanquam ab agente per emanationem:ab ea nãque naturalis motus in ipſomet elemẽto proximè oritur, & non per medium aerem:immò niſi graue primò ſe ipſum moueret,nunquam aerem premeret. Deinde totum graue,nõ forma eius,ſuo motu aerem mouet,tanquam agẽs per tranſmutationem:ſic enim in aliud agit, ibique adeſt perfecta realis diſtinctio mouẽtis,& moti, & reſiſtẽtia patientis, à qua in motu ſucceſſio oritur. Denique ad motum aeris,ipſum etiam graue mouetur, quod cedentis aeris locum ingreditur,& ita fit, vt graue à ſe ipſo tũ per ſe,tùm ex accidẽti moueatur: per ſe quidem,ratione efficientiæ per emanationem:ex accidenti verò,ratione efficientię per tranſmutationem. Hanc putauit Zabarella,eſſe veram ſententiam de motu grauium,& leuium.

Prima cõcluſio. — Secunda. — Tertia. — Quarta. — Quinta.

*Grauia, & leuia corpora non moueri à Cælo.* *Cap. XII.*

PRopoſitis iam aliorum opinionibus, nũc ſingulę ad veritatis trutinam expẽdendę ſunt. Primoque Empedoclis ſnĩa, qui putauit,grauia, & leuia corpora à Cęlo moueri, omnium abſurdiſſima,& ab Ariſtot.& ab omnibus rectè philoſophantibus iudicatur. Etenim, ſi à Cęlo pellente ſimplicia corpora,grauia,& leuia mouerentur:dubio procul eorum motus eſſet violentus:ſiquidem pulſio inter motus violenti ſpecies 7.lib.de Phyſico auditu ab Ariſtot.numeratur:abſurdum autem eſt dicere,ſimplicia corpora ad propria loca violenter moueri;ergo abſurdum eſt dicere,eorum motum à Cęlo, vt à principe cauſa pendere. Deinde ſi terra ad centrum, ignis ad concauum orbis Lunæ, & reliqua elementa, illato ſibi impetu,ad proprias regiones feruntur,quiſnam motus eiſdem naturalis eſſe dicetur? Nempè cuilibet ſimplici corpori naturalis aliquis motus aſcribendus eſt,quo proprium, & naturalem ad locum feratur,vbi ſeruari debeat. Si igitur elementa ad proprias regiones à Cælo pelluntur;tunc ibi violenter neceſſariò manebunt:& cùm nullum violentum perpetuum ſit;eadem aliquando,ſecundum totam eorum ſubſtantiã,interibunt. Prætereà hæc Empedoclis ſnĩa nullam rationem aſſignat,cur leuia elementa,atque illorum pariter portiones ſurſum ferantur,

Prima ratio Ariſt. — Secunda. — Tertia.

tur;demus enim,diſputationis gratia, Cęlum,velociſſimo ſuo motu, deorſum pellere, atque
à ſe ſe magis,vel minus reijcere terram, aquam, aerem, & ignem:dicat modo Empedoles,à
quonam mouebitur particula aeris,cùm deorſum genita, in propriam regionem conſcēdit?
Prima ratio Grego. Huc accedit,quòd motus violentus velocior eſt in principio,quàm in fine:dum autem graue
corpus deorſum tendit,quò magis centro appropinquat,eò velociùs mouetur;non igitur mo
tus eius à Cęlo fit: præſertim quoniam, ob maximam diſtantiã,languidior vt fieret,neceſ-
ſe eſſet:nam quò magis mobile diſtat à motore,eò tardiùs mouetur,vt ſenſibus etiam mani
Secunda. feſtum eſt. Ad hæc,ſi grauia,& leuia corpora mouerētur à Cęlo, contingeret, vt ab eodem
motus omninò contrarij proficiſcerētur: quod tamen eſſe nulla ratione poteſt. Conſecutio
eſt perſpicua:fieri enim poteſt,vt eo tempore, quo per rectam lineam, terræ particula deor-
ſum deſcendit, per eandem lineam ignis particula ſurſum aſcendat: quòd ſi Cęlum motus
Tertia. iſtos præcipuè efficeret;tunc cauſa contrariorum motuum diceretur. Rurſum,quod mouet,
motu expulſionis mouere non poteſt,niſi corpus, ſibi proximum, primùm expellat: deinde
ad eius expulſionem aliud corpus,ſibi proximum,expellitur,& ſic deinceps,donec corpus,vl
timò motum,expellatur. Si igitur grauia,& leuia corpora mouerentur à Cęlo;oporteret,vt,
dum terræ particula deorſum deſcendit,Cęlum primò ignē,ſibi proximnm,expelleret: ignis
poſtea expelleret partem aeris,ſibi proximam: deinde pars illa expelleret aliam partem,at-
que tandem pars aeris,quæ terræ particulam attingeret,ipſum deorſum expelleret. At certè
ridiculum eſſet,quotieſcunque exigua terræ particula mouetur,totam ſuperiorem regionem
Prima ratio Autoris. concitari. Ad hæc,tametſi Cęlum,ſuo motu,generationis,& interitus rerum omnium,quæ
in hoc ſublunari. Mundo continentur,cauſa exiſtat; nihilominus ſunt,qui exiſtiment, quie-
ſcēte Cęlo,nõ eſſe abſurdũ,plura corpora loco moueri poſſe: extatq; articulus ille Pariſiēſis,
dicere, quieſcente Cęlo, rotam molendini moueri non poſſe,error. Si itaque Cęlum quie-
ſceret, & terræ particula in ſublimi reperiretur; ea profectò deorſum contenderet: eius igi-
Secunda. tur motus alicui alteri cauſæ,præterquàm cæleſti corpori,tribuēdus eſt. Huc accedit, quòd
quamuis latio quælibet per plenum aliquod ſpacium ſemper fiat,cùm vacuum in rerum na-
tura non reperiatur; ſunt tamen,qui tueantur,ſi,diuina virtute,vacuum alicubi reperiretur,
nihilomiuus per illud vacuum,corpus aliquod, cùm naturali, tùm violento motu,moueri
poſſe,vt Henricus,Scotus,& alij plures,quorum ego ſnĩam lib.4.de Phyſico auditu,tracta-
tu de vacuo,ſecutus ſum. Nunc autem ſicubi inane ſpacium reperiretur, & terræ particula
ſurſum proiecta eſſet;tunc,aut in ſublimi maneret, aut deorſum deſcenderet: non maneret
quidem in ſublimi;quia non eſt illic locus,terræ deſtinatus:deorſum igitur deſcenderet;& ta
men ibi nulla eſſet expulſio, propter inane ſpacium; ergo alia princeps cauſa danda eſt,à
qua leuia ſurſum,& grauia deorſum moueantur,cùm Cęlum huiuſmodi cauſa eſſe non poſ
Tertia. ſit. Reijcitur denique hæc ſnĩa,experientia ipſa. Sit gra.ex.pondus aliquod, fune ſuſpēſum,
clauoque ferreo ſub tecto aliquo alligatum:prolapſioneque temporis funis ferrugine corro-
datur,ita,vt non amplius pondus ſuſtinere poſſit, tũc ſtatim pondus illud deorſum ferretur,
& tam ēnulla ad ipſum expulſio peruenire poterit,cùm ſub tecto incluſum ſit: potius igitur
ab interiore aliqua cauſa, quàm à Cæli conuerſione, illius ponderis deſcenſus proficiſcetur,
atque adeò falſum eſt dicere,grauia,leuiaque corpora à Cælo pellente moueri.

*Grauia,& leuia corpora non moueri à loco.* *Cap. XIII.*

Prima ratio. ABſurda quoque eſt eorum ſnĩa, qui dicunt,grauia, & leuia corpora à loco præcipuè
moueri,vbi ſeruari debēt. Nanque ſi primum motorem excipias,quicquid mouet,dũ
mouet,neceſſariò mouetur,vt habetur 7. Phyſic.tex. 10. locus autem immobilis eſt,non igi-
tur eam vim habet,qua in genere cauſę efficiētis,corpus graue,aut leue ad ſe ſe mouere poſ-
Secunda. ſit. Prætereà ſi huiuſcemodi corpora mouerētur a loco, profectò nullo alio moto moueri vi
derētur,quàm motu attractionis: eo autem motu nulla res,diſtans à mouēte, moueri poteſt,
niſi pariter omnia intermedia corpora moueantur: igitur cùm modicus ignis aſcendit, om-
nia corpora media vſque ad Cæli concauum aſcēderent: & cùm exigua terræ particula de-
ſcēdit,omnia pariter corpora media vſque ad cētrum neceſſariò deſcēderent, quod videtur
abſurdum, Et ſi quis dicat,hunc motum attractionis fieri poſſe,loco penitus quieſcēte, quia
nimirùm locus eo modo grauia, leuiaque corpora ad ſe ſe trahit, quo magnes ferrum, à ſe
diſtans,

diſtans, pellicit. Hoc nullius eſt momenti: quoniam, dum nos quærimus, à quonam leuia, grauiaque corpora moueantur, efficientem cauſam motus inquirimus, non finalem: locus autẽ, ſi quam habet vim ad ſe mouendi locatum, ea certè non eſt in genere cauſæ efficientis, ſed tãtummodò in genere cauſæ finalis. Ad hæc porrò, ſi veterum Philoſophorum, cũ quibus modò diſſerimus, decreta reſpiciamus, quamnam dicemus in loco ineſſe vim ad ſeſe trahendi locatum? Si magnes trahit ferrum, hoc ideò eſt, quia in corpore magnetis ea trahendi virtus inſita eſt: ſiquidem virtus quælibet in aliqua ſubſtantia corporea neceſſariò ineſt: locus autem, remoto corpore locato, vt veteribus Philoſophis placuit, non eſt niſi ſpacium quoddam, cogitatione fictum, in quo certè nulla vis ad aliquid trahendũ ineſſe poteſt. Quare ſi tota terra è proprio loco dimoueri poſſet, intelligere nequeo, quid in ſpacio illo, in quo priùs terra poſita erat, reperiretur, quod vim haberet ad ſeſe terram alliciendi, cùm nihil re vera eſſet, ſed quid tantummodo cogitatione fictum. Nullam igitur habet vim locus ad ſeſe trahendi locatum. Tertia. Quarta.

### *Grauia, & leuia corpora non moueri à medio.* *Cap. XIV.*

NOn minus erronea eſt eorum opinio, qui ſtatuunt, grauia, & leuia corpora moueri à medio. Primò, quia omne mouens, ſeu agens naturale, ad vnum tantùm mouendi, vel agẽdi modum determinatum eſt: atqui medium ad omnem motum, tàm ſurſum, quàm deorſum æquè ſe habet; nec magis mobile ad hanc partem, quàm ad illam euocat; ergo medium non poteſt eſſe præcipua cauſa, cur grauia, leuiaque corpora ad proprias regiones moueantur. Minor propoſitio per ſe clara eſt. Maior autem ſcribitur ab Ariſtotele 8. lib. Phyſ. text. 8. & ratione quoque firmatur: quoniam hoc potiſſimùm diſcrimine voluntaria mouentia à naturalibus diſſident, quòd illa ſecundum omnes loci differentias mouere poſſunt; hæc verò vno tantùm mouendi modo definita ſunt. Ideò ignis ſurſum tantùm mouetur, non deorſum: ſic terra tantùm deorſum fertur, non ſurſum. Idem etiam patet in motu alterationis: ignis enim calefacit tantùm, non item frigefacit; aqua frigefacit tantùm; calefacit verò nequaquam, & de alijs eodem modo dicendum eſt. Præterea fingamus, corpus aliquod graue, vt terræ particulam, per medium aerem deſcendere; tunc, ſi præcipua huius motus cauſa dicitur aer, neceſſe eſt, vt, in aliquo priori naturæ ſigno, ipſemet etiam aer moueatur: ſiquidem quicquid mouet, dum mouet, neceſſariò mouetur, primo motore excepto, vt antè dictum eſt. Nunc autem quæratur, à quonam ipſe aer moueburur? corpus enim ſimplex eſt, de quo præcipuè diſputamus: ſi enim à medio mouetur; ergo dandum erit aliud medium, à quo moueatur; & rurſum quæretur de illo, atque ita res in infinitum abibit. Deinde, quænam ratio aſſignari poterit, cur, dum graue per medium aerem deorſum tendit, ipſe quoque aer ad mouendum illud corpus graue, contra propriam naturam, deorſum feratur? cur non ipſum potius in propria regione detinet, vbi ſecundum naturam quieſcit? Denique ſi graue corpus, per aerem deſcendẽs, à medio mouetur; aut eadem pars medij continuè mouet ipſum corpus, à principio motus vſque ad finem, aut alia poſt aliam: primum dici non poteſt; quia abſurdum eſſet, partem illam aeris, quæ leuis eſt, vſque ad centrum deſcendere, & eodem motu moueri, quo corpus graue: ſi verò alterum admittatur; tunc motus rei grauis deorſum non eſſet velocior in fine, quàm in principio: quoniã pars illa medij, poſtremo loco mota, exiguam mouendi vim obtineret; atque adeò motus rei grauis ab ea pendens, omninò languidus eſſet. Falſum igitur eſt aſſerere, grauia, leuiaque corpora à medio moueri; cùm potius medium in vtroque motu, ſcilicet ſurſum, & deorſum, inſtrumentum dicatur, vt lib. 3. de Cælo text. 28. Ariſtoteles docuit. Prima ratio. Secunda. Tertia. Quarta.

### *Neque generans eſſe præcipuam cauſam motus grauium, & leuium: neque formam, aut grauitatem, & leuitatem eſſe inſtrumenta generantis.* *Cap. XV.*

POſt veterum Philoſophorum placita, erat ſentẽtia S. Tho. & aliorum, qui arbitrati ſunt, grauia, & leuia corpora moueri à generante, vt à cauſa præcipua: à forma rei grauis, aut leuis, vt ab inſtrumento principali: à grauitate, aut leuitate, vt ab inſtrumento proximo, & minus principali. Hæc ſententia, tametſi ipſiuſmet Ariſtotelis eſſe videatur, qui apertè docuit, grauia, & leuia per ſe à generante moueri; ex accidenti verò à remouente impedimentum, ta- Reijcitur ſententia S. Tho.

men in omnibus falſa eſt,nec eam nobis cognitionem ſuppeditare poteſt,qua, quod nam ſit
verum efficiens principium motus, in grauibus,leuibuſque corporibus,intelligamus. Ex ea
nanque potius elicimus,generans eſſe principium illius motus,quo ſimplex corpus gignitur,
atque in rerum natura exiſtentiam adipiſcitur;à quonam verò ipſummet corpus,iam conſti
tutum,in natiuam ſedem traducatur,ex hac certè opinione,ita pronunciata, elicere nulla ra
Prima ratio. tione poſſumus. Generans enim efficiens illius motus principium, in grauibus, leuibuſque
corporibus,eſſe non poſſe,iam ſatis antè probatum eſt;tùm quia mouens corporeum nõ mo
uet niſi motum:& tamen contingere poteſt,vt dum graue,aut leue corpus mouetur,ipſorum
progenitores quieſcant;tùm etiam,quia fieri poteſt,vt iam interierint:id autem, quod in re-
Secunda. rum natura non amplius ſubſiſtit,nullius motus efficiens principium eſſe poteſt. Neque rur
ſus formam,neque qualitates ipſam conſequẽtes,cuiuſmodi ſunt grauiras,& leuiras,eſſe poſ
ſe generantis inſtrumenta,ad motum efficiendum,inde apertiſſimè elicitur;quoniam inſtru-
mentum,citra motum principalis agentis,agere,aut mouere non poteſt,vt teſtatur Ariſtote
les 8.lib. Phyſ.tex.35.nunquam enim ſerra lignum ſecabit,niſi adſit is, qui ſerra vtatur, ip-
ſamque moueat:ſed,vt iam diximus,aut generans poteſt interijſſe,dum graue, aut leue mo-
uetur;aut ſi non interijt,fieri ſaltem poteſt,vt quieſcat,ergo ſequitur,nec formam, nec graui
tatem,aut leuitatem,ipſam conſequentem,inſtrumenta motus grauium, aut leuium corpo-
rum eſſe poſſe. Dicet fortaſſe aliquis,in grauibus, leuibuſque corporibus vim quandam re-
periri,à generante impreſſam;& ab ea proximè motum exoriri. Sed hac de re paulò infra, in
explicatione propriæ ſententiæ,fuſius diſputabimus.

### *Grania,& leuia corpora non ex accidenti, vt voluit Auerroes, ſed per ſe à ſemetipſis moueri.* *Cap. XVI.*

Reijcitur explicatio Auerrois. ERat altera opinio,quam Scotus,& alij plures ſecuti ſunt,videlicet,grauia,leuiaque cor
pora non ab externo,ſed ab interno principio,hoc eſt à ſe ipſis,moueri. Quæ ſententia
ab Auerroe primùm ita explicata eſt, vt nimirum graue,aut leue corpus à ſe quidem mouea
tur:non tamen per ſe,ſed ex accidẽti,& per quandam quaſi conſecutionem: quia ſcilicet cor
pus,quod mouetur,primò aerem,qui ſibi impedimento erat, quominus in proprium locum
ferri poſſet,vi ſua premit,cumque ſurſum,aut deorſum impellit;cedente autem aere,impedi
mentum per ſe tollitur:hincque ex accidenti ſequitur motus rei grauis,aut leuis in propriam
Ratio cõtra Auer. regionem. Ratio autem iſta nequaquam mihi probatur:dum enim graue, aut leue corpus,
vt terra deſcendens,aut ignis aſcendens,aerem premit,cumque ſurſum, aut deorſum impel-
lit,id profectò non efficit,niſi per motum:ſed iſte motus,ipſomet Auerroe teſtante,per ſe ori
tur à propria forma corporis grauis,aut leuis; igitur totus motus continuus eiuſdem corpo-
ris vſque in propriam regionem,fit à ſe ipſo,per ſe,non autem ex accidenti. Cõfirmatur hæc
Cõfirmatio. ratio:ſicut enim forma corporis grauis,aut leuis eſt principium per ſe prioris motus, quo ſci-
licet aerem mouet;non video,quomodo pariter non poſſit eſſe principium motus ſubſequẽ
tis,quo ſcilicet in propriam regionem contendit. Aer ſiquidem impedimento eſt, quominus
mobile corpus tam cito in propriam ſedem feratur;ipſe tamen nullam prorſus vim,aut facul
tatem habet motum efficiendi:fac enim,aerem non eſſe;adhuc nihilominus graue corpus ve
lociſſimè deſcenderet,& leue citiſſimè aſcenderet,nec tamen momento, vt alias, ſecundũ rei
veritatem,docuimus. Nunc autem ſic argumẽtemur; id,quod per ſe efficeret motum rei gra
uis,aut leuis,ſi non eſſet aer in medio;per ſe etiam efficit,ſi ponatur aer:ſed ſi non eſſet aer in
medio,forma rei grauis,aut leuis eſſet per ſe principium illius motus, quo ad natiuam ſedem
traducitur:igitur eadem forma erit etiam per ſe principium eiuſdem motus, quanuis aer in
medio ſtatuatur;atque adeò falſum eſt id,quod aſſeruit Auerroes,grauia, leuiaque corpora
Exemplũ Auer. de nauta & naui, tanquà nihil cõcludens, confutatur. per ſe ex accidenti moueri. Exemplum autem de nauta,& naui, quod ipſe ad ſuam explica-
tionem confirmandam adduxit, ſi rectè perpendatur, eius potius explicationem deſtruit,
quàm confirmet;quanuis enim nauta ex accidenti,motu vectionis,à naui moueatur:duo ta-
men motus illum motum neceſſariò præcedunt,qui per ſe à nauta oriuntur. Alter eſt motus
pulſionis;quo ipſe nauta,remigando,nauim pellit. Alter eſt motus,quo ipſemet ſe ipſum, vel
aliqua ſua membra,remigando,mouet. Hùc accedit,quòd huiuſmodi exemplum, ad rem no
ſtram explicãdam,non omninò accommodatum eſt:quoniam vnus,& idem eſt motus, quo
cor-

corpus graue deſcēdens, aerem premit, & ad propriam regionem tendit: immò quodammodo aer ex accidēti mouetur, quia accidit quodammodo, vt in medio ſpacio, per quod graue corpus deſcendit, aer, aut aqua reperiatur. At vero motus, quo nauta nauim mouet, & motus, quo ipſemet à naui mouetur, ſunt motus diſtincti: prior enim eſt pulſionis; poſterior verò vectionis.

*Scoti, & Gregorij explicationes, ſuperiùs poſitæ, perpenduntur.* *Cap. XVII.*

REiecta Auerrois explicatione, nunc aliorum autorum defenſiones conſiderandæ ſunt. Et primo quidem illa Scoti diſtinctio de duplici agente vniuoco, & æquiuoco, quanuis ſubtiliſſima ſit, & eius ingenio digna; tamen ad eam ſententiam, quam ipſe tuetur, explicādam, minimè accommodata videtur. Etenim, ſi agentia omnia, quæ verè æquiuoca ſunt, memoria repetamus: comperiemus, aut eius eſſe naturæ, vt effectum, quem edunt, in ſeſe recipere nequeant: aut ſi fortè, per quandam quaſi reciprocationem, recipiant, apertiſſimam tamen diſtinctionem inter id, quod agit, & id, quod patitur, inter id, quod mouet, & id, quod mouetur, præſeferre.

Quāti valeat Scoti diſtinctio de duplici agente vniuoco, & æquiuoco ad ſuā ſententiā explicandam.

Cælum, ſi quid Ariſtoteli credimus, re ipſa calidum non eſt, quicquid contra exiſtimauerint Stoici, eaque virtute præditum dicitur, vt calorem in rebus hiſce inferioribus gignere poſſit, atque adeò æquiuocum agens nuncupatur: in ſe ſe tamen calorem, quem edit, recipere non poteſt. Vinum, vt agens æquiuocum, ebrietatem parit, quam tamē in ſe recipere nequit; & eodem modo in cæteris æquiuocis agentibus ratiocinari poſſumus.

Agētia æquiuoca, quæ effectum in ſe recipere nequeunt.

Animal eſt quidem agens æquiuocum ad motum: dum enim quieſcit, vim habet motum edendi, quem etiam in ſemetipſum recipit: tamen in animali diſtinctio mouētis, & moti ſatis perſpicua eſt, quod enim mouet, eſt anima: quod verò mouetur, eſt totum animal, ex corpore, & anima conſtitutum, ac propterea per quandam quaſi reciprocationem anima eum motum quem parit, in ſemetipſam recipit. Silex etiam (ſi tamen hic lapis propriè agens æquiuocum hac in re nuncupari poteſt) vim habet ignem gignendi, atque adeò calorem, quem poſteà in ſemetipſum recipere poteſt, ſi cōtingat, vt ab igne genito calefiat; tamen hic etiam euidētiſſima eſt diſtinctio inter ignem calefacientem, & ſilicem calefactum.

Agētia æquiuoca, quæ agunt in ſe ipſis cum diſt. agentis, & patientis.

Si itaque in hiſce agētibus æquiuocis res ita habet, qualiſnam erit hæc elementorum prærogatiua, vt motum, quem edunt, in ſe recipiant, nullo poſito diſcrimine inter id, quod mouet, & id, quod mouetur? Non ne melius eſſet cum Auerroe dicere, id, quod in elemento mouet, eſſe formam; id autem, quod mouetur, eſſe totum elementum, ex materia, & forma coagmētatum? Id certè Scotus fateri facilè potuiſſet, qui arbitratus eſt, totum eſſentiale à partibus ſimul ſumptis, re ipſa diſtingui: ac propterea mirum eſt, cur ſubtiliſſimus iſte Doctor putauerit, in elemētis, quæ, eodem autore, à ſe ipſis mouētur, diſtinctionem eius, quod mouet, ab eo, quod mouetur, neceſſariam non eſſe.

In elementis ſi à ſeipſis mouētur, eſt neceſſaria diſtinctio eius, quod mouet, ab eo, quod mouetur.

Dicet fortaſſe, ſi in elementis iſthæc diſtinctio reperiretur, tūc à ſemetipſis moueri non dicerētur.

Obiectio.

At hoc eſt falſum; nā, vt paulò antè dictum eſt, animal à ſe ipſo mouetur; & tamen in animali manifeſta eſt diſtinctio mouentis, & moti: idem igitur in elementis dici poſſet, ſi verè, & propriè à ſemetipſis mouerentur.

Solutio.

Quod verò attinet ad explicationem Gregorij Ariminenſis, optimè illa quidem Ariſtotelis ſententiam aperit: ſed ſi docuiſſet, quonam pacto in elemento, quod à ſe ipſo mouetur, pars mouēs à parte mota diſtinguatur, nihil ſanè eſſet, quod in ea deſiderari poſſet.

Quid deſideratur in explicatione Greg. Arim.

*Iacobi Zabarellæ explicatio examinatur.* *Cap. XVIII.*

EXplicatio Iacobi Zabarellæ proximè quidem ad veritatem accedit; nec quiſquam fortaſſe Philoſophorum fuit, qui hanc in rem magis penetrārit; eius tamen pace dixerim, tertia illa potētia, ab ipſo excogitata, quam appellauit ad locū, diſtincta ab ea potētia, quæ eſt ad motum, vt ſubtiliſſimum eſt inuentum: ita omninò ſuperuacanea mihi videtur. Quēadmodum enim in rerum natura nullum datur commune animal, quod re ipſa exiſtat: ſed omne animal aut eſt bos, aut leo, aut homo, aut aliquid huiuſmodi, & illudmet principium, quod animal gignit, aliquod etiam animal in lucem edit; ita, cùm nullus motus rectus communis reperiatur, qui ſcilicet à motu ſurſum, & à motu deorſum ſegregatus ſit, niſi fortaſſe per intellectum; nemo certè concipere poterit potētiam ad motum, quin eadem neceſſario ſit ad aliquem motum, videlicet aut ſurſum, aut deorſum: atque adeò ab ipſo illo principio,

Tertia potētia à Zabar. excogitata reijcitur.

à quo ſimplex corpus motum accipit, ab eodem in propriam etiam regionem traducetur.
Ratiocinatio euidens. Hoc autem facilè oſtẽdi poteſt. Iam elementum actum primum à generante, hoc eſt ſubſtã-
tialem formam obtinuit, atque in rerum natura conſtitutum eſt; hoc ſanè, niſi quid obſtaret,
illicò moueretur: quia verò impedimẽtum aliquod adeſt, ideò poteſtatem habet ad actum
ſecundum, ſcilicet ad motum. Sublato autem impedimẽto, conſtituitur elemẽtum in actu ſe-
cundo, & re ipſa mouetur. Et quanuis non adhuc proprium terminum attigerit, ſed ad illũ
poteſtatem habeat; tamen huiuſmodi poteſtas non reſpicit diſtinctum principium ab eo à
quo elemẽtum per ſe in actu ſecundo conſtitutum eſt. Quæro enim, cùm, remoto impedimẽ
to, elemẽtum moueri iam cępit, quodnam fuit principium per ſe, & effectiuum illius motus?
non generans, vt Zabarella quoque fatetur: neque etiam impedimẽtum remouens; quia il-
lud eſt tantùm cauſa per accidens, vel ſine qua non; igitur tale principium per ſe, & effectiuũ
motus aliud eſſe non potuit, quàm propria forma, vel aliquid ab ipſa proficiſcẽs. Etenim ſi
impedimẽti remotio ſuo modo efficit, vt elemẽtum in actum ſuæ motionis prorũpat, quod
prius quieſcebat; quæro, cùm mouetur, ad quemnam locum tendit? ſuperum ne, an inferũ?
horum alterum neceſſariò concedatur oportet: ad neutrum autem locum impedimẽtum
remouens vllam vim, aut efficientiam habet; igitur ab eodem prorſus principio elemẽtum,
& mouetur, & in propriam regionem traducitur; ac deinceps non eſt in ipſo potẽtia ad mo-
tum diſtincta à potentia ad locum, vt Zabarella putauit.

### *Vera ſententia de motu grauium, & leuium quinque propoſitionibus indagatur. Cap. XIX.*

PRopoſitis iam aliorum opinionibus, veluti quibuſdam præludijs, ac præparationibus, fa-
cilè nunc erit, veram, quam arbitramur, ſñiam, ſuper propoſita quæſtione depromere:
quod vt commodiùs, atque diſtinctiùs à nobis fiat, id nonnullis propoſitionibus præſtare co-
Prima propoſitio. nabimur. Prima igitur propoſitio erit huiuſmodi; grauia, & leuia corpora, dum propria lo-
ca petunt, non mouẽtur a principio externo, puta à generante. Hæc propoſitio ſatis antè pro
bata eſt: tùm quia generans quieſcere poteſt, eo tempore, quo graue, aut leue corpus moue-
Secunda. tur: tùm etiam quia contingere poteſt, vt multò iam antè interierit. Secunda, grauia, & le-
uia corpora non mouẽtur a ſe ipſis. Ariſtot. eſt hæc propoſitio, ea potiſſimùm ratione ab eo
pronunciata, quia, vt rectè animaduertit Scotus huiuſmodi, corpora non mouẽtur, animaliũ
more, quæ verè, & propriè à ſe ipſis moueri dicuntur: ideò ab illa vniuerſali lege non exclu-
Tertia. duntur, qua apud Philoſophos decretum eſt, quicquid mouetur, ab alio moueri. Tertia gra
uia, & leuia corpora mouẽtur à principio interno. Hæc propoſitio eſt ſatis euidens: cùm enim
de naturali motu ſermo fiat, ſitque natura principium motus internum, vt 2. Phyſ. lib. Ari-
ſtot. docet, iam vnicuique perſpicuum eſt, naturalem horum corporum motum ab interno
Obiectio. principio pendere. Sed dicet aliquis, ſi grauia, & leuia corpora ab interno principio mouẽ-
Solutio. tur, cur non à ſe ipſis moueri dicuntur? Reſpondetur, quanuis quicquid à ſe ipſo moue-
tur, ab interno principio moueatur, non tamen reciprocationem ſequi, vt quicquid ab inter-
no principio mouetur, à ſe ipſo moueri dicatur. Nanque illud propriè a ſe ipſo moueri dici-
tur, quod arbitratu ſuo mouetur: quod poteſt quieſcere quando vult; quod ad omnem locĩ
differentiam mouetur, ſicut animalibus contingit: ideò illa propriè à ſe ipſis: ſimplicia verò
corpora, grauia, & leuia ab interno tantùm principio, non etiam à ſe ipſis moueri dicuntur.
Quarta. Quarta, internum principium, à quo proximè grauia, & leuia corpora, in proprias regiones
ducuntur, non eſt forma, vt Scotus, Gregorius, & Iacobus Zabarella exiſtimarunt; neque
etiam grauitas, & leuitas, vt arbitrati ſunt alij. Non probo hanc propoſitionem: tùm quia
ſatis commodè ſuperius probata eſt: tùm etiam quia eadem ex ſequenti propoſitione adhuc
Quinta. manifeſtior fiet. Erit ergo quinta propoſitio, grauia, & leuia corpora, dum naturali motu
mouentur, motum illum accipiunt à quadam vi, ſeu propria affectione, vel propẽſione, quã
vnumquodque corpus à natura inditam habet, vt in proprium, & natiuum locum feratur.
Hanc vim, & proprietatem puto ego proximum eſſe principium, à quo grauia, & leuia cor-
pora naturaliter moueantur.

*Quin-*

## *Quintæ propoſitionis explicatio, & confirmatio.* Cap. XX.

VEritas in hac diſputatione exquiſita ex hac quinta propoſitione omninò pendet; ideò ea ipſa dilucidiùs explicanda, atque etiam rationibus munienda eſt. Conſtat igitur inter omnes, grauia, & leuia corpora, ſicut quaſcunque aliarum rerum ſpecies, ex materia, & forma concreta eſſe, ſuamque vltimam differentiam, licet nobis ignotam habere; & preterea affectionem propriam, ab vltima differentia fluentem. Porrò propriarum affectionum quædam ſimpliciter ignotæ ſunt, quædam verò per effectus tātummodò nobis innoteſcunt. Iam verò propria grauium, & leuium corporum affectio non eſt grauitas, & leuitas, vt multi arbitrati ſunt; ſed eſt quædam vis, intus larēs, quæ priùs, ſaltem natura in grauibus, & leuibus corporibus ineſt, quàm ipſa grauitas, & leuitas. Hoc autem ſic oſtēdi facilè poteſt. Qualitates, quæ proximè ſubſtantialem formam conſequuntur, grauiſſimorum Philoſophorum ſententia, ſunt quatuor illæ principes, caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas; has ſequuntur aliæ poſteriores, quas ſecundas appellant, vt raritas, denſitas, durities, mollities, & plures huius generis aliæ, quæ à primis qualitatibus ortum ducunt: caliditas enim in pluribus rebus cauſa eſt raritatis, frigiditas dēſitatis, ſiccitas aſperitatis, humiditas mollitiei, & eodem modo de alijs. Grauitas autem, & leuitas tantùm abeſt, vt ſint proprietates, à forma proximè oriētes, vt potius à ſecundis qualitatibus originē trahant: videntur enim proximè, vt in pluribus, leuitas à raritatē, & grauitas à duritie, & denſitate proficiſci: quandoquidem id, quod durum, & denſum eſt, grauitate etiam præditum eſt: quod autem molle, & rarum, aut leue eſt, aut ſaltē non ita graue. Hinc elicio, in grauibus, & leuibus corporibus, præter grauitatem, & leuitatem, aliam eſſe vim, & facultatem, nobis innominatam, quæ aut ab eorum forma, aut à differentia, aut à toto conſtituto, (quod parui modò refert, quouis modo dicamus) veluti propria affectio à ſuo ſubiecto proximè oritur: à qua quidem virtute, vt à proximo principio, grauia, & leuia corpora ad proprias ſedes mittuntur. Hoc autem ita probo, & probationis efficacitatē ſumo à motu eorundem corporum violento. Etenim cùm graue corpus ſurſum violenter impellitur, perſpicua res eſt, illud non aliunde, quàm à vi ſibi a proijciente impreſſa motum accipere, vt eſt communis Philoſophorum ſententia. Et ratio etiam id ipſum euidenter oſtendit: quoniam manente illa vi, graue corpus etiam num mouetur: eadem verò ceſſante, ſtatim etiam violentus motus remittitur, motuſque incipit naturalis. Nunc ſic argumentor: ſicut ſe habet proijciens, & vis ab ipſo impreſſa in corpore graui, ſurſum violenter lato; ita ſe habet generans, & vis ab ipſo impreſſa in eodem corpore graui, deorſum naturaliter moto; ſed vis illa, à proijciente impreſſa, eſt proximum principium motus violenti; ergo vis à generante impreſſa erit proximum principium motus naturalis. Similitudo eſt manifeſta: nam poſtquàm proijciens vim ſuam exempli gra. in lapide impreſſit, quieſcere, atque etiam interire poteſt, lapidis motu perſeuerante; ſicut etiam poſtquam generans vim ſuam in lapide impreſſit, ipſo generante, aut quieſcēte, aut etiam interempto, adhuc lapis, ſi nullum adſit impedimentum, deorſum tendere poteſt. Sicut igitur vis proijcientis eſt illa, quæ proximè mouet lapidem, motu violento; ita vis generantis, in lapide impreſſa, illa erit, quæ proximè ipſum moueat, motu naturali. Prætereà hoc ipſum adhuc oſtendo validiore argumēto. Vt proprium rei leuis eſt ſurſum aſcendere; ita proprium rei grauis eſt deorſum tendere: quæ quidē proprietates tàm graui, quàm grauiſſimo, tàm leui, quam leuiſſimo conueniunt, dummodo extra ſuas regiones reperiantur. Iam verò fingamus duo puncta, vel duo loca: quorum alterum ſit centrum Mundi, ad quod ferantur grauia: alterum concauum orbis lunæ, quò ferantur leuia. Tūc argumentor ſic; ſi proprium rei leuis eſt ſurſum aſcendere: ergo aer, cùm ſit corpus leue, debet ſemper ſurſum aſcendere, quouſque ad concauum orbis lunę perueniat: atqui propriam regionem non tranſcendit; ergo ſignum euidentiſſimum eſt, eò non moueri leuitate, ſed propria vi, & qualitate motrice, ſibi naturaliter inſita, vt in propriam regionem ſe trāſferat. Huic argumento aliquis fortaſſe reſpondebit, aerem in propria regione non eſſe leuē, & idcirco ſurſum amplius non moueri. Sed futilis eſt hæc reſponſio; quoniam aer, dummodo ſit aer, vbicunque reperiatur, propriam habet qualitatem: quod enim per ſe tale eſt, vbicū que ponatur, ſemper idem erit: cùm igitur aer rarus ſit, immo in propria regione etiam rarior; ſequitur, vt vel in propria regione eam qualitatem habeat, quæ raritatem conſequitur,

Omne corpus naturale ex materia, & forma cōcretum eſt.

Propria affectio grauiū, & leuiū corporum quænam ſit.

Ratio euidens.

Grauitas, & leuitas ſunt tertiæ qualitates à ſecundis orientes.

Principiū proximum motus grauium, & leuium.

Prima ratio, veram ſentētiam confirmans.

Secunda ratio.

Nonnullorū reſponſio.

Confutatio.

nimirum leuitatem. Nos autem conſueuimus dicere, aerem in propria regione non eſſe leuē, neque terram grauem, quia hæc non amplius deorſum, & ille non amplius ſurſum tendit: iā enim ambo locum ſuæ conſeruationi idoneum obtinuerunt. *Alia rñſio.* Sed reſpondebunt alij, tametſi aer in propria regione leuis concedatur; cum tamen non amplius ſurſum aſcendere, quia locus ſuperior eſt occupatus ab igne. *Confutatio.* At neque ſatisfacit huiuſmodi reſponſio: cū enim ignis ſit corpus multò rarior ipſo aere; ſi à leuitate impelleretur aer, & adhuc ſurſum aſcenderet, ignis facile cederet corpori ſe denſiori; id, quod etiam accideret, ſi aer vi illuc propelleretur. *Perpēde vim huiuſce rationis.* Sed dicant obſecro, ſi particula quæpiam aeris in locum ignis violenter propulſa eſſet, dubio procul illa particula haberet eandem formam, & eaſdem omninò qualitates, quas habebat in propria regione; atque adeò eandem numero leuitatem. Cur igitur leuis cū eſſet deorſum ſecundū naturā in propriā regionē deſcenderet, ſi proprium rei leuis eſt ſurſum aſcendere? Hoc itaque apertiſſimum argumentum eſt, quo oſtenditur, leuia corpora, non quatenus leuia, ideſt non à leuitate præcipuè ad propriam regionem moueri; ſed à ſibi inſita facultate, vbicunque reperiantur; dummodo extra propriam regionem collocata ſint. Hæc eſt opinio de motu grauium, & leuium, quam veriſſimam cenſeo. *Aliarum opinionum conciliatio.* Si autem, qui poſuerunt, grauia & leuia corpora moueri à generante; non proxime id intellexerunt, ſed tanquam à virtute imprimente: aut etiam à forma; non proximè quidem, ſed tanquam ab ea, à qua proximè vis illa exoritur, quæ eſt principale principium motus grauium, & leuium corporū; iſtis opinionibus non repugno.

### *Solutio duarum obiectionum, quæ iam explicatam ſententiam labefactare videntur.* Cap. XXI.

QVò autem firmius iam explicatam ſententiam vnuſquiſque tueri poſſit, in fine huiuſce diſputationis, duæ obiectiones præcipuæ tollendę ſunt: quæ negocium aliquod faceſſere videntur. *Prima obiectio.* Altera eſt, quia, cùm de grauium, & leuium corporum motu diſſerimus, nullum alium ſanè motum intelligimus, niſi motum naturalem, vt c. 2. monuimus: ſed motus naturalis, quatenus naturalis eſt, à nullo pendet actiuo principio, ſed ſolùm à paſſiuo; ergo falſum eſt dicere, grauia, & leuia corpora, vim aliquam, intùs latentem, continere, à qua, vt ab actiuo principio, ad proprias regiones moueantur. Minor propoſitio perſpicua eſt ex definitione naturæ, quam 2. lib. de Phyſico auditu tex. 3. Ariſt. tradidit: dixit enim, naturam eſſe principium motus, & quietis eius, in quo eſt, per ſe, & non ſecundum accidens: nomine autē principij nō actiuum quidem, ſed paſſiuum tantummodo principium intellexit, vt grauiſſimi interpretes, quorum ego ſententiam tueor, arbitrati ſunt. Confirmatur eadem propoſitio, autoritate Ariſt. 8. Phyſ. tex. 32. vbi docuit, naturalem cuiuſcunque corporis motum reſpicere tantummodo propenſionem corporis, quam habet ad locum, ſibi familiarem, ſuæque conſeruationi deſtinatum: non enim corpora ideò naturalia dicuntur, quia mouentur; ſed quia propenſionem habent ad motum. Quinimmò loquens ibidem Ariſt. de grauibus, leuibuſque corporibus, diſertis verbis aſſeruit, eiuſcemodi corpora nullum habere principium mouēdi, neque faciendi, ſed ſolùm patiendi. *Secūda obiectio.* Altera obiectio eſt, quia vulgatiſſimum eſt, & ſatis tritū Philoſophorum illud axioma; ab Ariſt. 7. & 8. Phyſ. frequenter pronunciatum; omne, quod mouetur, ab alio moueri; igitur principium, quod grauia, leuiaque corpora mouet, prorſus ab illis diuerſum eſt, nec intus in eis abditum deliteſcit. *Solutio primæ obiectionis.* Ad primam obiectionem reſpondēdum eſt, grauium, & leuium corporum motum, per ſe conſideratum, quatenus abſolutè motus eſt, naturalem quidem eſſe: neque enim violentus, neque animalis eſt. Eundem verò, quò ad principia ſpectatum, à quibus pendet, partim naturalem, & partim neutrum dici poſſe: naturalem quidem, ratione principij paſſiui, neutrum verò, ratione principij actiui. Etenim vt motus Cęli, ratione Intelligentiæ mouentis, dicitur voluntarius; ratione verò ipſius Cęli circunducti dicitur neuter; quia Cęlum neque ad eum motum, neque ad oppoſitum vllam propenſionem habet: ita motus grauium, & leuium corporum, ratione principij paſſiui dicitur naturalis, ratione verò principij actiui dicitur neuter: neque enim animalis eſt, cùm principium moueat abſque cognitione; neque violentus, cùm principium intimum ſit, non extrinmum. *Solutio ſecūdæ obiectionis.* Ad alteram obiectionem dicendum eſt, Philoſophorum illud axioma, vt vniuerſaliſſimum

mum

mum ſit, ita pronunciari debere; omne, quod mouetur, ab aliquo neceſſariò moueri, vt doctè Themiſtius animaduertit: hoc enim modo vel animalia ipſa ſub hac lege comprehenduntur; non enim ab alio, ſed ab aliquo mouentur, nimirùm ab anima, quæ ab illis diuerſa non eſt. Sic igitur, vt grauia, leuiaque corpora eadem lege coerceantur, ſatis eſt, vt, ſi non ab alio, ſaltem ab aliquo, hoc eſt à facultate motrice, intus latente, moueantur. Niſi fortaſſe dicere vellemus, eadem quoque tunc ab alio moueri, cùm de poteſtate eſſentiali ad actum primum à generante mouentur, quod alienum ab illis, & omninò diſtinctum eſt.

---

# DE PRIMI MOTORIS INFINITATE

## Diſputatio Decima.

### *Diſputationis deſignatio.* *Caput Primum.*

LAudandarum artium procreatrix Philoſophia, cùm per ſe nobiliſſima, & clariſſima ſit; eò etiã præcipuè cæteris facultatibus longè præſtare dicitur, quòd exiguo naturæ lumine, humanum intellectum vſque adeò illuſtrarit, vt is tandem, poſt multarum rerum notitiam, ad ſummum opificem, ædificatoremque Mundi Deum erigere ſe ſe auſus fuerit. Neque verò ſola Dei veſtigatione contentus, vſque eò in intimam eius naturam progreſſus eſt, vt (quod admirentur plerique) ipſius quoque vnitatem, ſimplicitatem, immobilitatem, neceſſitatẽ, æternitatem, & plura id genus alia, quorum cognitio ſplendidius lumen exigere videretur, fuerit perfectiſſimè conſecutus. An autem vſque ad infinitatem peruenerit; Deumque infinita virtute preditum eſſe, cognouerit, non vna, eademque eſt Philoſophorum omnium cõſenſio; cùm præſertim Ariſtot. optimus Philoſophiæ parens, ac cultor, in textibus illis 78. & 79. 8. libri Phyſ. vbi hac de re cumulatè diſſeruit, non ſe ſe planè explicuerit. Hinc factum, eſt, vt præſtantiores eius interpretes, huius rei veritatem intelligere cupientes, ad quæſtionẽ illam diſcutiendam, toto pectore ſe accinxerint, quæ de primi Motoris infinitate paſſim inſcribitur. Grauiſſimam illam quidem, difficillimam, & ſcitu maximè neceſſariam. Grauiſſimam, ratione ſubiecti, quod eſt Deus. Difficillimã, ratione affectionis, puta infinitatis, quæ longè diſtat ab intellectu noſtro; vt dubium maximum ſit, an eam aliquo pacto percipere queat. Neceſſariam, ob multas difficultates, in Philoſophia emergẽtes, quæ eius enodationem expoſcunt. Eam nos quoque, poſt multos celeberrimos Philoſophos, hoc ordine tractare decreuimus. Primùm, nonnullis breuiter, ad faciliorem intelligentiam, explicatis, fidei catholicæ veritatem patefaciemus. Mox in ambigua Ariſtot. ſnĩa pauliſper verſabimur; & quæ nam tandem illa fuerit, aperire conabimur. Quærẽmus deinde, an primi motoris infinita virtus Peripateticæ Philoſophiæ principijs accommodari poſſit. Prçtereà, validæ ne ſint, ad eam probandam, rationes, ex motus æternitate depromptæ. Ad extremum, an humanus intellectus, citra lumẽ fidei, rationes aliquas moliri poſſit, quibus ſummi opificis infinita perfectio neceſſariò demonſtretur.

Inſpectricis philoſophiæ præſtantia.

Diſputationis origo.

Grauitas.

Difficultas.

Neceſſitas.

Ordo in diſputatiõe ſeruandus.

### *Quæſtionis intellectus explicatur.* *Cap. II.*

DE primi Motoris infinitate diſceptaturi, ne quid erroris in verbo contingat, declarare in primis operæprecium duximus, quænam ſint infiniti præcipuę ſignificationes, & de quanam infinitate hæc diſputatio futura ſit. Sciendum igitur primò eſt, infinitum, quemadmodum & illi oppoſitum finitum, affectiones eſſe, quæ quantitati congruunt, vt lib. 1. de Phyſico auditu, tex. 15. Ariſtot. docet: itaq; neceſſe eſt, quantum id eſſe, quod infinitatę gaudere debet. Porrò quantitas duplex eſt: altera molis, quæ verè, & propriè quantitas appellatur: altera perfectionis, quæ dicitur quantitas, ſecundum quandam ſimilitudinem; recipit enim adiectionem, & imminutionẽ, & quod ibi maius eſt, hic melius dicitur. Cùm ergo quęrimus, ſit ne primus motor infinitus; eum quidem quantum eſſe ponimus, non quantitate

Finitum, & infinitũ ſunt affectiones quantitatis.

Q̃titas duplex, molis, & perfectionis.

molis;

molis, quia certum eſt, ipſum eſſe ſimplicem, incorporeum, & ab omni materia ſecretum, ſed quantitate perfectionis. propterea vocatur in dubium, an Deus infinitus, hoc eſt infinita virtute præditus ſit.

Infinitas, tùm de ſubſtãtia, tùm de virtute dici põt.

Conſiderandum ſecundò eſt, cùm de primi motoris infinitate diſſerimus, infinitatem ipſam duo potiſſimùm ſignificare poſſe: aut enim eius ſubſtantiam, atque naturam indicat: aut eius in agendo virtutem, & facultatem. Duo hæc, nimirum infinita virtus, & infinita ſubſtantia, ſe ſe mutuò conſequuntur: nam infinita virtus indicium eſt infinitæ ſubſtãtiæ, & ab infinita ſubſtantia non põt niſi infinita virtus proficiſci. Quò fit, vt de infinita Dei virtute diſputantes, de eius quoque infinita ſubſtantia diſſerere teneantur: præcipua tamẽ diſputatio noſtra erit de infinitate virtutis.

Infinitatis virtus, vel ſecundum extẽſionem accipit, vel ſecũdum intẽſionem.

Obſeruandum eſt tertiò, infinitam virtutem dupliciter accipi poſſe: vel ſecundum extenſionem; quia ſcilicet perennis illa ſit, nec vllum vnquam finem habitura: vel ſecundum intenſionem; quia ſcilicet additamentum nullum recipere poſſit. De infinitate virtutis, ſecundum extẽſionem, nulla prorſus apud philoſophos difficultas eſt: concors eſt enim omnium opinio, primi motoris virtutem perpetuum ad tẽpus duraturam eſſe.

Senſus quæſtionis præcipuus.

Difficultas autem eſt, de infinitate virtutis ſecundum intenſionem. propterea quærimus, habeat ne Deus agendi, vel mouendi virtutem finitam, adeò, vt vlteriores adhuc gradus recipere poſſit: an potius infinitam, adeò vt additamentum omne reſpuat. Quod idem eſt, ac ſi quæratur; ſit ne Deus in ſua ſubſtantia, atque virtute adeò perfectus, vt nihil ipſo perfectius eſſe, nec cogitari poſſit: an potius, ea ſolùm ratione, perfectus eſſe dicatur, quoniam cuiuſcunque rei perfectionem excedat, cùm tamen ipſe quoque finita virtute, atq; perfectione polleat. Aliæ plures infiniti ſignificationes ab alijs afferri ſolent, ſed eas, quas attulimus, ad ſenſum propoſitæ quæſtionis aperiendum, ſatis eſſe arbitramur.

### *Fidei catholicæ veritas declaratur.* Cap. III.

PRiuſquàm in vaſtiſſimum Philoſophiæ pelagum nos ingurgitemus, opportunũ duximus fidei catholicæ veritatem paucis explicare: vbi enim illam intellectus ſemel apprehenderit, & quandam cum ea quaſi affinitatem, atque neceſſitudinem contraxerit; idem poſtea, citra vllum diſcrimen, huc, illuc peruagari facilè poterit.

Veritas Catholicę fidei. Sacræ Scripturæ autoritas.

Veritas igitur catholicæ fidei ea eſt; Deum, vt ſubſtantia, atque natura; ita virtute, & robore infinitum eſſe. Id Regius Vates pſalmo 144. dilucidè patefecit, vbi, diuinam excellentiam, atque virtutem extollẽs, cecinit; Dei magnitudinem limitibus non coerceri, per magnitudinem autem, non quantitatem quidem molis; ſed duntaxat perfectionis, intellexit.

Sacrorũ Canonum.

Prætereà habetur extra de ſumma Trinitate, & fide catholica cap. firmiter, Deum immenſum, ineffabilem, incomprehenſibilem, & omnipotentem eſſe: quæ quidem attributa infinitam Dei ſubſtantiam, atque virtutem indicare videntur.

Anſelmi.

Diuus etiam Anſelmus in Monologion, c. 2. ait, Deum eſſe quoddam optimum, & maximum, & ſummum eorum omnium, quæ ſunt; non dixit autem maximum, eò quia ſpacium maximũ occupet (ſic enim corpus eſſet) ſed quia eſt infinitæ perfectionis; quantò enim (quod ille ait) maius, tantò melius, ac dignius eſt.

Theologorũ omnium.

Theologi etiam omnes idem teſtãtur lib. 1. Sentent. diſt. 43. vbi affirmant, diuinam potentiam nulla menſura definiri poſſe; ſed immẽſam, infinitamque eſſe. Cæterum cùm plures ſint rationes, Theologicis fundamentis ſubnixæ, quibus paſſim Dei infinitas comprobetur; duas tantùm hic afferam, quas validiſſimas eſſe arbitror; alteram ex rerum creatione, alteram ex corporum reſurrectione depromptam.

Theologica ratio infinitam Dei virtutem oſtendens.

Prior ita confici poteſt, fatentur Theologi, Deum in temporis initio Cælum, & terram, atque adeò vniuerſum ipſum, ex nihilo penitus condidiſſe: nulla autem finita virtus, quantunlibet perfecta, reperitur, quæ ex nulla penitus ſubiecta materia quicquam procreare poſſit: ſi enim daretur huiuſmodi virtus, tunc illam quoque Philoſophi cognouiſſent, & aliquid ex nihilo confici poſſe apertiſſimè pronunciaſſent. Quare ſi agentia omnia, quæ, dùm quippiam edunt, materiam aliquam neceſſariò depoſcunt, finita virtute prædita ſunt, apertiſſima certè conſecutione ſequetur, illud agens, quod in rerum procreatione, nullam prorſus materiã exigit, infinita virtute, atque perfectione pollere: huiuſmodi autem eſt Deus, ergo Deus, & ratione qua creator eſt, infinita virtute præditus eſſe dicitur, cùm creatio euidentiſſimum ſit infinitatis argumentũ.

Altera ratio.

Poſterior ratio ſic conſtruitur, legimus in diuinis litteris, diuina virtute multos à mortuis ſurrexiſſe: & fide etiam tenemus, eos omnes, qui mortui ſunt, in die generalis Iudicij rediuiuos fore. Iam verò nulla eſt finita virtus, quæ id, quod ſemel interijt, idẽ nu-

mero

mero reparare, atque in integrum reſtituere poſſit: famoſa enim eſt apud philoſophos propoſitio, à priuatione ad habitum regreſſum non dari, & quod ſemel diſſolutum eſt, idem numero redire non poſſe: quod quidem intelligendum eſt, vi, & efficientia cauſarum naturalium, quæ finita, & limitata eſt. Quare, ſi, diuina virtute, corpora, quæ tàm multis antè annis interierunt, eadem numerò reſurgent; iam plane conſtat, virtutem illam, quancunque virtutẽ naturalem excellere, atque adeò immenſam, infinitamque eſſe.

### *Nonnullorum errores in Ariſtotelis ſententijs referendis.* *Cap. IV.*

FIdei catholicæ veritate iam perſpecta, nunc ad Ariſtot. ſniam (quod caput eſt huiuſce diſputationis) explorandam accedendum videtur. Principiò tamen nonnullorum errores animaduertendi ſunt, qui cùm ad rei veritatem, tùm ad ipſiuſmet Ariſtot. ſniam intelligendam, frequenter aditum intercludunt. Primus error eorum eſt, qui ſe maximos Peripateticos eſſe profitentur: iſti, cùm Ariſt. ſniam in mediũ eã afferunt tanquam quid ex oraculo exceptum; eam tanquam veriſſimam tradunt; omneſque rationes, quibus ipſa probata eſt, valiſſimas putant eſſe demonſtrationes. Quid quæris? adeo veram arbitrantur omnem Ariſtot. ſniam, de quacunque propoſita re, vt quicquid contra dictum reperiatur, id protinus falſum, atq; abſurdum eſſe cenſeant. Dupliciter peccant, mea quidem ſnia, maximi iſti Peripatetici, & veritati denſiſſimas tenebras offundunt; Primò, quia certum eſt, vnam tantũ, ſimplicem, abſolutamque veritatem eſſe, & eam quidem eſſe veritatẽ catholicæ fidei, ac proptereà quicquid in oppoſitum dicitur, abſque dubio falſum eſt: ea enim ab illius ore proficiſcitur, qui errare nulla ratione poteſt. Quotieſcunque igitur aliquid ab Ariſtot. dictum eſt, quod fidei catholicæ aduerſetur; ſtatim illud falſum iudicabit quicunq; de Deo, & vera Religione rectè ſenſerit. Non eſt autem mirum, ſi iſti, qui maximi Peripatetici videri volunt, Ariſtot. decreta tanti æſtiment, vt ea veriſſima eſſe arbitrentur; quoniam Philoſophorum potiùs, quàm Chriſtianorum nomine gaudent; & cùm omnia ſcire profiteantur, nihil propemodum ſe credere fatẽtur, niſi quidquid Ariſtoteli credibile viſum ſit. Peccant deinde, quoniam etiamſi id, quod ab Ariſtot. diſtum eſt, fidei catholicæ interdum non aduerſetur; nefas tamen eſſe ab eius placitis recedere arbitrantur, tanquam abſolutè verũ eſſe neceſſe ſit, quodcicunque verbum exciderit: finitus enim fuit Ariſtotelis intellectus, nec tamen abſurdũ cuiquàm videri debet, quempiam alium Philoſophum rectiùs, quàm Ariſtot. de re aliqua philoſophatum eſſe. Et quamuis multos iam annos conſuetudo obtinuit, vt Ariſtot. philoſophiam interpretemur, munuſque optimi interpretis eſſe cenſeamus, autorem illum, quẽ interpretandum aliquis ſuſcepit, magnifacere, eumq; ſummis ad Cęlum laudibus efferre: hoc tamen officio potius, quàm neceſſitati tribuitur; ecquis enim eſt, qui omnia rectè docuerit? Et quod ad Ariſtot. attinet, non is ille vir fuit, cuius verbis oĩbus fides adeò ſit habẽda, quaſi omnia à falſitatis ſuſpicione aliena tradiderit. Sed quænam fuerit eius doctrina, alibi patefecimus. Alter error eorum eſt, qui cùm ad Peripateticorum ſcholas accedunt, ingẽti potius pietate, quàm Ariſtotelicæ philoſophiæ principijs philoſophantur. Hi enim fidei catholicæ veritate iam rectè apprehenſa, Ariſtot. commenta parùm, aut nihil morantur: ſed operæprecium ſe facturus exiſtimant, ſi quoquo modo ipſum ad Eccleſiam traxerint, eius opinionem. au fidei catholicæ veritatẽ accommodarint, idemque prorſus ipſum ſenſiſſe docuerint, quod ſentit catholica fides. Cæterùm ſicut priores ad veritatem, ita iſti ad Ariſt. ſniam percipiendam aditum prorſus impediunt, & grauiùs etiam, ſi Deo placet, peccare videntur. Quænam enim neceſſitas eſt, tanto conatu, Ariſtot. placita cum fidei catholicæ veritate conciliandi? Remittatur fortaſſe aliquid de fidei catholicæ veritate, niſi Ariſtot. ſentiat, quod fides catholica ſentit? Indiget nè, obſecro, fidei catholicæ veritas, vt Ariſtot. autoritate firmetur? vt rationibus à natura depromptis comprobetur? Eſt fides, teſte Paulò, ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium: propterea iure optimo quorundam autorum libri ab Eccleſia damnati ſunt, quòd articulos fidei naturalibus rationibus ſe demõſtrare profeſſi fuerit. Vt igitur iſti cõciliatores maximè pios, & religioſos; ita in Peripatetica philoſophia parùm exercitatos ſe oſtẽdunt: cùm id ſæpè Ariſtoteli tribuant, quod nunquam, ne per ſomnium quidem, ſuſpicatus eſt. Dicent fortaſſe, id ſe ita facere, ne ijs, qui Peripatetica philoſophia, tanquam lacte, nutriri incipiũt, peruerſis dogmatibus inbuantur: ijs enim ſemel apprehen-

Error multorum Peripateticorum.

Duplex erroris ratio. Prima.

Nota.

Altera erroris ratio.

Quære diſp. de anim. immort. ca. 10.

Error multorum Theologorum.

Erroris rõ.

Ad Hebræ. cap. 11.

Occupatio.

henſis,difficile poſteà eſt,intellectum ad veritatem accommodare. Honeſtam iſtam curam, atque ſolicitudinem ſanè approbo,remedium reſpuo.Quale autẽ id eſſe debeat,paucis nunc dicemus.

### *Ariſtotelis ſententia de quacunque re propoſita quomodo recenſenda.* Cap. V.

Cautio 1 Ariſt. ſentẽtiis recenſendis, atq; tractandis. Vide Conci. Late. ſeſſ 8. ſub Leo. X.

FAcilè igitur huiuſcemodi errores,atque pericula vitabuntur, ſi in Ariſtotelis ſententijs recenſendis,atque tractandis hæc cautio adhibebitur:vt nimirum pura, atque ſyncera eius mens primò aperiatur:mox illud attendatur,ſit ne illa fidei catholicæ veritati cõtraria, nec ne.Si non ſit contraria;tunc latiſſimus patebit campus,in quo de Ariſtotelis laudibus diſſerere poſſit interpres. At ſi contraria ſit,tunc illa à Catholico Doctore,tanquã falſa pronũcianda,penituſque explodenda eſt;ita tamẽ,vt omnes rationes,quibus eadem ab Ariſt.probata eſt,diluantur;cùm preſertim argumenta omnia,quæ id oſtendunt,cuius oppoſitum docet catholica fides,ſolui nullo negocio poſſint. Hoc modo & germana Ariſtotelis ſententia aperietur,& veritas fidei catholicæ declarabitur,& præceptum Lateranenſis Concilij ad vnguem ſeruabitur. Cæterùm germanam, de quacunque re, Ariſtotelis ſentẽtiam inuenire, haud difficile erit,ſi loca ſingula,vbi de propoſita difficultate diſſeruit, diligenter expendentur:Quòd ſi id non ſufficiat,alia loca conſiderabuntur,vbi rem quampiam,illi affinem, tractarit,quam nos perquirimus:expedit enim interdum,eundem Ariſtotelem ſuæmet ſententiæ interpretem conſtituere:niſi fortè aliqua in re, dedita opera,propriam ſententiam occultarit:ſicut fecit in quæſt.de Animi immortalitate,& in nonnullis alijs:tunc enim difficillimũ certè eſt,eius ſententiam expiſcari. Cùm verò nec vllus adeſt locus in Ariſt.ita apertus,vt ex eo veram ipſius ſententiã elicere poſſimus:eãdem tunc ex eius philoſophiæ principijs deducere licebit; vt ſi ignoremus,quid dixerit:ſciamus ſaltem quid,ſuis principijs innixus, dicere debuerit. Sic igitur Ariſtotelis ſententia peruestiganda eſt. Eius verò rationes, falſam aliquam ſententiam confirmantes,facilè à quocunque ſoluentur,qui in Theologicis dogmatibus haud mediocriter verſatus fuerit:is enim nũquam illas,tanquam demonſtrationes, accipiet.Quòd ſi forte fortuna purus philoſophus ſit,qui quæſtionem aliquam tractet,ex earũ numero,in quibus Ariſtot.à catholica fide diſſentit;autor ego huic ſim,vt ab huiuſmodi potius quæſtionibus abſtineat,ne adoleſcentes falſa aliqua doctrina initio imbuantur. Neque verò ſatis eſſe exiſtimandum eſt, videlicet eius generis Doctores, tantummodò Ariſtotelicã veritatem ſe docere profiteri:immò etiam teneri,ſi ei muneri addicti ſint:quoniam in catholicorum Scholis non ſatis eſt,veritatem ſententiæ,aut Ariſtotelis,aut cuiuſuis alterius philoſophi docere:ſed illud præterea docendum eſt,quorunlibet philoſophorum ſententias falſas eſſe,quotieſcunque abſolutæ veritati,quæ eſt veritas catholicę fidei,aduerſantur.Qua certè in re Marcus Antonius Zimara, Ioannes de Ianduno,& præ cæteris Franciſcus Piccolomineus philoſophi erudititiſſimi,& peripatetici grauiſſimi maximè commendandi ſunt: qui vbique veritatem catholicæ fidei Ariſt.autoritati,omnibuſque eius rationibus præpoſuerunt. Neque rurſus approbandi illi,qui Lutheri,nefandiſſimi viri,aut Caluini hæreſes ſe docere, aut huiuſmodi autorum fædiſſima dogmata tueri profiterentur: quorum præcipuè munus ſit,validiſſimè oſtendere,ſententias illas abſolutè falſas eſſe,omnibuſque rationibus, quæ ad illas confirmandas propoſitæ ſunt,ſatisfacere. Nos igitur de primi motoris infinitate diſputaturi,neque id primò contendemus,Ariſtotelis ſententiam,quæcunque tandem illa fuerit, abſolutè veram eſſe,neque eandem ad Theologicam veritatem,quaſi tenaci quadam forcipe trahere conabimur:ſed ipſam puram,& ſimplicem,ex varijs eius philoſophiæ locis elicitam,in medium afferemus;eamque,ſi fidei catholicæ repugnabit,reijciemus: ſin minus,tanquam abſolutè veram,& rationibus ſatis probatam accipiemus.

Germana de quacunq; re Ariſt. ſententia, quo peruestiganda.

Rõnes Philoſophorũ, falſam aliquam ſentẽtiã probantes à Catholico Doctore ſoluendæ ſunt.

Caue ab hac peſte.

Zimaræ, Ianduni,& Piccolom. laus.

Rõ euidens cõtra puros philoſophos

Autoris in hac diſputatione conſilium.

### *Opinio ſtatuentium, Deum, ex Ariſtotelis ſententia, infinita virtute pollere.* Cap. V I.

S. Thomas. Henricus. Scotus. Aegid. Albert.

QVod igitur attinet ad Ariſtotelis ſententiam,de difficultate propoſita, interpretes ſunt varij. Putarunt nonnulli,illud idem,hac in re,Ariſtotelem ſenſiſse, quod ſentit catholica fides, Deum videlicet infinita virtute præditum eſse. Ita cenſuit S. Tho.1.par.q.25.art.2.Henricus Gandauenſis 1.par.art.35.q.6.Scotus in quolib.q.7.& 1.ſententiarum d.2.q.2.Romanus Ægidius 1.Sententiarum d.43.q.1.Magnus Albertus 8.Phyſ.tract.4.c.1. Pau

lus

lus Soncinas 12. Metaph.q.41. Iauellus 12. Metaph.q.20. Franciſcus Suarez in ſuis diſputationibus metaphyſicalibus diſput.30.q.2. Toletus 8. Phyſ.q.8. Conimbricenſes 8. Phyſ.cap. 10,q.3. ſed præ cæteris Cardinalis Caietanus in q. præcipua de infinitate Dei. Rationes autem, quibus potiſſimùm autores iſti in hanc ſententiam ducti ſunt, hæc eſse videntur. Prima, illa cauſa, quæ motũ efficit, infinitæ durationis, infinita virtute prædita eſt: ſed Deus eſt cauſa, efficiens motum infinitæ durationis, qualis eſt motus Cæli, qui continuus, atque æternus eſt, Deus igitur infinita virtute præditus eſt. Maiorem propoſitionem ita probant: nanque mouere aliquod mobile, per aliquod temporis ſpacium, eſt alicuius perfectionis: mouere per maius ſpacium, eſt maioris perfectionis, ergo mouere per infinitum temporis ſpacium, eſt infinitę perfectionis. Secundam rationem eliciunt ab Ariſtotele 8. Phyſ. tex. 79. vbi probare volens, primum motorem à magnitudine ſeparatum eſse, ſic argumentatur; Nulla virtus infinita eſt in magnitudine; virtus primi motoris eſt infinita, ergo non eſt in magnitudine. Nunc quærunt, de quanam infinitate minor propoſitio intelligenda ſit: de infinitate quidem durationis intelligi non poteſt: quoniam maior propoſitio, quæ tanquam vniuerſalis ab Ariſtotele allata eſt, falſa diceretur: nam Cęlum habet virtutem infinitam, ſecundum durationem; cùm indiſſolubile ſit; infinitoque tempore virtutẽ ſuam cum rebus hiſce inferioribus communicare poteſt: & tamen virtus Cęli eſt in magnitudine, cùm ſit corpus de genere quãtitatis. Quare ſi ambæ propoſitiones ſyllogiſmi, ab Ariſtotele conſtructi, veræ eſſe debẽt, minor propoſitio non niſi de infinita virtute, ſecundum intenſionem, intelligenda eſt. Tertiam rationem eliciunt ab eodem Ariſtotele, loco ſuperiùs citato, vbi oſtendere pariter volens, primum motorem magnitudinis expertem penitus eſſe, eiuſmodi conficit ratiocinationem, ſi virtus infinita eſſet in magnitudine, ſequeretur, vt illa momento temporis moueret: ſed conſequens dari non poteſt, ergo nec antecedens. Nunc quærunt, quonam modo infinita virtus in antecedente accipienda ſit. Si enim dicatur ſecundum durationem tantùm; ergo, cùm virtus agendi in hæc inferiora ſit in Cęlo infinitæ durationis, tunc Cęlum momento tẽporis ageret: itaque & aerem momento calefaceret, & imperfecta animalia mométo gigneret, & alias id genus operationes momento ederet: quæ tamen omnia vel ſenſus ipſe, falſiſſima eſſe, deprehendit. Antecedens igitur, vel maior propoſitio, de infinita virtute ſecundum intenſionem intelligenda eſt, quam quidem virtutem, vt Ariſtoteles primo motori tribuit, ita ab eodem magnitudinem amouit, alioquin temporis momento moueret. Quartam rationem ita conſtruunt, Ariſtot. cognouit, Deum habere infinitam perfectionem, atque ſubſtantiam, vel, vt aiunt, entitatem, ergo cognouit, Deum habere infinitam virtutem, ſecundũ intenſionem. Conſecutio eſt perſpicua: quoniam virtus ſubſtantiæ infinitæ non poteſt eſſe finita. Antecedens autem probant ex Ariſt. 5. Metaph. c. 16. docente, id ſimpliciter perfectũ eſſe, quod continet perfectiones omnium rerum, tàm re ipſa exiſtentium, quàm earum, quibus nulla repugnantia eſt, quominus exiſtant: quæ quidem res, ſicut etiam earum perfectiones, infinitæ ſunt, cùm apud Ariſtotelem Mundus ponatur æternus, ſed Ariſtoteles putauit, Deum ideò perfectum eſſe, quia rerum omnium perfectiones continet, ſicut etiam Commẽtator 5. Metaph. comm. 21. ergo Ariſt. putauit, Deum habere infinitam ſubſtantiam, atque adeò infinitam virtutem, ſecundum intenſionem,

Soncin. Iauellus. Suarez. Toletus. Conimbric. Card. Caiet. Prima ratio. Secunda rō. Tertia ratio. Quarta rō.

*Opinio ſtatuentium, Deum ex Ariſtotelis ſententia, non robore, ſed ſola duratione infinitum eſſe.* Cap. VII.

ALij contra fuerunt autores, & ij quidem celebres, atque in Ariſtot. doctrina maximè exercitati, qui, de illius ſnīa, arbitrati ſunt, primum motorem Deum infinita quidem virtute, ſecundum extenſionem, hoc eſt ſecundum durationem, non etiam ſecundum intẽſionem, hoc eſt ſecundum vigorẽ, & robur præditum eſſe. Horum caput fuit Nominalium Academiæ Princeps Gulielmus Ocamus, quolib. 7. quæſt. 22. & 23. cuius opinionem ſecuti ſunt Gregorius Ariminenſis 1. Snīarum diſt. 42, quæſt. 3, art. 1. & Ioannes Bacconus eod. lib. diſt. 43. 44. & 45. atque ex recentioribus Philoſophis Federicus Pendaſius in tract. de ſeparatione primi motoris à magnitudine, par. 7. Frãciſcus Bonamicus lib. 10. de motu, cap. 20. Iacobus Zabarella in expoſitione 78. & 79. contextus 8. libri Phyſ. & Franciſcus Piccolomineus lib. de Cęlorum motoribus cap. 34. Hanc autem ſnīam hiſce potiſſimũ rationibus muniuerunt.

Ocamus. Greg. Arim. Ioan. Bacco. Fed. Pendaſ. Frã. Bonam. Iaco. Zabar. Fran. Piccol.

Prima ratio. ſunt. Primò, ſi Deus, ex Ariſtot. ſnīa, eſſet infiniti vigoris, dubio procul primum mobile, tēporis momento, moueret: ſed hoc conſequens Ariſtot. non admitteret; nec igitur admitteret antecedens. Conſecutionem probant: tum quia Deus, Ariſtot. autore, primum mobile proximè mouet: tùm etiam quia idem ex eiuſdem decreto, agit neceſſitate naturæ: igitur in mouendo vim ſuam omnem expromet, atq; adeò momento tēporis mouet: alioquin virtus aliqua finita danda eſſet, quæ ſi augeretur, tunc aut æquali, aut etiam minori tempore aliquod

Occupatio. mobile mouere poſſet, quàm moueat virtus infinita. Nec dicat hic aliquis, argumentū hoc tantummodo concludere, ſi infinita virtus in magnitudine reperiretur, hocque fuiſſe argumentum Ariſtot. 8. Phyſ. tex. 79. quoniam, ſi virtus infinita ad mouendum applicetur, nulla certè maior ratio eſſe videtur, cur momento moueat, ſi ſit in magnitudine, quàm ſi ſit à magnitudine ſeparata: mouendi enim vis non à motoris quidem magnitudine, ſed ab eius intēſione, & robore proficiſcitur: ac propterea multò magis momento mouere videretur à magnitudine ſeparata, quàm cum magnitudine coniuncta.

Quorūdam reſponſio. Sunt qui dicant, virtutem infinitam momento quidem mouere poſſe: eiuſmodi autem motum in mobili recipi nulla ratione poſ-

Confutatio. ſe. Sed hoc non eſt ad mentem Ariſtot. tunc enim argumentum illud, quo ipſe probat, virtutem infinitam magnitudini annexam eſſe non poſſe, quia illa virtus momento moueret, nullum eſſet.

Secunda rō. Deinde ſi qua eſſet ratio, cur Ariſtot. Deum infiniti vigoris eſſe, poſuerit, ea potiſſimum videretur, quia ſcilicet infinito tempore mouet: ſed ad motum infiniti temporis, non eſt neceſſaria virtus ſecundum intēſionem infinita, cùm ſatis ſit virtus finita immortalis tamen indiſſolubilis, omnis expers affectionis, quæ in mouendo nullum laborem, nullam laſſitudinem patiatur, cuiuſmodi eſt primi motoris virtus; non igitur neceſſe eſt, vt illa ſit ſecundum intenſionem infinita; propterea quod ab ipſa pēdeat infiniti temporis motus.

Tertia ratio. Rurſus, ſi motus infiniti temporis infinitatem roboris in mouente ſignificaret, tunc reliqui etiam Cælorum motores hac eadem infinitate præditi eſſent: conſtat autem, Ariſtot. motores illos finitos robore iudicaſſe; nō ergo ex infiniti temporis motu, infinitatem roboris, in mouente elicere poſſumus.

Quarta rō. Præterea, ſi primum mouens eſſet infiniti vigoris, tunc quodcunq; mobile, vel infinitum re ipſa, ſi id daretur, mouere facilè poſſet: hoc aūt aduerſatur Ariſt. 2. de Cælo contex. 71. vbi docuit, tantam eſſe inter primum mobile, & primum motorem, ratione facultatis motricis proportionem, vt ſi primo mobili, vel vnicum aſtrum adderetur, tunc primum mouens, aut illud mobile omninò non moueret, aut cum labore, & laſſitudine moueret.

Quinta rō. Inſuper Ariſtot. 2. de Cælo text. 39. apertiſſimis verbis aſſeruit, vniuſcuiuſq; actionis determinatum eſſe tempus, adeò vt minori tempore actio illa abſolui nulla ratione poſſit. Quare neq; ambulare quis poteſt quocunq; tempore, neq; cytharam pulſare, neq; id genus alias operationes edere: & ibi concludit, neq; Cælum quocunq; paruo tempore moueri poſſe: ſed dari neceſſariò determinatum tempus, quo moueatur. Hanc autem temporis determinationem, conſtat, non aliunde, quàm à motoris natura proficiſci; quod certè non ita eſſet, ſi primus motor infiniti roboris diceretur.

Sexta ratio. Ad hæc Ariſtot. 12. Metaph. tex. 44. docuit, ſeparatas ſubſtantias excedere ſe in nobilitate, ſecundum ordinem, & magnitudinem orbium, qui ab illis mouētur: ſi autem primus motor eſſet infiniti vigoris, non excederet alias intelligentias, ſecundum magnitudinem ſui orbis, ſed illas in infinitum excederet; non igitur exiſtimauit Ariſtot. primum mouens eſſe infiniti vigoris.

Septima rō. Deniq; Ariſtot. 8. lib. Phyſ. tex. 78. & 79. de infinitate vigoris locutum non eſſe, quemadmodum alterius opinionis autores cenſuerunt, ſed ſolùm de infinitate durationis; ex quo elici facilè poteſt, quia veriſimile eſt, philoſophum ibi ſuam iam incæptam ratiocinationem continuare: ſed in tota ratiocinatione, à principio 8. lib. vſq; ad illos contextus, probauit, primum motum æternum, primum mobile æternum, & primum motorem æternum: vt ſemper de infinita duratione locutus eſſe videatur; ergo in illis etiam contextibus, vbi oſtēdere voluit, infinitam potentiam in magnitudine reperiri non poſſe, nihil ſanè aliud probare contēdit, niſi potentiam illam, quæ in mouendo æterna eſt, annexam magnitudini eſſe non poſſe.

*Vtra prædictarum opinionum magis Ariſtotelica ſit.* *Cap. VIII.*

Autoris opinio. Allatis iam, ſuper propoſita quæſtione, oppoſitis ſententijs; nunc decernendum videtur, vtra opinio magis Ariſtotelica ſit. Crediderim ego, ſiue Ariſtoteles cognouerit

uerit Deum infinita virtute prædirum eſſe, ſiue non cognouerit, (qua de re fuſius infra dicemus) eum nullibi in ſua philoſophia definiuiſſe, ſit ne Deus infiniti roboris, nec ne; immo ne hanc quidem quæſtionem vſquam diſcutiendam propoſuiſſe, neque rurſus eandem proponere in animo vnquam habuiſſe. Viſus eſt nonnullis, libro 8. de Phyſico auditu, textibus 78. & 79. hac de re aliquid innuiſſe: ſed profectò qui ex illis contextibus infinitam primi motoris virtutem, de Ariſtotelis ſnīa, elicere conati ſunt: pietatē potius maximam, quam Peripateticam philoſophiam coluiſſe videtur. Etenim eo loco Ariſtot. neque principali inſtituto, neq; etiam obiter, de infinita primi motoris virtute locutus eſt, vt certè eundem infinita virtute præditum eſſe aſſeruerit. Quod autem ibi præcipuè docere intēdit, illud eſt, videlicet primum motorem à magnitudine ſeparatum, & omnis corporeæ molis ex pertem penitus eſſe. Porrò hoc fuiſſe præcipuum Ariſtotelis inſtitutum, non ex aliorum cōmentis, ſed ex ipſomet elicere libet, qui initio tex. 78. ita ſcribit ad verbum, *Quod autem hoc neceſſe eſt impartibile eſſe, & nullam habere magnitudinem, nunc dicamus.* Ad hoc autem oſtendendum non ſumpſit, tanquam medium terminum, infinitam virtutem intenſiuam, vt S. Thomas, & cum eo alij multi exiſtimarunt, quaſi hoc argumentum conficere voluerit, nulla virtus infinita poteſt eſſe in magnitudine: ſed virtus primi motoris eſt infinita; ergo virtus primi motoris non poteſt eſſe in magnitudine. Si quis enim eos textus diligenter legerit, nūquam inueniet, ſumpſiſſe Ariſtot. primi motoris virtutem infinitam eſſe, ſecundum intēſionem, ſed ſolùm ibi poſuiſſe, infinitam eſſe, ſecundum durationem; quia nimirum perpetuum durabit ad tempus: quod quidem in præcedentibus contextibus cumulatiſſimè probauerat.

Locus Ariſt. in quo multi hallucinati ſunt.

Quid probare præcipuè intendat Ariſtot. in text. 78 & 79. li. 8. Phyſ.

Cùm itaq; & primi motus, & primi mobilis, & primi motoris æternitatem oſtēdiſſet, opportunum tandem iudicauit, in poſtrema parte eiuſdem 8. lib. probare, primum motorem magnitudine carere, & tanquam probationis validiſſimum medium nihil aliud aſſumpſit, niſi eiuſdem infinitam virtutem, ſecundum durationem, qua ſcilicet primum mobile perpetuo tempore mouet. Itaque præcipuum eius argumentum, ad id probandum, hunc in modum conſtruitur. Primum mouens mouet, tempore infinito: ergo primum mouens magnitudine caret. Antecedēs ex iam ſuperiùs probatis manifeſtum eſt. Conſequētiam verò probat, non argumēto quidem oſtenſiuo, vt multi falsò arbitrati ſunt; ſed ad incommodum ducēte, & ad id, quod nulla ratione fieri poteſt. Attendenda igitur eſt diligēter huiuſce conſecutionis probatio; ex ea enim, minus rectè apprehenſa, omnes ferè errores orti ſunt, qui circa rem propoſitam contigerunt. Eſt autem probatio huiuſmodi; fac, primum motorem virtutem aliquā materialem eſſe, ſeu in magnitudine exiſtētem, dubio procul aut erit in magnitudine finita, aut in magnitudine infinita: in magnitudine quidem infinita eſſe non poteſt; quia ex 3. lib. de Phyſico auditu, eius generis magnitudo nulla datur: erit igitur in magnitudine finita, ſiquidem in magnitudine ponendus ſit. Nunc autem in hac magnitudine finita aut habebit virtutem finitam, aut infinitam: non finitam, quia nulla eiuſmodi virtus infinito tēpore mouere poteſt, vt ibi Ariſtot. euidenter demonſtrat: iam autem poſitum eſt, primum mouens mouere tempore infinito; non igitur in magnitudine finita virtutem finitam habere poteſt. Sed neq; etiam in magnitudine finita habere poteſt virtutem infinitam; quia tunc ſequeretur, vel ipſum momento mouere; vel, ſi momento non moueat, dandam virtutem finitam fore, quæ ita velociter moueret, ſicut virtus infinita: immò etiam velociùs, ſi augeretur, quemadmodum Ariſtot. in tex. 79. ſatis luculenter demonſtrat: quorum tamen vtrumq; abſurdiſſimum eſt. Hæc igitur eſt illius conſecutionis probatio, hæcq; tota eſt in eo loco Ariſtot. ratiocinatio: ex qua tandem nihil aliud elicit, niſi primum motorem non eſſe virtutem in magnitudine, cùm nec magnitudinem finitam, nec magnitudinem infinitam habere poſſit.

Medium ab Ariſt. ſumptū ad probandum primū motorē magnitudine carere, fuit infinita virtus ſecundum durationem.

Ariſto. argūm præcipuū, ad oſtendēdam primi motoris ſimplicitatem, quomodo conſtruatur.

In hac probatiōe totius difficultatis, caput poſitū eſt.

Neſcio autem, vndenam alterius opinionis autores elicere potuerint, Ariſt. aut ſtatuiſſe, aut probaſſe, primum mouens infinita virtute præditum eſſe. Niſi fortè in eam ſnīam ſint adducti, quòd apertis verbis Ariſt. pronunciauit, virtutem finitam infinito tempore mouere non poſſe; hincq; ipſi duxerint argumentum huiuſmodi. Si virtus finita non poteſt mouere tempore infinito; ergo illa virtus, quæ mouet tempore infinito, erit neceſſariò infinita: ſed Ariſto. ſtatuit, primum mouens mouere tempore infinito; ergo pariter exiſtimauit, primum mouens eſſe virtutis infinitæ. Verùm non fuit hæc Ariſt. ratiocinatio, vt paulò antè oſtendimus, & nunc etiam dilucidiùs aperiemus. Multi autem in ea hallucinati ſunt, eorum etiam, qui ex

Vnde aduerſarij elicere potuerint, Deū ex Ariſtot. ſentētia eſſe virtutis infinitas.

Multorū hallucinatio,

Ariſtot.ſnīa defenderunt, Deum non niſi virtute infinita, ſecundum durationem, præditum eſſe. Dixerunt enim, propoſitionem illam, nulla virtus finita poteſt mouere, tempore infinito, non eſſe intelligendam de virtute finita, ſecundum intenſionem, quaſi ad motum infiniti temporis efficiendum infinita virtus requiratur: ſed de virtute finita, ſecundum durationem: nulla.n.eiuſmodi virtus perpetuū motū efficere pōt: ſed ad motū īfiniti tpis, requiritur. Et virtus infiniti tpis. At iſti valdè puerilē fecerunt Ariſt.ratiocinationē; quis.n.eſt, qui neſciat, ab eo, quod infinito tempore durare nequit, infiniti tpis motum proficiſci non poſſe? Aliò igi-

Ariſt. ratiocinatio declaratur. tur ſpectat Ariſtotelis ratiocinatio, & maior illa propoſitio non de virtute finita, ſecundum durationem, ſed de virtute finita, ſecundum intenſionem, intelligenda eſt. Pro cuius clariore notitia ſciendum eſt, virtutem omnem, quæ in magnitudine conſiſtit, penes maiorem, aut minorem magnitudinem, maiorem pariter, aut minorem iudicari. Quo fit, vt in maiore portione magnetis, longè maior ſit virtus alliciendi ferrum, quàm in minore; quia illa virtus per totam magnetis magnitudinem extenſa eſt: ſic maior calefaciendi virtus eſt in magno igne, quàm in paruo. Hinc Ariſt.concludit, quò maior eſt magnitudo, eò maiorem in illa virtutem reperiri: & quò maior eſt virtus in magnitudine, eò longioris temporis effectum ab eadē proficiſci poſſe: nanque longiore tempore calefaciet magnum lignum ignitum, quàm carbunculus accenſus. Nihilominus quantæcunque molis ſit magnitudo finita, in qua finita virtus reperitur; nunquam tamen infiniti temporis actionem edere poterit, quia neceſſe eſt, eandem

Cōcluſio ab Ariſto.præcipuè intenta, in tex.78. & 79 li.8. Phy. aliquando deficere. Non igitur Ariſt.concludit, primum motorem, eò, quia infinito tempore mouet, habere virtutem infinitam, ſecundum intenſionem; vt S. Tho.& alij cenſuerunt: ſed (ſiue habeat virtutem infinitam, ſiue non habeat; de quo nō diſputandum quidem Ariſtoteles propoſuit) concludit, virtutem primi motoris à magnitudine ſeparatam eſſe debere: hæc enim concluſio illi quæſtioni reſpondet, quàm initio 78. contextus diſcutiendam propoſuerat, vt ſupra monuimus.

Ratio efficax pro vera Ariſt. ſententia inueſtigāda. Quod autem de primo motore probauit, id ipſum de cæteris cælorum motoribus intelligi voluit: omnes enim docere intendit à magnitudine ſeiunctos eſſe: quot verò numero ſint, vel an vnus tantum ſit primus motor, de hoc poſteà in 12. Metaph. diſputabit. Quòd ſi, ex infiniti temporis motu, infinitatē virtutis elicuiſſet; dubio procul omnes Cælorum motores infinita virtute præditos eſſe, ſtatuiſſet: quod tamen & à veritate, &

Scoti quædā reſpōſio reijcitur. ab eius mente quàm longiſſimè abeſt. Nec eſt, quòd dicat hic Scotus, ſolum primum motorem ideò infinita virtute pollere, quia mouet à ſe; cæteros verò motores non item; quia mouendi virtutem à primo recipiunt: hoc enim dictum vt veriſſimum ſit, non tamen Peripateticum, ſed Theologicum eſt: illud enim apud Ariſtotelem neque in citatis contextibus, neque in alijs ſuæ Philoſophiæ locis reperitur, quemadmodum alibi patefecimus.

*Soluuntur illorum argumenta, qui, ex Ariſt. ſententia, Deum infinita virtute præditum eſſe ſtatuerunt.* *Cap. IX.*

IAm veram, quàm arbitramur, Ariſtotelis ſententiam, ſatis commodè aperuimus. Nunc autem, quoniam argumenta illa, quæ ad oppoſitam ſententiam comprobandam attulimus, aliquid ponderis habere videntur; ideò in eorum nobis ſolutionem diligenter incumbendū

Ad primum. eſt. Ad primum igitur neganda eſt maior propoſitio. Ad probationem reſpondendum, ſi quid momenti illa habeat, id tantummodò eſſe de virtute, magnitudini annexa. Quod ex eo facilè elicitur; quia ponit propoſitio illa, virtutem quālibet finitam definito tempore ad mouendum determinari, vt nimirùm ad longioris temporis motum extēdi non poſſit: omnis au-

Exemplū ēē facile aperiens. tem huiuſmodi virtus magnitudini annexa eſt. Perinde ac ſi quiſpiam ita ratiocinetur. Pondus hic perfert decem librarum; indicat perfectionem. At viginti alius librarum; & maiorem præſefert perfectionem. Defert alius centum pondus librarum; & longè maiorem perfectionem præbet. Ergo qui infinitum pondus ferat, ſi reperiri id poſſit; infinitam perfectionem indicaret. Patet hinc, virtutem portādi annexam eſſe magnitudini; ac proinde vbi maior ad ſit virtus, ibi maiorem, vel longiorem actionem eſſe: vbi verò minor, minorem pariter, & breuiorem actionem. Ratio eſt, quia debilis virtus citius defatigatur, & defatigatione ingraueſcens opprimitur: virtus verò fortior non ita facilè vrgentibus, & opprimentibus cedit; ac propterea diuturniorem actionem edit. In re autem noſtra probatio illius maioris propoſitionis locum nullum habet: quoniam mouendi virtus, de qua loquimur, à magnitudine ſeiuncta

eſt:

eſt;nulla autem huiuſmodi virtus definitum habet temporis ſpatium ad mouendum, quia in mouendo non laborat,nec laſſitudinem patitur;atque adeo infiniti temporis motum edere poteſt,etiamſi finita ſit. Neque verò harum virtutum perfectio penes longiorem motum attenditur:conſtat enim,virtutes Cœlorum motrices ſeſe in perfectione excedere;(quo enim ſuperior eſt virtus,eò etiam perfectior dicitur ) ab omnibus tamen infiniti temporis motus exoritur;ac proinde illæ quo ad hunc effectum,æqualis perfectionis eſſe dicuntur. Et ſi quis dicat,à virtute pariter infinita,infiniti temporis motum exoriri;ac proptereà finita,& infinita virtus æqualis eſſent perfectionis,quod videtur abſurdum. Reſponderet Ariſt.ſi ad motum infiniti temporis edendum,ſatis ſit,finita virtus;vanum profectò eſſe,quęrere infinitam virtutem:quemadmodum 8.lib. Phyſ.tex.48.ait:ſi æternitas vnius primi motoris,ad æternitatem vnius primi motus efficiendam,ſatis eſt;fruſtrà alios æternos motores, qui primum illum motum efficiant,quærendos eſſe.Quare ſiue infinita virtus ſtatuenda, ſiue non ſtatuenda ſit,de qua Ariſt.non diſputat:ſatis illi eſt,propter motum infiniti temporis, talem virtutẽ ſtatuendam neceſſariò non eſſe;cùm finita virtus ſufficiat,vt iam oſtenſum eſt. Ad ſecundũ argumentum reſpondendum eſt,propoſitionem illam,nulla virtus infinita eſt in magnitudine, Ariſtotelicam quidem eſſe,ac prætereà de infinitate ſecundum intenſionem intelligi debere;argumentum tamen illud non ab Ariſt.ſed à S.Tho.à Scoto, & ab eorum ſectatoribus eo modo conſtructum fuiſſe. Non enim Ariſtoteles ponit,virtutem primi motoris eſſe infinitam ſecundum intenſionem,neque probare intendit,eandem à magnitudine ſeparatam eſſe: ſed ſiue virtus primi motoris finita,ſiue infinita ſit,nititur abſolutè demonſtrare,illam corporeæ molis expertem penitus eſſe;conſtruitque argumentum illud, quod nos in antecedente capite propoſuimus. Ad tertium,admiſſa illa ratiocinatione,dicimus, maiorem illam propoſitionem de virtute infinita,ſecundum intenſionem,intelligendam eſſe;negamus tamẽ,talem virtutem primo motori Ariſtotelem tribuiſſe:neque id vllo pacto ex illa ratiocinatione elici poteſt. Verum quidem hoc eſt,ſi virtus infinita eſſet in magnitudine,inde ſequi,vt temporis momento moueret; cùm autem motus momento fieri nequeat;ſequi pariter,vt virtus infinita in magnitudine eſſe non poſſit;ac propterea ſi virtus primi motoris eſſet infinita: ea profectò magnitudinem non haberet;non licet tamen inferre ex propoſitionibus conditionalibus concluſionem abſolutam,vt ſcilicet dicamus,ergo primus motor eſt infinitæ virtutis,ſecundum intenſionem. Ad quartum negatur antecedens. Ad probationem reſpondendum,ex eo loco nihil aliud elici,niſi duplicem perfecti ſignificationem;(ibi enim Ariſtoteles tres perfecti ſignificationes ad duas tantùm reuocauit) perfectum enim vno modo dicitur, cui nihil abſolutè deeſt;altero,cui nihil deeſt,non abſolutè quidem,ſed in tali genere. Vt homo dicitur perfectus,quia ei nihil deeſt,quod ad hominis rationem pertineat: ſic dicitur perfectus bos,perfecta domus,& eodem modo de alijs. In priori autem ſignificatione vnum tãtùm reperitur,quod perfectum ſit,&hoc eſt primus motor:ei enim nihil omninò deeſt,quod ad abſolutam rei perfectionem deſiderari poſſe videatur. Ex hoc autem inferre quidem poſſumus,primum motorem inter omnia entia perfectiſſimum eſſe,adeò,vt præter quoduis aliud ens perfectione excellat;inferre tamen non licet,cum infinita perfectione pollere,quemadmodum argumentum illud concludit.

Obiectio.

Solutio.

Ad ſecundũ.

Arg.tertiũ.

Arg.quartũ.

### *Conſentiatne cum Ariſtotelica Philoſophia principijs primi motoris infinita virtus. Cap. X.*

Explicata iam Ariſtotelis ſniã, ijſq; locis, qui tenebrarum aliquid ei offundere videbantur,ſat commodè expeditis,videndum eſt nunc, an ſaltem primi motoris infinita virtus eiuſdem philoſophiæ principijs accommodari poſſit. Quicquid alij ſentiant,puto ego,infinitam primi motoris virtutem non ſolùm Ariſtotelicę philoſophiæ principijs accommodari non poſſe, verùm eandem etiam omnem philoſophiam funditus euertere:quod facilè vnicuiq; patebit,qui præcipua Ariſtot. dogmata diligenter expenderit. Etenim lib.1. de Cælo,tex.76.negauit apertiſſimè,Deum plures Mundos condere poſſe;hoc autem quis non videt,cum infinita virtute minimè cohærere? Prętereà ſecundo eiuſdem operis libro tex.35. docuit,motum primi Cæli eſſe determinatæ velocitatis;idq; ob determinatam primi motoris in mouẽdo virtutem: poſſet autem multò velociùs Cælum moueri, ſi primus motor eſſet

Opinio Auctoris.

Fundamentũ primum.

Fundamẽtũ ſecundum.

Fundamẽtũ tertium.

infinitę virtutis. Rurſus peruulgatum ſatis eſt pronunciatum illud primi libri Phyſ.communi omnium philoſophorum conſenſione firmatum, ex nihilo nihil fieri: quod certè infinitam primi motoris virtutem admittere nequit. Nanq; ſi agens finitæ virtutis, dum quippiã procreat, ſubiectum aliquod, ſiue materiam neceſſariò depoſcit; certum eſt agẽti infinitæ virtutis, dum in alicuius rei procreationem incumbit, nullam prorſus materiam neceſſariam eſſe; poterit ergo aliquid ex nihilo procreare.

Fundamẽtũ quartum.

Inſuper clamant vndiq; Peripatetica dogmata, à priuatione ad habitum, regreſſum dari non poſſe: nullum enim eſt naturale agens, quod cæco viſum reſtituere poſſit; propterea, quod finita virtus eò vſq; non extẽditur. Si igitur in doctrina Ariſt. infinita primi motoris virtus admitteretur; in eiuſdem pariter doctrina, mortuorum reſurrectionem confiteri neceſſariò oporteret: nam certè id fieri poterit ab agente infinito, quod ab agẽte finito fieri nequit.

Fundamẽtũ quintum.

Ad hęc, cógeretur Ariſtot. concedere, materiam primam ſine forma, & accidẽtia ſine ſubiecto exiſtere poſſe, atq; inane ſpacium in rerum natura reperiri: quæ omnia, vt finiti agentis virtutem exuperant; ita infiniti agentis poteſtatem exæquant.

Fundamẽtũ ſextum.

Quid pluraę ſi admitteret Ariſt. Deum eſſe infinitę virtutis; cùm iam ſtatuerit, eundem agere neceſſitate naturæ, fateri quoq; neceſſariò cogeretur, eum aut nihil omninò agere, aut effectum omnem infinita virtute præditum edere. Si quidem quod agit neceſſitate naturæ, omni conatu agit, & effectum ſibi ſimilem effingere nititur: Sic ignis ſibi ſimilem ignem generat, planta plantam, bos bouem, homo hominem, & de alijs eodem modo: oporteret igitur, vt Deus infinitum effectum, ſaltem perfectione, procrearet, ſi ex Ariſtot. ſñia, infinita virtute præditus eſſet.

Exemplum à Theologis ſumptum.

Quemadmodum etiam Theologi, qui ſtatuunt, Deum eſſe infinitæ virtutis, atq; in ſublimi illa diuinitate ponunt generationem filij à patre, & proceſſionem Spiritus ſancti ab vtroq;, docent filium ita eſſe infinitum, ſicut patrem, & Spiritum ſanctum, ſicut patrem, & filium, cùm vna omnium ſit infinitas, ſicut vna natura, vna ſubſtantia, ſiue eſſentia, quæ radix, & fundamẽtum infinitatis appellatur: hæc autem cùm Ariſtot. non cognouerit, veriſimile eſt, ipſum quoque infinitam primi motoris virtutem ignoraſſe, aut ſaltem non ita cognouiſſe, vt rationibus, à ſua philoſophia depromptis, illam probare potuerit.

Quæſtio curioſa.

Rogabit hìc aliquis, quid eſt, cur Ariſt. nullibi hanc quæſtionem diſcuſſerit, ſit ne Deus infinitæ virtutis, nec nę: cùm tamen quæſtio præcipua ſit, nec minore diſquiſitione digna, quàm ſint aliæ multæ, quas ipſemet Ariſt. diſputauit?

Solutio.

Reſponſio ex ijs patere poteſt, quæ alibi docuimus: non enim Ariſt. quæſtiones illas diſputare ſolet, in quibus rationes pro vtraque parte adduci non poſſunt: vel in quibus aliqua pars altioris eſt contemplationis, quàm vt ad illam proprio ingenio peruenire poſſit. Diſputauit quæſtiones de numero, & conditionibus principiorum, de loco, vacuo, & tempore, de motus æternitate; & plures huius generis alias, in quibus aliorum philoſophorum ſñias reprobauit, propriãque ſñiam naturalibus rationibus confirmauit. Alias autem quæſtiones, cuiuſmodi ſunt de rerum creatione, de animi immortalitate, & hanc quoque, quam nunc diſputamus, de infinita primi motoris virtute, dedita opera omiſit. Nam eſto etiam rei veritatem ſub vmbra quadam, ac velùti caligine perceperit; nunquam tamen auſus eſt abſolutè fateri, niſi id, quod rationibus à natura ſumptis, probare potuit. Cognouit certè animi immortalitatẽ: ſed quia vidit, eam, ſuæ philoſophiæ principijs, tueri non poſſe, ideò ſuam ipſius ſñiam, ne ab vllo intelligeretur, ſtudioſè obſcurauit.

An Ariſt. veram creationem cognouerit.

An ingenio ad veram creationem peruenerit, quæ non ſit ſimplex ab æterno emanatio, ſed noua alicuius rei ex nihilo procreatio, dubium aliquod eſt, præſertim propter rationalis animę productionem, quam lib. 2. de Animalium ortu, cap. 3. non oriri ex poteſtate materiæ, atq; adeo non generari, ſicut cæteras animas, ſed extrinſecùs corpóri accedere, diuinitùſque produci aſſeuerauit. Quibus verbis viſus eſt Ariſtot. docuiſſe, hoc certum eſſe, rationalem animam, nullo ortu, ab agente aliquo naturali editam eſſe, ſed quadam procreandi ratione, quæ ab aliarum rerum procreatione diuerſa eſt. Quænam autem ea procreatio reuera ſit, aut ignorauit, aut ignorare voluit, quia illam ſuæ philoſophiæ principijs aduerſari cognouit.

Hic habes, quod quęris.

Sic in re noſtra dicendum eſt, non propoſuit Ariſtot. quæſtionem illam diſcutiendam, ſit ne Deus infinitæ virtutis, nec ne, quoniam tametſi naturalis ratio eum aliquo pacto in primi motoris infinitatem ducere videbatur; tamẽ quia eiuſmodi infinitatem rationibus, à ſuæ philoſophiæ principijs depromptis, probare non potuit, ideò dedita opera, huius quæſtionis diſputatione ſuperſedit: atque illi ſuit, vnam in rerum natura ſupremam cauſam, &

eam quidem finitam reperiri, quæ tamen perfectione cæteris omnibus antecellat.

### *Inualidas eſſe rationes, ex motus æternitate depromptas, ad primi motoris infinitatem demonſtrandam.* Cap. XI.

SEd omiſſo Ariſtot. de cuius ſnīa iam ſatis diſputatum eſt, quæreret quiſpiam fortaſſe poſſet, ſint validæ, & efficaces rationes, ex motus æternitate depromptę, ad oſtēdendum, primum motorem infinita virtute præditum eſſe? Ne multis morer, ſalua ſemper meliore ſnīa, arbitror ego, rationes illas nullam prorſus demonſtrandi vim obtinere; ſed probabiles tantùm, & ſuaſorias eſſe: quod facilè quidem oſtendemus, ſi eius generis rationes, quæ à Scoto præcipuè, & à S. Thoma propoſitæ ſunt, diligēti examine librabimus. Itaque Scotus in quolib. quæſt. 7. ad demonſtrandam infinitam primi motoris virtutem, huiuſcemodi rationem conſtruxit. Ille motor, qui mouet tempore infinito, ſed tamen à ſe, vt nimirum in mouēdo ab alio non pēdeat, eſt virtutis infinitæ: ſed primus motor mouet Cęlum, tempore infinito, à ſe, & à nullo pendet; ergo primus motor eſt infinitæ virtutis. Haud abſimilem ratiocinationē confecit Caietanus in opuſculo de infinitate Dei, primus motor, inquit, ex ſe, & intima virtute, eſt cauſa motus infiniti, ergo eſt infinitæ virtutis. Hęc ratio nonnihil quidem continet probabilitatis, attamen neceſſaria non eſt, vt intellectus concluſioni adhærere cogatur. Primò: quia, tametſi inferiores intelligentiæ Cęlorum motrices, à prima, & ſuperiorē quodammodo pēdeant, ab ea tamen vim mouendi non ita accipiunt, vt nullam penitus in ſe ipſis mouendi virtutem contineant, quaſi pura, ſimpliciaq; inſtrumenta ſint, quæ mouere non poſſint, niſi à principali agēte impellantur. Quare inferiores intelligentiæ habent in ſe ipſis, vnde infinitum motum edere poſſint, & tamen conſtat eas finita virtute præditas eſſe. Sed fac, ſolum primum motorem à ſe ipſo, & propria virtute, infiniti temporis motum edere, quænā erit neceſſitas, cur illum virtute, ac robore infinitum eſſe dicamus? Eſt primus motor: dat omnibus virtutem mouendi: in mouendo à nullo pēdet. Rectè ſanè. Quid igitur? erit ne ob eam rem infinitæ virtutis? Minimę verò, cum ſatis ſit, eum mouentium omnium perfectiſſimum eſſe, cæteriſque omnibus perfectione anteire. Huc accedit, quod, vt antè dictum eſt, ad motū infiniti temporis, ſufficit virtus finita, quæ tamen labore non minuatur, nec laſſitudine vnquam occumbat, qualis eſt virtus primi motoris; atque etiam cæterarum Intelligentiarum.

Ratio Scoti.

Eadem ferè fuit rō Caetani.

Solutio.

Ex eo, quia primus motor moueat à ſe, nō poſſumus colligere, ipſum eſſe infinitæ virtutis.

S. Thomas 1. par. Summæ, quæſ. 25. art. 2. alio modo infinitam primi motoris virtutem, ratione itidem ex motus æternitate deſumpta, probare conatus eſt. Præmittit primùm, infinitum motum dupliciter dici poſſe; vno modo ratione ſpacij; altero, ratione mobilis. Infinitū motum, ratione ſpacij, cum dicit eſſe, quo idem mobile in eodem ſpacio, per continuam repetitionem, infinito tempore ducitur. Infinitum autem motum, ratione mobilis, illum appellat, in quo infinitum tempus conſumēdum eſt, priuſquam totum mobile ad deſtinatum terminum perueniat. Tunc ſic argumētatur; Deus mouet Cælum, motu infinito, ratione ſpacij, ergo eam habet virtutem, quæ requiritur, ad edendum motum infinitum, ratione mobilis: ſed talis virtus eſt infinita; ergo primus motor eſt infinitæ virtutis. Probat conſequētiam; quia infinitas motus per repetitionem ſpacij, eſt infinitas per accidens; infinitas verò motus, ratione mobilis, eſt infinitas per ſe: ſed id, quod eſt per accidens, reuocari debet ad id, quod eſt per ſe; ergo, cùm primus motor ſit cauſa per ſe infinitatis motus, non ſolùm infinitas per accidēs, verùm etiam infinitas per ſe illi tribuenda eſt: hæc autem exigit infinitam virtutem; ergo primus motor eſt infinitæ virtutis. Sed neque huiuſmodi ratio demonſtratiua eſt, immò, pace Sancti Doctoris dixerim, ne probabilis quidem, tametſi Toletus, & alij multi eam maximi fecerint. Etenim, niſi me ratio fallit, falſum quiddam ponit, quod vbi detexerimus, ſtatim ruet. Falſum autem illud eſt, virtutem, quæ finitum aliquod mobile, per ſpacij repetitionem, infinito tempore mouet; idem quoque mobile per definitum tēporis ſpacium mouere poſſe, ſi re ipſa infinitū exiſteret, atq; adeò neceſſe eſſe, vt illa virtus infinita ſit. Hoc quippe cum veritate minimę conſentit, quemadmodum in motu finito, & mobili pariter finito, ſatis euidēter oſtendere poſſumus: qualis enim eſt proportio inter virtutem finitam, & mobile finitum, atq; etiam motum finitum: talis erit inter virtutem infinitam, & mobile infinitum, ſi daretur, atq; pariter motum infinitum, ſeu infinitæ durationis. Iam verò fingamus, motorem aliquem finitum tantam virtutem habere, vt decem librarum pondus, quadragin

S. Thomas.

Infinitū dupliciter accipitur.

Rō S. Tho.

Solutio.

Falſum quiddam, quod latet in ratione S. Thomæ.

Speculare diligenter.

ta uicibus, per determinatum aliquod ſpacium, repetendo, mouere poſſit; tunc non ideò ſe-
quetur; vt idem motor quatuorcentum librarum pondus, vel vnica vice, per illud idem ſpa-
cium, mouere poſſit: quia ab extenſione temporis, per repetitionem ſpacij, ad intenſionẽ vir-
tutis, in mouendo, conſecutio non valet. Non ergo ſequitur, ſi primus motor mouet primum
mobile, per tempus infinitum, vt, ſi primum mobile re ipſa infinitum eſſet, illud ab eodẽ mo-
ueri poſſet, vt hinc poſtea eliciamus, cum infinita virtute præditum eſſe.

*Varias Scoti rationes, quibus primi motoris infinitatem ſe demonſtrare arbitratus eſt, ſuaſo-
rias tantùm, non etiam demonſtratiuas eſſe.* *Cap. XII.*

CÆterùm, cùm rationes, ex motus æternitate depromptæ, ad probandam primi moto-
ris infinitatem, inualidæ ſint; Doctores varij, vt id ipſum oſtenderent, rationes multas
naturalibus propoſitionibus conſtantes, conſtruxerunt. Et primò quidem ſubtilis Doctor, cũ
lib. 1. Sentent. d. 2. q. 2. tùm tractatu de primo principio, quinque potiſſimùm rationibus, infi
Prima ratio. nitam primi motoris virtutem ſe demonſtrare arbitratus eſt. Prima ratio ſumpta eſt ab effi
cientia, & eſt huiuſmodi; omne agens, quod habet virtutem infinitos ſimul effectus edendi;
tametſi infiniti effectus ſimul eſſe non poſſint, eſt infinitæ virtutis: ſed huiuſmodi agens eſt
Solutio. Deus; ergo Deus eſt infinitæ virtutis. Hæc ratio non eſt demonſtratiua: nam Philoſophus
negaret, primum motorem eam virtutẽ habere, qua infinitos ſimul effectus edere poſſit: fac
enim, nullam eſſe repugnantiam, ratione ipſorum effectuum; diceret nihilominus, primi mo
toris virtutem ad illorum effectionem non extendi; ſed ſolùm eam ſatis eſſe, ad edendum in
finitos effectus, ſecundum durationem; hoc eſt plures effectus in infinitum, cùm Deus impa-
Secunda rō. tibilis, & immortalis ſit, & per cauſas ſecundas continẽter aliquid efficiat. Secunda ratio ſum
pta eſt à cognitione Dei, & ita habet. Ille intellectus, in quo re ipſa omnia intelligibilia con
tinentur, eſt infinitus, quia intelligibilia ſunt re ipſa infinita: ſed in intellectu diuino intelligi
bilia omnia re ipſa continentur, ergo intellectus diuinus re ipſa infinitus eſt, atque adeò tota
Solutio. Dei ſubſtantia eſt, ſecundum intenſionem, infinita. Probabilis quoque eſt huiuſmodi ra-
tio, & fortaſſe apud Ariſtotelem aliquam vim demonſtrandi habere poſſet, qui, cùm Mun-
dum æternum eſse ſtatuerit, fateri etiam cogitur, infinita reapſe intelligibilia reperiri. At ve
rò, qui Mundum neque æternum eſse, neque ab æterno condi potuiſse, defendunt, negarent
pariter, intelligibilia omnia reapſe infinita eſse, dicerẽtque, cùm diuinus intellectus perfectiſ
ſimus ſit, omnia quidem intelligibilia re ipſa intelligere, cum tamen re ipſa infinitum nõ eſ-
Tertia ratio. ſe, cũ nec oĩa intelligibilia re ipſa infinita ſint. Tertia ratio ſumitur à fine, in quem voluntas
noſtra naturaliter fertur, atque ita formatur; Voluntas noſtra eo omni, quod finitum eſt, ali
quod maius appetere, & diligere poteſt: ſed nihil maius Deo appetere, & diligere poteſt; im-
mò eius appetitus in Dei fruitione perfectiſſime expletur; Deus igitur infinitus eſt. Hæc ra-
Solutio. tio vnum ponit, quod à Philoſophis non concederetur, videlicet voluntatem noſtram habe
re propenſionem ad aliquod infinitum: ſed cùm eius obiectum ſit bonum, vtique habere pro
pẽſionem ad optimum; nec ſatietate affici poſſe, niſi feratur in optimum, eodemque fruatur.
Cùm igitur Deus optimus ſit, voluntas noſtra naturalem habet propenſionem ad Deũ, nec
in vllo alio obiecto, præterquam in Deo, eius appetitus expleri poteſt; propterea non ſequi-
Quarta rō. tur, Deum eſſe infinitum. Quarta ratio ducitur ab eminentia hunc in modum. Fieri nõ po
teſt, vt quidquam eo, quod eminentiſſimum eſt, perfectius reperiatur: ſed eo, quod finitũ eſt,
aliquid perfectius reperiri poteſt: ergo id, quod eſt eminentiſſimum, eſt infinitum: Deus eſt
eminentiſſimus; ergo eſt infinitus. Solet etiam hæc ratio ab alijs, immò ab Scoto ipſo, ita cõ
ſtrui. Id, cui non repugnat infinitas intenſiua, non eſt ſummè perfectum, niſi ſit infinitum; ali
ter poſſet excedi: ſed enti non repugnat infinitas intenſiua; ergo nõ eſt ſummè perfectum, niſi
ſit infinitum: Deus eſt ens perfectiſſimum; igitur eſt infinitus. Probat minorem: ſi enim infi-
nitas per ſe repugnaret enti, vel hoc eſſet; quia eius oppoſitũ includitur in cõceptu entis, vel
quia eius oppoſitum eſt affectio, quæ conuertitur cum ente: ſed horum neutrum dici poteſt:
non primum, quia tunc non intelligeretur ens, niſi cùm intelligitur finitum: neque ſecundũ,
Solutio. quia cognito ſubiecto, ſtatim cognoſcitur affectio, cognito autẽ ente, non ſtatim cognoſcitur
finitũ: non igitur infinitas repugnat enti. Sed quocunque modo conſtruatur hæc ratio, ex nu
mero quoq; probabiliũ eſt. Ad primã conſtructionem, qua dicitur, eo, quod eminentiſſimum

eſt

eſt, nihil perfectius reperiri poſſe; reſponderet Philoſophus, eminentiſſimum, quod, ex illius ſententia, finitum eſt, dupliciter ſpectari poſſe, vel quatenus eminentiſſimum, in ſenſu compoſito, vel quatenus finitum. Eminentiſſimo, quatenus eminentiſſimum eſt, nihil vtique perfectius reperiri poteſt: quia tunc non eſſet eminentiſsimum: ſed eminentiſſimum diceretur illud, quod eſſet eò perfectius. Eminētiſſimo verò, quatenus finitum eſt, non repugnat, quo minus aliquid perfectius eſſe poſſit. Vt doctiſſimo, quatenus doctiſſimus eſt, nemo poteſt eſſe doctior: quatenus verò finitus eſt, aliquis doctior eſſe poſſet: tuncque non ille amplius, ſed hic doctiſſimus diceretur. Itaque nihil aliud probat illa ratio, niſi Deum eminentiſſimum eſſe, & omnium entium perfectiſſimum; non tamen concludit, eum eſſe infinitum. Ad alteram conſtructionem negari poſſet minor: nam tametſi infinitas non repugnat enti, repugnantia logica, repugnat tamē repugnātia phyſica: ſicut inter vacuum, & ſpacium nulla eſt repugnantia logica, ſed tamen phyſica. Ad probationem reſpondendum, id ipſum, quod eſt finitum, eſſe affectionem, quæ conuertitur cum ente, atque adeò cognito ente ſtatim cognoſci ipſum eſſe finitum: ſicut cognito homine, ſtatim cognoſcimus ipſum eſſe riſibilem. Quinta ratio ſumpta eſt ex ſimplicitate, atque ita conficitur: Deus eſt ſummè ſimplex, ergo eſt infinitus. Probat conſequētiam, quia cùm ſit ſummè ſimplex, caret omni compoſitione, atq; adeò compoſitione generis, & differētiæ. Cùm igitur Deus non ponatur in genere, ſequitur, ipſum eſſe infinitum: quia omnis ſubſtantia finita, in genere collocatur. Sed neque etiam hæc ratio demonſtratiua eſt: multi enim ſunt, qui tuentur, Deum eſſe in genere ſubſtantiæ, præſertim S. Thomas in quæſtionibus diſputatis de potentia, quæſ. 7. art. 3. ad vltimum. Alij ſunt, qui ſtatuunt, Deum habere etiam differētiam annexam, vt Porphyrius: qui, tametſi falsò, putauit, Deum eſſe animal rationale immortale. Negarent igitur antecedēs ſi ſumma ſimplicitas omnem penitus compoſitionem excludat: Deus ſiquidem caret compoſitione materiæ, & formæ, ſubiecti, & accidētis, non tamē generis, & differētiæ. Et ſi quis dicat, inde ſequi, vt Deus, cùm collocetur ſub genere, dicatur ſpecies, quod tamen falſum eſt, quia non prædicatur de pluribus. Reſponderent, non eſſe abſurdum, Deum eſſe ſpeciem: nam quanuis non prædicatur de pluribus re ipſa, vel (quod aiunt) actu, prædicatur tamen habilitate; quemadmodū etiam cæleſtia ſidera, quæ in ſuis ſpeciebus vnica indiuidua ſunt.

[Margin: Quinta ratio. — Solutio. — Obiectio. — Solutio.]

*S. Thomæ, Bacconis, & Gregorij Ariminenſis eiuſdem generis rationes idem confirmantes. Cap. XIII.*

SEd præter Scotum, alij quoq; grauiſſimi autores in arenam deſcēderunt, vt infinitam primi motoris virtutem demonſtrarent: attamen ipſi quoque non demonſtratiuas, ſed ſuaſorias tantùm rationes addduxerunt. S. Thomas 1. par. Summæ, quæſt. 7. art. 1. ita argumentatus eſt: Forma per materiam finitur, ergo illa forma, quę non eſt nata eſſe in materia, eſt infinita: diuina ſubſtantia eſt huiuſmodi forma; ergo diuina ſubſtantia eſt infinita, ac deinceps habet virtutem infinitam. Hæc ratio reijcitur à Scoto, quia, cùm ſubſtantia Angeli materiam teneat, ipſa quoque infinita diceretur, quod tamen falſum eſt. Sed S. Thomas inde potiſſimùm concludit, Deum eſſe infinitum, quia eius eſſe non recipitur in eſſentia, cū in Deo eſſe, & eſſentia non differant. Cætera verò, quæ ſunt alia à Deo, habent eſſe, diſtinctum ab eſſentia, & ideo finita dicuntur; vel quia eorum eſſe recipitur in eſſentia finita, vel quia eorum eſſentia non eſt capax, niſi eſſe finiti. Sed hoc quoque nihil eſt. Primò, quia ex eo, quod in Deo eſſe, & eſſentia non differunt, eius quidem ſummam ſimplicitatem inferre poſſumus, infinitatem verò nequaquam. Deinde finitum, & infinitum ſunt modi quidam interiores, ipſa exiſtētia poſteriores, ergo illa, quæ ſunt alia à Deo, non pñt dici finita, quia eorum eſſe in eſſentia finita recipiatur; alioquin eſſentia ante modi interioris aduentum finita eſſet. Prætereà nō minus indifferēs eſt eſſentia ad finitum, & infinitum, quam ſit ipſum ens: eſt enim prior, atque ſuperior, nec vlla apparet repugnātia, quo minus vtrunque modū interiorem recipere poſſit: Igitur ea, quæ ſunt alia à Deo, non ideo finita dicuntur, quod eorum eſſentia non ſit capax, niſi eſſe finiti. Ioannes Bacconus 1. Sñiarum diſt. 44. quæſt. vnica, art. 2. in fine, eam protulit rationem: Illud, quod eſt tota entitas, ſeu perfectio, quæ reperiri poteſt, tàm creata, quàm increata ſecundum eminētiam, eſt infinitæ virtutis: ſed Deus eſt huiuſmodi entitas, vt perſpicuum eſt; ergo eſt infinitę virtutis. Maiorē probat, quia tali entitate

[Margin: Rō S. Thomæ. — Reijcit à Scoto. — Fundamētū rōnis S. Thomæ detegit. — Euertitur ab Autore. — Ratio Bacconis.]

titate poſitã, extra illã nihil eſt, igitur eſt infinita, vt patet per definitionẽ infiniti, à veterib. Philoſophis traditam, cuius meminit Ariſtot. 3. lib. de Phyſico auditu. At neque huiuſmodi ratio quicquam concludit: nam Ariſt. 3. Phyſ. textib. 62. & 63. negauit, illam eſſe optimã infiniti definitionem; ſed illam potius dixit ei conuenire, quod totum, atque perfectum eſt. Probat igitur illa ratio, cùm Deo nihil deficiat, nec extra illum quidquam ſumendũ ſit, quod ad eius perfectionem deſideretur, ipſum eſſe perfectiſſimum, & eminentiſſimum, infinitũ verò nequaquam. Gregorius Ariminenſis 1. Sent. d. 42. q. 3. art. 2. cùm cognouiſſet, infinitam Dei virtutem ex infinita motus duratione probari non poſſe, eandem ſaltem ex adiectione velocitatis motus in infinitum, hoc argumento demonſtrari poſſe, putauit. Deus poteſt velociùs, atque iterum velociùs in infinitum Cælum mouere, quàm nunc moueat, ergo eſt infinitæ virtutis. Conſecutionem probat, quia nullum agens finitæ virtutis id efficere valet, habet enim in mouendo definitam virtutem, vltra quam extendi non poteſt. Antecedens etiam ex eo probat, quia talis accretio velocitatis in infinitum non repugnat motui, ergo per aliquam potentiam fieri poteſt, quæ quidem alia nulla eſſe dicetur, quàm potentia ipſius Dei. Subtilis quidem eſt huiuſmodi ratiocinatio, & multum probabilitatis præſefert, vim tamen nullã obtinet demonſtrandi; immò potius fallaciam illam includere videtur, quæ à logicis petitionis principij nuncupatur. Etenim poſſe mouere cælum in infinitum velociùs, indicium eſt infinitæ virtutis, atque perfectionis: & Theologi, qui tuentur, Deum habere infinitam virtutẽ, dicerent vtique Deum poſſe mouere Cælum in infinitum velociùs, quàm nunc moueat: hãc autem poteſtatem Deo tribuendam eſſe, non eſt omninò euidens, immò hæc propoſitio ab illis omnibus negaretur, qui ſtatuũt, Deum eſſe finitæ virtutis, & præſertim ab Ariſt. qui lib. 2. de Cælo tex. 39. docuit, Cęlum quocunque tempore moueri non poſse, ſed habere determinatam velocitatem ſui motus, ob determinatam virtutem principij mouentis, vt antè monuimus. Ad probationem illam, qua infinita velocitas, aut veriùs velocitas in infinitum, motui non repugnare dicitur, atque adeò velocitatem illam per aliquam potentiam fieri poſse, quæ non eſt niſi diuina. Reſpondendum primò eſt, illam non repugnantiam eſſe logicam, cũ qua tamen manere poteſt repugnantia phyſica. Deinde dicendum eſt, non omnem potentiam neceſſariò ad actum reuocandam eſſe: nam & continuum poteſtatem habet, vt in infinitum diuidatur; & tamen non eſt neceſſe, vt ſemper diuidatur. Sic igitur, quamuis motui Cęli in infinitum velocitas non repugnet, tamen non eſt neceſſe, vt maiorem habeat velocitatẽ, quæ exigat infinitam virtutem mouentis; & propterea cùm non ſit euidens hæc propoſitio, Deum poſſe in infinitum velociùs mouere Cælum, quàm nunc moueat; neque etiam erit neceſſaria huiuſmodi concluſio, Deum ſcilicet eſſe infinitæ virtutis.

*Solutio.* — *Ratio Greg. Arim.* — *Solutio.* — *Nulla eſt repugnantia logica, quominus cęlum in infinitum velocius moueatur, eſt tamẽ repugnantia phyſica.* — *Non omnis potentia neceſſariò ad actum reuocatur.*

### *Pauli Soncinatis, & Franciſci Suarez rationum imbecillitas oſtenditur.* *Cap. XIV.*

PAulus Soncinas lib. 12. Metaph. q. 42. art. 2. tribus quoque rationibus id ipſum oſtendere conatus eſt, quæ tñ nihil concludunt amplius, quàm quæ ſuperiùs allatæ ſunt. Primò ſic argumentatur; fieri poteſt, vt in natura ſit aliqua virtus de ſua intima, & formali ratione infinita: (nulla enim apparet terminorum repugnantia, aut contradictionis implicatio) ſed quidquid poteſt eſſe in rebus ſempiternis, hoc re ipſa eſt, cùm in æternis eſſe à poſse non differat, vt habetur 3. Phyſ. tex. 33. ergo in natura re ipſa datur virtus de ſua intima, & formali ratione infinita: quæ certè alia eſſe non poteſt, niſi virtus primi motoris. Ad hoc argumentũ reſponderi pôt, nullam eſſe repugnãtiam logicam, quominus in natura detur infinita virtus; (hi enim termini, ſcilicet virtus, & infinita, nullam inuicem repugnantiam habent) eſſe tamẽ repugnantiam phyſicam, vt ſupra ſatis explicatum eſt. Nulla etiã repugnantia eſt, quominus Cęlum maiorẽ molem obtineat, quàm nunc habet: (ſi enim terminos conſideres, nullam in eis contradictionis implicationẽ inuenies) tamen, cùm Cęlum, ſecundum Ariſt. æternum ſit, cogeretur ipſe fateri, ampliori magnitudine illud re vera præditum eſſe, quia in æternis rebus eſſe à poſſe non differt. Cæterùm propoſitio illa 3. Phyſ. non hẽt locum, niſi in ijs propoſitionibus, quæ à logicis de ſecundo adiacente nuncupantur: vt ſi dicamus, ſubſtantia æterna pôt eſſe; ergo eſt: conſecutio eſt veriſſima, & perpetua. In propoſitionibus verò de tertio adiacẽte non hẽt locum: ideò non valet, Cęlum hr̃e poteſt maiorẽ quantitatẽ, ergo habet: ſic non valet, ſubſtantia æterna poteſt hr̃e virtutem infinitam, ob logicam non repugnantiam; ergo

*Prima ratio Pauli Soncinatis.* — *Solutio.* — *In æternis nõ differt eſſe à poſſe, quò ꝓpoſitio intelligẽda ſit.*

ha-

Secunda rō.

habet. Secundò ſic argumentatur;fieri poteſt,vt corpus exiguè calidum ad ſummam caliditatem momento temporis tranſmutetur;non quidem motu,ſed ſubita tranſmutatione: neque enim hic vlla apparet contradictio;ergo neceſſe eſt,vt in natura ſit aliqua virtus agens, cui hæc ſubita tranſmutatio accepta referatur,vt patet 9. Metaph.tex.12.ſed eiuſmodi virtus non poteſt eſſe niſi infinita;quia nimirum in velocitate ſuæ actionis omnem aliam virtutem in infinitum excedit; ergo in rerum natura aliqua infinita virtus neceſſariò reperitur.

Solutio.

Hoc quoque argumentum ſolutione non caret:nanque cùm calefactio ſit motus, & contradictionem implicet,motum momento fieri;contradictionem etiam implicabit, corpus exiguè calidum ad ſummam caliditatem momento temporis tranſmutari. Quod ſi illud admitti poſſet,nimirum hanc ſummam caliditatem non motu,ſed ſubita mutatione introduci; facilè etiam admitteretur,corpus aliquod mobile ſubita mutatione de loco ad locum trāſmutari,quod neſcio quantum cum Peripatetica Philoſophia conſentiat. Sed eſto id verum,ſubitam mutationem momento fieri(nam aer aduentu Solis momento illuminatur;) falſum eſt tñ,ſubitam mutationem infinitam agentis virtutem præſeferre;alioquin Sol eſſet infinitæ virtutis.

Tertia ratio.

Tertiò ſic argumentatur;nulla virtus finita,quantumcunque vniuerſalis, atque perfecta,aliquid vnquam efficere poteſt,niſi ei addatur alia virtus,ſiue cauſa,à qua proximè oriatur effectus:nunquam enim Sol gignere poſſet hominem;niſi homine intercurrente: ſed prima cauſa,abſque alterius virtutis, aut cauſæ acceſſione,effectum parere poteſt; ergo prima cauſa non eſt finitæ,ſed infinitę virtutis.

Solutio.

Hoc argumentum facilè ſoluitur: Philoſophi.n. qui neceſſarium illum nexum ſecundarum cauſarum cum prima poſuerunt,facilè negarent, primam cauſam,ſine ſecundis,quicquam efficere poſſe:& propterea,cùm illa propoſitio huius argumenti ſola fide non etiam naturali ratione firmata ſit;ſequitur,vt totum argumētū ſuaſorium quidem ſit,nullam tamen vim habeat demonſtrandi.

Prima ratio Fran.Suarez.

Franciſcus etiam Suarez, diſp.30. Metaphyſicali,q.2.duabus rationibus hoc idem ſe demonſtrare profeſſus eſt: quæ innituntur eodē fundamento,quo ratio quoque S. Tho.ſuperiùs poſita,nitebatur, Deum videlicet eſſe ens per eſſentiam. Tunc ſic argumentatur Suarez. Deus ex ſe,& intima natura,atque neceſſitate eſt,id quod eſt,& à nullo pendet,ergo non pōt habere in ſe diminutam,& imperfectam rationem entis,ſeu partem ſolam perfectionis entis:ſed neceſſe eſt,vt totū ens,vel totam entis perfectionem includat,atque adeo perfectionem infinitam.

Solutio.

Hæc ratio tantummodò probat,hr̄e Deum ſummam entis perfectionem,adeò,vt nullum ens in natura reperiatur,quod ſit Deo perfectius:nam,vt antè dictum eſt,quāuis Deus rerum omnium, quę ſunt in vniuerſo perfectionem obtineat,non tamen ſequitur,ipſum infinitam perfectionem hr̄e: cùm entia,quæ ſunt in vniuerſo,finita numero ſint,& finitę pariter ſint eorum perfectiones.

Secunda rō.

Secundò ſic argumentatur,id,quod eſt ens per participationem,limitari poteſt, aut voluntate dantis tantam perfectionem, & non maiorem,aut capacitate recipientis. Id autem,quod eſt ens;per eſſentiam,à nullo limitari poteſt:quia ſicut nullam habet cauſam, à qua pēdeat, ita nullum habet principium,à quo limitetur:ſed Deus eſt ens,per eſſentiam.ergo, cùm eius perfectio,à nullo limitari poſſit,ſequitur,vt ſit infinita.

Solutio.

Sed reſponderi poteſt,diuinam perfectionem à nullo exteriore principio limitari,ſed ex ſemetipſa: nam ſicut Deus ex ſemetipſo eſt,ita ex ſemetipſo habet illum gradum perfectionis,qui conuenit primo enti: hic autē gradus ſummus eſt,non infinitus.

Replica Suarez.

Contra hanc reſponſionem argumentatur Suarez,ſi enim, inquit,vera eſſet,tunc plura entia per ſe,& natura ſua neceſſaria dari poſſent, quæ ſummā perfectionem haberent.

Reſponſio.

At verò neganda eſt hæc conſecutio:nam ſicut nō poſſunt dari duę ſpecies ſubſtantiæ,æquè perfectę,quia ſubſtantiæ ſunt ſicut numeri, vt docet Ariſt.8. Metaph. tex.10.ita fieri nulla ratione poteſt,vt reperiantur duo entia, quæ habeant ſummam perfectionem,quę à nullo pendeant,&,vt ſemel dicam,quæ ſint entia,per eſſentiam. Affert etiam idem autor alias rationes,quæ tamen,vt omnes facilè intelligere poſſunt,ſummam tantummodò primi entis perfectionem,non etiam infinitam oſtendunt.

Diſputationis cōcluſio.

Ex quibus iam apertè colligere licet,infinitam primi motoris virtutem,fide quidem à nobis firmari poſſe, cui aſſentiri neceſſariò tenemur,nulla tamen naturali ratione,ab intellectu noſtro fabricata,demōſtrari.

# DE SVBIECTO LIBRORVM DE CAELO

## Diſputatio Vndecima.

*Dicendorum propoſitio.* *Caput Primum.*

*Difficultas huiuſce diſputationis.*

CElebris eſt controuerſia, cùm à veteribus, tùm à recẽtioribus Philoſophis frequenter exagitata, de præcipuo Ariſtotelis inſtituto in quatuor ijs libris, quos de Cœlo inſcripſit, ſeu, vt noſtri aiunt, de eorũ adæquato ſubiecto: perdifficilis illa quidem, & explicatu maximè neceſſaria. Difficultatem faciunt opinionum varietas, multaque Ariſtot. loca, quæ diuerſis ſententijs ſatis commodè aptari poſſe videntur.

*Neceſſitas.*

Neceſſaria verò eſt huiuſce quæſtionis explicatio, propterea, quòd niſi hac in re optimè veritas perſpecta fuerit, facilè peruerti poteſt, atq; confundi totius Ariſtotelicæ philoſophiæ ordo. Non defuerunt multi, qui quæſtionem hanc ſubtiliſſimè diſcuſſerunt: verùm nonnulli ſibi ipſis, alij magiſtris ſuis, in quorum verba iurarunt, nimium adhæſerunt: hincque factum eſt, vt longè ſæpius à veritate receſſerint, mentiſque Ariſtotelicæ ſenſa haud congruenter aperuerint. Quapropter ipſe quoque eandem quæſtionem euoluere decreui, eo potiſſimum conſilio, vt opinionem quandam communem, falſam illam quidẽ, ſed tamen veritatis pallio velatam, omninò reijciam, atque ex intimis ſtudioſorum mentibus euellam.

*Ordo in eadem ſeruandus.*

Ordo autem in diſputatione ſeruandus, is erit. Afferam primùm ad cumulatiorem doctrinam, opiniones præcipuas de ſubiecto librorum de Cęlo, cum ſuis rationibus, & fundamẽtis, atque illas ſingillatim refellere, propoſitaque argumenta, pro earum confirmatione, diluere conabor. Proponam deinde ſnĩam illam, quam Ariſtot. menti conſentaneam exiſtimo, eamque, & fundamentis muniam, & argumentis firmabo, & obiectiones, quibus eadem paſſim infringi videtur, de medio tollere nitar. Denique modum oſtẽdam, quo omnes relatæ opiniones inter ſe optimè conciliari poſſint.

*Alexandri opinio.* *Caput II.*

*Vniuerſũ eſſe ſubiectum lib. de cęlo.*

OMnium itaque primus, ad huiuſmodi quæſtionem dirimendam, grauiſſimus accedit Ariſt. interpres, Alexander Aphrodiſiẽſis: qui, referente Simplicio, arbitratus eſt, præcipuum Ariſtot. conſilium in quatuor libris de Cęlo, eſſe agere de vniuerſo, quatenus Cęlũ, & quatuor, quæ ſub ipſo ſunt, ſimplicia corpora, elementa dicta, comprehendit: proinde verum, & adæquatum illorum librorum ſubiectum ſtatuit, eſſe Vniuerſum ipſum, hoc eodem modo conſideratum. Cùm enim Vniuerſum ex ſimplicibus corporibus conflatum ſit, quicquid ab Ariſt. de ſimplicibus corporibus ibi agitur, id, non primaria, & abſoluta tractatione, factum ab eo eſſe exiſtimauit; ſed quatenus ea ipſa ad Vniuerſum relationem habent, cuius partes, atque principia ſunt, & in cuius gratiam conſiderantur.

*S. Thomas. Philalthæus. Maynetus. Piccolomin.*

Huic ſnĩæ aſtipulatur Angelicus Doctor S. Thomas; aſſentiunturque ex recentioribus philoſophis complures: quam quidem nonnullis rationibus haud fortaſſe vulgaribus probare conati ſunt.

*Argũ primũ ex rõne formali ſubiecti*

Sumunt primum argumentum ex ratione formali ſubiecti: nam, vt autor eſt Ariſt. 1. Poſter. illud eſt ſubiectum alicuius ſcientiæ, cuius proxima elementa, atque principia in illa ſcientia quæruntur, & de quo propriæ affectiones in eadem demonſtrantur: Sed in libris de Cęlo, proxima Vniuerſi elementa quæruntur, videlicet à medio ad medium, & circa medium moueri: eiuſdem ẽt affectiones demonſtrantur, nimirum eſſe vnum, finitum, æternũ; in quibus mõſtrãdis maximè Ariſtot. elaborauit: Vniuerſum igitur iure optimo adæquatum illorum ſubiectum ſtatui debet.

*Argũ ſecundũ ex inſcriptione librorum.*

Argumentantur ſecundò ex librorum inſcriptione, cùm enim ij libri inſcribantur de Cęlo, aut ſumitur ibi Cęlum pro ſolo cęleſti corpore, aut pro toto Vniuerſo: (vtroque enim modo, in contex. *96.* 1. libri, Ariſtot. aſſerit, ſumi poſſe) pro ſolo cęleſti corpore accipi quidem non poteſt; quoniam mança, & imperfecta eſſet præpoſita inſcriptio: conſtat enim, non de ſolo cęleſti corpore, ſed de quatuor etiam elemẽtis in ijs libris diſputari: igitur Cęlũ pro Vniuerſo ſumitur, ac deinceps de Vniuerſo eſt principalis tractatio; ipſumque verum, & adæquatum illorum librorum ſubiectum cenſendum eſt. Tertiò, id ipſum elicere conantur

ex verbis ipſiuſmet Ariſto. qui Cęlum interdum primum elemẽtum appellare conſueuit, vt ex contex. 91. 1. libri, & ex initio tertij, perſpicuè elici poteſt. Quoniam autem elementi nomen ad id, cuius eſt elemẽtum, relationem includit; ideò conſiderare oportet, cuiuſnam elemẽtum Cęlum appellari poſſit. Miſtorum quidem dici non poteſt; quia, miſta non conſtare ex Cęlo, tanquam ex materia, omnibus compertum eſt, nec vlla indiget demonſtratione. Ad ſolũ igitur Vniuerſum, elemẽtum dicetur; cùm preſertim omnia ſimplicia corpora Vniuerſi materia paſſim appellentur. Quoniam verò Cęli, & aliorum quatuor corporum conſideratio eadem eſſe debet; neceſſe eſt, ſi Cęlum, vt Vniuerſi materia cõſideratur, elemẽta quoque, vt Vniuerſi materiam ſpectari. Quare apertiſſimũ iam eſt, vel ipſius Ariſt. teſtimonio, quinque ſimplicia corpora duntaxat, vt ſubiecti principia, Vniuerſum verò, vt adæquatum ſubiectum in libris de Cęlo conſiderari. Poſtremò id oſtẽdunt ratione methodi, ordiniſq; doctrinæ: eo nanque ordine, ab ijs rebus ſemper auſpicamur, quæ nobis notiora, cognituque faciliora ſunt. Cùm igitur Ariſt. naturalium rerum cognitionem nobis traditurus eſſet, poſt vniuerſalia theoremata ab eo ſuæ tractationis exordium ſumere debuit, quod omnium primùm in conſpectum dat ſeſe, quodque faciliore cognitione apprehendi poteſt: id autem eſt Vniuerſum, quòd rationem habeat totius; (totum enim notius eſt, quàm ſuæ partes, vt habetur 1. Phyſ. tex. 4.) igitur Ariſt. antequam partis cuiuſpiam tractationem aggrederetur, totius formam, & conſtitutionem depromere debuit, atque adeò priùs de Vniuerſo, quàm de eius partibus diſputare. Hæc eſt germana Alexandri ſententia: hæ ſunt rationes præcipuæ, quæ, ad illam probandam, in medium communiter afferuntur.

*Argũ tertiũ ex verbis ipſius Ariſt.*

*Argũ quartum ex ordine doctrinę.*

*Quære plura apud Zab. lib. de naturalis ſcientię conſtit. c. 13.*

## *Alexandri opinionis confutatio.* Cap. III.

Cæterùm, ſi hanc Alexandri ſñiam diligentiſſimo examine penſitauerimus, eam prorſus ab Ariſt. alienam eſſe inueniemus. Primòque aduerſus illam vtor argumento Simplicij, quod eſt huiuſmodi; ſi Ariſt. conſilium in libris de Cælo fuiſſet agere de Mundo; tunc ipſum ibi vſquequaque perfectum, omnibuſque, vt aiunt, numeris abſolutum; nec ex ſimplicibus modò corporibus, ſed ex miſtis quoque cuiuſcunque generis conſtantem, & conſurgentem, conſideraſſet: hoc enim eſſet de toto Mundo agere; quemadmodum & Plato in Timęo; & autor libelli de Mundo ad Alexandrum conſiderarunt: Veruntamen, vel ipſius Alexandri, & ſectatorum teſtimonio, dę Mundo, vt miſta corporà complectẽte, in ijs libris non agitur: non enim ſibi de animalibus, non de plantis, non de lapidibus diſputatur: igitur Ariſt. cõſilium in libris de Cęlo non fuit agere de Mundo, quatenus ex omnibus prædictis corporibus, ſimul poſitis, coaleſcit. Nonnulli ex Alexandri, & S. Thomæ ſectatoribus, huic argumento Simplicij, ita ſatisfacere ſe putant, dicẽtes, vt aliquid adæquatum, vel præcipuum alicuius ſcientiæ ſubiectum ſtatuatur, non eſſe neceſſe, vt omnes eius partes in illa ſcientia tractentur; verùm ſat eſſe, ſi partes præcipuæ conſiderẽtur. Iam verò Mundus plures ſub ſe continet partes nonnullas præcipuas, ex quibus proximè conficitur; quæque ad eius integram cõſtitutionẽ neceſſariæ ſunt, vt quinque ſimplicia corpora: alias minùs præcipuas, quæ ad eius quidem ſtructuram non pertinẽt; ſed tantummodò ad eius perfectionem, &, vt Gręcè aiunt, εἰς ἀναπλήρωσιν, hoc eſt ad complementum, cuiuſmodi ſunt omnia corpora miſta: propterea nihil abſurdi eſſe aiunt, ſi Mundus pro adæquato, vel præcipuo librorum de Cælo ſubiecto ſtatuatur. Nam vt nulla ibi miſtorum corporum diſputatio habeatur, at ſatis tamen eſt, Ariſt. perfectam illorum corporum notitiam tradidiſſe, ex quibus proximè Mundus conſtitutus eſt. Non eſt modò, cur hanc reſponſionem reijciamus; quoniam in diſputationis curſu, cùm veram de ſubiecto librorum de Cęlo ſñiam aperiemus, manifeſtum fiet, Mundumne præcipuè Ariſt. in libris de Cęlo, vt ex quinque ſimplicibus corporibus proximè conſurgit; an potiùs quinque ſimplicia corpora, ex quibus proximè Mundus conflatus eſt, conſiderauerit. Neque verò liceat huncin modum argumentari; Cælum, & quatuor elemẽta ſunt partes, & proxima materia Vniuerſi; ergo ſunt ipſum Vniuerſum; atque adeò, dum Ariſt. de ijs diſputat, de Vniuerſo, quoque diſputare videtur. Nam quemadmodum lignorum ſtruẽ; aceruum lapidum, & cementi cumulum; quamuis ſint partes, proximaque materia domus; hæc ipſa tamen, ſeorſum accepta, nunquam profectò appellabimus domum: quæ tunc primùm conſtare dicitur, cùm & tectum, & parietes, & pauimẽtum, & alia id genus apparent;

*Prima ratio.*

*Alexandrorum, & Thomiſtarũ quædam reſpõſio.*

*Huius reſpõſionis confutatio habebitur infra in curſu diſput.*

*Tacitæ obiectionis ſolutio.*

quæ omnia conſideranda occurrunt, cùm domum ſcrutamur, quatenus domus eſt; ita conſiderare Cælum, & quatuor elementa, tanquam partes præcipuas, vel proximam materiam Vniuerſi, non eſt conſiderare Vniuerſum. Vt enim paulò infra demonſtrabo, conſiderauit tunc Ariſt. Mundum, quaſi in fieri, & ob oculos nobis priùs eius materiam proximam ſtatuere voluit, quam ipſum ſeorſum ſecundum ſuam naturam, omneſque eius proprietates, explo-

Secunda ro. rarit. Præterea contra hanc Alexandri ſententiam ſic argumentor; Cùm, ex communi Philoſophorum omnium, atque præcipuè Græcorum conſenſu, totius naturalis Philoſophiæ ſubiectum ſit corpus naturale; ordinis ratio, tractationiſque ſeries poſtulabat, vt, poſtquam in libris de Phyſico auditu, de naturali corpore, vniuersè accepto, diſputatum fuerat, in alijs euſdem ſcientiæ libris ad alicuius ſpeciei corporis naturalis contemplationem deſcenderetur. Quòd ſi ita eſt, neceſſariò ſequitur, vt Vniuerſum aliqua ſpecies naturalis corporis eſſe dicatur; ſiquidem ipſum tanquam adæquatum, aut præcipuum ſubiectum in libris de

Abſoluta totius naturalis corporis diuiſio. Cælo conſideretur. At vero quænam ſpecies naturalis corporis eſſe poteſt? Corpus naturale aut ſimplex eſt, aut miſtum; ſimplex aut de Cælo dicitur, aut de quatuor elementis: miſtum, aut eſt animatum, aut inanimatum: aut eſt homo, aut bellua, aut planta: inanimatum, aut lapides continet, aut metalla. Mundus autẽ neque eſt Cælum, neque elementa, neque homo, neque bellua, neque plãta, neque lapis, neque metallum; igitur nulla eſt ſpecies naturalis corporis, in qua ipſe collocari poſſit; atque adeò in libris de Cælo, in quibus de aliqua ſpecie naturalis corporis neceſſariò agendum eſt, de eo Ariſt. primaria intentione nõ

Tertia ratio. diſputauit. Poſtremò ſunt, qui contra eandem ſententiam, ex Mundi definitione, ita argumẽtentur; Mundus eſt compages, è Cælo, terraque coagmentata, atque ex ijs naturis, quę intra eam continentur: ſiue Mundus eſt ordo, & diſpoſitio vniuerſorum, quæ à Deo, & per Deum aſſeruantur: ita Mundus ab Autore libelli de Mundo definitus eſt. Si igitur Ariſt. conſilium in libris de Cælo fuiſſet, agere de Mundo, certè de hoc rerum ordine, naturarumque congerie multa, & præcipua verba feciſſet: ita enim eſſet conſiderare Mundum, quatenus Mundus eſt; ſed de his pauca quidem dixit, & obiter duntaxat diſſeruit; ſeſeque totum ad naturas ipſas, atque ad earum proprietates animo, & cogitatione conuertit; igitur ipſi curæ non fuit, eo loco diſputare de Mundo, ac deinceps Mundus illorum librorum ſubiectum ſtatui nullo modo poteſt.

### *Solutio argumentorum, quæ pro Alexandri ſententia adducta ſunt.* Cap. IV.

Ad primum. REprobata iam ſatis Alexandri ſententia, nunc argumenta illa, quibus eadem ab eius ſectatoribus comprobata eſt, paucis expediamus. Ad primum itaque, admiſſa maiore, neganda eſt minor propoſitio. Nanque in libris de Cęlo non quæruntur, nec demonſtrantur ab Ariſt. principia, partes, nec affectiones Vniuerſi; idque primaria intentione, ſed ſolùm per neceſſariam quandam conſecutionẽ: quinimmò ea ſunt principia, & ea ſunt affectiones, quæ primò, & per ſe corporibus ſimplicibus conueniunt. Quæcunque enim Ariſt. ibi de toto Mũdo agere videtur, ea omnia primò, & præcipuè cælo competunt: poſteà verò, ratione cæli, toti etiam Mundo conuenire dicuntur. Præcipuum itaque Ariſt. conſilium eſt ibi de rotunditate, perpetuitate, atque vnitate Cæli diſputare, idque accipiendo Cęlũ pro toto globo ſphęrarum, dum probatur autem, Cælum eſſe vnum, perpetuum, atque rotundum; ſtatim ſequitur, Mundum eſſe vnum, perpetuum, atque rotundum; Dum etiam probat Ariſt. vnitatem Mundi, ratione motus elementorum, atque præcipuè terræ; ſemper reſpicit Cælum quaſi ad eius centrum, à quo, & ad quod ſimplicia corpora, grauia, & leuia mouentur, & circa quod

Ad ſecundũ. ipſum iter Cælum perenni ambitu circumuoluitur. Ad ſecundum ſcitè admodum Zabarella reſpondet, non eſſe neceſſarium à rebus omnibus conſideratis librorum inſcriptiones ſumere: manifeſtum eſt enim, Meteorologicos libros ab ijs tantùm inſcribi, quæ in ſublimi fiunt; & nihilominus de alijs miſtis imperfectis in eiſdem libris Ariſt. diſputat, vt potè de ijs, quæ in viſceribus terræ gignuntur, & de multis etiam alijs. Quapropter nullum abſurdum eſt, eos libros, in quibus de ſimplicibus corporibus agitur, inſcriptos fuiſſe de cælo: quod non pro Mũdo, ſed pro ſimplici corpore accipitur; quanuis in eiſdem de elementis quoque ſermo fiat. Ad

Ad tertium. tertium reſpondet Simplicius, Cælum propriè elementum non eſſe, quia nihil ex eo componitur; ratio autem elementi eſt, aliorum compoſitionem inire: interdum tamen Cælum ab

Ariſt.elementum vocari,non quia ſit mundi materia;ſed quia ſimplex eſt. Cùm enim elemẽti conditio ſit,vt ſit ſimplex,hoc eſt non miſtum,videtur,per quandam ſimilitudinem,id omne corpus,quod ſimplicitate gaudet,elementi quoque nomine nuncupari poſse. Quòd ſi,propterea quod Cælum elementum appellatur,ad Mundum,tanquam ad id,quod ex eo conſtatum eſt,referri neceſsariò deberet,vt Alexandræi cenſent,eadem ratione quatuor elementa ad Mundum,tanquam ad correlatiuum proprium nos quoque referre poſsemus: at nuſquã apud Ariſ.legitur,quatuor ſimplicia corpora,terram,aquam,aerem,& ignem,ad Mundum, ſed ſemper ad miſta corpora,elementa vocari,id,quod legentibus totum tertium librum de Cælo compertiſſimum fiet;quare nec cælum,quanuis interdum elementum appellatur, ad Mundum,tanquam ad correlatiuum,referri debet. Ad vltimum reſpondendum eſt,ſi quid fortè efficacitatis habet,id eſse de toto per ſe,& eſsentiali,cuius aliqua cognitio ſaltem confuſa priùs habenda eſt,quàm ad partium cognitionem deueniatur:nihil autem valere de toto per aggregationem,quod re vera nil aliud eſt,quàm ſuæ partes,ideo, ad perfectam iſtius notitiam,ſufficit ſingulas eius partes conſiderare:nam quemadmodum ipſum ex partium aggregatione conſurgit,ita eius notitia ex ſingularum partium notione proficiſcitur.

Ad quartũ.

*Latinorum opinio,eiuſdemq́ diſquiſitio.* Cap. V.

DEſcendunt ſecundo loco in arenam,eandem quæſtionem explicaturi,Interpretes Latini,quorum princeps fuit Magnus Albertus:atque ij quidem arbitrati ſunt, verùm, & adæquatum ſubiectum librorum de Cælo,non eſse aliud,quàm corpus mobile ad locũ, vel, vt ipſi aiunt,ad vbi,quemadmodum etiam Commentator Auerroes 3.lib.de Cælo, comm. 1.defendiſse viſus eſt. Ducti ſunt autem in huiuſmodi ſententiam, hac potiſſimum ratione:cùm enim ſubiectum totius naturalis ſcientiæ ſit corpus mobile,vniuerſè ſpectatum,illudque prima ſui partitione in mobile ad locum,& mobile ad formam diuidatur; ratio id exigere videtur,vt priùs de corpore mobili ad locum,tanquàm de digniore,& prẹſtantiore,quã de corpore mobili ad formam,diſseratur. Sicut autem hoc pro vero, & adæquato ſubiecto librorum de generatione,& interitu ſtatuitur, ita illud verum, & adæquatum ſubiectum librorum de Cælo cenſeri debet: in quibus non niſi de corporibus,quæ ad locum mouentur, *ſermo habetur.* Hæc ſententia quanuis veritati non omninò conſentanea ſit, prorſus tamen abijcienda non eſt,ſed potius ad bonum ſenſum reuocanda:id,quod nos infra præſtaturi ſumus. Multis hæc quidem ſententia à Iacobo Zab.iactatur,vt apud ipſum, libro de naturalis ſcientiæ conſtitutione, c.29.videre licet:ego verò duo tantùm in ea reperio,animaduerſione digna. Alterum eſt,quia ponit,corpus mobile,abſolutè acceptum, eſſe ſubiectum totius naturalis ſcientiæ,quod quidem falſum eſt,ſi mobilitas,tanquam ratio formalis ſubiecti accipiatur:ſed hac de re alibi affatim diſputatum èſt. Alterum,quia ratio formalis, quàm ſubiecto librorum de Cælo attribuit,minimè illi adequata,ſed potius multò amplior eſſe videtur; quandoquidem non cæleſtia modò corpora,& quatuor elementa, verùm etiam quæcunque ex elementorum commiſtione conſurgunt,ad locum mobilia ſunt,& tamen in ijs libris non niſi de Cælo,& quatuor elementis diſputatur.

Corpus mobile ad vbi ſecundum Latinos,eſt ſubiectũ lib. de cẹlo

Latinorũ prẹcipua ratio.

Latinorũ ſententia de ſubiecto lib.de cẹlo non omninò aſpernanda eſt.

In quibus deficiat Latinorum ſentẽtia.

*Opinio Iamblici,& Syriani,eiuſdemque confutatio.* Cap. VI.

IAmblicus,& Syrianus,qui inter Græcos Philoſophos non ignobiles habiti ſunt,exiſtimarunt,ſubiectum librorum de Cælo illud eſſe,à quo ij libri inſcriptionem ſumpſerunt, videlicet Cælum ipſum:de eo enim,non item de elementis, niſi ſecundaria quadam intentione, & propter Cælum,Ariſt.ibi agere,cenſuerunt. Quàm quidem ſententiam huiuſmodi ratione muniuerũt. Vniuerſa naturalis Philoſophia aut in principijs verſatur,aut in corporibus; corpora aũt vel ſimplicia ſunt,vel miſta:ſimpliciũ quẹdã ẹterna ſunt,quædã generabilia. At verò,cũ ẹterna corpora oĩum prima ſint,iure optimo in prima parte naturalis Philoſophię, poſt principia, in libris Phyſicis tradita,ea ipſa conſideranda ſunt; hincq; eliciunt,præcipuũ Ariſt.conſilium in libris de Cælo,eſſe conſiderare Cælum, quod corpus æternum eſt. Quoniam verò cæli contemplationi elementorum conſideratio annexa eſt, quæ corpora quidẽ ſimplicia ſunt,nõ tamen æterna,ſicut cælum, ſed ſaltem ſecundum partes interitui obnoxia;

Cẹlum ſecundum Iambl. & Syrian.eſt ſubiectũ lib. de cœlo.

Argũ.p hac opinione.

Cur cæli tractationi finitima ſit elementorũ cõſideratio opinio Iambl.& Syriani.

dixit Iamblicus, hoc ideo ab Ariſt.factum eſſe,quia ipſa à cælo continẽtur; ei que in ipſamet generatione obediunt:regitur enim elementorum virtus à virtute cæleſti,vt 1.Meteor. Ariſ. ſcribit. Magnus autem Syrianus hac ratione aſſeruit,Ariſt.poſt cæli conſiderationem, de elementis egiſſe;quoniam inter principes cæli proprietates ea eſt,vt nec grauitatem ipſum habeat,nec leuitatem,quo fit,vt nec deorſum moueatur;neque ſurſum.Hanc autem proprietatem perfectè nos cognoſcere non valemus,niſi aliquam grauium, & leuium corporum notitiam habeamus. Neceſſaria igitur Ariſt.fuit elementorum conſideratio,vt ea quodammodo nos ad perfectam cęli cognitionem manuduceret. Hæc ſententia à Simplicio omninò refellitur:qui oſtendere nititur,ſermonem de elementis, non propter theoriam de cæleſtibus corporibus,ſed præcipuè propter ipſa elementa ab Ariſt.aſſumptum fuiſſe. Etenim,poſt doctrinam cæleſtium corporum,quam in duobus primis libris Ariſt.tradidit,inchoans tertium librum,proœmio vtitur,vbi libri continuationem ſeruans,oſtendit; naturale negocium circa corpora eſſe:tanquam eodem quoque ſpectantibus duobus vltimis libris;ait enim, *De primo quidem igitur elementorum dictum eſt,& quale quid ſecundum naturam, & quod incorruptibile,& ingenerabile:reliquum autem de duobus dicere.* Tria enim elementa Ariſt.in vniuerſo eſſe intelligebat. Vnum,quod neque graue eſt,neque leue,vt cælum. Alterum,quod grauitatem habet,ſub quo aqua,& terra continentur. Tertium,quod leuitate præditum eſt, aerem,& ignem comprehendens. Ex quibus liquidò iam conſtare poteſt,ait Simplicius,non de elementis,in gratiam Cęli, Ariſt.in libris de Cęlo egiſſe, vt Iamblicus, & Syrianus arbitrati ſunt; ſed eadem per ſe, primariaque intẽtione conſideraſſe.

Confutatio Simplicij.

Contra eandem ſniam ſic argumentatur Zabarella:ſi in libris de Cęlo,de elementis tantùm ex accidẽti,& in Cæli gratiam, Ariſt.egiſſet; tunc neceſſe eſſet, cum in aliquo particulari libro naturalis philoſophiæ, de ipſis per ſe diſſeruiſſe, perfectamque ipſorum cognitionem tradidiſſe:ſunt enim corpora, ita cognitu digna,ſicut quodcunque aliud,in naturali philoſophia conſideratum. Sed in nullis alijs libris apparet,Ariſt.perfectam elementorum cognitionem tradidiſſe; (in libris enim de ortu,& interitu ipſa tantum,vt miſtorum principia,non item ſecundum eorum integritatem conſiderauit:) deſideratur ergo in naturali ſcientia elementorum abſoluta tractatio,niſi ipſam illã eſſe dicamus,quæ in duobus poſterioribus libris de Cęlo continetur.

Confutatio Zabarellæ.

His addo ego 3.argumentũ: nanq; Ariſt.in libris de Cęlo egit pcipuè de ſimplici motu,igitur ea pręcipuè cõſiderit,quibus ſimplex motus aſcribitur; hæc aũt pręter Cęlum, ſunt quatuor elementa; igitur Ariſt.in libris de Cęlo,de quatuor elementis præcipue diſputauit. Minor propoſitio atque etiã primi enthymematis conſecutio ſatis perſpicua eſt: Simplex enim motus in eum diſtinguitur,qui à medio,qui ad medium, quique circa medium fit: quemadmodum autem Cælum in gyrum circa medium voluitur; ita elemẽta recta,vel à medio, vel ad medium feruntur. Non igitur ſimplicis motus perfecta cognitio haberi poteſt,niſi ipſa quoque elementa, tanquam præcipua ſubiecta,quibus ſimplex motus conuenit,conſiderentur.

Confutatio Autoris.

## *Opinio Simplicij.* *Cap. VII.*

Præcipuum Ariſt. inſtitutũ in lib. de cælo eſt agere de corpore ſimplici.

NEmo opinor Ariſtotelis mentem,hac in re pleniùs aſſecutus eſt, dilucidiùſque explicauit,quam Simplicius. Arbitratus eſt acutiſſimus hic philoſophus, præcipuum Ariſt. ſcopum in toto opere de Cęlo,eſſe,naturam ſimplicium corporum explorare:quæ ſunt Cælum,& quatuor elemẽta,ex quorum compoſitione Vniuerſum concreſcit. Quoniam verò inter hæc ſimplicia corpora primas partes obtinet Cęlum, tanquàm elemẽtis præſtantius, atque natura prius; iccirco de cæleſti corpore Ariſt.primùm ſermonem inſtituit,eius naturam conſiderando,ipſiuſque partes, & affectiones patefaciendo; mox ad elemẽtorum contẽplationem acceſſit,quorum motus,& ad diuerſa loca propenſiones,diligenter rimatus eſt. Iam verò,cùm quinque hæc ſimplicia corpora, veluti ſpecies quædam,ſeu partes,vt vocant,ſubiectiuæ,ſub vniuerſali, quodam genere, contineantur, quod eſt corpus ſimplex, abſolutè,& vniuersè ſpectatum;exiſtimauit Simplicius,hoc ipſum corpus ſimplex,ſic conſideratum,eſſe verum,& adæquatum librorum de Cęlo ſubiectum; cùm præſertim ad rationem ſubiecti id requiratur,vt vnum illud ſit,ad quod cætera,in ſcientia conſiderata,reuocentur,& de cuius partibus in tota illa ſciẽtia diſputetur. At verò ſimplicis corporis partes, ſeu ſpecies, ſunt Cęlum,& quatuor elemẽta,de quibus in libris de Cęlo ita agitur,vt nihil omninò aliud cõ-

Corpus ſimplex, vniuersè acceptum eſt ſubiectũ lib. de cælo.

ſideretur; iure igitur optimo, corpus ſimplex, abſolutè ſpectatũ, adæquatum librorũ de Cęlo ſubiectum eſſe videtur. Confirmat autem Simplicius ſn̄iam ſuam, ex Ariſt. ratiocinatione, in eodem opere de Cęlo ab ipſo habita; nanque procemium indicans duorum primorum librorum, apertiſſimè oſtendit, ſe de ſimplici corpore locuturum. Duos autem vltimos exordiens, id ipſum iam tradidiſſe, ſe dicit, quòd ſcientia de natura circa corpora eſt, & horum affectiones, & motus, tanquàm primò de primis corporibus ſermonem faciens: à quibus & totum Vniuerſum, & quæcunque in eo procreantur, & aſſeruantur, originem ducunt. Hæc eſt Simplicij ſententia, quæ à nobis paulò inferiùs diligentiori examine ponderabitur.

Cõfirmatio huiuſce opinionis ex Ariſtot. ratiocinatione.

*Sententia Simplicij, à Iacobo Zabarella minùs rectè explicata.* *Cap. VIII.*

HAbuit autem hæc ſn̄ia Simplicij non paucos & approbatores, & defenſores; qui cum eo quidem defenderũt, adæquatum librorum de Cęlo ſubiectum eſſe corpus ſimplex; ſed tamen, eorum pace dixerim, in explicanda hac ſn̄ia, & à Simplicio, & à veritate penitus defecerunt. Mitto multos, vnum adducam Iacobum Zabarellam: qui lib. de Naturalis ſciẽtiæ conſtitutione, cap. 17. aſſeruit, quanuis nomine Mundi, & nomine ſimplicis corporis, idẽ prorſus materiale ſubiectum, ſiue eadem res conſiderata, ſignificetur; congruentius tamen, & artificioſiùs nos loqui, ſi corpus ſimplex, non etiam Mundum, adæquatum librorum de Cęlo ſubiectum eſſe dicamus; idque potiſſimùm ob eius rationem formalem. Rectè enim dicimus corpus ſimplex, quatenus ſimplex eſt, eſſe ſubiectum librorum de Cęlo: Mundum, quatenus Mundus, non item. Pro cuius rei maiore explicatione, dubium adducit, quod olim plurimis doctiſſimis viris ſe propoſuiſſe affirmat; à quorum nomine veram ſolutionem ſe audiuiſſe fatetur. Dubium autem illud eſt; conſtat ferè inter omnes philoſophos, totius naturalis ſcientiæ ſubiectum eſſe corpus naturale, quatenus naturale eſt: hic conſiderandi modus, ſcilicet quatenus naturale, debet eſſe proprius ſcientiæ naturalis, atque illi adæquatus; adeò, vt nulla ſit alia diſciplina, in qua aliquid, quatenus naturale eſt, conſideretur: nec vlla ſit naturalis ſcientiæ pars, quæ alia rõne quippiam conſideret, quã vt naturale eſt. Cũ igitur opus de Cęlo ſit pars ſcientiæ naturalis, in qua aut de Cęlo, & elemẽtis, aut, de ipſo Mũdo diſſeritur; neceſſe eſt, iſtorũ quodlibet, quatenus naturale eſt, conſiderari. Atqui efficax ſemper illatio eſt, à quatenus ipſum, ad de omni; ergo, ſi quęcunq; in libris de Cęlo cõſiderantur; quatenus naturalia ſunt, cõſiderant̃, ſequitur, vt quęcunq; naturã habent, vel naturalia ſunt, in eiſdẽ libris, tractẽtur. Qđ ſi ea, quæ tractantur in libris de Cęlo, alia rõne, q̃ vt naturalia ſunt, conſiderentur, quis non videt, eoſde libros ad naturalẽ ſcientiam minimè pertinere? Hoc dubium, à nemine ſolutum, hoc modo Zabarella ſolui poſſe exiſtimauit. Quemadmodum res conſiderata cõis primùm eſt, deinde ad varias ſpecies contrahitur; ita etiam modus conſiderandi. Res conſiderata in tota naturali ſcientia, eſt corpus naturale, vt quoddam commune genus, quod deinde ad varias ſpecies ordinatim coarctatur; ſic modus conſiderandi vnus eſt, totam naturalem ſcientiam amplectens, ſcilicet quatenus naturam habens. Si natura vniuerſè, & indiſtinctè ſumatur; tunc habetur modus conſiderandi, in libris phyſicæ auſculationis. Si verò propria cuiuſlibet naturalis corporis natura accipiatur; tunc habetur modus conſiderandi in alijs libris naturalis philoſophiæ. Subiectum igitur librorum de Cęlo, ait Zabarella, eſt corpus ſimplex ſecundum ſuam naturam conſideratum: neque enim alia formalis ratio addenda eſt, ſed ſufficit modus conſiderandi vniuerſalis, ad aliquam tamen ſpeciem naturalis corporis coarctatus, cuiuſmodi eſt ipſum corpus ſimplex. Cęterùm hęc Zabarellæ explicatio in tribus potiſſimùm deficere mihi videtur. Primò, quia non æquè pro materiali ſubiecto librorum de Cęlo, Mundum, ac corpus ſimplex ſtatuere poſſumus. Etenim, vt vel ex ipſius Zabarellæ ſn̄ia prædiximus, præcipuus Ariſt. ſcopus in ijs libris nõ eſt agere de Mũdo, vt ex ſimplicibus corporibus conſtat, ſed de ſimplicibus corporibus, ex quibus Mundus coaleſcit. Res etiam præcipua, in libris de Cęlo cõſiderata, eſt vna ex illis ſpeciebus, in quas naturale corpus proximè diuiditur. Naturale autẽ corpus, prima ſui diuiſione, in ſimplex, & miſtũ diuiditur; igitur corpus ſimplex, quod eſt ſpecies naturalis corporis, abſolutè ſpectari, erit res, in libris de Cęlo conſiderata, non aũt Mundus: qui nullius ſpeciei rationem habet; cũ omnium potius congregatio quædam ſit. Ad hæc, materiale ſubiectum librorum de Cælo eſt totum quoddam vniuerſale, quod quinque ſub ſe ſpecies complectitur, Cęlum ſcilicet,

Putanit Zab. tam mundũ, quã corpus ſimplex eſſe poſſe naturale ſubiectum lib. de cælo, quod tamen reprobatur.

Dubiũ apud Zaba. ſolutu difficillimũ.

Solutio Zabarellæ.

Zabar. ſentẽtia de ſubiecto librorum de cælo.

Oſtenditur contra Zab. nõ poſſe mũdum poni ꝑ materiali ſubiecto lib. de cælo.

& quatuor elementa: Mundus verò eſt totum quoddam per aggregationem; non igitur ille pro materiali ſubiecto librorum de Cęlo æquè, ac ſimplex corpus aſſignari poteſt. Dubium vero, à doctiſſimo viro propoſitum, non mihi tanti põderis eſſe videtur, vt a quouis homine, vel mediocriter erudito, facillimè ſolui non poſſit: incluſam enim habet propoſitionem quã- dam, quam neſcio, an ipſemet Zabarella concederet. Ait enim, modum conſiderandi naturalis ſcientiæ, ſcilicet quatenus naturale, ita illi æquatum eſſe debere, vt nulla ſit alia diſciplina, in qua aliquid, quatenus naturale eſt, conſideretur. Hoc in præſentia mittatur. Subdit, nec vllam eſſe naturalis ſcientię partem, quæ quicquam alia ratione conſideret, quam vt naturale. Aliorum ſit iudicium, iſthæc propoſitio admittenda ne ſit: nos enim in multis inſtantiam afferre poſſumus. Mathematica, vniuerſalis quædam ſcientia eſt, quæ pro materiali ſubiecto corpus quantum ſibi vendicat; illudque, vt quantum eſt, conſiderat. Perſpectiua eſt pars ſciẽtiæ Mathematicæ, quæ pariter quantum conſiderat; tamen non vt quantum, ſed vt oculis perſpici poteſt. Sic Theologia ſcientia quædam eſt, cuius ſubiectum ex communiore ſñia, eſt Deus, ſub ratione, qua Deus eſt. Secundus liber Sñiarum eſt pars Theologicæ diſciplinę: in eo tamen non conſideratur Deus ſub ea præcipuè ratione, qua Deus, ſed ſub ratione, qua creator eſt, atque idem in alijs ſcientijs dici poteſt. Abſurdum igitur non eſt, aliquam vniuerſalis ſcientiæ partem rationem formalem, ſiue modum conſiderandi particularem, ſibiq; proprium expoſcere; in quo tamen modus conſiderandi ſcientiæ vniuerſalis, tanquam ſuperius in ſuo inferiore concludatur. Dicendum itaque eſt, pro dubij ſolutione, quicquid in libris de Cęlo conſideratur, non id quidem ſub hac formali ratione, hoc eſt quatenus naturale eſt conſiderari; ſed quatenus ſimplex, ita tamen, vt ſimplicitas naturalitatem non excludat; corpus enim, quod ſimplex eſt, naturale pariter eſt. Quòd verò attinet ad huius dubij ſolutionem, à Zabarella propoſitam, intendit ipſe à particularibus ſubiectis proprium conſiderandi modum excludere, vultque modum conſiderandi vniuerſalem rectè illis inſeruire poſſe, atque adeo ſubiectum librorum de Cęlo eſſe corpus ſimplex, non ſub aliqua particulari ratione, ſed ſolùm ſecundum ſuam naturam conſideratum. Profectò niſi conſiderare corpus ſimplex, ſecundum ſuam naturam, ſit conſiderare corpus ſimplex, ſub ratione ſimplicitatis, non video, quomodo hæc Zabarellæ ſolutio cum veritate conſentire poſſit. Si res ita habeat, iam Zabarella rationem formalem particularis ſubiecti aſſignare cogitur, quam excludere intendit: ſin ſecus, perturbata iam eſt, valdeque confuſa huiuſce quęſtionis tractatio. Nam aliquod corpus ſimplex ſecundum ſuam naturam, vel perpetuum, & indiſſolubile eſt vel generationi, & interitui obnoxium. Aliquod, ſecundum ſuam naturam, vel ab externo motore vertigine circunducitur; vel ab interno principio recta ſurſum, vel deorſum concitatur. Aliquod, ſecũdum ſuam naturam, vel omne diſſolubilium corporum cõmercium abhorret; vel tanquam materia miſto, caducoque corpori ſubſeruitur. Si igitur in libris de Cælo corpus ſimplex, ſecundum ſuam naturam conſideratur, cedo, quonam modo cõſiderabitur? Dicet fortaſſe, vniuerſalem naturam corporis ſimplicis hæc omnia complecti, & propterea ſecundum ſuam naturam vniuerſalem conſiderari. At verò quid aliud eſt, hæc vniuerſalis natura corporis ſimplicis, niſi ipſamet ſimplicitas, ratione cuius ea omnia, quæ ſuprà diximus, cunctis corporibus, quæ ſimplicia ſunt, attribuuntur? Cur non igitur dicamus potius, ſubiectum librorum de Cęlo eſſe corpus ſimplex, ſub ratione, qua ſimplex eſt, quam corpus ſimplex, ſecundum ſuam naturam conſideratum?

Autor ſoluit dubium à Zabar. propoſitum.

Quęlibet particularis ſciẽtia modũ cõſideradi particularem expoſcit; i quo tamen includitur modus conſiderãdi, ſcientiæ vniuerſalis, vt ſuperius in ſuo inferiore.

Zabarellę ſolutio reprobatur.

Quõ intelligendũ ſit in libr. de cælo conſiderari corpus ſimplex ſecundũ ſuam naturam.

*Vera explicatio ſententia Simplicij de ſubiecto librorum de Cælo.* *Cap. IX.*

DIcendum igitur eſt, pro huius quæſtionis enodatione, veraque Simplicianæ ſententiæ explicatione, verum, & adæquatum ſubiectum librorum de cælo eſſe corpus ſimplex, quatenus ſimplex eſt: cuius propria, & adæquata affectio eſt mobilitas ad locum. Quod vt apertiùs intelligatur, ſciendum eſt, in omni ſubiecto tria hæc potiſſimùm conſideranda eſſe: ſubiectum materiale, quod & res conſiderata dici ſolet: ſubiectum formale, quod ratio formalis, ſeu modus conſiderandi quandoque appellatur: & propriam affectionem, quæ à toto conſtituto ex re conſiderata, & modo conſiderandi proficiſcitur. Iam vero materiale ſubiectum librorum de Cælo eſt corpus ſimplex, quatenus ſub ſe Cælum, & quatuor elementa comprehendit. In hoc tota Ariſt. in libris de Cælo contemplatio verſatur; aut enim ipſum abſolutè

Tria in vnoquoq; ſubiecto conſideranda.

Quære diſp. de ſubiecto totius naturalis philoſophię.

Subiectũ materiale librorum de cælo.

con-

conſiderat;aut eius partes,ſeu ſpecies:aut denique illius affectiones contemplatur. Porrò hoc ſimplex corpus,quamuis re vera ſimplex ſit,omnemque miſtionem excludat;quandam nihilominus logicam compoſitionem ex genere,& differentia conſurgentem, admittit. Nam in corpore ſimplici naturale corpus includitur; quod veluti quoddam genus eſt, cui addita eſt ſimplicitas,tanquam differentia,quæ naturale corpus ad eſſe ſpecificum contrahit. Quemadmodum enim naturale corpus,abſolutè acceptum,eſt genericum ſubiectum totius naturalis ſcientiæ;ita idem per ſimplicitatem,tanquam per ſpecificam differentiam contractum,fit ſubiectum ſpecificum vnius partis ſcientiæ naturalis,videlicet operis de cælo. Rurſus quem- *Subiectũ formale.* admodum in tota naturali ſcientia ſubiectum eſt corpus naturale, quod quatenus naturale eſt,conſideratur;habetque naturalitatem,tanquam propriam rationem formalem;ita ſubiectum librorum de Cælo eſt corpus ſimplex,ſub ratione qua ſimplex eſt,eique tanquam formalis ratio,ipſa ſimplicitas attribuitur. Denique ſicut à toto conſtituto ex corpore, & natu- *Propria affectio.* ralitate fluit mobilitas,abſolutè ſpectata,quæ eſt propria affectio ſubiecti totius ſcientiæ naturalis;ita à toto conſtituto ex corpore,& ſimplicitate fluit mobilitas ad locum, quæ eſt propria,& adæquata affectio ſubiecti librorum de cælo. Neque obſtat, miſta quoque corpora *Occupatio.* ad locum mobilia eſſe:quoniam manifeſtum eſt, ea ipſa ad motum elementi prædominãtis moueri; atque ita motum ad locum ab aliquo ſimplici corpore,tanquàm ab eo,cui primò,& præcipuè conuenit,neceſſariò proficiſci. Hæc eſt vera explicatio ſentẽtiæ Simplicij: quã profectò Alexandri opinioni anteponendam cenſeo; cùm in libris de cælo ne verbum quidem de Mundo Ariſt.fecerit,niſi,vt prædiximus,ea ratione, qua ipſe ex ſimplicibus corporibus, ſimul poſitis, coaleſcit;& quatenus ea prædicata,quæ præcipuo ſimplici corpori; puta Cęlo conueniunt,ipſi quoque Mundo, per neceſſariam quandam conſecutionem, attribuuntur.

*Recentium Alexandræorum obiectiones,aduerſus ſententiam Simplicij.* *Cap. X.*

NOnnulli tamen ex recentioribus Alexandręis,ijs rationibus non contẽti, quę ſuprà pro Alexandri ſententia adductę ſunt;alia quoque argumenta addiderunt:quibus ſimul & Alexandri opinionem validiùs confirmare,& Simplicij ſententiam penitus euertere conati ſunt. Atque in ijs Maynetus in commentarijs ſuper libris de cęlo plures affert rationes, qua- *Mayneti ratio in ſententiam Simplicij.* rum hęc eſt pręcipua,& qua ſoluta,cęterę ſtatim ruent. Si conſideratio corporis ſimplicis, vt ſimplex eſt,ad libros de cęlo pertineret;ergo quicquid ſub hac formali ratione comprehẽditur,in libris de cęlo conſiderari deberet:at elementa,vt calida,& frigida,ſimplicia corpora ſunt;igitur illa quoque ſub hac ratione,ſcilicet,vt calida,& frigida,& non tantum vt mobilia ſunt, in libris de cęlo conſiderari deberent. Quod cùm Ariſtoteles non pręſtiterit; ſignum euidentiſſimum eſt, eius conſilium non fuiſſe, de ſimplici corpore, quatenus ſimplex eſt, in libris de cęlo diſputare; ac deinceps corpus ſimplex, quatenus ſimplex eſt, adęquatum illorum librorum ſubiectum minimè eſſe. Confirmat idem Autor hanc ratio- *Cõfirmatio.* nem; quoniam corpus ſimplex, quatenus ſimplex eſt, aut excludit calidum, & frigidum, aut non excludit; proculdubio non excludit, quia elementa, vt calida, & frigida, ſimplicia corpora ſunt: ideo Ariſtot.ad cumulatiorem doctrinam, ea ipſa, vt calida, & frigida ſunt,conſiderare debuiſſet;quod tamen non fecit,vt perſpicuum omnibus eſt. Alij *Aliorum rã.* hunc in modum argumentantur; Si Ariſt.in libris de Cęlo in corpore ſimplici, tanquàm in eorum adæquato ſubiecto verſatus eſſet; numerum certè ſimplicium corporum indagaſſet; ſimpliciaque corpora non eſſe plura,nec pauciora,quàm quinque, demonſtraſſet: id autem Ariſt.in libris de Cęlo non fecit,in ijs enim cæleſtem tantummodo naturam eſſe quintam eſſentiam,ſiue ſubſtantiam,ab elementari natura diſtinctam,probauit. In libris autem de generatione,& interitu,ex primarum qualitatum numero,& coniugatione, elementorum numerum inueſtigauit; non igitur in libris de Cęlo ſimplicia corpora ſcrutatus eſt; ſed Vniuerſum potius ex ſimplicibus corporibus coagmentatum. Alij validiùs vrgent,ipſiuſmet A- *Validiſſimũ Alexandræorum argumẽtum ab Ariſtot.autoritate deſumptũ.* riſt.teſtimonio,in ijs verbis,quę in fine 4.contex. 1 libri de cęlo hunc in modum ſcripta reliquit, *De ipſius igitur Vniuerſi natura,ſiue infinita ſit ſecundum magnitudinem, ſiue finita ſit,ſecundum totam molem,poſteriùs conſiderandum eſt.* Quid nobis,inquiunt, quęrendi ſunt probatiores teſtes,ad noſtram ſententiam comprobandam,cùm ipſemet Ariſt.verbis,vel ip-

ſa luce clarioribus,explicuerit,ſe in ijs libris,apto tamen, conuenientique loco, de Vniuerſo tractaturum eſſe,dùm propoſuit naturam Vniuerſi,finita ne ſit, ſecundum magnitudinem, an infinita,poſteriùs conſiderandum? Non dicit Ariſ.de natura corporis ſimplicis,aut de natura cæli,eſſe poſt hac differendum,ſed de natura Vniuerſi; Verba ſunt apertiſſima,non indigent commentario. Fortaſſe hoc non ſufficit? Deſideramus adhuc clarius, euidentiuſque teſtimonium? Perpendamus,inquiunt,verba ſequentia,poſita in principio textus quinti, quæ potius pertinent ad finem quarti,vbi Ariſt.ita ſcribit, *De ijs autem,quæ ſecundum ſpeciem ipſius partes ſunt, nunc dicamus, hoc facto principio,* Non ignorans Ariſt. optimum tractationis ordinem;cùm vniuerſum ex pluribus partibus,ſecundum ſpeciem diſtinctis,conſtitutum ſit;neceſſe eſt,ſi illius perfecta cognitio haberi debeat,vt partium priùs,ipſum conſtituentiũ, natura,ſubſtãtia,atque proprietas explicetur;ideò proponit hic,ſe de partibus Vniuerſi,formas,ſpecieſque diſtinctas habentibus,quæ ſunt cælum,& quatuor elementa,acturũ eſſe: quibus explicatis,ad naturam poſtea Vniuerſi,ex ijs conſtantem,aperiendam, & patefaciendã ſe accinget. Hæc,inquiunt,eſt vera verborum Ariſt.interpretatio;hæc textuum apta connexio;hæc mentis Ariſt.explanatio:hæc tandem veritas ipſa, quam nemò ſanæ mentis debet fictitijs expoſitionibus,effutitiſque verbis obſcurare;atque ita Alexandræi iudicium, & ſententiam pro ſe ipſis ferunt;triumphumque vt dici ſolet,ante victoriam canunt.

*Propoſitarum obiectionum dilutio.* *Cap. XI.*

INgenioſæ quidem ſunt propoſitæ Alexandræorum obiectiones, valdeque apparentem efficacitatem præſeferunt;ſed quæ tamen à quolibet,rem ipſam attentiùs conſideranti,facili reſponſione tollantur. Ad primam,quæ erat Mayneti,concedimus, quicquid ſub ratione formali ſubiecti alicuius ſcientiæ continetur, id omne in illa ſcientia conſiderari debere: negamus tamen,elementa,quatenus calida,& frigida ſunt:ſub ratione formali ſubiecti librorũ de cælo contineri,quæ,vt diximus;eſt ſimplicitas ipſa. Neque verò quicquam roboris habet argumentum illud;elementa,vt calida,& frigida,ſimplicia corpora ſunt; ergo elementa, vt calida,& frigida in libris de cælo conſiderari debent:qm̃ quanuis ſimplicitas:caliditatem aut frigiditatẽ,corpore nõ excludat(cũ ſimul exiſtere poſſint)ipſa tamen ſimplicitatis ratio à ſuimet conſideratione caliditatis,aut frigiditatis rationem abijcit;poteſt enim quis conſiderare ſimplicitatem,caliditate,aut frigiditate non conſiderata; idque ea abſtractione,quam præciſiuam appellant. Exempli gratia ille paries eſt albus,& præterea etiam latus, & magnus; (non enim albedo à pariete magnitudinem,aut latitudinem excludit)tamen quis prohibet, vt ego albedinem parietis conſiderare non poſſim,eius magnitudine,vel latitudine non conſiderata? Ita in re noſtra;aliud quodque ſimplicitas à conſideratione excludit, quanuis à re conſiderata non excludat;& propterea licet elementa,quæ ſimplicia corpora ſunt,calida ẽt, aut frigida ſint;neceſſe tamen non eſt,ſi illa in libris de cælo,quatenus ſimplicia ſunt,conſiderantur,eadem quoque quatenus calida,aut frigida ſunt,conſiderari. Ad ſecundam rationem quanuis conſecutio illa neceſſaria omninò non ſit;ea tamen admiſſa,negamus, Ariſt.in libris de cælo ſimplicium corporum numerum non indagaſſe. Primò nanque,via ſimplicis motus, tria ſimplicium corporum genera eſſe reperit:datur enim vnũ corpus ſimplex, quod ad medium,alterum quod à medio,tertium,quod circa medium mouetur. Deinde;in 4.eiuſdem operis libro,diſtinctiùs ſimplicium corporum numerum patefecit:cùm enim in 1.lib.oſtendiſſet,illud corpus ſimplex,quod ad medium fertur,eſſe graue:illud,quod à medio leue: & illud, quod circa medium,neque graue,neque leue, diſtinxit graue in grauiſſimũ, quod & ſimpliciter,& abſolutè graue dici ſolet,& in graue ad aliud,hocque eodem modo diſtinxit leue. Quare cùm inter ſimplicia corpora vnum ſit grauiſſimum,vt terra:aliud leuiſſimũ,vt ignis: duo grauia,& leuia ad aliud,vt aqua,& aer:quintum verò, nec grauitate, nec leuitate affectũ,vt cælũ,perſpicuũ iã vnicuiq; eſt,quinq; in Vniuerſo ſimplicia corpora reperiri. Quãuis autem in libris de ortu,& interitu elemẽtorum numerum Ariſt.indagarit,illic tamẽ alia via hoc præſtitit,quàm in libris de cælo:ibi enim ex primarum qualitatum numero, & coniugatione,hic verò,via ſimplicis motus;eorum numerum venatus eſt. Ad aliud argumentũ,ſumptum ab autoritate Ariſt.quod ſatis quidem efficax,atque apparens eſt,facilè reſpondebimus,ſi germanam illorum verborum interpretationem,rectamque textuum connexionem

Reſpõſio ad rationẽ Mayneti.

Ad rationẽ aliorum.

Ariſt. in lib. de cælo, via ſimplicis motus, numerũ ſimpliciũ corporum indagauit.

Ad argũ ab autoritate ductum.

in

in medium afferremus. Diximus, Ariſt. conſilium in libris de Cęlo eſſe, agere de corpore ſimplici. Quod, vt commodiùs præſtaret, nonnulla priùs, ad corpus attinētia, explanauit: nimirū eius naturam, vel, vt aiunt, quidditatem, & eſſentiam, quatenus à reliquis ſpeciebus magnitudinis, vtpotè à linea, & ſuperficie diſtinguitur. Eiuſdem quoque perfectionē tetigit, dum mōſtrauit, ipſum, ſecundum omnes dimēſiones, diuiſibile eſſe. Declarauit quoque vnum eſſe corpus quodammodo vniuerſale, quod omnium perfectiſſimum exiſtit; tùm quia omnibus modis diuiſibile eſt; tùm quia nihil extra ſe continet, quo finiatur: alia autē eſſe corpora, ſub hoc ipſo contēta, perfecta illa quidem in ratione corporis; imperfecta verò, quia ab alio continētur. Nomine autē primi corporis, tacitè Cælum, aliorū verò, elemēta ſignificauit, de quibus proximè tractaturus eſt. Hęc eſt tota verborum Ariſt. ſeries, & explicatio, idque ab initio primi libri de Cęlo, vſque ad illa verba, *De ipſius igitur Vniuerſi natura, &c.* quæ, qua ratione ab eo dicta ſint, modò declaro. Nam cùm oſtēdiſſet, iam vnum reperiri corpus, quod omnia continet, & nihil extra ſe habet, quod monſtrabit eſſe Cęlum; aliaque infra ipſum particularia, aut veriùs ſpecialia corpora, quæ ſunt elemēta, ex quibus vnà cum Cęlo Vniuerſum conflatum eſt, quiſpiam fortaſſe ſuſpicari potuiſſet, ſtatim de ipſius Vniuerſi natura diſputandū eſſe. Quam quidem ſuſpicionem cùm vellet Ariſt. oſtēdere falſam eſſe, & à ſuo inſtituto alienam, ideò dixit, *De ipſius igitur Vniuerſi natura, ſiue finita, ſiue infinita ſit, &c. Poſteriùs conſiderandum eſt.* Quare poſteriùs cōſiderandum? Quia cum illarum rerum natura, ex quibus Vniuerſum veluti totum quoddam per aggregationem, conſurgit, patefacta fuerit; ſtatim natura quoque Vniuerſi aperta, & explanata erit. Dubitant quidam, ſit ne Mundus finitus, an infinitus? Soluta erit hæc dubitatio, cùm probatum fuerit, Cęlum non eſſe, ſecundum magnitudinem, infinitum; eſto etiam nihil extra ſe habeat, à quo finiatur: (putabant enim veteres Philoſophi, illud propriè infinitum dici, quod nihil continet extra ſe, vt patet 3. Phy. 6.) Si igitur Cęlum, quod eſt corpus, omnia continens, conſtabit, non eſſe infinitum, idem protinus, per neceſſariam quandam conſecutionem, de Vniuerſo quoque conſtâbit, *De ijs autem, quæ ſecundum ſpeciem ipſius partes ſunt,* (Poſtquam Ariſtot. ſuperioribus verbis Mundi conſiderationem reiecit; proponit nunc ea, de quibus agere in animo habet: inquiens, ſe velle agere de partibus integralibus Mundi.) Sed cur, obſecro, de partibus integralibus Mundi, ſi non eſt eius conſilium diſputare de Mundo? Ratio ea eſt, quoniā partes integrales Mundi ſunt veræ partes ſubiectiuæ corporis ſimplicis, de quo præcipuè in libris de Cęlo Ariſt. agere intēdit: partes autem ſubiectiuæ corporis ſimplicis, ſunt Cęlum, & quatuor elemēta. Hoc autē ita eſſe, vnicuique ex Ariſtotelicę diſputationis curſu colligere licet; ſtatim enim, incipit Ariſt. probare, præter quatuor ſimplicia corpora, quæ ſunt elemēta, dari quintum corpus ſimplex, quod eſt Cęlum: de eo igitur, vt de præcipua parte, ſub ſimplici corpore contēnta, diſputare incipit, non autem de Mundo, quemadmodum ipſemet in initio ſecundi libri ſe feciſſe teſtatur, vbi ita ſcribit. *Quod igitur neq; factum ſit vniuerſum Cælum, neq; contingat ipſum corrumpi, quemadmodum quidam dicunt, ex dictis licet accipere fidem*, & rurſus in 2. textu ait, *Quare benè, ſe habet, quenquam ſibi ipſi perſuadere, antiquos, & maximè patrum noſtrorum veros eſſe ſermones, quod eſt immortale aliquid, ac diuinum eorum, qua motū quidem habent, &c.* tale autem æternum corpus, atque diuinum aſſerit eſſe Cælum. Quòd ſi de Mundo agere illi curæ fuiſset: dubio procul non de Cęlo, ſed de Mundo locutus eſſet. Quin etiam, ſi de Mundo agere decreuiſset, antequam de illius partibus verba faceret, ſaltē Mundi definitionem tradidiſset, eiuſdemque vniuerſalia quædam theoremata protuliſset. Quemadmodum appoſitè fecit, cùm de corpore diſputauit; eius enim definitionem in medium attulit, eandem explicauit, eiuſdemque corporis perfectionem, antequam quicquam de ſimplicis corporis partibus ageret demonſtrauit. Nihil igitur officiunt Simplicianæ ſententiæ Alexandræorum obiectiones.

Explanatio verborū Ariſtot. ab initio 1. lib. de cælo, ad finem, text. 4.

Horum verborum explanatio diligenter notanda eſt.

Cælū, & quatuor elementa ſunt partes integrales vniuerſi, partes aūt ſubiectiuæ corporis ſimplicis, de quo agitur in libr. de cælo.

### *Solutio notabilis obiectionis, quæ ex iam ab Autore conceſſis, contra ſententiam Simplicij fieri poſſet.* *Cap. XII.*

Difficiliora multò ſunt ea, quæ ex ijs, quæ à nobis alibi conceſſa ſunt, cōtra hāc Simplicij ſnīam obijci poſſēt. Etenim ī diſputatione de ſubiecto naturalis philoſophiæ docuimus corpus naturale, quatenus Cęlo, atque mortalibus cōe eſt, totius philoſophiæ ſubie-

ctum

Argũ validiſſimom cõtra ſententiã Simplicij.

ctũ eſse nõ poſse;propterea quoſt æquiuocum eſt,aut ſaltẽ analogũ, annexam habens æquiuocationem:probauimus,enim, purã analogiam reperiri non poſſe. Iam verò efficax hoc argumentũ fortaſſe quiſpiam extrueret;corpus ſimplex, prout de Cęlo, & elemẽtis dicitur, æquiuocum eſt: Cęlum enim ex materia,& forma concretum non eſt, nec generationi, aut interitui obnoxium,vt apertiſſima eſt Ariſt.ſnĩa,quam nos alia diſputatione dilucidius a periemus:elementa verò oppoſito modo ſe habent;igitur corpus ſimplex,quatenus ſub ſe Cælum,& elemẽta comprehendit,verum, & adæquatum librorum de Cęlo ſubiectum eſſe non poteſt.

Nota hęc diligenter.

Pro huius obiectionis ſolutione, quæ certè maximi momẽti eſt,reuocandum nobis eſt in memoriam id,quod alibi hac de re docuimus, videlicet,ſi Cęlum propriè,& ſecũdum eius ſubſtantiam ſpectetur, nullam eſſe ſcientiam ex nominatis ab Ariſt. in 6. Metaphyſ. ad quam verè, & proptiè eius conſideratio pertinere poſſit. Cùm enim non ſit ſubſtantia purè ſpiritualis,vt Intelligentia,non poteſt eſſe Metaphyſicæ conſiderationis. Cùm non ſit puræ dimẽſio,non poteſt Mathematicæ ſubijci. Et cùm ſub adæquato naturalis philoſophiæ ſubiecto non contineatur;quia ſcilicet ex materia,& forma conflatum non eſt;non poteſt propriè ad naturalem ſcientiam pertinere. Verùm,ne propter Cęlum tantùm, Ariſt.nouã ſcientiam edere,& nouum quaſi ædificium conſtruere cogeretur, ideo ad euitandum ſcientiarum multiplicem numerum, quemadmodum in Metaphyſica, quæ ſcientia communiſſima eſt, de aliquibus particularibus rebus,puta de ſubſtantijs abſtractis,diſputauit;ita propter quandam ſimilitudinem, quam ratione ſimplicis motus habet Cęlum cum alijs corporibus ſimplicibus,puta cum elementis,de ipſo vnà cum elementis in naturali philoſophia diſseruit.

Poſt contemplationẽ corporis naturalis abſolute accepti, qđnam corpus primò conſiderãdum occurrit.

Nemini dubium eſt, ſi rerum tractandarum ordinem ſpectemus, ſtatim poſt contemplationem corporis naturalis generabilis,& diſsolubilis, vniuersè accepti,quæ octo libris de Phyſica auſcultatione abſoluta eſt, de prima ſpecie, in quã ipſummet naturale corpus,prima ſui partitione diuiſum,deſcendit, Ariſt.agere debuiſse. Corpus autem naturale, quod ex materia,& forma concretum eſt,prima ſui partitione in ſimplex,& miſtum diuiditur;igitur in ſecunda philoſophiæ parte ſtatim de corpore ſimplici,quod primùm ex materiæ,& formæ cõiunctione conſurgit, Ariſt.diſputandum fuiſset: hoc autẽ corpus ſub ſe tantùm elemẽta,non etiam Cęlum comprehendit; igitur adæquatum ſubiectum ſecundæ partis naturalis ſciẽtiæ, hoc eſt librorum de Cęlo,ſimplex corpus,elemẽtis tantummodo commune eſse deberet.

Verum ſubiectum ſecũdæ partis naturalis philoſophię.

Capul ſoluẽdæ difficultatis.

Verùm quoniam non de elementis ſolùm,ſed de Cęlo quoque in illa parte Ariſt.diſputauit,& quæ tranctantur in aliqua ſcientia, ſiue generalis, ſiue particularis ea ſit, ſub illius ſcientiæ adæquato ſubiecto contineri debent, ideo difficultas maxima oritur,quæ nunc à nobis explicanda eſt,quomodo ſcilicet corpus ſimplex, Cęlo,& elemẽtis commune, cùm æquiuocũ ſit, adæquatum illius partis ſubiectum eſse poſſit. Etenim Cęlum ab illius partis conſideratione excludere non poſsumus,cùm de ipſo principalis tractatio fiat:in eius enim contemplatione duo priores illius operis libri conſumuntur. Neque item excludere poſsumus, elemẽta;cùm de ipſis ab Ariſt.cumulatiſſima diſputatio in duobus poſterioribus libris habeatur. Aut igitur abſurdum non eſt,aliquod æquiuocum alicuius ſciẽtiæ ſubiectum ſtatuere,quod eſt contra regulas Dialecticas:aut corpus ſimplex, Cęlo, & elemẽtis commune, non erit adæquatũ ſubiectum librorum de Cælo, vt probatum eſt antè.

Solutio propoſitæ obiectionis.

Reſpondendum itaque eſt, ſecundam partem naturalis philoſophiæ,cuius modò ſubiectum inquirimus,dupliciter conſiderari poſſe;vnò modò propriè,& ſtrictè,prò ea,quæ eſt verè pars ſciẽtiæ naturalis:altero largè, & extensè prò conſideratione cuiuſcunque rei in eo opere contentæ, quod de Cęlo inſcriptum, quatuorque libris comprehenſum eſt. Si primo modo accipiatur,ea eſt,quæ duobus tantùm poſterioribus eius operis libris perficitur:in quibus de ſimplicibus corporibus,ex materia,& forma concretis, atque adeo generabilibus,& diſsolubilibus,hoc eſt de elemẽtis,diſputatur: hæc enim pars optimam cum libris de phyſico auditu connexionem habet. Duo verò priores libri,in quibus de Cęlo potiſſimùm diſseritur, tanquam minus proprij eo loco ab Ariſt. poſiti ſunt;ſciebat enim, Cęli tractationem naturalium corporum cõſiderationem excedere,quorũ in naturali philoſophia propria tractatio eſt. De eo nihilominus ibidẽ agere voluit;ijs rationibus,quas nos aliàs adduximus. Primò propter affinitatem, quam habet Cęlũ cum elemẽtis. Secũdò,quia nondum conſtabat apud veteres philoſophos, an Cęlũ haberet naturã penitus ab elemẽtis diſtinctã. Tertiò,quia de eodẽ, ad ſcientiarũ multiplicẽ numerũ

Cur Ariſto. poſt opus de phyſico auditu,ſtatim ante elementorũ tractatio-

cui-

euitandũ, in naturali ſciẽtia diſputaturus, nullum commodiorem reperit locum, in quo illius tractatio interſereretur, quàm in eo, qui inter opus de Phyſico auditu, & elementorum tractationem vacare viſus fuit. Probauerat enim 8. lib. Phyſ. motum antè, retroque æternũ eſſe; exigebat ratio, de eo ſtatim corpore diſputare, quod motus æternitate gauderet; & tale corpus eſt cælum. Rurſus perduxerat nos Ariſt. via motus, in eodem libro, ad primum rerũ omnium principium, quod eſt Deus; neceſſe igitur erat, vt antequàm de hoc ſublunari Mundo quicquam ageret, efficiens proximum, & illud quidem vniuerſale procreatarum rerum conſiderandum aſſumeret; hoc autem proximum, & vniuerſale efficiens eſt cælum. Ceterùm cum iam, duobus prioribus eius operis libris, illud præſtitiſſet, quod facere decreuerat; validiſſimiſque rationibus, cælum eſſe quintam eſſentiam, ab elementorum naturis omninò diſtinctam, probauiſſet; eius ſtatim conſiderationem omittendam duxit; atque in 3. lib. verè ſecundam naturalis Philoſophię partem inchoaturus, nouo vſus proœmio, ea propoſuit, de quibus deinceps diſceptaturus eſſet: profeſſuſque eſt, ſe in eo quatuor ſimplicium corporum, hoc eſt elementorum naturam diligenter exploraturum eſſe. Quod certè non feciſſet, ſi quatuor illius operis libri vnam, & eandem veluti particularem ſcientiam conſtituerent. Hæc cùm ita ſe habeant, perſpicuum iam eſt, corporis ſimplicis generabilis, & diſſolubilis conſideratione cum libris de Phyſico auditu proximè necti; eamque ſolam verè ſecundam naturalis Philoſophiæ partem appellandam eſſe. Cuius adæquatum ſubiectum aliud quidem eſſe non poteſt, quàm corpus ſimplex, quatenus genus quoddam vniuocum eſt, ſub ſe tãtummodo quatuor elementa, non etiam cælum comprehendens. Si verò ſecunda pars naturalis Philoſophiæ largè, & extensè accipiatur pro cuiuſcunque rei conſideratione, in opere de cælo contentæ; tunc quemadmodum opus illud non vnam veram, & vniuocam ſcientiam conſtituit, ſed quippiam eſt, veluti ex diuerſorum generum conſiderationibus aggregatum; ita abſurdum non eſt, aliquod æquiuocum adæquatum eius obiectum eſſe; aut veriùs adæquati eiuſdem obiecti munere fungi: illud autem æquiuocum eſt corpus ſimplex, cælo, & elementis cõmune. Nec dicat quiſpiam, eadem ratione poſſe nos, pro totius naturalis Philoſophiæ ſubiecto, naturale corpus ſtatuere, quòd cælo, mortalibuſque rebus commune ſit; quanuis illud æquiuocum cenſeatur: quoniam tota naturalis ſcientia vna tantùm eſt, & vnius generis, & illius partes inter ſe optimè cohærent; nec propter cæli tantùm conſiderationem, quæ ad ipſam propriè non pertinet, perturbanda eſt. Opus autem de cælo diuerſi generis conſiderationem continet, vt perſpicuum iam eſt; & propterea illud quidem, loco adæquati ſubiecti, ęquiuocum aliquod habere poteſt; vniuerſa autem naturalis ſcientia non item.

*nem, de cæleſti ſubſtantia diſſeruerit.*

*Vndenam ſumendum ſit verum principium ſecũdæ partis naturalis philoſophiæ.*

*Corpus ſimplex, cælo, & elemẽtis cõe eſt adæquatũ ſubiectum in toto opere de cælo, tam etſi æquiuocum ſit.*

*Obiectio, & ſolutio.*

### *Opinionum omnium conciliatio.* *Cap. XIII.*

ADductis iam aliorum, de re propoſita opinionibus ſententiaque Simplicij ad bonum ſenſum reuocata; reliquum tandem eſt, vt, Coronidis loco, modum afferamus, quo omnes relatæ opiniones inter ſe optimè conciliari poſſint. Sciendum igitur eſt, ſubiectum cuiuſlibet ſcientiæ quadruplex eſſe poſſe. Vnum appellatur ſubiectum congregationis, quod ea omnia congregat, de quibus in illa ſcientia diſputatur. Quomodo animal rectè in libris de animalibus ſubiectum ſtatuitur; quia omnia animalis membra, & omnes partes congregat, de quibus inibi ſermo habetur. Hoc etiam modo rectè argumentatio Logicæ ſubiectum ſtatui poſſet; quia omnes argumentandi modos congregat, atque inſuper partes proximas, atque remotas, ex quibus illi conficiuntur. Alterum eſt ſubiectum adæquationis, quod ita ſcientiam adæquat, vt neque ipſam excedat, neque ab eadem excedatur. Quo pacto ens, in ſua communitate acceptum, ſubiectum in metaphyſica, aut corpus naturale ſubiectum in naturali ſcientia collocatur. Tertium eſt ſubiectum præcipuum, quod nil aliud eſt, quàm præcipua pars ſubiecti adæquati. Cuiuſmodi in Metaphyſica poſſet poni ſubſtantia, quæ eſt præcipua pars entis: aut etiam Deus: vel in logica demonſtratio, quæ eſt præcipua pars ſyllogiſmi. Quartum eſt ſubiectum prædicationis, quod de omnibus enunciatur, quæ continentur in illa ſcientia, cuius eſt ſubiectum: nec refert, ſi de alijs quoque contentis in alijs facultatibus; prædicetur. Hoc pacto ens reale dicitur eſſe ſubiectũ naturalis Philoſophiæ; nihil enim in ea continetur, de quo ens reale non prædicetur; quanuis multa extra naturalem ſcientiam

*Sueſſan. primo de cælo, in prin.*

*Subiectũ cuiuslibet ſcientiæ quadruplex.*

*Cõgregationis.*

*Adæquationis.*

*Præcipuum.*

*Prædicationis.*

con-

continerantur, de quibus ipſum ens reale verè enunciatur; cùm ſit commune quoddam omnĩbus realibus diſciplinis prædicatum. Simili modo ens rationis ſubiectum in logica ponitur: quicquid enim in ipſa agitur, ſub ente rationis, tanquam ſub eius remoto genere, vel quaſi genere, continetur; quanuis ea pariter, quæ in Grammatica, Poetica, & Rethorica conſiderãtur, ens rationis, tanquam proprium prædicatum, includant. His hunc in modum conſtitutis, quatuor nunc iam propoſitas, de ſubiecto librorum de cælo, opiniones recenſeamus, quas omnes veritati conſentientes eſſe, inueniemus. Dixit Alexander, ſubiectum librorum de cælo eſſe Vniuerſum. Verum quidem hoc eſt, loquendo de ſubiecto congregationis: Vniuerſum enim cælum, & quatuor elementa congregat, ex quibus proximè conflatum eſt. Aſſeruit Simplicius, ſubiectum eorundem librorum eſſe corpus ſimplex. Quod rectè dictum eſt, ſi de ſubiecto adæquationis intelligatur: de corpore enim ſimplici ita in ea Philoſophię parte diſſeritur, vt de eodem, quatenus tale eſt, in alia nulla diſputetur; atque ita nec ſcientiam excedit, nec ab eadem exceditur. Exiſtimarunt Iamblicus, & Syrianus, propriũ eius operis ſubiectum eſſe cælum. Quod veriſſimum eſt, loquendo de ſubiecto præcipuo: cùm enim corpus ſimplex commune quoddam ſit, quod ſub ſe cælum, & quatuor elementa comprehendit; conſtat, longe præſtantius eſſe cælum, quàm elementa; ac proptereà illud idem, tanquam præcipuum illorum librorum ſubiectum ſtatuendum eſt. Tandem arbitrati ſunt Auerroes, Albertus, & Latinorum plerique, ſubiectum eiuſdem operis eſſe corpus, loco mobile. Quod, ſi de ſubiecto prædicationis ſermo fiat, tàm verum eſt, quàm quod veriſſimum: nihil enim in eo opere concluditur, quod non ad locum moueatur: parui autem refert, ſi alia multa ad locum moueantur, quæ in ea parte non conſiderantur. Atque ita patet omnium opinionum conciliatio, quæ nobis in præſentia pro fine erit præſentis diſputationis.

Vniuerſũ eſt ſubiectũ congregationis.

Corpus ſimplex eſt ſubiectũ adæquationis.

Cælũ eſt ſubiectum pręcipuum.

Corpus loco mobile eſt ſubiectum prædicationis.

# DE NVMERORVM VIRTVTIBVS,

## Diſputatio Duodecima.

*Autoris in hac diſputatione conſilium.* *Caput Primum.*

OStenſurus Ariſtoteles tex. 2. primi lib. de Cęlo, inter magnitudinis ſpecies, quæ ſunt linea, ſuperficies, & corpus, externa quadam, & veluti accidentaria perfectione corpus ipſum perfectum eſſe; nihilque ei in magnitudinis ratione deficere, hoc enthimemate vtebatur; Corpus ſecundum tres dimenſiones, puta ſecundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, diuiſibile eſt: ergo corpus eſt omniquaque diuiſibile. Hanc conſecutionem Pythagoricorum autoritate probabat: apud quos tritum ſatis, & peruulgatum erat hoc veluti axioma, qui dicit tria, dicit omne: numerus. n. ternarius perfectiſſimus eſt, immò omnem ſuam perfectionem cum ijs rebus communicat, quæ ipſo numerantur. Ex his verbis optima, ampliſſimaque occaſio data eſt famoſam, celebrem, curioſam, difficilem, mihique diù, multumque optatam quæſtionem diſcutiẽdi, quam eruditorum hominum auribus non omnino indignam fore, immò maximam omnibus oblectationem allaturam eſſe, confido. Quæſtio ea eſt. An vlla vis, ſeu facultas, aut proprietas in rebus naturalibus, & diuinis, ſit numeris tribuenda. Sed quoniam non eſt nobis tã grauis diſputatio confuſè, & abſque ordine percurrenda; ideo, vt diſputantibus nobis facilis aliqua pręmuniatur via, erit tota diſputatio in quatuor principes partes diſtributa. In prima proluſionis loco, nonnulla de ſcientiæ numerorum origine leuiter tangam: deinde verò recẽtium Pythagoræorum opinionem in medium afferam, qui virtutem numeris tribuerunt, atque præcipua teſtimonia, tã ex naturalibus, quàm ex diuinis rebus excerpta, recenſebo, quibus ipſi numerorum virtutem, & efficacitatem comprobarunt. In ſecunda peripateticis rationibus oſtendam, nullam prorſus virtutem in numeris, ne in verbis, quidem ſignis, aut caracteribus reperiri: inanemque eſſe modum illum per numeros philoſophandi, quem nõnulli, qui abſtruſi, ſecretioreſq; philoſophi haberi voluerunt, olim profeſſi ſunt. In terra Pytagoræorũ fundamenta demoliri, eorumque rationes diluere pro viribus enitar. In quarta aperiam, in quo nam ſenſu Pythagoras, & veteres Pythagorici virtutem aliquam numeris aſcripſerint, & quam ob rem ſuam vbique numeris philoſophiam referſerint.

Diſputationis origo.

Ordo in diſputatione ſeruandus.

*De origine, atq; excellentia ſcientia numerorum, deq; Arithmetica duplici.* *Cap. II.*

ANtequam diſquiramus, an vlla virtus in numeris, atq; proprietas reperiatur, ne ieiuni ad tantam diſputationem accedere videamur, non alienum eſſe duxi, leuiter conſiderare, qualis nam fuerit numerorum ſcientia, quam recentiores potiſſimùm Pythagorici tanti fecerunt: qui fuerint eius præcipui autores: vnde illa originem duxerit: hęc enim fortaſſe nobis ad veritatem, quam quætimus, faciliorem aditum patefacient. Vt autem ab eo, quod poſtremo loco propoſitum eſt, exordiamur, conſtat inter omnes, numerorum ſcientiam apud Aegyptios primum florere cæpiſſe, qui in naturalium, ac diuinarum rerum arcanis explicandis, vt notis quibuſdam, quas hieroglyphicas appellabant, ita etiam numeris vtebãtur; ne ſacrarum, ac reconditarum rerum notitia ita facilè ad prophanum vulgus perueniret. Hunc myſticum philoſophandi modum ab Ægyptijs didicerunt Hebræi, ac præſertim Moſes, vt Clemens Alexandrinus, & Philo Iudæus atteſtantur: Ab Hebræis Phœnices, à Phœnicibus Gręci. Primus autem Græcorum omnium, qui hanc numerorum ſcientiam optimè calleret, & à quo eadem ad cæteros defluxerit, fuit Pythagoras ille Samius, qui tantæ diſciplinę addiſcendæ cupiditate, ad Arabas, Hebræos, Chaldæos, & Aegyptios nauigauit: vnde quæcunq; ſapientes illi, aut proprio marte adinuenerunt, aut eis quoquomodo reuelata fuerunt, in hac numerorum diſciplina, veluti in quinta quadam eſſentia recondita, ſecum in patriam deportauit. Hunc imitatus eſt Plato, qui eandem ſcientiam, ſiue ab Italicis philoſophis, Pythagoræ ſectatoribus, ſiue, vt alijs placuit, ab ipſiſmet Ægyptijs, quorum oras ipſe quoque luſtrauit, edoctus; omnia conſtare numeris, & animam, & Deum, & mundum, ac eius mentem, &

Numerorum ſcientia apud Aegyptios primum floruit.

Moſes numerorum ſcientię peritus.

Pythagoras primus fuit, qui numerorum ſcientiã ex Aegypto in Græciam trãſportauit.

Plato numerorũ ſcientiã maximi fe-

cit, omniaque conſtare numeris aſſeuerauit.

Homo ideo aialiũ oium ſapiẽtiſſimũ, quia nouerit numerare. refert tñ Plutarchus li de anima ſolere quoſdam boues numerũ intelligere.

Auẽzoaris dictum notabile.

Veteres, ac recentiores Pythagorici & Platonici pcipui, qui numerorũ ſciẽtiã tenuerũt.

Moſis libri numerorum ſciẽtia referti.

Numerorum ſcientia, aut eadẽ eſt cũ Cabala, aut eidẽ maximè affinis.

Arithmetica duplex. Vide Plat. in Epinom.

Numerus in naturalẽ, & recenſilem diuidit ab Ariſto. lib. 10. de myſtica theologia ſecũdũ Aegyp. c. 18.

Numerus duplex, quanti, & formæ. vide Plot. li. 5. Aeneade 5.

ideas ipſas, aſſeuerauit: tantamque numerorum vim eſſe putauit, vt ſi eorum cognitionẽ, ac ſcientiam ab humana natura tollamus, omnium quoque rerum notitiam funditus deletum iri: ipſumque hominem, animantium omnium imprudentiſſimum, ac ſtolidiſſimum fore crediderit: quaſi prudentiſſimus, ac ſapiẽtiſſimus ſit, quia nouerit numerare: Quod & Auenzoar ille Babilonius, vt ſcribit Albumaſar, optimè animaduertit; cùm, ſcire omnia, & exquiſita ratione cognoſcere eum, pronunciauit, qui numerorum ſcientiam teneret. Hinc factum eſt, vt Aglaophemus, Philolaus, Iamblicus, (veteres Platonici) Iacobus Faber, Carolus Bouillus, Io. Picus Mirandulanus, Franciſcus Georgius, & alij recentiores, cùm Platonici, tùm Pythagorici, in hanc ſublimem Arithmeticam toto pectore incubuerint, in qua myſteria plurima contineri, & à qua plurima ſe didiciſſe, confeſſi ſunt. Inter innumera theoremata, quæ publico certamini Mirandulanus expoſuit, nonnullas attulit quæſtiones, & eas quidem difficiles, ad quas ſe pollicitus eſt per numeros reſponſurũ. Idem, libros Moſis hac eadem Arithmetica refertos eſſe, perhibuit: in quibus innumera propemodum myſteria, numeris obuelata, leguntur, quæ non niſi à ſapientiſſimis viris, atque huius potiſſimùm diſciplinæ peritis, percipi poſſunt. Et hæc fortaſſe eſt illa ſcientia, aut eidem ſaltem maximè affinis, quã apud Hebræos Cabaliſtæ profitentur: nam & ipſi magnam illam vim, quam nonnullis nominibus tribuũt, numeris putant acceptam eſſe referendam. Porrò cùm Arithmeticam dicimus, non eam intelligas, qua Mercatores, & Proletarij quique vtuntur, ſed illam, cuius in Epinomide meminit Plato, dum ait, numerus opus eſſe, non ijs, qui corpus habent, ſed qui omnem paris, imparisve generationem, atque virtutem, ad perficiendam, cognoſcendamque rerum naturam cõferunt. Et autor etiam illius libri, qui Ariſt. aſcribitur, de myſtica Theologia ſecundum Aegyptios, lib, 10. c. 18. de ſubſtantiali intellectus numero verba faciens, ita ſcribit, *Neque autem in præſentia accipimus recenſilẽ numerũ, qui euidens eſt, ſed naturalem, qui eſſentia eſt, ab alio contenta.* Plotinus quoque lib. 5. Aeneade quinta, duplicem affert numerum, alterum quanti, qui ad vulgarem Arithmeticam pertinet: alterum formæ, ſeu ſubſtantiæ, quo doctiſſimi quique viri vſi ſunt, quos philoſophandi oſcuritas delectauit: & hic eſt ille numerus, cui paſſim virtutem Pythagorici tribuerunt.

*Exemplar, & veluti imago quædam Pythagoricæ numerorum diſciplinæ* Cap. III.

Io. Reuchlinus lib. 3. de arte Cabaliſtica.

Ariſt. 10. Metaph. tex. 3.

Petrus Bongus li. de Miſti. nu. ſigni.

QVoniam multos eſſe arbitror, ad quos Pythagoricorum numerorum nomẽ tantummodo peruenit, quid autem re vera ſit numerorum illa ſcientia, quam iſti Philoſophi profitentur, penitus ignorant, idcirco ab inſtituto noſtro alienum fortaſſe non erit, aliquod quaſi ſpecimen reconditæ huius diſciplinæ præbere, vt hinc etiam faciliùs intelligere, atque inueſtigare poſſimus, an virtus aliqua ſit numeris tribuenda. Statuunt Pythagorici, vnitatem rerum omnium fontem, & originem, atque adeo rerum omnium initium eſſe, quinimmò æterno principio perſimilem, cùm ſimpliciſſima illa ſit, nec ab vllo pendeat. Sed præterea cẽſent, id ipſum, quod vnum eſt, cognitionis quoque principium exiſtere: cùm enim quippiam nobis conſiderandum occurrit, illicò in illud vnum, quod ipſum eſt, mentis oculos conijcimus, illudque ſtatim, alterum non eſſe cognoſcimus. Hinc dualitas oritur, quæ principium eſt differẽtiæ. Numerus quidem ipſa dualitas non eſt, ſed vnitatum confuſio quædam. Prima multitudo appellatur, quam nullus poteſt numerus dimetiri, præterquam ſola vnitas, numerorũ omnium menſura communis: ſemel enim duo, nihil aliud, quàm duo eſt. Ex vnitate, & dualitate triades oritur, primus numerus impar, atque adeo perfectiſſimus; cùm primum in vnoquoque genere perfectiſſimum ſit omnium, quę in illo genere continentur, eorumdemq; veluti menſura quædam exiſtat. Perfectior eſt hic numerus numero pari, cùm illum comprehẽdat, ab eo tamen non comprehendatur. Maſculus eſt, atque fæcundus, cupienſque ſuam bonitatem cum cæteris communicare, ſeſe in ſemet ipſum per modum vnitatis, & dualitatis retorquens, ita multiplicat, ſemel bis duo ſunt quatuor. Hinc igitur ortum ducit quaternarius numerus, qui numerorum omnium plenitudo eſt, corporeuſque appellatur, quod rebus præcipuè corporeis conueniat, quemadmodum tres prædicti numeri rebus incorporeis aſſignantur. In vnitate quidem ſignificatur punctus, prorſus indiuiſibilis; in binario linea, quæ eſt longitudo, ſine latitudine: in ternario ſuperficies, quæ eſt longitudo, & latitudo, ſine profunditate: in quaternario verò ipſa etiam profunditas continetur; & propterea primus nu-

merus iudicatur. Et verò quaternarius numerus hanc potiſſimum perfectionem continet, vt ipſo omnis numerorum progreſſio perficiatur; ſi enim & vnitatem, & vnitatum confuſionẽ, & primum imparem numerum, & hunc quaternarium ſumamus, perfectiſſimum parem numerum, qui denarius eſt, conſtituemus: nam vnum, duo, tria, quatuor, de omnipotentia potẽte ad energiam excuntia, pariunt decem; hic autem numerus eſt omnis numerus: ab eo enim vltra nõ niſi per replicationem numeramus. Hæc eſt veluti theoria quædam huius numerorum diſciplinæ. Sed plura apud Pythagoræos.

*Modus per numeros philoſophandi, quo Pythagorici vtuntur, breuiter explicatur.*
*Cap. IV.*

CÆterùm audire mihi videor curioſum aliquem, optantem, poſt tantæ diſciplinæ contẽplationem, aliquam etiam eiuſdem exercitationem deguſtare, vt modi illius per numeros philoſophandi, quo Pythagorici vtuntur, vmbram ſaltem, ac veluti caliginem percipiat. Huic ſatis libentiſſime faciam, neque à me tamen, ſed ab alio id ſoluam. Finge; Pythagorcũ aliquem naturam eſſe Angelicam contemplaturum: is hunc in modum per numeros, Pythagorico more, philoſophari incipiet. Quicquid eſt poſt vnitatem, numerus vnitate perfectus, & conſumatus eſt: ſola vnitas omnino ſimplex, à ſe perfecta, extra ſe non egreditur: ſed indiuidua ſimplicitate, & ſolitaria ſibi cohæret, quia ſupereſt ſibi, nullius indigens, ſuarum plena diuitiarum. Numerus ſua natura multitudo cùm ſit, vnitatis beneficio fit ſimplex, quãtum ipſe ſimplicitatis eſt capax. Quanquam autẽ numerus quiſque quò magis ab vnitate fit procul, in maiorem ſemper multitudinem incidit, pluſque in eo diſſimilitudinis, plus partiũ, plus compoſitionis reperitur, nullus tamen eſt numerus, vnitati proximus, qui multitudo nõ ſit, aduentitiam habens vnitatem, & eam quidem, non natura, ſed compoſitione, vnam. Hac numerorum ſignificatione, veluti ſcala quadam diſpoſita, ad diuina aſcẽdit, Pythagorçus, hoc pacto. Solus Deus, qui à nullo eſt, & à quo ſunt omnia, ſimpliciſſima vnitas, & indiuidua eſſentia eſt; quicquid habet, à ſe habet: eadem re, qua eſt, eadem ſapit, eadem vult, eadem bonus, eadem iuſtus eſt: neque rem aliquam intelligere poſſumus, qua ipſe ſit, præterquam ipſum eſſe, quod ipſe eſt. Cætera, quæ ſunt alia à Deo, non illud, ideſt ipſum eſſe, ſed illo, ſunt. Igitur Angelus non eſt ipſa vnitas; alioquin Deus eſſet, aut plures eſſent Dij, quod concipere nemo poteſt: quid enim erit vnum, ſi ne ipſa quidem vnitas vna eſt? Relinquitur ergo, vt Angelus numerus ſit; quòd ſi numerus eſt, alia ſui parte multitudo eſt vna. Iam verò numerus omnis perfectionem in ſeſe, & imperfectionem pariter includit: eatenus imperfectus dicitur, quatenus multitudo: perfectus autem, quatenus vnus. Quare quicquid in Angelo imperfectum eſt, Angelicæ multitudini, quam inde habet, vnde eſt numerus. i. creatura, tribuitur. Quicquid verò perfectum eſt, accedẽtis vnitati, quam inde habet, vnde Deo iungitur, aſſignatur. Imperfectionem in Angelo duplicem inueniunt Pythagorici; alteram, quia nõ eſt ipſum eſſe, ſed eſſentia tantum, cui participatione ipſius eſſe, accidit, vt ſit: alteram, quia non eſt ipſa intellectio, ſed ei accidit, vt intelligat; cùm eius intellectus ſui natura ſit intelligentiæ capax. Hanc autem ſecundam imperfectionem ex prima pendere dicunt; quoniam quod ex ſe non eſt, vtique neque intelligit ex ſe, cùm ibi eſſe nihil poſſit, vbi non eſt ipſum eſſe. Vtraq; igitur harum imperfectionum accidit Angelo, ea ratione, qua multitudo eſt, atque adeo opus eſt, vt abſolutio illi, & conſumatio ab accedente deſuper fiat vnitate, quæ quidẽ vnitas Deus eſt, vnde ad Angelum, & eſſe, & vita, & omnis perfectio deriuatur. Hic eſt modus per numeros philoſophandi, quo Pythagorici vtuntur, & quemadmodum illum in Angeli contemplatione audiuimus, eundem in cæteris rebus eſſe putandum eſt.

Ita ad verbũ philoſophatur Io. Picus Mirãd. in Heptaplo lib. 2. qui eſt de mundo Angelico cap. 1.

Sola vnitas ſimpliciſſima eſt.

Numerus q̃libet multitudo eſt, & vnitatis beneficio fit ſimplex.

Solus Deus vnitas eſt.

Creatura oĩs non vnitas, ſed numerus eſt.

Numerus ratione vnitatis perfectus dicitur; ratione verò multitudinis, imperfectus.

In Angelo imperfectio duplex.

*Numerorum virtus à recentioribus Pythagoricis vniuerſalibus rationibus comprobatur.*
*Cap. V.*

HActenus reconditæ iſtius numerorum diſciplinæ originem, excellentiam, autores præcipuos, ac denique modum illum philoſophandi, quem Pythagorici ſignare numeris, atque in rebus ipſis exercere conſueuerunt, dilucidè patefecimus. Nunc propiùs ad rem propoſitam accedendum eſt, omniaque illa media nobis recenſenda ſunt, quibus recentiores Pythagorici, virtutem aliquam in numeris ponendam eſſe, probare nituntur: qua ipſi, vt qualita-

tes agẽtes, aut operantes formæ; aliquid in rebus præcipuè naturalibus efficere poſſint. Id ipſum igitur quadruplici via ſe oſtendere profitẽtur: primò vniuerſalibus rationibus; ſecũdò, naturalibus obſeruationibus; tertio teſtimonijs, è diuinis rebus deſumptis; quarto doctiſſimorum hominum, immò etiam Sanctorum Patrum autoritatibus. Argumẽtatur itaq; primò ſic. Quò aliqua ſunt formaliora, vt vtar eorum verbis, eo ſunt virtute potẽtiora: (virtus enim ſequitur formam:) ſed res mathematicæ ſunt formaliores phyſicis, cùm ſint magis abſtractæ; igitur ſi à rebus phyſicis virtutes aliquæ, & operationes emanant; multò magis à rebus mathematicis, cuiuſmodi ſunt numeri, debent proficiſci. Secundò, quod in ſuo eſſe minus, pẽdet, minùs quoq; in agendò, vel in operando pẽdebit, atque ita maiorem vim, atque potẽtiam habebit: (operatio enim rei naturam, atque ſubſtantiam conſequitur:) ſed numeri in ſuo eſſe minus pẽdent, quàm res naturales; ergo maiorem vim, atque potẽtiam habent, quàm res naturales: ſi itaque virtus; atque proprietas in rebus naturalibus ineſt, multò magis in numeris, reperiri debebit. Tertiò, quæcunque ſub vna forma aliquid agunt, ſub alia verò aut nihil, aut aliud quippiam; proculdubio inſitam habent virtutem, & efficacitatem: huiuſmodi autem ſunt numeri; eiſdem igitur eſt virtus aliqua tribuenda. Minorem probant; quoniam numerus ſub forma quinarij aliquam habet vim, quam tamen non habet ſub forma ſenarij: immò ſi ſenario addatur quinarius, ambo vim, & facultatem mutant, vt in multis naturalib. rebus apparet, de quibus paulò infra dicemus. Quartò, pulchritudo corporis oculos mouet, & hoc ipſo delectat, quod inter ſe partes omnes cum lepore quodam conſentiunt: atqui lepos ille, ſiue concinnitas nihil aliud eſt, quàm apta mẽbrorum compoſitio, atque proportio, quæ in numeris conſiſtit; ineſt igitur in numeris virtus, quę viſum oblectet: ſi enim cętera ponas, & numerum illum, ſeu proportionẽ deſtruas; nihil amplius in corpore manebit, ex quo viſus oblectatione affici poſſit. Quintò, vt rationem hanc, ex proportione deſumptam, vniuerſaliorem reddant, hoc idem in cantibus, & ſonis oſtẽdere conantur: etenim ſi vocum, aut ſonorum concinnitas quædam fiat, vt, ſi graues, & acuti certa proportione miſceantur; inde dulcis, auribuſque gratiſſima orietur harmonia: ſi autem voces, aut ſoni maneant, proportio verò mutetur, exempli gratia à tertia ad quartam, à quinta ad ſeptimam, ab octaua ad nonã, & ſic de cæteris; tunc aures maxima illa diſſonantia, & inconcinnitate læduntur; igitur in numeris lædẽdi aures, ac oblectandi virtus reperitur. Quod autem in ſenſu viſus, atque auditus probatum eſt, idem in cæteris ſenſibus intelligi volunt. Poſtremò ſic argumẽtantur, niſi in numeris, ac præſertim harmonicis, efficiẽdi vis maxima reperiretur, tunc Orpheus ad ſe ſe Dæmones, animantes, arbores, ſaxa, & id genus alia, trahere muſica non potuiſſet: conſtat autem inter omnes, cum hæc ipſa feciſſe; igitur negandum non eſt virtutem maximam in numeris reperiri.

Quadruplici via recentiores Pythagorici numerorum virtutẽ oſtendere nituntur.

Prima ratio vide Io. Picũ Mirandul. in Apolo. diſp. de Magia, & Cabala.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

### *Numerorum virtus à recentioribus Pythagoricis naturalibus obſeruationibus confirmatur. Cap. VI.*

SEcundum medium, quo recentiores Pythagorici, ad probandam numerorum virtutem, vtuntur, ex naturalibus obſeruationibus deſumptum eſt. Integrum ſanè volumen efficere poſſem, ſi omnes quotquot à varijs autoribus obſeruationes adducuntur, recenſere vellẽ: afferam tantum præcipuas, omnes enim eodem ſpectant. Obſeruant in primis, impares numeros, quos mares appellant, paribus, hoc eſt fęminis, longè potentiores eſſe: & (vt plures omittam) ſeptenarium accipiunt, quem maximam in rebus naturalibus virtutem, & efficacitatem habere contendunt. Etenim ſeptimeſtres partus nulla alia ratione, afferunt, vitales eſſe, niſi propter vim, & facultatem numeri ſeptenarij. Acutos morbos ſeptimo plerunque die finiti: ſin verò ſeptenarius ſimplex ſatis non eſt, ſeptenarium duplex expoſcere. Quandoque etiam ante ſeptenarium quidem, ſed tamen tertia die iudicari, idque ternarij numeri virtute, qui impar eſt. Addunt plura de anno climacterico, qui hominibus ſolet eſſe lethalis. Multa afferunt de diebus decretorijs, quibus Medici contra Aſclepiadẽ, ob certum numerum, & ſæpe imparem, plurimum tribuunt. Sed & in pillularum numero exhibendo, imparem eligunt Medici, vt efficaciùs agant. Ferunt etiam, ſi ter arundine percutiatur ſerpens, ipſum ſtatim ſtupore maximo affici, propeq; ad interitum duci: quod ſi quarta vice idem percutiatur, ipſum reuiuiſcere, priſtinumq; robur acquirere. Hæc certè fieri non poſſent, niſi in numeris ali

Impares numeri mares, pares verò fęminæ à Pythagoricis appellantur.

Vires ſeptenarij, atque ternarij numeri.

Nota de ſerpente, arundine ter percuſſo.

qua

qua vis, atque poteſtas reperiretur. Cæterùm & in fęminis, hoc eſt paribus numeris, recentiores Pythagorici vim maximam obſeruarunt. Senarium numerum in nuptijs, aiunt, & ad prolem edẽdam præpotẽtem eſſe; atque ideo nonnulli mundo condito, ſeu eius fabricæ, hũc eundem numerum tribuerunt: ſex enim diebus rerum omnium conditor hanc mundi fabricam abſoluit: ſeptimo autem die ab omni opere, quod patrarat, quieſcit. Obſeruant rurſus, octonarium numerum, quem iuſtitiæ numerum appellant, ad res obeundas plurimum poſſe. Denique, vt in muſicis potiſſimum numeris vim maximam reperiri confirment, adducunt mirabilem illam obſeruationem, in curatione veneni illius animalis, ex araneorum, vel phalangiorum genere, quod in Apulia potiſſimùm naſcitur, tarantulaque nuncupatur; animal iſtud, dum meſſorum crura, quæ ocreis non ſunt armata, icit, eos tali veneno afficit, vt non quouis ſtrepitu, ſed ſonorum tantum modulatione curari poſſit. Qua igitur ratione hoc fieret, niſi in numeris harmonicis virtus aliqua contineretur.

Senarij numeri virtutes.

Nota de veneni tarãtulę curatione, muſicorũ numerorũ virtute facta.

*Teſtimonia, è diuinis rebus deſumpta, quibus recentiores Pythagorici numerorum virtutem oſtendere nituntur. Cap. VII.*

PRæter naturales obſeruationes, è rebus quoque diuinis teſtimonia ſumunt recentiores Pythagoræ ſectatores, ad numerorum virtutem, & proprietatem comprobandam. Primò inquiunt, ideo in ſecunda die, qua firmamentum legimus à Deo Opt. Max. conditũ eſſe, nõ fuiſſe dictum, & vidit Deus, quod eſſet bonum; quoniam binarius numerus malus eſt. Afferũt etiam, omnia animalia immunda in Archam Noè bina ingreſſa fuiſſe; ſeptena autem, quę munda ſunt: igitur in binario, & ſeptenario numero aliqua occulta proprietas reperitur. Ternarij numeri proprietates, & dignitates multipliciter confirmant. Tres tantum, inquiũt, leges reperiri, ſcilicet, Naturæ, Moſis, & Gratiæ; atque ob ternarij numeri perfectionem, & abſolutionem, nullam aliam legem futuram eſſe. Rurſus tres eſſe aſſerunt Angelorum hierarchias, triplicato ternario numero, hoc eſt, in nouem choros. Tres perſonas in eſſentia diuina, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. Tres Theologicas virtutes, fidem, ſpem, & Charitatem. Tribus diebus, occulto quodam myſterio, fuiſſe Ionam in ventre Cæti. Totidem extitiſse Chriſtum in ſepulchro: Et innumeras referunt ternarij numeri virtutes, quas longum, & ſuperuacaneum eſset recenſere. Integrum de ternario numero librum compoſuit *Auſonius*, quem vocauit Gryphum. Scripſerunt, & alij, ad quos curioſos remitto. Ad hæc, nõ ſine cauſa, neq; caſu, & temerè putarunt, in denariũ numerũ decẽ pręcepta legis decẽ Pſalterij chordas, decemq; Pſalmorũ cantores incidiſse: multa.n. in denario numero myſteria cõtinentur, ideoque, & Cabaliſtæ numerationes decem, quas vocant ספירות, poſuerunt. Duodenarij etiam numeri ſecretam aliquam proprietatem in duodecim tribubus Iſrael, in duodecim Apoſtolis, & in duodecim lapidibus cæleſtis Hieruſalem, ſpeculantur. Rurſus nõ ſine myſterio, ſed occulta quadã ipſius numeri proprietate putãt, quadraginta dies Moſen, quadraginta Eliam, quadraginta Chriſtũ, ieiunaſse; & quadraginta diebus poſt reſurrectionem, ad Cælum aſcendiſse; & quadraginta horas apud Inferos extitiſse, & poſt quadraginta dies Niniuæ ſubuerſionẽ prædictam fuiſſe: & totidem dies, noctesque Deum ſuper terram pluiſſe. Magnum etiam dicunt continere Sacramentum in quinquagenario dierum numero Spiritum ſanctum Apoſtolis deſcẽdiſſe. Alia huius generis plura apud Martianum Capellam lib. 7. de muſicis numeris, apud Petrum Bongum Canonicum Bergomẽſem, libro de *Myſtica* numerorum ſignificatione, apud Fabium Paulinum, libris de ſeptenario, atque etiã apud alios, vnuſquiſque poterit reperire.

Binarij numeri malitiã vnde eliciãt recentiores Pythagorici.

Vnde bonitatem ſeptenarij.

Ternarij numeri ꝓprietates, & dignitates variæ.

Auſonius de ternario numero ſcripſit integrum librum.

Denarij numeri pprietates.

Proprietates duodenarij.

Proprietates quadragenarij.

Proprietates quiquagenarij.

Martianus Capella.

Petrus Bongus.

Fabius Paulinus.

*Illuſtrium Virorum, atque etiam Sanctorum Patrum autoritatibus, recentium Pythagoricorum ſententia de numerorum virtutibus roboratur. Cap. VIII.*

IAm Illuſtrium Virorum, atq; etiam Sanctorum Patrum ſnĩas afferamus, quibus recẽtiores Pythagorici ſuam ipſorum ſnĩam de numerorum virtutibus roborare nituntur. Magni fecit, inquiunt, hanc numerorum ſcientiam Romanus Boetius, qui conſtanter aſſeuerauit, procreandarũ rerum numerum in conditoris animo præcipuum exemplar extitiſſe. Macrobius lib. 1. in ſomnium Scipionis, ca. 13. dixit, animas corporibus, certa quadam numerorum ratione ſociari. Plinius libro 28. cap. ſecundo, vt carminibus, ita numeris; atque præſer-

Boetius.

Macrobius.

Plinius.

Vergilius. Vegetius.

tim imparibus, vim maximam tribuit. Virgilius Ecloga octaua Deum, aſſeruit, impa-
ri numero gaudere. Vegetius de re militari ſcribit, foſſarum caſtrenſium latitudinem im-

Henr. Corn. Agrippa.

paritati accommodandam eſſe. Citant etiam Magum illum, atque Hæreticum, Henricum
Cornelium Agrippam, lib. 2. de occulta philoſophia c. 3. & alios, quos lubens, & volẽs omit-

Artapanus.

to, tanquam ab Eccleſia damnatos. Affert Petrus Bongus mirabile quiddam ex Artapano
in opere de Iudæis; qui refert, Moſen in cuſtodia inconcluſum à Nechefre, Aegyptiorũ Re-
ge, propterea quòd peteret, vt ex Aegypto populus liberaretur; noctu, aperto carcere, diuina
voluntate egreſſum fuiſſe, atque in regiam acceſſiſſe, dormienti Regi aſtitiſſe, ac illum excitaſ
ſe. Regem autem eo, quod factum fuerat, ſtupefactum, Moſi iuſſiſſe, vt nomen eius diceret,
qui miſerat; & illum quidem, cùm ad aurem inclinaſſet, dixiſſe. Regem verò, cùm audiuiſſet,
mortuum cecidiſſe: cùm autem Moſes eum poſtea tenuiſſet, rurſum reuixiſſe. Nullam aliam
ob cauſam id accidiſſe putant recentiores Pythagorici, niſi ob latentem numeri virtutem,
quæ in diuino illo nomine continebatur, quod Moſes ad illius Regis aures pronunciauerat.

Hilarius.

Audiamus nunc S. Patres. Hilarius in com. ſuper pſalmos, cauſam inquirens, cur pſalmorũ
ordo ſecundum hiſtoriam diſpoſitus non ſit; ſed ſæpè pſalmus, qui priùs compoſitus eſt, po-
ſterior in ordine collocatur; arbitratus eſt, eam ad numerorum virtutem eſſe referendam. Se
ptuaginta enim ſeniores, quibus à Ptolomæo Rege totius legis ex hebræa in græcam linguã
transferendæ cura demandata fuit, cæleſti quadam ſcientia, pſalmorum virtutes intelligen-
tes, cùm ſine vlla ordinis præſcriptione apud Hebræos in vnum permiſti eſſent, in numerum
eos, atque ordinem redegerunt, & ſingulis quibuſque numeris, pro eorum efficientia, & abſo
lutione perfectis, perfectorum, & efficiẽtium pſalmorum ordinẽ deputarunt. Ideo quia quin-

Hieronym.

quagenarius dierum numerus, in quo ſpiritus Sanctus Apoſtolis deſcendit, peccatorum re-
miſſioni tribuitur; inquiunt, pſalmum, *Miſerere mei*, eo numero ſignatum fuiſſe. D. Hieron.

Auguſtin.

contra Iouinianum expreſſe aſſerit, infauſtum eſſe numerum vigeſimum, in quo ſeruiuit Ia-
cob, & venditus eſt Ioſeph. D. Aug. lib. 11. de Ciuit. Dei, c. 30. de ſenarij numeri perfectione
loquens, hæc ſcribit ad verbum, *Hæc breuiter commemorandum putaui ad commendandam
ſenarij numeri perfectionem, qui primus, vt dixi, partibus ſuis in ſummam redactis, ipſe per-
ficitur, in quo perfecit Deus opera ſua*, & ſubdit, *Vnde ratio numeri contemnenda non eſt, quæ
in multis ſanctarum ſcripturarum locis, quàm magni æſtimanda ſit, elucet, diligenter intuenti-
bus: nec fruſtra in Dei laudibus dictum eſt, Sapientiæ 11. Omnia in menſura, & numero, & põ*

Lege Petrum Gregor Toloſanũ li. 15. Syntax artis mirab. c. 10.

*dere diſpoſuiſſe*, Citantur etiam à Petro Gregorio Tholoſano Cyprianus, & Tertullianus:
ſed quia locos non affert, ideo non eſt, cur illos curemus. His igitur iam videor recentiũ Py-
thagoricorum de numerorum virtute, & efficacitate ſententiam ſi non omnibus, at ſaltẽ præ
cipuis eorum rationibus, & fundamentis cumulatiſſimè confirmaſſe, quæ pro prima huius di
ſputationis parte ſatis erunt.

***Recentium Pythagoricorum ſententia de numerorum virtutibus peripateticis rationibus re-
futatur. Cap. IX.***

A Deo iam reconditam iſtam numerorum ſcientiam, eorundemque in rebus ipſis virtu-
tem, & efficacitatem, recentium Pythagoricorum rationibus, & ab iiſdem allatis auto

Nota de Io. Pico. Miran.

ritatibus, commendauimus, vt verear, ne multi ſint, qui illam tanquam certam, atque ſyrice-
ram amplexati fuerint: ea enim multarum, atque reconditarum rerum pollicitationibus; ve-
luti illecebris quibuſdam, & lenocinijs; ſtudioſos iuuenes irretire, ac delinire ſolet. Miror, in-
ter ceteros, hanc in foueam cecidiſſe Io. Picum Mirandulanum, qui tamen, vt omnes norunt
præclariſſimi, ac fæcundiſſimi ingenij vir fuit. Sed certè haud ſcio, ipſe ne re vera virtutẽ ali
quam in numeris reperiri, exiſtimauerit: an potius, tanquam gloriæ auidus, vt reconditarum
rerum peritus ab alijs putaretur, hanc de ſe opinionem cæteris perſuadere in animo habue-

Ariſt. lib. 13. & 14. Met. numerorum ſcientiã, ſeu virtutem deteſtatus eſt.

rit. Sed quoquo modo ſe res habet, iſtiuſmodi nugæ, aut pueriles, aniléſque fabulæ, Peripate
ticorum Scholas non ingredientur: qui non inanem, & vento, vt ita dicam, expoſitam, ſed ve
ram, firmam, ac ſolidam philoſophiam profitentur. Quorum princeps Ariſt. hanc numero
rum ſcientiam, ſeu virtutem, multis quidem locis, ſed potiſſimum 13. & 14. Metaph. libris
apertiſſimè deteſtatus eſt: non enim concipere potuit, quo nam pacto ea, quæ à materia ſeiũ

cta ſunt, cuiuſmodi ſunt numeri, vllam in materialibus rebus virtutem exercere poſſint, quia hæc ab illis pati quoquo modo dicantur. Poſſumus igitur aduerſus recentiores Pythagoricos ſic argumentari: Cùm actio, & paſſio inter contraria fiant, vt habetur 1. Phyſ. & 1. de generatione, eſtque communis omnium philoſophorum aſſertio: opus eſt ſanè, vt agens, & patiens genere conueniant: neque enim album in dulce, aut calidum in triangulum, vel quadrãgulum agere poſſunt; quia alterius, & alterius generis ſunt: ſed numerus, vt numerus eſt, hoc eſt numerus numerans (de hoc. n. eſt diſputatio) & res naturales pluſquã genere differunt; ergo numerus nullam in rebus naturalibus virtutem, aut efficacitatẽ habere põt. Minor eſt euidens: nam res naturales ſunt entia realia; numerus autem numerans, quia pendet ab anima, eſt ens rationis: at ens reale, & ens rationis pluſquam genere differunt; ergo numerus numerans, & res naturales pluſquam genere differunt; atque adeo nulla numeri virtus, atq; proprietas in rebus naturalibus eſſe poteſt.

Prima ratio aduerſus recenſiores Pythagoricos.

Numerus cũ ſit ens rõnis pluſquam genere differt à rebus naturalibus, q̃ ſunt entia realia.

Aiũt Pythagorici, perfectionem aliquam animalium ſenſus habere, quia quinario numero comprehenduntur. In elementis inſitam eſſe vim; ad mundi ſtructuram; quia quaternario. Animas, nimirum vegetalem, ſentientem, & rationalem, & in ſe ipſis perfectas eſſe, & ſuam cum corporibus perfectionem communicare, quia ternario numero concluduntur. O indignam philoſophiam, quæ Pythagorica nominetur. Animalium ſenſus non ideo ſentiendi inſtrumenta dicuntur, quia ſunt quinque; ſed quia in ipſis ſentiendi facultas reperitur. Demas vnum, vt in cæcis, nunquid cæteri, quia tantũ quatuor remanent, idcirco feriabuntur, eruntque ſentiendi facultate priuati? Elementa, non quia ſunt quatuor, ideo vim habent in mundi ſtructuram: ſed quia talibus formis, & qualitatibus prædita ſunt, vt ſimul miſceri poſſint, ex quorum poſtea miſtione res omnes, quæ in ſublunari mundo apparẽt, oriantur. Similiter animæ, nõ quia ſunt tres, ideo in ſe ipſis perfectæ ſunt, vel perfectionem cum ijs corporibus communicãt, quorum ſunt formæ; ſed quia natura ſua ſubſtantiæ ſunt, & omnis ſubſtantia, ea ratione, qua talis ſubſtantia eſt, perfectionem aliquã inſitam habet. Demus, diſputationis gratia, rationalem animam, ſentientem, & vegetalem ideo hanc perfectionem obtinere, vt. ſ. ſint corporum formæ, quia ſunt tres: tunc cùm ex poſterioriſtica regula, à quatenus ipſum ad omne, conſecutio valeat; neceſſariò ſequetur, vt ea omnia, quæ ternario numero continentur, hanc eandem perfectionem obtineãt, vt. ſ. ſint corporum formæ: itaque tria vexilla, quæ ſunt Venetijs, in platea Diui Marci, eá ratione, qua *tria ſunt*, dicentur corporum formæ, quo neſcio quid abſurdius dici, cogitariue poſſit. Sed prætērea, à numero ternario tres animas ſuam perfectionem Pythagorici aſſerunt obtinere. Id autem quàm falſum, atque abſurdum ſit, ex ea ratione, quam nunc afferam, omnes, opinor, elicere ſatis commodè poterunt. Etenim id, quod in ſui natura, atque ſubſtantia perfectionẽ ab alio recipit, eò ſanè poſterius eſſe debet, alioquin perfectum eſſet, antequam perfectionem reciperet: ſi igitur tres animæ à numero ternario in earum ſubſtantia perfectionem recipiũt; eo procul dubio poſteriores erunt: at verò (quicquid de cæteris animabus ſit) qui fieri vnquã poteſt, vt rationalis anima, à qua numerus numerans in eſſe pẽdet, ſit ipſo numero poſterior?

Confutatio eorundem.

Argũ ducẽs ad abſurdũ.

Secunda rõ aduerſus recentiores Pythagoricos.

Dicent fortaſſe Pythagorici, rationes has nonnihil roboris, & firmitatis habere, quia nos ponimus, numerum eſſe ens rationis, & ab anima rationis participe vſquequaque pendere: at verò ſi quis ſtatueret, numerum ens aliquod eſſe reale, à rebus numeratis diuerſum, non ita abſurdum eſſet, concedere, virtutem aliquam in numeris reperiri. Si enim cæteris entibus realibus virtus aliqua, ſeu proprietas aſcribitur, cur non etiam aliqua virtus, aut proprietas numeris aſſignabitur? Verùm tueantur quantum velint recentiores Pythagorici, numerum eſſe rem aliquam extra intellectum, à rebus numeratis diuerſam; nihilominus nulla idcirco ratione nos cogent, vt aliquam numeris virtutem tribuendam eſſe concedamus. Faciamus, numerum ens aliquod eſſe reale. Cedo, quod nam erit? Profectò nihil aliud niſi quantitas. Nũc autem dicant, quæ nam efficiendi vis in quantitate inſita eſt? aut quod nam ipſa opus de ſe promere valet? Nullum me hercule; cùm vulgatiſſima ſit omnium philoſophorum aſſertio, quantitatem de actiuorum genere non eſſe. Quod etiã ratione firmari facilè poteſt: vt enim qualitas gratia formæ, ita quantitas gratia materiæ, ſubſtantiam conſequitur: quare ſicut ſola forma, non etiam materia, agit; ita ſola qualitas, non item quantitas, agendi virtute prædita erit; ipſa enim veluti materia quædam eſt, in qua proximè cætera accidentia recipiuntur. Quare etiam ſi numerus res aliqua per ſe ſit, non ab anima pendens (quod tamen falſum eſ-

Pythagoricorum effugiũ.

Tertia rõ cõtra eoſdem.

Quãtitas nullam habet agendi vim.

Etiam ſi numerus ſit entitas realis, nulla tñ agẽdi virtute prę ditus eſſe poteſt.

ſe

ſe arbitror)nulla tamen,hanc ob rem agendi,aut efficiendi virtute præditus eſſe poteſt. Demonſtratione igitur iam conſtat, nullam numerãtes numeros in naturalibus rebus virtutem, aut operationem habere;atque adeo Peripateticorum philoſophiam, quæ numeris virtutẽ negauit,firmiſſimam,& ſolidiſſimam eſſe.

*Vt nulla virtus in numeris;ita nec in verbis, carminibus, ſignis, characteribus, aut id genus alijs reperitur. Cap. XX.*

CÆterùm Peripatetici non ſolum in numeris nullam omnino virtutem,aut proprietatem reperiri, exiſtimarunt;ſed ne in verbis quidem,carminibus,ſignis, characteribus, aut id genus alijs,quibus vulgares homines,ac potiſſimum mulieres,aut ad amorem, aut ad futura prædicenda,aut ad morborum curationes,aut ad huiuſmodi alia frequenter vtuntur. Iſthæc fortaſse,deteſtandi cauſa,exemplis patefacere, iuuabit. Sunt qui putent, in furentis canis occurſu,ſi quis hæc verba proferat, *In chamo,& freno maxillas eorum conſtringe,* canem illum ſtatim immotum,ac veluti attonitum reddi. Scribit Plinius lib.28.cap.2. Attalũ quędam affirmaſse,ſi quis,ſcorpione viſo,dicat, *Duo,*cohiberi illum,nec vibrare ictus. Riſum mouent,quæ hac in re ab alijs referuntur. Tradunt,ſi quis aſino in aurem dixerit,ſe ab ſcorpione ictum eſse,dolorem protinus omnem remitti. Alij putant, è quacunque corporis parte ſanguinem profluentem,partis contactu, verba hæc obmurmurantes, cohiberi, *de latere eius exiuit ſanguis,& aqua.* Alij exiſtimant,ad arcẽdam lippitudinem, valere chartam,circumligatam lino,& collo appẽſam,in qua duæ græcæ literæ ſcriptæ ſint π,& α. Alij non verbis ſolùm virtutem tribuunt,ſed aut herbis,aut lapidibus,aut rebus alijs naturalibus,non tamen quatenus naturales ſunt,ſed quatenus,vel certo numero ſignatæ, vel accidente aliquo affectæ ſunt. Dicunt,vnum tantum Pentaphylli folium ephemeram febrem, tria tertianam, quatuor quartanam curare. Addunt, tria heliotropij grana tertianæ febri quatuor quartanæ prodeſse. Ferunt etiam,ex calua non cuiuſcunq; hominis,ſed ſuſpendio tantum interempti,catapotia fieri, contra canis rabidi morſus. Alia huius generis ſexcenta apud Plinium, loco citato,apud Io. Fernelium lib. 2. de abditis rerũ cauſis,& alios paſſim reperies, quę omnia inania ſunt, atque à veritate aliena. Pluribus rationibus ea ipſa à nobis refelli poſsent; ſed vna tantum contenti erimus,quam validiſſimam eſse,& rem apertiſſimè demonſtrare arbitramur:eſt autem huiuſmodi. Virtus omnis,quam ex re aliqua emanare conſpicimus, tribus potiſſimùm rebus accepta referri ſolet,aut toti illius rei ſubſtantiæ, quaſi dicas,illius rei ſpecificæ formæ,à qua proximè virtus oriatur,aut temperamento, aut qualitatibus manifeſtis:nullum alium modum cogitare poſsumus, quo virtus à re aliqua proficiſcatur. At verò qua nam ſubſtantiali virtute numerus,quo nam temperamento verbum,aut quibus nã manifeſtis qualitatibus ſignum,aut character præditum eſse poteſt;cùm accidentia hæc ſint,ad res illas recipiendas ineptiſſima? Omitto cætera,illud vnum conſidero, quod poſtremo loco traditum eſt,nimirum,ex calua hominis,ſuſpendio interempti, catapotia fieri;contra rabidi canis morſus. Vnde nam,obſecro,hæc virtus in calua hominis,ſuſpendio interempti? Oritur ne à tota ſubſtantia,an à temperamento,an potius à qualitatibus manifeſtis? Quodcunque dicatur,ſtatim ſequitur,non ſolùm caluam ſuſpenſi hominis, ſed cuiuſcunque hominis, hanc eandem facultatem obtinere: quæ enim ſympathia, aut antipathia inter ſuſpẽdium,& rabidis canis morſum reperitur,vt,ad eum ſanandum, opus ſit præcipuè calua hominis, ſuſpendio interempti? Superſtitioſum igitur hoc eſt,ſicut cætera,quę ſuprà dicta ſunt;cùm nullam ſuæ virtutis cauſam habeant,nec quicquam omnino operis,qua talia ſunt,conferre poſſunt,niſi ſuperior aliqua cauſa pręſto adſit,a qua ſola,ignorantibus multis,virtus oriatur.

Superſtitioſa remedia.

In furẽtis canis occurſu.

Ne ſcorpio ſciat.

Ad ictũ ſcorpionis.

Ad fluxũ ſanguinis.

Ad arcendã lippitudinẽ.

Ad curãdas febres.

Ad rabidi canis morſus.

Vide Io. Fernelium li. 2. de abditis rerum cauſis.

Validiſſima rõ, qua oĩa ſuperſtitioſa remedia reprobantur.

*Quacunq; numeris, verbis, aut characteribus inſanum vulgus à Magis effici credit, ea omnia proximè à virtute Dæmonum exoriri. Cap. XXI.*

INſurget hìc aliquis,numerorum,verborum,aut characterum virtutis propugnator,& vindex;dicetq;,eos omnes,qui tantum virtutem abnuunt, aut nimis pertinaces eſse, quippe qui contra experiẽtiam dicunt,rerum omnium magiſtram;aut obtuſo, imbecillique ingenio preditos,quia.ſeò peruenire non poſſint,quò doctiſſimi viri ex Theologorum,Medicorum, atque philoſophorum numero,peruenerunt. Experiuntur quotidie ij, qui rebus iſtis operã

dant,

dant, verbis ab venefico aliquo, vt plurimũ ter prolatis, ſerpẽtes allici, atq; eo ipſo veneficio, ſeu verborũ prolatione, in alijs quoq; rebus voti compotes fieri. Non ne etiam ſignis aut verbis quibuſdam, vel à mulieribus prolatis, eryſipelata curantur? Non ne febres, & alij quoque morbi profligantur? Quid ni igitur quotidianę experiẽtiæ credamus? Sed præterea autores etiam grauiſſimós, numerorum, & characterum, præcipuè verò verborum defenſores habemus: verborum enim virtutem conceſſit Origenes, vir doctiſſimus, atque inter Theologos, & Sanctos Patres præcipuus. Ex Medicis Plinius, Aetius, Trallianus, Paracelſus, Agrippa, Ex philoſophis Ficinus, Mirandulanus, Pomponatius. Eandem virtutem conceſſerunt Arabes fere omnes, Chaldæi, Hebræi, ac potiſſimum Cabaliſtæ, & alij etiam autores, quos citat eruditiſſimus vir Martinus Delrius, libro primo Magicarum diſquiſitionum cap. 4. q. 3. Si igitur verborum virtus atque pariter numerorum, & characterum, experiẽtia, & doctiſſimorũ hominum autoritate comprobatur, quod eſt, cur Peripatetici eam negent, atque penitus ab hominum mentibus euellere conẽtur? Sed ne temere doctiſſimi viri verborum virtutem cõprobaſſe videantur, afferuntur etiam à nonnullis rationes, & fundamenta, quibus ipſi nituntur. Pomponatius putauit, verba eo modo ad profligandos morbos, vel ad res alias efficiendas, vim, & efficacitatem habere, quo oratorum ſermones vim habẽt ad animos capiendos, aut muſicorum cantus, vel ſoni, ad dolores ſedandos, ad lætitiam prouocandam, vel ad humores temperandos. Primò itaque prolata verba vim habere ait, auditum mouendi: hunc poſtea ſequi animi motiones, ac denique humorum agitationes, & temperationes. Verùm animaduertens Pomponatius, infirmam eſſe hanc rationem, ad verborum virtutem ſuadendam, attulit aliam; dixitque verborum virtutem à firma fide, aut proferentis, ſeu hominis alicuius venefici, aut eius, in quem paratum veneficiũ fuerit, robur accipere. Origenes exiſtimauit, verba virtutem habere, quatenus verba ſunt, non tamen quacunque lingua prolata; ſed ea tantum, quæ cæteris dignior, ſanctiorq; eſt, cuiuſmodi fortaſſe eſt Hebrea. Cui quidem ſniæ Io. Picus Mirandulanus in magicis cõcluſionibus ſubſcripſiſſe viſus eſt; ait enim concluſione 22. *Nulla nomina, vt ſignificatiua, & in quantum nomina ſunt, ſingula, & per ſe ſumpta, in magico opere virtutes habere poſſunt, niſi ſint hebraica, vel inde proximè deriuata*, Magi arbitrati ſunt, verba ex firma intentione, aut ẽt ex afflatu proferentis virtutẽ accipere: debent enim, inquiunt, venefici, aut morborum curatores firmo, atque intento animo verba proferre, & quodammodo ægrotis verba inhalare, ſi morbi ſint eis depellendi. Cabaliſtæ putarunt, literas omnes, & ſyllabas quandam cum cæleſtibus corporibus, atque etiam eorũ mentibus connexionem, & ſympathiam habere; voceſque primò ſignificatiuas eſſe, influxu cæleſti, deinde verò hominum impoſitione. Hinc factum eſt, vt, cùm Adamus, à Deo doctus, atque inſtructus, ſingulis rebus propria nomina impoſuerit, quæ quidem ſunt veluti quidam earum rerum radij, quas ſignificant, & in quibus quaſi vita quædam latere dicitur; quicunq; vera, & propria rerum nomina habuerit, ob illam ſympathiam, quam cum cæleſtibus corporibus, & eorum mentibus habent, à quibus cuncta in his inferioribus rebus educuntur; eorum vi, & efficacitate, inde recepta, mirabiles effectus, quæ etiam humani ingenij captum excedunt, gignere poterunt. Verùm quàm inania ſint hæc, puto, demonſtrare non eſſe difficile.

Numerorũ, verborũ, & characterum virtus experientia comprobatur.
Eadẽ virtus multorũ autoritatib. cõfirmatur.
Origen. li. 1. & 5. contra Cęlium.
Plinij li. 28. cap. 2.
Aetij lib. 8. cap 5.
Trallianī.
Paracelſi.
Agrippæ.
Ficin. Mirãd.
Pompon. Arabũ, Chald. Hebræorũ.
Lege Martinum Delriũ lib. 1. Magic. diſquiſit c. 4. q. 3.
Fundamẽtũ Pompo. pro verborũ virtute.
Aliud fundamentũ eiuſdem.
Fũdamẽtum Origenis.
Eodem nititur Mirand.
Fũdamẽtum Magorum.
Fũdamẽtum Cabaliſtarũ.

Argumentum illud, ab experientia ductum, aliquid roboris, & firmitatis haberet, ſi verba à quocunque prolata, eadem efficiendi virtute pollerẽt: rem autem ſecus ſe habere experimur. Nam mulierculæ, aut leues, atque inſulſi homines, qui certis verbis ad morbos curandos, vel ad aliud quippiam efficiendum, vtuntur, effectus quidem interdum experiuntur; cauſam verò, vnde proximè illi emanent, penitus ignorant; eam verò nos paulò infra aperiemus. Argumentum etiam ab autoritate deſumptum parui ponderis eſt: etenim Origenes, quamuis inter Patres numeretur; habet nihilominus multas aſſertiones, ab Eccleſia reprobatas: mirum igitur non eſſet, ſi hac ipſa etiam in re parum ſibi conſtiterit. Aliorum autem autorum, qui verborum virtutem tuentur, nonnulli Magi, atque Hæretici ſunt, Aliqui verò ſuperſtitionis, & vanitatis à communi philoſophorum ſchola damnati; & propterea non eſt, quòd huius claſſis autoribus, hac præſertim in re, fidem habeamus. Quòd verò attinet ad eorum fundamenta, ſi primum Pomponatij fundamẽtum admiſerimus, nihil planè ex eo ſequetur, quod eorum ſniam confirmet. Etenim verba, ab oratore prolata, nullam aliam habent vim, niſi animi affectiones, variaſque ſnias ſignificandi: quas vbi audientis animus planè conceperit,

Soluitur argumentũ ab experientia.
Soluitur argumentũ ab autoritate.
Euertitur primum fundamentum Põponatij.

variæ

variæ poſtea animi, ac deinceps corporis in eodē mutationes orientur. Iam verò ſi eiuſmodi eſſent veneficorum verba, ea vtique hanc ipſam vim, & efficacitatem haberent. Cùm autem non oratoria facultate, ſed magica tantum ſuperſtitione prolata ſint, & ſæpius barbara ſint, nec vllam vim ſignificandi habeant, immò nec ab vllo interdum audiantur; aut etiam ſuper inanimatas res proferantur: fieri certè nō poterit, vt ab eis aliqua realis, & phyſica actio proficiſcatur. De vi muſices dicemus poſtea.

Euertitur aliud fundamentū Pomponatij.

Fundamentum aliud, quo Pomponatius contendit; prolata verba ab venefici hominis fide, vel eius, cuius gratia veneficium fit, robur accipere; ſuam ipſius ſnīam omnino peruertit. Id quidem verum eſt, fidem, & conſtantiam ægroti interdum in cauſa eſſe cur medicamentum aliquod ei magnopere proſit ſaltem in ſenſu quodam negatiuo; quia .ſ. non timet, nec animo concidit: natura enim timore quodammodo debilitatur, nec adeo firmè occurrentib. malis obſiſtit.

Dictū Hieronymi Mercurialis.

Audiui enim ab eruditiſſimo Viro Hieronimo Mercuriali, quo Piſis Præceptore ſum vſus dum peſtis Venetijs graſſaretur, facilius eam timidos, quàm conſtantes, & fortes inuaſiſſe. Sed quid hoc ad rem propoſitam confirmandam? Non igitur efficiendi vis reperitur in verbis, ſi ea ipſa venefici hominis, aut alterius fidei accepta referatur.

Euertit fundamentū Origenis, & Mirandulani.

Fundamentū Origenis, atque Ioannis Pici Mirandulani, leue admodum mihi videtur: oporteret enim, ſi efficiendi virtus in ſanctiore tantum, & digniore lingua reperiretur, vt adeſſet, qui linguam illam calleret, vt .ſ. intentus effectus haberi poſſet. At verò ſæpè Mulierculæ, & venefici homines, quibuſdam prolatis verbis, aut Syriacis, aut Hebraicis, ignaros homines à morbis liberant, qui tamen ea verba non percipiunt: & multò minus percipiuntur, ſi de eorum numero ſint, quæ nihil ſignificant, qualia Mirandulanus excogitauit. Hæc igitur prolata verba ſi ab aliquibus audiantur, nullam aliam habebunt vim, niſi auditum mouendi, ſicut ſoni quicunque; animum verò nequaquam: cùm vel ab eo, qui illa audit, non percipiantur, vel ſignificatiua non ſint; atque adeo nullam habent vim humores attemperandi, vt ſanitas ab eorum virtutè proximè oriri dicatur.

Euertit fundamentū Magorum.

Fundamentum Magorum nemo eſt, qui non videat, vanum eſſe, & ſuperſtitionis plenum: ſi enim verba nullā vim habere poſſunt, niſi inhalentur, atque magna animi contentione proferantur; tunc virtus potius in ipſamet inhalatione, & animi contentione reperietur. At verò ab inhalatione nulla phyſica, & realis actio emanare poteſt, niſi modica quædam calefactio: ab animi verò cōtentione nulla exterior operatio proficiſci poteſt, ſed ſolùm interior: experimur enim quādoque ex fixa, & vehementi circa rem aliquam cogitatione, ſpiritus, & humores in nobis agitari, & commoueri. Quare hoc fundamento tueri nunquam poſſumus, virtutem in verbis ad aliquid phyſice agendum, reperiri.

Euertit fundamentū Cabaliſtarum.

Sed à veritate alienum eſt fundamentum Cabaliſtarum; nam verba nihil aliud ſunt, quàm ſoni quidam, ab hominis ore prolati: nunc verò quæ conuenientia inter huiuſmodi ſonos, & motrices cæleſtium corporum mentes eſſe poteſt? ſubſtantiæ illæ ſunt, omnino ſpirituales; propterea nulla cum his rebus inferioribus intercedere poteſt communio. Neque verò dicendum eſt, verba à cæleſtibus corporibus influxum recipere: nam ſi influxus qualitas quędam realis eſt, vt communiter defenditur, non poteſt ille quidem niſi in ſubſtantijs corporeis recipi, atque adeo in verbis, quæ incorporea ſunt, & citò trāſeūt, recipi nulla ratione poteſt.

Quā vim habeāt noīa ab Adamo reb. impoſita.

Quod de nominibus, ab Adamo rebus impoſitis, dicebatur, id quidem verum eſt: nam. Adamus rerum omnium proprietates optimè nouit; propterea à proprietatibus ipſis, ad res ſignificandas, nomina ſumpſit, atque rebus impoſuit. Itaque nomina illa habent quidem vim res propriè ſignificandi: non tamen aliquid phyſice, & re ipſa efficiendi. Cæterū ſi nulla virtus reperitur in verbis; & iam dictum eſt experientia ipſa eorum virtutem comprobari; cui nam igitur virtus illa, tanquam præcipuæ cauſæ tribuetur? Dæmonibus ipſis.

Res, quæ fiūt ſunt in tripli ci differētia.

Pro cuius rei maiore declaratione, notandum eſt, res, quæ fiunt, eſſe in triplici differentia: quædam enim ſunt naturales, quæ oriuntur à cauſis naturalibus: quædam diuinæ, quæ fiunt virtute diuina: aliæ appellantur tranſnaturales, quæ cùm manifeſtam cauſam non habeant, nec par ſit, eas diuinitus originem ducere; virtuti Dæmonum tribuantur neceſſe eſt.

Quod verborum opus eſſe vī, eſt opus dæmonum. Idem ſentit Nic. Bieſijs lib. 3. de Nat. cap. 9. & 10.

Hi ſpiritus vulgaribus hominibus, & vt plurimum mulierculis ſuadent, vt pro aliquorum morborum curatione, aliquibus verbis, ceremonijs, aut ſuperſtitionibus, vtantur: curantur tūc morbi, putantque mulieres, verborum, aut ceremoniarum illarum virtute, morbos curatos eſſe; cùm tamen virtute Dæmonum curati ſint. Et quoniam in quibuſdam verbis diuina pactione, virtus aliqua reperitur, vt patet in ſacramentis; ideo Dæmones, Deum ipſum

æmu-

æmulantes,pactione,ita quibuſdam verbis virtutem tribuunt,vt,ipſis prolatis,res, Dæmonum ope,modo quodam nobis incognito,& ſæpe etiam naturalium rerum virtute,ſtatim eueniant,cùm multi eas arbitrentur,virtute verborum eueniſſe. Sed de his hactenus. Pro comperto interim habeamus,à ratione penitus alienum eſſe,exiſtimare, virtutem aliquam in numeris,verbis,aut characteribus reperiri,qua in rebus naturalibus,actione phyſica, quicquã efficere poſſint, quemadmodum etiam hæc omnia Catholica Romana Eccleſia deteſtatur.

Si qua vis in verbis eſſe videtur,ea non eſt; quæ verba ſunt, ſed Dæmonũ pactione.

*Recentium Pythagoricorum rationes,ad probandam numerorum virtutem, ſuperiùs propoſita,diluuntur.* *Cap. XII.*

Recentium Pythagoricorum fundamentis iam euerſis,atque etiam, firmiſſimis Peripateticorum rationibus,eorundem ſententiæ vanitate monſtrata,reliquum modò eſt, vt rationes,ab ipſis,ad numerorum virtutem comprobandam,ſuperiùs propoſitas, diluamus. Ad primam itaque,explicanda eſt maior propoſitio,qua dicebatur, quò aliqua ſunt formaliora,eò ſunt virtute potentiora. Huius quidem propoſitionis explicatio eſt huiuſmodi: Quò magis aliqua habent rationem formæ,& actus,eò maiore in agendo virtute prædita ſunt; vt enim proprium materiæ eſt pati; ita proprium formæ eſt agere. Cæterùm,quò veritatem habeat hæc propoſitio,neceſſe eſt,vt ea ipſa,quæ formaliora ſunt, maioremque actus rationẽ obtinent,per ſe exiſtant;alioquin nihil vnquam agere poterunt. Exempli gratia, Intelligentiæ, quia nullam in ſeſe phyſicam materiam includunt,ſeparatæque ſubſtantiæ ſunt,ideò actus,& formæ rationem habere dicuntur,atque adeo in agẽdo virtute maxima præditę ſunt. Numeri autem,cùm abſtracti ſint,atque à materia remoti,formæ vtique rationem habent: tamen,quia per ſe non exiſtunt,ſed in fieri (*vt aiunt*) & conſeruari ab anima pendent: ideo nullarum operationum poſſunt eſſe principia,nec vlla virtus ab illis proficiſci poteſt. Ad ſecundam rationem,quæ parùm diſtat à prima,concedenda eſt maior,dummodo illa, quæ in ſuo eſſe minus pendent,per ſe exiſtant. Deus in ſuo eſſe à nullo pendet; ideo in operationibus maximè potens eſt. Numeri minus quidem in ſuo eſſe pendent,quàm res naturales,quia à paucioribus cauſis producuntur:(res enim naturales materiam,& formam depoſcunt; numeris verò ſat eſt anima rationis particeps,quæ ipſorum eſt principium efficiens) tamẽ,quia numeri per ſe non exiſtunt (animæ enim operatione ceſſante,nihil ſunt) ideo nullam prorſus inſitam agendi virtutem habere poſſunt. Ad tertiam,neganda eſt minor. Ad probatione, cùm dicunt,numerum ſub forma quinarij vim aliquam habere,quam non habet ſub forma ſenarij. Reſpondeo,id non ratione numeri contingere,quatenus numerus numerans eſt; ſed quatenus cum rebus numeratis coniunctus eſt. Exempli gratia, vncia vna alicuius medicamenti vim habet humorem aliquem purgandi,ac deinceps ægrotum ſanandi: ſi addatur altera vncia eiuſdem medicamenti,contingere poterit,vt ægrotum non ſanet,ſed potius interimat. Iam verò non eſt vnitas,quæ ſanandi vim habeat,aut dualitas enecandi; ſed eſt maior, aut minor eiuſdem medicamenti quantitas,quæ maiorem,aut minorem obtinet vim. Ad quartam,concedendum eſt,multas eſſe res,quæ proportione quadam, vel numero non paruam oblectationem afferant,vt formoſam mulierem,pulchrum equum,benè diſpoſitam domum,inſtructam aciem,arbores in quincuncem directos,& id genus alia. Attamen in paſſiua quadam, non in actiua ſignificatione,accipiendum id eſt: non enim proportio illa delectãdi,vim habet,ſed ſenſus,imò anima ipſa,ea proportione delectatur: ea enim eſt animę natura,vt ex qualibet diſtincta re,atque diſpoſita, delectationem percipiat; id quod ſæpius Ariſtot. in problematis docuit. Hinc fit,vt ſi in planitię aliqua, peditum, & equitum confuſam multitudinem videamus, potius faſtidium,& offenſionem eo aſpectu accipiamus,quàm vllã oblectationem: quòd ſi totam illam multitudinem,aliquo ordine diſtinctam,videremus; tũc haud parua delectatione afficeremur. Cuius rei ratio eſt,quoniam ſicut intellectus cum vero,& voluntas cum bono,ita tota anima cum eo,quod diſtinctum,atque diſpoſitum eſt,connexionẽ maximam habet. Etenim naturalis eſt animæ cuiuſuis generis cognitio,ſiue ea ſenſibus fiat,ſiue intellectu,propterea,dum ei confuſum aliquod,nec vllo modo diſpoſitum obijcitur,quia inde non niſi confuſam cognitionem capere poteſt; ideo a re illa obiecta faſtidium quoddam,& offenſionem accipit. Cum verò diſtinctæ, & ordine aliquo diſpoſitæ res eidem

Ad primã rationem.

Ad ſecũdam rationem.

Ad tertiam. vide Sueſſan. lib. 14. Metaphy. diſpu. 2. cap. 1.

Ad quartã.

Ea eſt animę natura, vt à qualibet diſtincta, & diſpoſita re delectationem accipiat.

Cur anima à re diſtincta, & diſpoſita oblectationẽ, à confuſa verò faſtidiũ accipiat.

7ib occur-

occurrunt; tunc, quia illas diſtinctè percipit, & earum optatam cognitionem acquirit; ideo illis mirificè delectatur. Itaque non numerus, aut proportio ſimpliciter oblectādi vim habet. ſed anima, quæ numeris, atque proportionibus, non nudè acceptis, ſed rebus ipſis adiunctis. delectatur.

Ad quintam. Vide Fracaſtoriū lib. de ſymp. & antip. cap. 14.

Ad quintam reſpondendum eſt, numeros, quatenus numeri ſunt, nihil per ſe ad ſuauitatem, & faſtidium in ſonis efficere, vt Fracaſtorius ait; ſed ſolùm quatenus per ipſos ſonorum modi notantur, qui aut diſtincti, aut confuſi, & aſperi, ad animam perueniunt. Si itaque muſici numeri vi aliqua pollent, hoc ideo eſt, quia tonorum varietate, & ſoni modulatione ſuauiter animum afficiunt: non autem quia numeri, quatenus numeri ſunt, virtutem aliquam habeant, qua phyſicè oblectationem afferre poſſint.

Cur extremę voces, aut ſoni, auditui moleſti ſint, temperatæ verò ſuaues.

Nemini dubium eſt; extremas voces, aut ſonos, vt graues, vel acutos, auditum lædere, & ob hanc offenſionem animæ faſtidiū afferre: hos, quia aurium membranas nimis acutè percutiūt: illos verò, quia nimio, & frequēti aeris appulſu, qui fit ob multas circulationes, totum ſenſorium commouent, & perturbāt, quod tantam aeris mutationem ferre non poteſt. Si autem vox, aut ſonus temperatus ſit; tunc cum aliqua ſuauitate ab auditu percipitur. Præterea ſi vna tantum ſit vox, aut ſonus, qui auditum moueat, ſemperque ſit eiuſdem toni; auditui ſatietatem afferet: ſi autem proportione varietur; tunc ille idem voluptate afficietur. Si plures ſint voces, & eæ quidem confuſe,

Cur auditus à plurib. vocibus, debita proportione commiſtis, oblectationē accipiat.

& abſque vlla proportione; eas ipſas horrebit auditus, & ab ijs anima faſtidium capiet; cùm nullam inde cognitionem, niſi cōfuſam, & imperfectam haurire poſſit. At ſi voces aliqua proportione miſceantur; tunc auditum, & animam delectabunt. Neque verò id à qualibet proportione, ſed à certa, atque determinata effici poteſt: ſi enim voces, aut ſoni ita miſceantur, vt fracti, & inæquales ad auditum perueniant; faſtidium exhibebunt: ſi verò æquales, &, vt ita

Aīa cur numerꝰ harmonicus à Platonicis appellata.

dicam, rotundi, voluptati erunt, & delectationi. Et hac fortaſſe de cauſa animam harmonicū numerum Platonici nuncuparunt; non quòd re vera numerus ſit, ſed quia, ratione iam ſuperiùs adducta, proportione, & numero delectatur.

Ad ſextam. Muſica Orphei animantia, auditu p̄dita, allicere potuit. ſaxa vero nequaquam.

Ad ſextam, plura de Orphei muſica apud Fabium Paulinum, lib. 4. hebdomadum c. 7. & apud Martinum Delrium, lib. 1. magicarum diſquiſitionum, c. 4. q. 2. videri poſſunt. Nos breuiter dicemus, Orphei muſicam vim habere potuiſſe, animalia attrahendi, quæ auditu prædita ſunt; quoniam anima vehementer muſica delectatur, non quia in numeris, qua numeri ſunt, ea vis attrahendi inſita ſit. Quod verò dicitur, eundem quoque muſica ſaxa, & montes ad ſe traxiſſe, hoc arbitror fabuloſum eſſe, poeticamque locutionem. idcirco enim Orpheus muſica lenire tigres, & ad ſe ſaxa trahere

Vide Horat. in Poetica ad Piſ.

dicebatur, quia homo ſacer, interpreſque Deorum, ſuauiloquentia Syluestres homines flectebat, eoſque à cædibus, fædoque victa deterrebat. Niſi etiam dicamus, ea omnia Dæmonū

Orpheū quidam Magum eſſe putarūt.

opera, virtuteque effecta fuiſſe: non enim deſunt, qui, Orpheum magum extitiſſe, crediderint, vt ſuidas teſtatus eſt.

*Inanes eſſe naturales obſeruationes, quibus recentiores Pythagorici numerorum virtutem confirmarunt.* Cap. XIII.

Nullus reuera eſt ponendus ſexus in numeris, atque adeò nullam habent virtutē, quà mares, aut quà fœminæ ſint.

IAm verò ad naturales obſeruationes quod attinet, ſtatuunt Pythagorici ſexū in numeris, hoſque mares, illos fœminas appellant, atque eis diuerſas virtutes; & facultates attribuūt. Inania ſunt hæc, & à viris doctis aliena: nam etiam vterque ſexus in aſtris, & plantis ſtatuitur; nullum tamen in illis proprium eſt ſignum, aut membrum, quod marem à fæmina diſcriminet; nec virtutes aliquas habent, ea ratione, qua aut mares, aut fæminæ ſint; ſed potius ob maiorem, vel minorem in agendo virtutem, mares, aut fæminæ nuncupantur: ſunt tamē ea ipſa naturalia quædam entia, quæ reapſe conſiſtunt, & plantæ præſertim formas habent

Septimeſtres partus nō eſſe vitales, ob ſeptenarij numeri virtutē, ſed ob certā naturalē cauſam.

cum materia coniunctas; ideo mirum non eſt, ſi ab illis aliqua virtus oriatur. At verò ſi vtrunque ſexum in numeris ſtatuamus, ipſoſque à rebus numeratis ſegregemus, fiat in illis quanta cunque vel arctiſſima maris, & fæminæ coniunctio; nunquam certè inde partus vllus orietur, nec vlla vnquam virtus ab illis proficiſcetur. Sed aiunt, ob ſeptenarij numeri virtutem ſeprimeſtres partus vitales eſſe. Iſti nempe veram huius rei cauſam non attingunt, petenda à

Vide Leuin. Lemn. lib. 4. de occul. nat. mir. c. 23.

Medicis illa eſt. Non viuit infans, eo tempore natus, inquiunt Medici; quia vitam à ſeptenario numero accipiat; ſed quia eo tempore inſita vi, ac naturæ ordine, circum agit ſeſe, & conuoluit in vtero, locumque mutat, & commodiorem captat. Porrò ſimile quiddam illi accidit,

dit, ait Lemnius, quod noctu experrectis euenire ſolet, qui in alterū latus voluuntur, ac molliorem culcitre partem, minuſque præſſam quærunt: quibus ſi quid inopinati adueniat, aut à re quapiam repẽtina interpellari contingat, quo minus ſe denuò in lecto collocent; confeſtim cubile deſerunt, excuſſoque ſomno, tametſi aliquid noctis reliquum eſt, exurgunt, ad eaque peragenda, quæ vrgent, ocyus ſe accingunt: alioquin ſi ſomno oppreſſis, præter opinionem, aut ſpẽ, aliquid euenerit; tumultuari illos contingit, ac contremiſcere, oīque confusè, ac nullo ordine, vel aggredi, vel perficere; ita vt res nec felicẽ, nec optatum exitum conſequatur. Sic octauo menſe, puero, in vtero matris exiſtẽti, contingit; quoniam cum motus ille, atque agitatio naturæ ſedata, atque ſopita ſit, quæ ex certa cauſa ſeptimo menſe excitari conſueuit; iã ab illa agitatione defeſſus, vires colligere incipit, atque, ad expletos ad pariendum menſes, in materno vtero refoueri. Quo fit, vt ſi oborta aliqua, vel intemperie, vel perturbatione, infantem ſedibus ſuis exturbari contingat; lethale id omnino exiſtat: non quidem propter numerum octonarium; ſed propter extraneam cauſam, atque à naturæ ordine alienam, quam etiã Saturnus, ferale ſidus, & noxium exaſperat. Non igitur in numeros, ſed in naturales cauſas ſeptimeſtri partus vita, aut octimeſtris, nex referenda eſt.

Cur octimeſtris partus vitalis nō ſit.

Aiunt deinde, acutos morbos plerũque ſeptimo die, interdum tertio, & ſemper dierum impari numero terminari. Nihil minus vanitatis hæc continent. Equidem niſi in ægrotantibus corporibus aliquis eſſet humor, qui vel vt putreſiat, morbique cauſa exiſtat, vel vt aliquo modo diſſoluatur, & pereat, corpuſque à morbo liberet, tot dierum ſpatium exigeret; nunquam, ob ternatij, vel ſeptenarij, vel cuiuſcunq; imparis numeri virtutẽ, morbos terminatū iri, credẽdū eſſet.

Acuti morbi non numeri facultate, ſed humorū creatura diebus imparibus finiũtur.

Quæ afferunt de anno climacterico, aliqua certè digna ſunt animaduerſione. Septenarius, & nouenarius annus climactericus dicũtur, quaſi diceres, ſcalares, atq; gradarios; ſed precipuus annus climactericus eſt ſexageſimus tertius, ſenibus valde ſuſpectus: ille enim ex ſeptenario, & nouenario cõſtat: nãq; ſi ſeptenarius nouenario, aut nouenarius ſeptenario multiplicetur; inde ſexageſimus tertius numerus orietur.

Anni climacterici qui dicuntur.

Annus iſte, vt plurimum ſolet eſſe lethalis: ſed nequaquam id ob aliquam eius numeri facultatem cõtingit; ſed, (vt Medici aiunt) ob certam humorum periodum: ſolẽt enim humores naturali quadam ratione, ac determinata periodo in corporibus coaceruari, & propterea vbi humana corpora magnam humorum collectionem, ac redundantiam congeſſerunt, ſtatim motus quidam, & agitationes naturæ fiunt, indeque morbos exoriri, ac ingraueſcere neceſſe eſt: & propterea cauti, atq; prudentes ſenes, imminẽte illo climacterico anno, ſe ſe, purgationibus, alijſque opportunis remedijs, tectos ab omni periculo conſeruant. Sed de his plura apud Medicos.

Annus 63. inter climactericos præcipuus, & ſenib. valde ſuſpectus, non tamen numeri, virtute, ſed humorū periodo.

Dicũt rurſus, Medicos criticis, vel decretorijs diebus, ob certum numerum, & ſæpe imparem, plurimum tribuere. At verò Medici dies criticos ex humoris potius adortu, atque conditione, quàm ex numero obſeruant: ſuntque nonnulli, qui motus illos decretorios lunæ curſui tribuant: contingit enim, ſilente Luna atque terrena omnia immutante, motuum quoque circuitus ad hos principes numeros peruenire.

Dies critici nō numeris, ſed humorū conditioni, aut lunæ curſui tribuũtur.

Addunt, Medicos in pillularum numero exhibẽdo imparem eligere, vt efficacius agãt. Puerilia hęc ſunt. Decernunt Medici de doſi, ſeu quantitate medicamẽtorum; determinata verò quantitas, paribus, an imparibus pillulis, aut bolis, ſumatur ab ægris, hoc certè nihil refert: nam tanta medicamẽti vis à tanta eiuſdem quantitate, ſubſtantialem formam conſequẽte pendere dicitur; non autem à pari, vel impari bolorum, aut pillularum numero.

Pillularū virtus nō in impari numero ſed in tanta medicamẽti quãtitate cõſiſtit.

Id, quod aiunt de ſerpente, ter arondine percuſſo, eum. ſ. ſtupore affici, & propè ad interitum duci, atque eundem, ſi quarta vice percutiatur, ſtatim reuiuiſcere, priſtinũq; robur acquirere; puto eſſe vnũ ex ijs arcanis, quæ, latẽt in Tritẽnij Steganographia, in qua neſcio, plura ne admirãda, an ridẽda contineantur. Si ſerpẽtes, arundine percuſſi, ſtupore afficiantur, quod ego non ſum expertus, fortè id accidit, ob quandam antipathiam, quæ eſt inter illos, & arundinẽ: non enim nego rerum ſympathias, & antipathias, quæ ſunt occultæ rerum proprietates, ſubſtantiales formas ſubſequentes. Quòd autem hoc ex triplici tantum percuſſione accidat, vel quòd ex quarta percuſſione ſerpentes ſtuporem dimittant, hoc puto ridiculum eſſe, additumque, vt vulgares homines maiorem in admirationem traducantur.

Cõmentitiũ quiddam eſt, ſerpentes ter arũdine percuſſos ſtupore affici, quarta vero percuſſione reuiuiſcere.

In fœminis, ſeu paribus numeris aiunt etiã, vim maximam reperiri, præſertim in ſenario, qui in nuptijs, ſeu ad prolem edendam præpotens eſt, eo quòd etiam ſenario dierum numero ſummus rerum omnium Conditor mundum hũc aſpectabilem architectatus eſt. At verò nihil ſenarius numerus ad prolem edendam; ſed for

Nihil virium hẽt ſenari⁹ numerus ad prolẽ edẽdã ſi eũ à rebus numeratis ſeiungas.

tè (vt nonnulli ioçosè quidem, atque facetè dixerunt) sũt ſex res, quæ vt plurimum ad id muneris exiguntur, duo teſtes viri, totidem mulieris, genitale viri, vterus mulieris. Si has omittas, nulla vnquam proles edetur, ſenarij numeri virtute. Præterea Deus ad mundi fabricam abſoluendam huius numeri virtute non indiguit; ſed illam ſex dierum numero, arcanæ ſuę ſapientiæ conſilio perfecit; ideo potius à rebus ipſis virturem aliquam, ſi quam habet, ſenarius numerus accepit, quàm quod rebus vim aliquam ipſe contulerit. Quod aiunt, octonariũ numerum, eſſe numerum iuſtitiæ, & ad res obeundas plurimum poſſe; mouet plane riſum. Etenim ſi ſeruus aliquis, aureos octo à domino pro mercede poſceret; vellet autem dominus illi non octo, ſed nouem, aut decem perſoluere; putas ne, ſeruum illum, etiam ſi ex Aegyptiorũ, aut Pythagoricorum genere eſſet, mercedem illam, iniuſtitiæ metu, vnquam recuſaturum? Tandem aſſerunt, numeros præſertim muſicos inueneni Tarantulæ curatione, virtutẽ maximam obtinere. Nihil hoc addit confirmationis: non enim curationis virtus, atque facultas in numeris, qua numeri ſunt, poſita eſt, ſed in ea lætitia, qua à Tarãtula ictus ex muſica perfunditur: melancholicos. n. affectus venenum illud inducit, quos lætitia, tanquam contraria affectione tolli neceſſe eſt. Semper enim natura viam aliquam quærit, qua humores noxios à ſe ſe depellat; propterea qui à Tarantula icti ſunt, muſicam, & ſonos exquirunt, quibus auditis, tripudiantes exultant, donec ex vehementi corporis agitatione, noxia illius veneni qualitas, aut per cutim inſenſibiliter, aut per ſudores, aut alio quouis modo excutiatur, & euaneſcat.

Ridiculũ eſt aſſerere, octonariũ numerũ eſſe numerũ iuſtitię.

A Tarãtula icti non numeris, ſed aſſidua, & vehementi corporis agitatione ſanantur.

*Teſtimonijs, è diuinis rebus deſumptis, ad numerorum virtutem oſtendendam, occurritur.*

*Caput XIV.*

OCcurramus nunc teſtimonijs, è diuinis rebus deſumptis: quibus ſanè vnica tantum reſponſione ſatisfieri poſſet, dicendo. ſ. non probare illa, virtutem aliquam in numeris reperiri; ſed numeros potius à rebus ipſis numeratis nobilitatem, perfectionem, qualitatẽ quamcunque, aut ſi mauis priuilegium quoddam, ac veluti prærogatiuam acquirere. Etenim quia multa, quæ ternario, aut denario numero continentur, in ſe perfecta ſunt; ideo ternarius, aut denarius numerus perfecti numeri nũcupantur. Idem quoque de alijs numeris dicendũ eſt. Verum ne difficultates omnino, dedita opera, euitare videamur: idcirco, vt etiam curioſitati ſatisfaciamus, quanti momenti ſint nonnulla ex præcipuis teſtimonijs, iam adductis, breuiter patefaciemus. Eliciebatur binarij numeri prauitas ex eo, quia ſecunda die, qua firmamẽtum conditum eſt, verba illa in diuinis literis non leguntur, *& vidit Deus, quod erat bonum* quia, inquiunt, binarius numerus malus eſt. Retorqueo primùm argumentum contra ipſos. Senarius numerus, vt ipſi aſſerunt, bonus eſt, & in rerum procreationibus maximè potens; nihilominus ſexta die, qua homo conditus eſt, ea verba non leguntur, *& vidit Deus, quod erat bonum*: aut ergo ſenarius numerus non eſt bonus, quod eſt contra ipſos: aut hoc ipſorum argumentum nullius eſt roboris. Ne autem ſacrarum Scripturarum ieiuni omnino videamur, rationem etiam afferemus, cur ſecunda die dictum non ſit, *& vidit Deus, quòd erat bonum*, Id quidem non fuit, propter binarij numeri malitiam; quia bonum, & malum ſunt in rebus, hoc eſt, in entibus realibus: numeri autem, vt antè probauimus, ſunt entia rationis, cùm & in fieri, & in conſeruari, ab anima pendeant: ſed quia in diuinis literis, præſertim in primo illo cap. Geneſeos, non leguntur ea verba, niſi cùm opus perfectum iam eſt; in illa autem ſecunda die non dum opus perfectum erat, dixit enim Deus, *fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis*, tamen non dũm aquarum congregatio facta erat, ſed tantum tertia die; & propterea in opere tertiæ diei dictum eſt, *& vidit Deus, quòd erat bonum*, Immò verba hæc in eadem die bis leguntur; quoniam ſecundæ diei opus tertia die abſolutum eſt, atque rurſus eadem die ſummus Opifex aliud opus abſoluit: vbi enim aquæ in locum vnum congregatæ fuerunt, ſtatim apparuit arida, produxitque terra herbam virentem &c. Dicebatur præterea, animalia immunda bina in arcam Noè ingreſſa fuiſſe; ſeptena verò, quæ munda erant, hincque binarij numeri imperfectio, ſeptenarij verò perfectio arguebatur. Huic facilè occurritur, dicendo, animalia immunda bina in arcam Noe ingreſſa fuiſſe, quia eorum multiplicatio neceſſaria non erat; ſed ſat erat, vt eorum ſpecies conſeruarentur, animalia verò munda ingreſſa ſunt ſeptena, quia eorum multiplicatio ad humani generis vſum neceſſaria erat. Septenarius autem numerus nullam hic virtutem, nec vllum myſterium habet, ſed

Numeri nihil viriũ in res conferũt numeratas, ſed ab ipſis potius pfectionẽ accipiunt.

Retorquet autor argumentũ cõtra recẽtiores Pythagoricos.

Cur ĩ opere ſecũdæ diei non ſit dictũ, & vidit Deus, quòd eſſet bonũ. Vide Eugubinum in Geneſ. cap. 1.

Cur animalia immũda bina, munda verò ſeptena in arcã Noe ingreſſa ſũt. Septenarium numerũ tãquam numerũ multitudinis recipit phraſis hebræa.

in

in hebraico idiomate tanquam numerus multitudinis accipitur:eſtque phraſis quædam,ſeu loquendi modus, qui ſæpe in diuinis literis reperitur, vt Prouerb. 24. *ſepties in die cadit iuſtus*, Similis ēt eſt hic loquendi modus latinę phraſi,cum.n.res aliquas numerauimus, & alia multa addere volumus,dicere conſueuimus,& alia ſexcēta. Hic numerus nihil determinati apud Latinos ſignificat, ſed ſimpliciter eſt numerus multitudinis. Afferebant deinde teſtimoniū Cabaliſtarū, qui denarium numerū maximi faciunt,propterea, quòd decē ſtatuūt numerationes,quę ſunt veluti fundamēta totius Cabaliſticę diſciplinę. Sed q̄d hæc ad nos? Decē illæ numerationes nihil aliud ſunt,quam decē diuina nomina, quæ nos mortales de Deo concipimus,quæq; vel ipſam Dei naturā,atq; ſubſtantiam, vel ēt diuinas perſonas indicant: à quibus potius denarius numerus perfectionē accipit,quàm quòd ipſe ij dē nominibus perfectionē vllam tribuat. Dicā obiter hęc nomina. Primum nomen eſt,כתר ideſt corona. Secundum,חכמה ideſt, ſapientia. Tertium, בינה ideſt prudentia,ſiue Intelligentia. Quartum,חסד ideſt clementia,ſeu bonitas.Quintum , גבורה ideſt grauitas,vel ſeueritas. Sextum,תפארת ideſt ornatus. Septimum ,נצח ideſt triumphus. Octauum,הוד ideſt confeſſio laudis. Nonum ,יסוד ideſt fundamētum. Decimum,מלכות ideſt regnū . Supra coronam verò ponunt , אין סוף ideſt infinitudinē,& abiſſum. Sed hæc ſunt res profundæ nimis ſpeculationis,nec ad rē noſtrā modò faciunt. Quod dicebant de quadragenario numero, nimirū Moſen. Eliam, & Chriſtum quadraginta dies ieiunaſſe,nullā infert illlius numeri virtutē:nam certè numerus ille nō fuit cauſa ieiunij: Moſes primū quadraginta dies ieiunauit,fortaſſe, quia in quadrageſimo dierū numero decima ferè pars anni continetur, vel ob aliquā aliam cauſam,nobis incognitā. Alij poſtea,vt Moſen imitarētur,quadraginta ēt dies ieiunarunt:erant.n.hæ quodāmodò figurę Chriſti ieiuniū prædicentes. Dicunt ēt,quinquageſimum numerū eſſe numerū remiſſionis. Profectò id ille numerus ex ſe ipſo,vel virtute propria non habet:ſed eſt quædā veluti prętogatiua, quæ illi hac potiſſimum rōne debetur, quia quinquageſimus annus apud Hebræos, erat annus magnæ remiſſionis,quem appellabant Iobelei: ideo ex hoc quinquageſimus numerus remiſſionis numerus dictus eſt.

Cabaliſtarū teſtimoniū, ad probādā numerorum virtutem,nullum eſt.

עשר ספירות קלינות

Nec Moſes, nec Elias,nec Chriſtus ob aliquam proprietatē quadragenarij numeri quadraginta dies ieiunarunt.

Quinquageſimus annus hebręis dictus magni Iobelei,nulla tamen numeri proprietate.

***Illuſtrium virorum,& Sanctorum Patrum autoritatibus , numerorum virtutem confirmantibus, ſatisfit. Cap. XV.***

QVòd verò attinet ad Illuſtrium virorum, Sanctorumque Patrum autoritates,qui vim numeris tribuiſſe viſi ſunt, ijs omnibus ſatisfacere haud difficile eſt. Dicebat Boetius, procreandarum rerum numerum in conditoris animo , veluti exemplar quoddam extitiſſe. Hiſce verbis nihil aliud intellexit,niſi res procreādas,quæ finitæ,ac determinatæ futurę erāt ſecundum ipſarum numerum, veluti ideas quaſdam in conditoris animo ante fuiſſe. Quicunque enim res aliquas edere debet,antequam illas edat, earum numerum mēte concipit:inde tamen non ſequitur, vt numeri ad res illas edendas,virtutem aliquam obtineant. Macrobius loco citato aiebat,animas,certa numerorum ratione, corporibus ſociari. Eſt hic quidam loquendi modus,quo veteres Pythagorici vti conſueuerunt , neque aliud planè ſignificat, niſi animas,certa quadam proportione,& conueniētia,corporibus iungi. Animam quoque appellabant numerum harmonicum,non quòd verè numerus anima ſit; ſed quia,vt antè diximus,proportione,& ordine delectatur. De Plinio verò, qui imparibus potiſſimùm numeris virtutem maximam tribuit,nihil laboro:nam & alia multa aſſeruit, quæ inania ſunt,& à veritate aliena. Vergilius dum cecinit,impari Deum numero gaudere:id,tanquam ex Pythagoricis excerptum, affirmauit. Cur autem & Pythagorici,& alij etiam poſteriores exiſtimauerint , Deum impari numero gaudere; puto ideo eſſe,quia Deus cultu,& veneratione,tanquam ſibi debita, delectatur: quam olim gentes omnes, veluti inſtinctu quodam naturæ ductæ,primo impari numero,hoc eſt ternario,circunſcribebant. Nā Chaldęi,& Aethiopes auro, thure,& mirrha Deum venerabantur. Græci igne,hoſtia,& ara. Plerique alij, thure,igne,& precatione. Hincque dictum illud arbitror eſſe ortum, numero Deus impare gaudet. Quod affertur ex Vegetio de re militari,puto omnibus manifeſtum eſſe,ad geometricas potius figuras,quæ paribus, vel imparibus angulis prædıtæ, vel alio quouis modo conſtitutæ ſunt,quā ad numerorum virtutē,& proprietatē pertinere. Hiſtoriam illā,ex Artapano ſumptā,quam addu-

Ad Boetiū.

Ad Macrobium.

Ad Plinium.

Ad Vergiliū.

Cur impari Deus numero gaudeat.

Ad Vegetiū.

Ad Artapa-

adducunt de Moſe,in carcerẽ detruſo,atq; diuina voluntate è vinculis ſoluto,&c. non reperimus in diuinis literis;ſed quomodocunq; ſit,ſi vera eſt hiſtoria,id,quod effecit Moſes, non ad numeros,ſed ad Dei virtutem referendum eſt,qui potẽtiam ſuam nec numeris, nec alijs quibuſq; rebus alligauit. Non deſunt tamen qui putent, hiſtoriam illam,nihil aliud eſſe,quã Thalmudiſticum figmentum.

Ad Hilariũ.

Ad illud,quod afferunt ex Hilario,de Pſalmorũ numero, reſpõdeo primùm,antiquiſſimum Pſalmorum numerum qui in vetuſtiſſimis etiam codicibus, manu ſcriptis,viſus eſt,eundem eſſe, qui nunc in Pſalterio legitur:neq; Pſalmorum numerũ apud nos,ab eo differre,qui eſt apud Hebræos;niſi quia noſtri primum Pſalmum in duos diuidũt; Hebręis aũt Pſalmus ille integer eſt. Falſum eſt igitur aſſerere, Pſalmos apud Hebręos olim abſque numero, & ordine in vnum fuiſſe commiſſos.

Qua ratione ſeptuaginta ſeniores certos Pſalmos certis numeris ſignauerint.

Verùm qm̃ Hilarius,loco citato virtutem aliquam numeris tribuiſſe viſus eſt;ideo reſponderi ẽt poteſt, ſeptuaginta illos ſeniores non ideo Pſalmis certos numeros impoſuiſſe, quia ab illis, tanquam virtute præditis, eſſent ij virtutem aliquam, aut proprietatem accepturi;ſed quia ex aliquibus rebus,quę ſub tali numero contigerunt,dignitatem aliquam,vel prærogatiuã ipſi numeri acquiſiuerunt;ĩõ poſtea certos numeros certis, ac determinatis Pſalmis accõmodarunt. Exempli gra.quia ex anno illo magnæ remiſſionis quinquagenarius numerus hoc remiſſionis(vt ita dicam)attributum accepit;ideo poſtea Pſalmo, *Miſerere mei*, qui ad peccatorum remiſſionẽ vim maximam habet,hunc eundem numerũ adaptarunt.

Ad Hieronymum.

Vigeſimus numerus cur infauſtus.

Idem dicimus de vigeſimo numero, quem infauſtũ eſſe D. Hieronimus aſſerebat:non.n. hic numerus natura ſua infauſtus eſt, ſed quia multæ res infauſtæ ſub hoc eodem, vel dierum, vel annorum numero contigerunt, quẽadmodum idem Hieronymus teſtatur de ſeruitute Iacob, atque venditione Ioſeph.

Ad Auguſtinum.

Sic dicit D. Auguſtinus,rõnem numeri contemnendam non eſſe,atq; in multis ſacrarum ſcripturarũ locis maximi fieri,non quidem ob aliquam numeri virtutem,ſed ob res ipſas, quibus hic, vel ille numerus aptatur. Exempli gra. Sereniſſima Venetorum Reſp. magni æſtimat, atq; ſolẽnitatibus celebrat ſeptimam diem menſis Octobris, non quidem ob aliquam ſeptenarij numeri virtutem:ſed quia illo die magna illa victoria parta eſt,quam,deuinctis Turcis, reportauit: vanũ aũt eſſet dicere, ſeptenarium numerum eſſe victoriæ numerum.

Quomodo intelligendũ ſit, Deũ oĩa numero,pondere, & menſura, diſpoſuiſſe.

Ad illud,quod tandem vel ex ipſo Auguſtino,aut potius ex diuinis literis afferunt; Deum omnia numero, pondere,& menſura diſpoſuiſſe;reſpondendum primo eſt,ea verba nil aliud ſignificare,quã Deum omnia ſapientia maxima diſpoſuiſſe,atq; in ſuo genere perfecta procreaſſe: ita.n.cũ aliquid perfectum eſſe,ſignificare intendimus,dicere ſolemus, illud eſſe numeris omnibus abſolutum.

Intellectus alter eorundẽ verborũ.

Sed reſponderi ẽt poteſt, per numerum intelligendũ eſſe numerum ſpecierum procreatarũ:per pondus,earum perfectionem(nam vnaquęque ſpecies propriã habet perfectionem)per mẽſuram,durationis periodum: omnes. n.editæ res determinatam habent ſuæ durationis periodum. Non igitur:quia Deus cuncta numero diſpoſuit, intelligendũ eſt,virtutẽ aliquã numeros habere,aut numerorũ virtute,ad res effingendas,ſummũ Opificẽ indiguiſſe.

## *Quænam virtus fuerit numeris à Pythagora,veteribuſq; Pythagoricis aſſignata. Cap. XVI.*

DVo breuiter,pro huius diſputationis abſolutione, adhuc nobis explananda ſunt. Alterum eſt,quæ nam ſit illa virtus,quã Pythagoras, vetereſq; Pythagorici numeris aſcripſerunt. Alterũ,cur in rebus diuinis,atque ẽt naturalibus explicãdis, numeros adhibuerunt. Ad primum igitur,ſciendũ eſt,ſecundum Pythagoram,vetereſque Pythagoreos, maximam quidem virtutem in numeris reperiri;eã tñ aut in ijſdem numeris ſemper manere, nec ad res numeratas vllo pacto peruenire:aut etiam,ſi qñ perueniat,nihil eam vel boni,vel mali rebus afferre,ſed eſſe tantummodo vim quandam,res ipſas,neſcio,an dixerim,explicãdi,an potius occultandi.

Numeri vim habent ſemetipſos continẽdi, & efficiendi.

Declarabo vtrunque. Eſt primò virtus in numeris,quæ manet in ipſiſmet;nam ſicut geometricæ figuræ ſe ipſas & continendi, & efficiendi vim habent,vt de trigono,& tetragono,& de alijs huiuſmodi manifeſtum eſt;ita etiam numeri hanc eandem virtutẽ obtinent, qua vnus,vel alterum contineat,vel ab altero efficiatur,vel etiam ad alium proportione aliqua referatur.

Nota exemplum.

Res planior fiet exemplis. Quaternarius numerus ex vnitate,& primo numero,qui ſecundum Pythagoricos,ternarius eſt,ortum ducit. Hic ipſe numerus poteſtate denarium continet;dum.n.in ſemetipſum reflectitur,ea, ex quibus conſtat,& præterea ſuam pro-

priam,

priam, vt ita dicam, entitatem accipiendo, denarium efficit: nam vnum, duo, tria, & quatuor, ſimul accepta, quaternarij numeri virtute, decem faciunt. Hincque aiunt Pythagorici, tetractyn illam, quaſi dixeris, quaternitudinem, quæ maximæ perfectionis eſt ſymbolum, exoriri. Hæc itaque eſt virtus, quam in ſe ipſis numeri habent. Sed in rebus quoque virtutem habere dicuntur, non quidem bonum, & malum efficiendi, vt recentiores Pythagorici arbitrati ſunt; ſed ſolùm ſignificandi. Etenim quicunque res ipſas aut naturales, aut etiam diuinas optimè nouerit, eritque huius Pythagoricæ diſciplinæ valde peritus, hoc eſt, numerorum virtutem, & proprietatem, quam ad res habet ſignificandas, intellexerit; facilè de diuinis, aut naturalibus rebus, rerum proprietatibus numerorum proprietates aptando, per numeros poterit diſputare. Cuius, diſputationis, præter ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt, ſit etiam exemplum huiuſmodi. Quemadmodum vnitas numerorum; ita Deus, qui vnus eſt, rerum omnium principium exiſtit. Et ſicut vnitas ab infinita numerorum ſerie in infinitum diſtat, licet numeri omnes ab vnitate ipſa ortum habeant; ita à creaturis Deus. Rurſum, ſicut vnitas numeros omnes pares, & impares, ſua indiuidua ſimplicitate, complectitur; ſic Deus res omnes, ſua impartibili infinitate, claudit, & continet. Et, ſicut à ſola ſimplici vnitate pares, imparesve numeri proficiſcuntur; ſic ab vno rerum principio oriuntur, tùm quæ mortalis, ac viſibilis oculus noſter in mundo ſenſibili cernit, tùm quæ interna mentis acies in intellectuali mundo contemplatur. Preterea, ſicut vnum accipiunt, tanquam rerum principium, & vnitatis, ac ſimilitudinis cauſam; ita dualitatem, tanquam multitudinis, ac diuerſitatis originem. Ternarium numerum rerum perfectionibus, & abſolutionibus tribuunt, vt qui principium, medium, & finem complectatur. In quaternario reconditam, inquiunt, ſignificationis virtutem contineri, eoque ad res ineffabiles, maximæque potentiæ ſignificandas vtuntur: propterea dicunt, ſummi Dei nomen, apud omnes ferè gentes, quatuor literis conſtare; & ideo apud Hebræos maxima in veneratione eſt nomen Dei Tetragrammaton, hoc eſt, quatuor literarum. Denario numero, qui magnæ comprehenſionis numerus ab ipſis appellatur, ad rerum omnium naturas, ſeu ſubſtantias, quas philoſophorum Scholæ appellant eſſentias, ſignificandas, vtuntur: hincque decem generum, ſeu prædicamentorum numerus ortus eſt, quem etiam Ariſtotelis noſter commendauit. Sic igitur Pythagoras, & veteres Pythagorici de rebus naturalibus, atque diuinis diſputare conſueuerunt; immò Pythagoras diſcipulos ſuos, cùm primùm illum adibant, in hac non calculatoria, ſed rationali, quam vocant, Arithmetica inſtruebat: qua poſtea, veluti pædia quadam, eoſdem ad naturalium, diuinarumque rerum cognitionem perducebat.

Numeri vim habent reſp ſas ſignificandi.

Natura diuina, Pythagorico more, vnitate perbelle deſcribit.

Dualitas multitudinis, ac diuerſitatis origo à Pythag. dicitur. Ternarius numerus perfectionis numerus eſt.

Quaternarius numerus potentiæ, & ineffabilitatis numerus dicitur.

Denarius numerus magnæ comprehenſionis numerus appellatur.

Pythagoræ mos in diſcipulis inſtruendis.

*Cur Pythagoras numeris, & ſymbolis philoſophatus ſit.* *Cap. XVII.*

Explicemus nunc alterum, quod propoſitum eſt, quam ob rem Pythagoras, & qui eum ſecuti ſunt, ſuam vbique philoſophiam numeris impleuerint. Non eſt hoc explicatu difficile. Pythagoras, vt antè diximus, omnem fermè ſuam philoſophiam à Chaldæis, Hebræis, & Aegyptijs accepit; & propterea eundem morem in rebus tradendis, & explicandis ſecutus eſt, quo ijdem autores vti conſueuerunt. Solebant Aegyptij fictis quibuſdam inter Sacerdotes literis, ſeu ſignis, aut characteribus, res ſacras communicare, vt eſſent plebi occultæ, atque etiam attentiùs, & maiori cum admiratione à viris eruditis caperentur. Quare illi coloſſi, ſtatuæ, arcus, obeliſci, & plura id genus alia, hieroglyphicis inciſa literis, vniuerſis ſpectāda prominebant: in quibus Aegyptiorum ſacra myſteria continebantur, non à vulgaribus quidem hominibus, ſed à viris tantum ſapientiſſimis intellecta. Ita enim res arduæ, metaphoris, allegorijs, & ænigmatibus velatæ, atque in hoc veluti obſcuritatis abyſſo reconditæ, ſtudioſorū ingenia vehementiùs ad contemplationem inflammant, & leuem vulgi contemptum faciliùs euitant, atque declinant: non enim ſapientem decet, aſino, quod aiunt, Lyram perſonare. Hoc igitur philoſophandi more, Pythagoras ab Aegyptijs inſtructus, naturæ, atque diuinitatis arcana, numeris, & ſymbolis, veluti tegumentis quibuſdam obuelauit. Neque verò id ſolùm in diuinis, & naturalibus rebus, ſed etiam in moralibus obſeruauit, quemadmodum in aureis illis verbis, quæ paſſim circunferuntur, videre licet, quibus per ſymbola, vel ænigmata

Cur Aegyptij Hieroglyphicis literis vtebantur.

Rerū obſcuritas ingenia excitat ad cōtemplationē.

Pythagoras ſymbolis moralē philoſophiā, docuit.

quædam, vniuerſam de moribus ſcientiam cumulatiſſimè tradidit: quam tamen recentiores Pythagorici, corticem tantum, non etiam medullam Pythagoricarum ſententiarum accipientes, eaque ad literam, quæ Pythagoras ſymbolicè pronunciauit, intelligentes, turpiter inquinarunt.

A fabis abſtinendũ, quo intelligendũ ſit.

Iuſſit Pythagoras, à fabis abſtinendum eſſe. Nonnulli, vt maximi Pythagorici viderentur, à fabarum eſu abſtinebant ſeſe; quaſi Pythagoras præcepiſſet, non eſſe fabas comedẽdas. Sed aliò tendit Pythagoræ ſententia. Veteres, dum in magiſtratibus eligendis, ſuffragia ferebant, vtebantur fabis: voluit autem Pythagoras ſymbolicè monere, vt ambitionis vitiũ euitaremus, & propterea à fabis abſtinendum eſſe præcepit; hoc eſt, non eſſe anxiæ magiſtratus perquirendos.

Ne reflectas vbi ad terminũ perueneris.

Dixit etiam, non eſſe reflectendum, vbi ad terminos peruenerimus. Nonnulli hoc ſuperſtitioſè accipientes, grauiſſimum peccatum ſe commiſuros putarunt, ſi vbi ad terminum aliquem perueniſſent, ſeſe aliquãdo reflexiſſent. At nihilominus Pythagoras hoc ſymbolo docuit nos, neque mortem, neque alia, quæ neceſſariò ventura ſunt, timenda eſſe: hi nanque ſunt termini definiti, atque determinati, quos tranſire nemo poteſt: fruſtra igitur timemus, quod euitare nequimus.

Panem non eſſe frãgẽdũ.

Præcepit rurſus, panem non eſſe frangendum, non de pane, quem comedimus, verba faciens; ſed ſymbolicè monens, amicitiam non eſſe frangendã, quaſi panis conciliandæ amicitiæ ſymbolum ſit.

Oleo ſedem non eſſe abſtergendam.

Dixit præterea, oleo ſedem non eſſe abſtergendã. Peccatum putarent nonnulli ex recentioribus Pythagoricis, ſi forte fortuna olei guttam ſuper ſedem infunderent: tamẽ Pythagoras hoc ſymbolo docuit, ab amicitia eſſe adulationem arcendam: ſedes enim amicitiæ veritas eſt, non adulatio, non fucus. Multa id genus alia dixit Pythagoras, quæ modò recenſere non eſt operepretium. Hic igitur, & apud Pythagoram, & apud veteres Pythagoricos loquendi, & diſputandi mos fuit: ex quo iam recentiores cõijcere poſſunt, an ſua ipſorum ſententia de virtutibus, ac proprietatibus numerorum, quam tanto Philoſopho aſcripſerunt, quicquam veritatis contineat. Hactenus de præſenti diſputatione.

# DE CAELESTI SVBSTANTIA

## Diſputatio Decimatertia,

*Diſputandi ratio.* *Caput Primum.*

PRæcipuum Ariſtotelis conſilium in 1.lib.de Cælo eſt oſtendere, Cælum eſſe quintam eſſentiam, penitus ab elementis diuerſam; vt hinc nonnullorum philoſophorum opinionis abſurditas planiùs appareret, qui, Cælum elementari ſubſtantia conſtare, exiſtimarunt. Elicuit igitur in tex.18.ex acta in orbem latione, ipſum nec leuitate, nec grauitate affectum eſſe, vt intelligeremus, non habere illud igneam, aut aeream naturam, quam conſequitur leuitas; nec aqueam, aut terream, quæ grauitatem admittit. Deinde, vt eius diſcrimen ab elementis adhuc dilucidiùs patefaceret, probauit in tex.20.ipſum nec generationi, nec interitui obnoxiū eſſe: hoc enim præcipuum diſcrimen eſt, quo Cælum ab elementis diſiungitur, quæ perpetuò ſecundum eorum partes generantur, & intereunt. Ad hoc autem probandum hac eſt vſus ratione; Quicquid gignitur, & interit, ex ſubiecto, & contrario gignitur; atque pariter in ſubiectum, & contrarium diſſoluitur: atqui Cælo nihil eſt contrarium: cùm eius motui nullus motus aduerſari queat; igitur Cælum neque gigni, neque interire poteſt. Ex hac Ariſtotelis ratiocinatione difficultas quædam exoritur, quæ huiuſce occaſio fuit propoſitæ diſceptationis: quoniam iam conſtructam ab eo maiorem propoſitionem minor hæc ſequi debere videbatur; ſed Cælum nec ſubiectum habet vllum, ex quo gigni poſſit; nec eidem quicquam aduerſatur: nihilominus Ariſtoteles vnam tantùm huius minoris partem expreſſit, dùm dixit; ſed Cælo nihil eſt contrarium; alteram verò ſuppreſſit. Mutilus hic loquendi modus, anſam præbuit interpretibus multis dubitandi, quænam re vera, ſecundum Ariſtotelis mentem, ſit cæleſtis ſubſtantia, pura ne, & ſimplex, an ex diſtinctis principijs conflata; quemadmodum & elementa ipſa? Eſt ferè communis ſententia, intelligentiam, quæ Cælum mouet, eſſe quidē veluti formam, atque naturam illius, nihil tamen, præter motum, Cælo impertiri; cùm ſit forma tantummodò aſſiſtens, non etiam informans: itaque ſi hoc totum, ex intelligentia, & orbe conſtitutum, concretum aliquod æquiuocum ex materia, & forma vocitemus; nec à ratione, nec à communi philoſophorum Schola recedemus. At verò dubitatio præcipua eſt de Cælo, ab intelligentia ſecluſo, & ſeorſum conſiderato; includat ne illud in ſui ſubſtantia materiā vllam, ex qua factum ſit, & formam, à qua non eſſe ceperit? Ad hæc, includat ne materiam, & formam, ex quibus, tanquàm ex ſubſtantialibus principijs ab omni temporum æternitate cōſtitutum fuerit; an ſit per ſe ſimpliciſſima quædam ſubſtantia, expers tùm formæ, quæ dat eſſe rei, tùm materiæ, ex qua, tanquam ex ſubiecto, & potentiali parte concreta res quælibet cōſtituitur? Difficultas hæc nobiliſſima eſt, ob rei tractandæ nobilitatem: ſi enim vel exiguam eius cognitionem adepti fuerimus, maximum intellectui noſtro doctrinæ cumulum, acceſſionemque factam eſſe; intelligemus; cùm dixerit Ariſtoteles, rerum cæleſtium quamuis minimā cognitionem quacunque alia nobiliorem, præſtantioremque eſſe. Difficilis verò diſputatio eſt, ſi tot philoſophorum, tàm veterum, quàm recentium diſcrepantes ſententias conſideremus: atque etiam ſi ipſius cæleſtis naturæ maximam à nobis diſtantiam concipiamus; de qua fortaſſe, quid non ſit faciliùs, quàm quid ſit, intelligere poſſumus. Sed præterea neceſſaria nobis eſt propoſitæ quæſtionis diſputatio: niſi enim certò ſciamus, ſimplex ne, an compoſita cæleſtis ſubſtantia ſit; nunquam de eius motu quidquam, deque varijs qualitatibus, & conditionibus, quæ eidem tribuuntur, videlicet augeri ne Cælum, & minui, nutriri, & alterationem aliquam perpeti poſſit, & id genus alia, rectè intelligere, aut diſputare poterimus: atqui hæc nullum nobis negocium faceſſent, cùm diſcuſſum fuerit, vtrum Cælum ſimplex ſit, an ex materia, & ſubſtantiali forma concretum. Porrò grauiſſima hæc, & difficillima diſputatio tres præcipuas partes habebit. In prima, eorum opinionem aſſeremus, qui, Cælum ex materia, & forma conflatum eſſe, exiſtimarunt. In ſecunda rei veritatem aperire conabimur, oſtendendo, Cælum ſimpliciſſimam eſſe ſubſtantiam, nullam in ſeſe, aut informantem formam continentem,

Cælū eſt quinta eſſent. ab elementis diuerſa.

Non eſt graue, neq; leue.

Non eſt genitū nec diſſolubile.

Ratio Ariſt.

Diſputationis occaſio.

Intellig. non eſt forma informans, ſed aſſiſtens.

Quæſtio diſcutienda.

Diſputationis nobilitas

Lib.j.de Par. animal c.5.

Diſputationis difficultas.

Diſputationis neceſſitas

Ordo in diſputat. ſeruādus.

aut

aut informantem formam continentem, aut materam, quæ ſit altera compoſiti pars, quam Scholæ appellant materiam ex qua. In tertia, rationibus, & autoritatibus, pro aduerſa ſententia, & contra rei veritatem adductis, ſatisfaciemus.

*Sancti Thomæ, & Aegidy ſententia de ſubſtantia cæleſti.* *Cap. II.*

INter cæteros autores, qui hanc diſputationem euoluendam aggreſſi ſunt, fuerunt Angelicus Doctor S. Thomas, & Romanus Ægidius, eius diſcipulus: alter in 1. par. Summæ quęſtio. 66. artic. 2. 1. de Cælo lect. 6. 8. Phyſ. lec. 20. & alijs pluribus locis: alter in inſigni libello de materia Cæli. [S. Th. & Ægid. concors ſnia de Cœli compoſitione.] Qui arbitrati ſunt, cæleſtem ſubſtantiam nequaquam ſimplicem eſſe, prout ſimplicitas compoſitioni aduerſatur, ſed ex materia, & forma, ſicut cætera naturalia corpora, conſtare: ex materia quidem, tanquàm ex natura potentiali: ex forma vero, tanquàm ex actu, materiam informãte, atque illi eſſe ſpecificum impertiente. [Eorundem ſnia diſcors de cęleſti materia.] Hoc tñ inter S. Thomam, & Ægidium diſcriminis intercedit; quia putauit Ægidius, cæleſtem materiam, eiuſdem eſſe rationis cum materia horum inferiorum: S. Thomas verò id omninò negauit. Itaque Cælũ ex materia, & forma conflatum eſſe, multis rationibus, atque etiam Ariſtotelis autoritatibus probare conati ſunt; quarum præcipuas in medium afferre non pigebit. [Prima ratio.] Prima ratio ea eſt; omne, quod extra animam actu exiſtit, aut eſt actus, aut habet actum: ſed Cælum, ſecluſa intelligentia, extra animam actu exiſtit, vt perſpicuum eſt; igitur vel eſt actus, vel habet actum: atqui purus actus eſſe non poteſt; quoniã non eſſet corpus, ſed ſimplex forma, à materia abiuncta; quod non eſt dicendum; quia, ad proprium motum efficiendum, intelligẽtiæ ſubſidio non egeret; Cælum igitur habet actum: at verò nihil eſt, quod habeat actum, niſi id, quod ex materia, & forma coaleſcit; igitur Cælum tàm materiam, quàm informantem formam includit; ex quibus tanquàm ex intimis, atque ſubſtantialibus principijs cõſtitutum eſt. [Secunda rat.] Secunda; quemadmodum vnumquodque ſub intellectũ cadit, ratione formæ, ita cadit ſub ſenſum ratione materiæ, vt ſcribit Auerroes primo de Cælo comm. 91. Sed Cælum cadit ſub ſenſum, cùm percipiatur aſpectu: atque etiam ſub intellectum, cùm à nobis intelligatur; ergo Cælum ex materia, & forma compoſitum eſt. [Tertia ratio.] Tertia, Motus Phyſicus eſt materiæ argumentum, & propria entis mobilis affectio, vt ex motus definitione, lib. 3. Phyſ. tradita; manifeſtũ eſt; ſed motus Phyſicus cõuenit Cælo; ergo Cælum in entium mobiliũ numero collocatur: Ens autem mobile illud eſt, quod conſtat ex materia, & forma, vt docet Ariſtot. 2. Phyſ. tex. 1. ergo Cęlum eſt cõpoſitũ ex materia, & forma. [Quarta rat.] Quarta, quãtitas, raritas, denſitas, & alia id genus accidentia neceſſariò materiã conſequuntur: ſed, vt perſpicuũ eſt, hæc oĩa in Cælo reperiuntur: neceſſariò igitur in eodem materia, tanquam cõueniens, & adæquatum eorum ſubiectũ, ponenda eſt. Maiorem probant; quoniam rarum, & denſum per materiam definiuntur: eſt. n. denſum, quod ſub parua quantitate multum materiæ cohibet: rarũ verò, quod oppoſito modo ſe habet, vt patet initio 2. de generat. Hiſce rationibus nonnulli addunt Ariſt. autoritates. [Prima autoritas.] Primam eliciunt ex 1. de Cælo tex. 5. vbi probat Ariſtot. cæleſtes ſpheras in orbem agi, propterea, quòd naturam habent: natura autem dicitur de materia, & forma. [Secunda.] Secundam ducunt ex eodem libro tex. 92. vbi hæc Ariſt. ſcribit, ***Qui dicit Cælum, dicit formam: qui dicit hoc Cælum, dicit formam in materia,*** Cælum igitur, ex Ariſt. ſnĩa, ex materia, & forma conflatum eſt. [Tertia.] Tertiam ſumunt ex eodem libro, textibus 93. 94. & 95. vbi docet Ariſt. aliud Cælũ reperiri nõ poſſe; quia Cælum conſtat ex tota ſua materia. [Quarta.] Quartam accipiũt ex 2. lib. de generatione tex. 51. vbi aſſerit Ariſt. duo principia, ſcilicet materiã, & formam, rebus etiã æternis, atque præcipuis tribuenda eſse: hiſce verò inferioribus rebus priuationem addidit, quæ eſt tertium principium, ad rerum generationem neceſsarium. [Quinta.] Quintam eruunt ex 12. Metaphy. tex. 10. vbi fatetur Ariſt. ea omnia, quæ mutantur, materiam habere: Cælum mutatur; materiam igitur habet.

*Prædictæ ſententiæ confutatio.* *Cap. III.*

CÆterùm neque verum eſt, neque Peripateticæ Philoſophiæ conſentaneum, aſserere, cæleſtem naturam ex materia, & forma, tanquàm ex duabus diſtinctis ſubſtantijs, conflatam eſse, quemadmodum ſunt ſimplicia corpora, quæ in ſublunari hoc Mundo continentur, elementa appellata. Rationes præcipuæ, quæ ad id probandum communiter afferri ſolent,

lent, ex ſunt. Prima; cùm nulla alia ſit via, qua in primæ materiæ cognitionem duci valeamus, quàm per diuerſarum formarum tranſmutationem, vt luculentiſſimè Ariſt. 1. libro de Phyſico auditu demonſtrauit, qui fieri poteſt, vt, ſi reuera in cæleſti ſubſtantia materia reperiretur, vlla vnquam ratione illam deprehendamus, cùm Cæli ſubſtãtia, ex Ariſt. ſn̄a immutabilis ſit, prorſuſque interitus expers? Quoniam videmus, ex aqua aerem gigni, ex aere ignē atque viciſſim ex igne aerem, & ex aere aquam, hinc elicimus, aliquod neceſſariò ſubiectum ſtatuendum eſſe, quod iſtarum tranſmutationum fundamentum ſit; quod quidem ſubiectū aliud nihil eſt, niſi materia prima, ad varias formas per ſucceſſionem recipiendas, habilitatem habens: hoc vno medio Ariſt. 1. Phyſ. materiam primam appoſitè venatus eſt; in Cęlo verò nullā huiuſmodi trāſmutationē conſpicimus, quomodo igitur ipſum ex materia, & forma conflatum eſſe, iure pronunciabimus? Secunda, ſi Cælum, remota intelligentia, haberet formam, eius materiam perficientē, dubio procul illa forma aut alicuius motus in Cælo principium eſſet, aut omninò ſuperuacanea: (nam illa forma eſſet natura, & natura ab Ariſt. 2. Phyſ. principium, & cauſa motus appellatur;) atqui in Cælo nullus eſt motus, niſi in orbem actus, quem conſtat, ab aſſiſtente intelligentia, tanquam ab effectrice cauſa oriri, nullius igitur motus illa forma principium eſſet; ponere autem in natura aliquam formam ocioſam, repugnat omni Philoſophiæ, ergo forma, informans materiam, eſt à cæleſti ſubſtantia penitus remouenda. Confirmatur hæc ratio, ſi enim formæ, quæ materiā in hiſce inferioribus rebus, informando, perficiunt, aliquem illis motum impertiuntur, quem citra alicuius externi principij opem edere valent, (videmus enim ignem, remoto impedimento, ſuopte impetu ferri ſurſum, & terram deorſum) cur hæc Cæli forma, à diuo Thoma, & ab Ægidio poſita, non etiam Cælo motum aliquem elargitur, qui, abſque vllius externi motoris auxilio, perfici poſſit? Nonne ipſa quoque eandem habet rationem actus, quam habent formæ inferiorum corporum? Cur igitur, ſi huiuſmodi formæ, ad illam relatæ, ignobiles, & imperfectæ, motum vi propria edunt, non etiam forma Cæli, (quæ ſi daretur, nobiliſſima eſſet) idem munus obibit? Tertia, ſi Cælum quoquomodo ex materia, & forma conſtaret, tunc ipſum neceſſariò diſſolubile eſſet: ſed conſequens eſt contra Peripateticam philoſophiam, ergo & antecedēs. Probatur conſequentia; Si enim Cælum haberet materiam ſub forma, tunc neceſſe eſſet, vt materia ad illam formam potētiam paſſiuam haberet, puta ad recipiendum illud ſpecificum, atque determinatū eſſe, quod ipſi ea forma largitur; (proprium enim formæ eſt; ſpecificum, & determinatum eſſe materiæ impertiri;) atqui omnis potentia paſſiua eſt potentia contradictionis, vt teſtatur Ariſt, in calce libri de interpretatione, & planiùs 9. Metaph. potētia autem contradictionis, vt eſt ad eſſe, ita eſt ad non eſſe; (vt enim eſt ad hanc formam recipiendam; ita eſt ad eandem relinquendam;) igitur ſi hanc materiam, ſiue potentiam in Cælo ſtatuamus; fatendum neceſſariò erit, Cælum eſſe diſſolubile. Quod animaduertens Ariſt. 9. Metaph. tex. 17. omnem potentiam à Cælo abſtulit, & eam tantùm potentiam conceſſit, quam vocant ad vbi: cognouit enim, non poſſe in Cęlo reperiri materiā cum potentia ad eſſe, quin etiam reperiatur cum potentia ad oppoſitum, ſcilicet ad non eſſe.

Prima ratio.

Secunda ra.

Confirmat.

Tertia ratio.

Quęre plura apud Scotū in 2. d. 14. q. 1.

*Scoti cum Aegidio diſputatio.* *Cap. IV.*

Romanus Ægidius in tractatu de materia Cæli poſtremæ huic rationi ſatisfacere cupiens, ait, tametſi in Cælo materiam, quæ ſit eiuſdem rationis cum materia horum inferiorum, ſtatuamus; non ideò tamen ſequi, vt Cælum diſſolubile ſit: propterea quòd nō minus diſſolutio à materia, quàm indiſſolutio à forma pendere videtur; non quidem ab omni forma, ſed à nobili, atque perfecta. Iam verò, ſi Cæli materia ignobilem aliquam, & imperfectam formam haberet, cuiuſmodi ſunt formæ rerum caducarū; dubio procul plus roboris haberet materia ad Cæli diſſolutionem, quàm forma ad eius cōſeruationem: quia adhuc materia illa perfectiorem formam appeteret. Verùm quoniam forma Cæli adeò nobilis, atque perfecta eſt, vt ſuæ materiæ appetitum omninò expleat: ideo eius materia formam illā adeò diligit, tanq; arcto vinculo complectitur, vt nec formam aliam vnquam appetat, nec illam, quam habet, aliquando deſerat: quo fit, vt ratione illius nobiliſſimæ formæ, nunquam cæleſtis ſubſtantia occumbere queat, ſed penitus indiſſolubilis ſit. Contra hanc reſponſionem ſubtiliſſimè argumentatur Scotus, lib. 2. Sent. diſt. 14. quæſt. 1. poſitoq; diſputationis gratia, Cælum

Ægidij reſp. ad vltimam rationem.

Scotus contra Ægidiū.

lum ex materia, & informante forma concretum eſſe, nititur contra Aegidium demonſtrare, formam Cæli non eſſe tantæ perfectionis, atque nobilitatis, vt propriæ materiæ appetitũ vſquequaque explere poſſit. Quò autem eius argumentum faciliùs intelligatur, (ſatis enim longum, atque obſcurũ eſt) ſenſim nonnullas eius propoſitiones, quæ veluti quædam poſitiones ſunt, explicabimus. Primò igitur ponit Scotus, ſi materia cæli ſit eiuſdem rationis cũ materia horum inferiorum; neceſſario concedendum eſſe, paſſiuam potentiam, & eam quidem vniuerſalem in ea reperiri, ad omnes formas ſucceſſione recipiendas: hoc enim neque negabit Aegidius, neque alij, qui eius opinionem ſequuntur; quoniam huiuſmodi eſt potentia paſſiua, quæ in materia horum inferiorum reperitur. Ponit ſecundò, cuilibet potentiæ paſſiuæ proprium, & æquatum obiectum neceſſario reſpondere, ad quod illa per ſe à natura dirigatur: proprium enim obiectum potentiæ viſiuæ non eſt album, aut nigrum, ſed vniuerſum colorum genus; alioquin viſus colores omnes promiſcuè percipere non poſſet. Nunc quęrit Scotus, quodnam ſit proprium, & æquatum obiectum potentiæ paſſiuæ materiæ cæleſtis? Si illa eſt eiuſdem rationis cum materia horum inferiorum; certè obiectum illud ſola forma cæleſtis dici non poterit: quoniam materia illa formas quoque alias recipere valet. Neque & æquatum illius potentiæ obiectum poterit eſſe totum genus formarum inferiorum; quoniã poteſt etiam recipere formam cæli; cùm pręſertim, ex Aegidij ſententia, ea nunc actu decorata ſit: itaque proprium, & ęquatum obiectum, reſpondens potentię paſſiuę materię cęleſtis, non erit hęc forma, vel illa, ſed vniuerſum formarum genus. His ita poſitis, & explicatis, ſubtilis Doctor ſic argumentatur; nulla potentia paſſiua aliqua tantùm parte ſui obiecti, ſed ſolùm toto obiecto expleri poteſt, vt ſupra probatum eſt: ſed materia cæli habet potentiã paſſiuam ad omnes formas recipiendas, cùm ſit eiuſdem rationis cum materia horum inferiorũ, ergo forma cęli, quæ eſt vna tantùm pars obiecti eius ęquati, totam materię potentiam explere non valet; ac proinde in cęleſti materia adhuc manet potentia ad alias formas recipiendas. Quæ cùm naturalis ſit, ſuperuacanea certe non erit, ſed aliquando ad actum reuocanda eſt, atque adeò ſi in cęlo eſt materia, quę ſit eiuſdem rationis cum materia horum inferiorũ, fatendum neceſſariò eſt, cęlum eſſe diſſolubile. Sed reſpõdet Aegidius, formam cęli adeò perfectam eſſe, vt virtute ſua omnes alias formas complectatur; ideò materiam cęli, ea forma decoratam, non habere quod pręterea expetat. Redarguit Scotus hanc reſponſionem; Quomodo, inquit, forma cęli omnes alias formas ſua virtute complectitur? An complectitur animã fortaſse rationalem? Minimè verò; quia non eſt illa nobilior: minus autem nobile, & minus perfectum virtute ſua id, quod perfectius, & nobilius eſt, continere non poteſt, non igitur forma cęli omnes alias formas ſua virtute complectitur. Quod ſi ita eſt, cur materia cęli rationalem animam appetere, atque arripere nequit abiecta repentè, quam habet forma?

Prima Scoti poſitio ꝓ cõficiendo argumento.

Secunda poſitio.

In hoc poſita eſt vis Scoticæ argumẽtationis.

Scoticũ argumentũ in forma ſyllogiſtica.

Rñſio Aegidij.

Replica Scoti.

### *Autoris diſputatio cum Aegidio.* *Cap. V.*

CÆterùm quamuis propoſitum iam Scoti argumentum contra Ægidij reſponſionem validiſſimum ſit; nihilominus poſtrema hæc inſtantia nullius roboris mihi videtur: quoniam Ægidius reſpondere facilè poſſet, formam Cæli eſſe perfectiſſimam, & nobiliſſimam, quam quidem materia appetere poſſit: animam autem rationalem non eſſe formam, quam materia appetere poſſit, cùm ex eius poteſtate non educatur. Propterea argm̃ aliud contra Ægidij rñſionẽ ſic ipſe cõſtruerẽ; ſi materia cęli eſt eiuſdẽ rationis cũ materia horũ inferiorũ; igitur quẽadmodũ materia horũ inferiorũ formas oẽs ſine diſcrimine appetit, modò perfectã modò imperfectam: nec ſemper imperfectam deſerit, vt perfectionem accipiat; ſed interdum contrà, quatenus ei accidit, vt variè à naturali agente affecta ſit; deberet igitur & cæleſtis materia varias formas experiri, ſi eiuſdem rationis cum materia horum inferiorum ſtatuenda ſit. Reſpondebit fortaſſe Ægidius, materiam horum inferiorum varijs formis ſubijci, propterea quod contrarium recipit: habet enim annexam priuationem, & perpetua in ea fit naturalium agentium pugna: hincque euenit, vt hæ res inferiores diſſolubiles ſint. At cælo nihil eſt contrarium, vt docet Ariſtot. 1. de Cælo tex. 20. propterea cùm eius materia non habeat annexam priuationem, nec vlla in ea fiat naturalium agentium pugna; ſequitur vt cælum indiſſolubile ſit, non quidem ob defectum materiæ, ſed ob defectum contrariorum: poſſet enim cælum interire, ſi contrarium adeſſet, quod illud diſſoluere poſſet. Sed neque ſatisfacit huiuſmodi

Scoti inſtantia reijcitur.

Autoris arg. contra rñſionem Aegid.

Aegidij rñſio.

Refutatio.

modi reſponſio: quoniam nulla eſt forma in rebus inferioribus, primæ materiæ adhærens, quæ ex eius poteſtate, hoc eſt ex præuijs affectionibus, & alterationibus educta non ſit; ſi materia cæli eſt eiuſdem rationis cum materia horum inferiorum; igitur forma cæli, illi materię accumbens, de eius poteſtate, præuijs affectionibus, & alterationibus educta eſt; ſed omne, quod ex præuijs materiæ affectionibus ortum ducit, contrarium recipit, vt inter omnes conſtat; igitur & cælum contrarijs ſubijci poteſt; atque adeò interitui obnoxium eſt. Dicet Ægidius experientia nos, & longa etiam obſeruatione doceri, nullam cælum à contrarijs rebus mutationem perpeſſum eſſe. Tunc ipſe arguam; habet igitur naturam, ab hiſce rebus inferioribus omninò diuerſam; ac proinde falſum eſt aſſerere, in ipſo reperiri materiam, quæ ſit eiuſdem rationis cum materia horum inferiorum. Reſponſio Aegidij. Confutatio.

### *S. Thomæ defenſio reijcitur.* Cap. VI.

SAnctus Tho. vt materiam in cælo eſſe defenderet, animaduertens, multa incommoda, & abſurda ſequi, ſi illa eiuſdem rationis cum materia horum inferiorum ſtatuatur; arbitratus eſt, cælum ex materia, & forma concretum quidem eſſe; ita tamen, vt eius materia ad ſolam cæli formam determinata ſit, atque adeò diuerſæ rationis ſit à materia horum inferiorũ, quæ ad plures formas recipiendas poteſtatem habet. Verùm hæc reſponſio multis rationib. reijcitur. Primò, quia non poſſunt dari duo primi fines, nec duo primi efficientes alterius, & alterius rationis; ergo nec dari debent duæ primę materię, quę diuerſam rationem habeant. Deinde quęnam differentię ratio inter cęli materiam, & materiam horum inferiorũ aſſignari poſſet? Vtraque eſset pura potentia ad formam: & in pura potentia nulla poteſt eſse diſtinctio; igitur duę primę materię, diuerſę rationis, reperiri non poſsunt. Prętereà, ſi materia cęli ad ſolam cęli formam poteſtatem habet, atque ad illam tantùm determinata eſt, à quonã obſecro huiuſmodi determinationem obtinuit? Communis eſt philoſophorum omnium aſſertio, determinationem omnem à forma pendere: ſed materia cęli per ſe eſt in pura potẽtia ad formam cęli, igitur cùm per ſe formam non habeat, erit per ſe, & natura ſua ad omnes formas indeterminata. Niſi fortè, citra formam, aliquem actum cęleſti ſubſtantię, quam materiam appellare libeat, tribuamus, quo ipſa conſiſtere valeat, nullaque ei cum aliqua forma futura ſit communio: quod ſi concedatur, ſedata erit omnis controuerſia, quia hoc ipſum eſt, quod nos ſumus defenſuri, vt paulò poſt explicabimus. Ad hęc, ſi daretur hęc cęli materia, à materia horum inferiorum diſtincta, cur Ariſt. qui in veſtigatione materiæ primæ horum inferiorum adeò diligens fuit, primam cęli materiam penitus neglexit, vt nullam eius omninò mentionem fecerit? Profectò eam in prima parte primi libri de cælo conſiderare debuiſset, vbi cæli naturam declarandam propoſuit: & tamen ibi apertè negauit, cęlum habere materiam. Quòd ſi fortè intellexit, carere ipſum materia horum inferiorum, tunc maxima reprehenſione dignus eſset, quòd primam cęli materiam nobis non explicaſset. Denique aut hęc prima cęli materia eſt pura potentia, aut purus actus, aut quippiam ex actu, & potentia concretum. Hoc tertium dici non poteſt, quia ipſa eſset vnum per ſe, ac deinceps ex ipſa, & forma cęli adueniente, ſubſtantiale compoſitum non conſtitueretur. Neque ſecundum, quia cũ forma pariter ſit purus actus, ex ipſa, & materia nulla ſubſtantialis fieret compoſitio, quę exigit, vt illorum alterum, quę compoſitionem ingrediuntur, ſit actus, alterum verò potentia. Si verò primum admittatur, ergo materia cęli non eſt per ſe ad ſolam cęli formam determinata, ſed eſt ad omnes formas indifferens, ſicut materia horum inferiorum.

Reſp. S. Th. — Arg. Scoti. — Arg. Aegidij — Aliud argu. Aegidii. — Arg. Zabarellæ. — Arg. Autor.

### *Vera ſententia de re propoſita.* Cap. VII.

REprobata iam S. Thomę, & Aegidij opinione, nunc paucis vera, quam arbitramur, de ſubſtantia cęleſti ſententia, in medium afferenda, atque etiam explicanda eſt. Vera igitur ſententia ea eſt, quam inter cęteros Ariſtotelis interpretes pręcipuè tuetur Auerroes, in inſigni illo libello de ſubſtantia orbis: qui arbitratus eſt, cęlum ſimplicem eſse ſubſtantiam, nequaquam ex materia, & forma conflatam, niſi ea ratione, qua intelligentia forma motrix appellatur, orbis autem materia: cui innata eſt potentia, non quidem ad eſse, ſed ſolùm ad lo- Huius ſ[illegible] Autor poſt Ariſt. fuit Auer.

cum,

Cęleſtis ſubſtãtia cur materię noīe nũcupetur. In cœlo nulla eſt mat. ex qua; ſed cęlũ ipſum appellatur materia ex qua.

cùm, ſeu, vt vocant, ad vbi. Itaque Cælum ex Auerrois ſnĩa, ſimpliciſſimam naturam, atque ſubſtantiam habet: quæ quidem tametſi ea ratione, qua per ſe exiſtir, formæ nomine nuncupari poſſet: rectiùs tamen materiæ nomine appellandam eſſe putauit, quia & motus, & quantitatis, & aliorũ id genus accidenrium dicitur eſſe ſubiectum. Cùm ergo quæritur, ſit ne in cęlo materia? Reſpondendum eſt, ibi reuera nullam mareriam reperiri, ex qua, tanquam ex altera compoſiti parte, cælum conſtitutum ſir. Quòd ſi in cęlo materia nulla eſt; ſuperuacaneũ profectò erir, perſcrutari, ſit ne illa eiuſdem, vel diuerſæ rationis à materia horum inferiorũ. Hoc tamen admittendum eſt, totam cæleſtem ſubſtantiam, ratione paulò antè adducta, materiæ nomine nuncupari poſſe: quæ quidem ſubſtantia, ſiue materia, ab horum inferiorũ materia diuerſa penirus ſit; cùm & ipſe Ariſt. totam cæleſtem naturam eſſe quintam eſſentiam, ab hoc ſublunari Mundo diuerſam, exiſtimauerir. Ad confirmandam hanc ſnĩam ſatis eſſent rariones, conrra S. Thomæ, & Ægydij opinionem ſuperiùs allaræ: aliam nihilominus addã, quæ validiſſima eſt, & fortaſſe non aſpernanda. Vr in rerũ natura duo formarum genera reperiunrur; ità ſanè reperiri videnrur duo genera marerierum; oppoſitorum enim eadem eſt ratio, vr habetur 2. Topic. Sed in rerum natura vnum formarum genus reperitur, quæ per ſe exiſtunt, quales ſunt Intelligentiæ: alrerum reperitur formarũ genus, quę, citra materiæ. opẽ, conſiſtere nequeunr, quales ſunr formæ omnes rerum diſſolubilium: igitur debet etiam dari vnum genus mareriæ, quæ, ſuæ naturæ relicta, abſq; formæ auxilio, ſubſiſtere nequeat, cuiuſmodi eſt materia horum inferiorum: & alterum genus mareriæ, quæ per ſe ipſa, citra vllam formam exiſtar, & hæc erit ſubſtantia cæleſtis, quæ mareria nuncupatur.

Autoris ratio ꝑ huius ſnīæ confirmatione.

### *Prædicta ſententia, Ariſtotelis, & Græcorum Interpretum autoritatibus confirmatur. Cap. VIII.*

Iacob. Zabarella quæſtionẽ hanc mirificè diſputauit.

Prima autoritas Ariſto.

VEra ſententia de ſubſtanria cæleſti ſatis commodè iam explicata, hoc vnum nunc nobis eſt enixè enitendum, ut hanc ipſam, & Ariſt. & Græcorum interpretum ſnĩam extitiſse, oſtendamus. Mulri ſunr Ariſt. loci, ex quibus hæc ſnĩa elici quàm facillimè poreſt: in quibus recenſendis nõ ero multus; proprereà quòd Iacobus Zabarella lib. de Narura Cæli: cap. 6. eos omnes diligenter collegit, & ſubtilirer explicauir. Mittam nunc autoritatem illam Ariſt. quæ ex 1. de Cælo tex. 136. paſſim elicitur: vbi de materia in vniuerſum loquens, manifeſtè docet, eam eſse cauſam, cur res ſir, & non ſit; atque ad vtrunque oppoſitorum, ſcilicet ad eſse, & ad non eſse potẽtiam contradictionis habere. Vna hæc autoritas ſatis eſset ad probandum, nullam in Cælo materiam reperiri, quæ ſit alrera compoſiri pars, ne, vr ait Zabarella, in Ariſt. philoſophia, eiuſmodi monſtrum admitteremus, vt ſcilicet mareriam fateri cogeremur, quæ ad dimidium tantùm contradictionis, ſcilicet ad ſolum eſse, non etiam ad non eſse, poteſtatem habeat, cuiuſmodi eſset mareria cæleſtis, ſi in Cælo reperiretur. Apertiſſima eſt etiam Ariſt. autoritas 9. Metaph. tex. 17. vbi expreſsè docet, omnem potentiam paſſiuam oppoſitorum eſse, atque adeò nullam in Cælo eſse potentiam patiendi, niſi ad motum localem. Sed his autoritatibus omiſſis verba illa tanrùm perpendamus, quæ 8. Metaph. rex. 12. Ariſt. pronunciauit: vbi ſnĩam ſuam de cæleſti ſubſtantia, ni fallor, planiſſimè parefecit. Loquens enim ibi de quatuor cauſarum generibus, quarum cognitionem ad perfectam naturalium rerum notitiam neceſsariam eſse aſseruit; cùm in cæreris naturalibus rebus materiale principium ſtatuiſser, illud ſtatim à cæleſtibus corporibus ſecluſit, hiſce planè verbis, *de naturalibus autem, ſed perpetuis ſubſtantijs alia ratio eſt: fortaßis etenim quadam non habent materiam aut non talem; ſed ſolùm quæ ſecundum locum mobilis eſt.* Ecquis eſt vel philoſophiæ initiatus, qui ex his verbis apertiſſimè non eliciat, Ariſt. in Cælo non ſtaruiſse illã mareriam, quæ eſt alrera compoſiti pars; quæque tanrummodo in rebus diſsolubilibus reperitur: ſed totam cæleſtem ſubſtantiam, per ſe reipſa exiſtẽtem, localis mutarionis materiam, ſeu ſubiectum appellaſse? Neque eſt, quòd dicat aliquis. Ariſt. hac de re dubiè locutum eſse, quia poſuit particulam illam, *fortaßis*: aliàs. n. docuimus, hunc eſse modum loquendi, Ariſt. familiarem, ob reuerentiam quandam philoſophicam. Er verò dubiam eſse eius ſnĩam ſuſpicari poſsemus, niſi id ipſum alijs in locis planioribus verbis pronunciaſset. An non 12. Meraph. tex. 10. aperiiſſimè negauir, in perpetuis corporibus generabilem materiam reperiri; ſed ſolùm in eis conceſſir, materiam vnde quo, ideſt loco mobilem? Sed quænam verba di-

Secunda autoritas.

Tertia autoritas.

Occupatio.

Quarta autoritas.

Quinta autoritas.

lucidiùs Ariſt.mentem patefacere poſsunt, quàm ea, quæ ſcripſit 1. de Cęlo tex. 21.? Cùm.n.
probare ibi vellet, Cælum nec generationi, nec interitui obnoxium eſse, neque rurſum auge-
ri poſse, nec minui, nec vllam alterationem perpeti, ex earum videlicet numero, quæ ad inte
ritum ducunt; hoc medium, tanquàm validiſſimum, ſumpſit, Cælum videlicet neque mate-
riam habere vllam, ex qua factum ſit; neque contrarium, à quo pati poſſit: ita enim ſcribit ad
verbum, ***huic autem non eſt, ex quo factum ſit.*** Notabilis eſt certè locus iſte, vt, ad prædictam
ſnĩam confirmandam, alio Ariſt. teſtimonio non ſit opus. Sed & Græci interpretes, vno Ioã
ne Grammatico excepto, qui contra Ariſt. ſtatuit, Cælum ab elementorum natura minime
differre; in hanc, quam explicauimus ſnĩam, irrepſere. Viſi ſunt quidem nonnulli, compoſitio
nem ex materia, & forma in Cælo ſtatuiſse; ſed tunc Cælum non ab intelligentia ſeiunctum
acceperũt, quemadmodum nos nũc in hac diſputatione accipimus; ſed totum aggregatũ ex
intelligentia, & orbe compoſitum quiddam ex materia, & forma cenſuerunt, ex orbe quidẽ,
tanquam ex materia, ex intelligentia verò, tanquàm ex aſſiſtente forma. Ita arbitrati ſunt
Theophraſtus, referente Simplicio 1. Phyſ. contex. 1. Alexander lib. 1. quæſtionum natura- Theophraſtus.
lium, c. 10. & 15. Ammonius in calce libri de interpretatione. Themiſtius 3. Phyſ. contex. 3. Alexander.
Simplicius 1. de Cælo contex. 5. Iamblicus lib. de Myſterijs Ægyptiorum; Olympiodorus Ammonius.
in procem. Quarti Meteor. Michael Epheſius, Alexãdri ſectator, lib. 1. de partibus animaliũ, Themiſtius. Simplicius.
cap. 1. quorum expreſsas autoritates vnuſquiſque apud Zabarellam, loco citato cap. 7. lege- Iamblicus.
re poteſt. Subſcripſerunt etiam huic ſnĩæ ex recentioribus philoſophis ipſemet Zabarella, Olympiodorus.
Franciſcus Piccolomineus, Archangelus Mercenatius, & alij complures, vt de eius veritate Michael Epheſius.
iam amplius dubitare non liceat. Zabarella. Piccolomineus. Archãgelus.

## *Rationibus, & autoritatibus, pro oppoſita ſententia adductis, obuiam itur.* Cap. IX.

NVnc rationibus, & autoritatibus, pro oppoſita ſnĩa adductis, occurramus. Ad primam Ad primam rationem.
rationem concedenda eſt maior propoſitio, nimirùm omne, quod extra animam actu
exiſtit, aut eſſe actum, aut habere actum; dummodo actus aut pro forma, aut pro exiſtentia
accipiatur: itaque Cælum, quod extra animam actu exiſtit, habet quidem actum, hoc eſt exi
ſtentiam, non tamen formam informantem. Cùm verò, ſubarguitur, non habere actum, niſi
id, quod ex materiæ, & formæ copulatione concreſcit; ea propoſitio neganda eſt: quoniam
materia etiam prima habet actum, ſupple exiſtentiæ, vt alias probauimus; & tamen ex mate
ria, & forma conflata nõ eſt. Duo igitur in rerum natura, abſque vlla phyſica compoſitione,
actum habere dicuntur: alterum ex quo res generabiles, & diſſolubiles fiunt, & hoc eſt mate-
ria prima; alterum, à quo, tanquàm ab efficiente cauſa, in lucem eduntur: & hoc eſt Cęlũ, am
bo hęc exiſtunt, & habent actum: tamen ex materia, & forma conſtituta non ſunt. Ad ſecũ- Ad ſecundã.
dam, quanuis maior illa propoſitio apud Auerroem, loco citato, non reperiatur; nihilominus
tanquàm vera concedenda eſt: vnumquodq; enim cadit ſub intellectum, ratione formę, quo
niam à forma præcipuè definitio ſumitur, per quam res intellectui notæ fiunt: vnumquod-
que autem cadit ſub ſenſum, ratione materiæ, quoniam ea, quæ ſenſu percipiuntur, ſunt ac-
cidentia, quæ materiale ſubiectum neceſſariò ponunt. Probat igitur argumentum, Cęlum, cũ
ſub aſpectum cadat, ſenſibilia accidentia in ſeſe continere, atque adeò eius ſubſtantiam ma-
teriale ſubiectum illorum accidentium appellandam eſſe, quod omninò concedimus: non ta-
men inde ſequitur, vt Cęlum ex materia, tanquàm ex altera compoſiti parte, & informante
forma conſtitutum ſit. Ad tertiam diſtinguenda eſt maior: motus enim phyſicus duobus mo Ad tertiam.
dis accipi poteſt: vno modo largè, & extenſè prout diſtinguitur à motu metaphorico, ſiue à
principio pendeat externo, ſiue interno: altero, propriè, & ſtrictè, pro eo, qui à principio tan-
tùm interno proficiſcitur. Cùm ergo dicunt, motum phyſicum eſſe materiæ argumentum, ve
ra eſt hæc propoſitio de motu phyſico, propriè, & ſtrictè ſumpto: ea enim omnia, quæ ita mo
uentur, vt eorum motus ab interno principio proficiſcatur, ſunt entia, ex materia, & forma
concreta: motus autem Cæli non oritur à principio interno, ſed ab externo; & proptereà Cę
lum non eſt de numero eorum mobilium, quę ex materia, & forma cõſtituta ſunt; ſed ſat eſt,
eius ſubſtantiam eſse veluti materiam, ad motum recipiendum idoneam. Motus itaque phy
ſicus, quocunque modo accipiatur, eſt materię argumentum, aut materiæ, ex qua fit aliquid,
aut materiæ, in qua motus ipſe recipitur. Autoritas autem Ariſt. ex 2. Phyſ. tex. 1. depromta,

T potius

potius ſnīæ noſtræ fauere videtur: ibi enim Ariſt. naturalia corpora numerans, quæ motu phyſico mobilia ſunt, animalia exprimit, & partes ipſorum, plantas, & ſimplicia corpora, vt terram, aquam, aerem, & ignem; nullam tamen Cęli mentionem fecit, vt indicaret, Cælum in eorum corporum numero ponendum non eſſe, quę motu phyſico, propriè, & ſtrictè accepto, mobilia ſunt; hæc enim omnia ex materia, & forma cõcreta ſunt, atque ab interno prin-
Adquartam. cipio mouentur, cuiuſmodi non eſt Cælum. Ad quartam, concedimus, in Cęlo raritatem, denſitatem, & alia huius generis accidentia reperiri; ac deinceps dari in cælo ſubſtãtiam, quæ ſit ſubiectum horum accidentium, atque adeò materiæ nomine nuncupetur; non tamen inde
Ad primam autoritatem. ſequitur, vt in cęlo ſit materia, ex qua, tanquàm ex altera compoſiti parte cõſtitutum ſit. Ad primam Ariſt. autoritatem reſpondendum eſt cæleſtes ſphętas in orbem quidem agi, quia naturam habent: verùm natura, vt aliàs docuimus, de cælo, & mortalibus æquiuocè dicitur;
Ad ſecundã. habet igitur cęlum naturam, ac deinceps materiam non ex qua, ſed ad vbi. Ad ſecundam reſpondetur ex Doctore ſubtili, formam duobus modis accipi poſſe, vno modo pro altera parte compoſiti; altero, pro quidditate: cùm ergo ait Ariſt. qui dicit cęlum, dicit formam, per formam non intellexit alteram partem compoſiti, ſed quidditatem, & eſſentiam cęli, hoc eſt rationem eius formalem, atq; naturam in abſtracto, quaſi diceremus cęlitatẽ ipſam; ſicut qui dicit hominem, dicit naturam hominis in abſtracto, hoc eſt humanitatem. Cùm verò ſubdit, qui dicit hoc cęlum, dicit formam in materia; non accepit amplius quidditatem abſolutè, ſed ipſam accepit in indiuiduo ſenſibili, actu exiſtente: quidditas enim cęli ſola mente comprehẽditur: at cælum ipſum, prout eſt indiuiduum ſenſibile, actu exiſtens, aſpectu etiam cernitur. Itaque ex eo Ariſt. loco elicitur, cæleſte corpus, quod aſpicimus ex re quidem ſingulari, &
Ad tertiam. quidditate conſtare; non autem ex materia, & informante forma. Ad tertiam reſpondẽdum eſt, in ijs contextibus Ariſt. nos docere voluiſſe, cæleſtem naturam ab hiſce rebus inferiorib. diuerſam penitus eſſe: in his enim inferioribus rebus, ſi bouem, aſinum, aut plantam genitam videamus; certò ſcimus alia eius generis plura adhuc generari poſſe, quia in ijs ſolis non reperitur tota materia, ex qua genita ſunt; ſed ſupereſt etiam materia, aliorũ generationi idonea. At verò cælum vnum tantum eſt, quia neque ex vlla materia effectum eſt, neque materia vlla ſupereſt, ex qua cęlũ aliud fieri poſſit; ſed tota eius natura appellatur materia, ea ratione,
Ad quartam. qua & motum, & alia in ſe ſe accidentia complectitur. Ad quartam admittendum eſt, in reb. etiam æternis duo principia, ſcilicet materiam, & formam reperiri; ita tamẽ, vt illa principia ſolo genere, & eo quidem æquiuoco, ſeu proportione cum rerum ſublunarium principijs cõueniant: in his rebus inferioribus reperiuntur principia, per relationem ad ortum, & interitũ:
Ad quintam in cælo verò per relationem ad motum. Ad vltimam facilis eſt reſponſio. Omnia, inquiunt, quæ mutantur, neceſſariò materiam habent; hęc propoſitio diſtinguenda eſt; aut enim habet materiam ex qua: aut materiam, quæ eſt ſubiectum motus, quam vocant ad vbi. Ariſtoteles ibi de prima materia locutus nõ eſt; ſed potiſſimũ de ſecunda: quare cùm cælum moueatur, neceſſe eſt, vt illam ſaltem materiam habeat, quæ ſubiectum motus appellatur, Vel etiam dicendum eſt, propoſitionem illam intelligendam eſſe de mutatione ſubſtantiali, non autem de mutatione locali.

# DE CAELI ANIMATIONE

## Diſputatio Decimaquarta.

*Quid agendum in hac diſputatione.* *Caput Primum.*

VNiuerſam hanc Mundi machinam ex duabus præcipuis partibus conflatam eſſe, nimirum ætherea,& elementari, nemo eſt, qui ambigat. Hanc demirantur plerique,quòd,continua viciſſitudine,materiã omnibus gignẽdis rebus ſubminiſtret. Illam,inquam,omnes: equè ij,qui in orbe extimo ſempiternos illos ignes:quos ſidera,& ſtellas vocant, duntaxat intuentur,atque ij,qui diuerſorum orbium conuerſiones;ortus,atque obitus ſtellarum;aſtrorum diſpares curſus,admirabili ordine,atque celeritate confectos,non ſuſpiciunt modò,ſed etiam tanquã diuinum quiddam auguſtè colunt, ſanctèque venerãtur. Adde,ſi placet,illos,qui,cæleſti motu,lumine,atque calore,omnia hæc inferiora corpora gigni,foueri,& gubernari fatẽtur. Magna profectò eſt huius partis nobilitas,& excellentia,quam frequenter Ariſt. totius vniuerſi nomine appellare non dubitauit. Sed imperita vetuſtas tam multa audiens à Cęlo pendere, Deum alium nullum,præter ipſum cælum,agnouit:quin hac ipſa tẽpeſtate non deſunt, qui in nonnullis regionibus cęleſtia ſidera,tanquam numina colant. Veteres quidem illos viros ſapientes,naturaliumque rerum ſcrutatores;cæleſtium corporum, motuumque contemplatio ſenſim ad diuinitatem perduxit:fieri enim non poſſe exiſtimarunt, vt tanti naturæ motus,atque viciſſitudines,tàm multarum rerum,atque tantarum ordines,abſque aliqua mente regerentur. Hinc Anaxagoram,natum ſe eſſe,dixiſſe ferunt,vt cælum ſuſpiceret,& hinc Deum ipſum agnoſceret.Quòd cùm ita ſit,mira voluptate,animique oblectatione, ad cæleſtem ſubſtantiam contemplandam,nos inuitari perſentio. Cùm enim cælum puriſſimum, & ſimpliciſſimum eſſe corpus,nulla materiæ labe inquinatum,nulli generationi, interitui, aut alterationi obnoxium,ſuperiore diſputatione patefecerimus;cùmque tanta illud virtute,atque perfectione præditum ſit,vt ab eo proxime tàm diuerſa rerum genera generẽtur; iure optimo dubitandum videtur,ſit ne Cælum viuens corpus,quod nutriatur,&,animantium more,loco moueatur: anima hæc,vt potè vilia,& abiecta reſpuens, ſola rationis participe vita perfruatur?Quæſtio ſanè non vulgaris,quæ Chaldæos,Ægiptios, Hebræos, Gręcos, Arabes, Latinos,& cuiuſuis generis philoſophos diu,multùmque exercuit: quæque tametſi à multis celeberrimis viris diſcuſſa eſt;nondum tamen ita planè explicata reperitur,vt alterius etiam autoris lucem deſiderare non poſſit.In id nos, Deo benè iuuãte, conatus omnes noſtros adhibebimus,atque labores,qualeſcunque tandem fuerint,impendemus, hoc ordine ſeruato. Primò,vbi,præparandi intellectus gratia,opiniones varias de re propoſita recenſuerimus,in Platonis opinione de Mundi anima pauliſper verſabimur. Mox quæremus,viuat ne cęlum, & corporis alimentum deſideret? Deinde,ſint ne illi ſenſus tàm exteriores,quàm interiores à natura conceſſi? Præterea,ſit ne præditum anima rationali? Demùm, vbi rem totam ſecundum philoſophiam Peripateticam confecerimus,quid hac de re fides catholica ſentiat, paucis aperiemus.

Mundi duæ partes præcipuę,ætherea, & elementaris.

Elemẽta ſũt materia proxima rerum generabiliũ.

Naturã cęleſtẽ pleriq; vt diuinũ quiddã ſuſpiciũt.

Ariſt. in lib. r. de cœlo frequẽter appellauit cęlum noie vniuerſi.

Apud Indos reperiuntur, qui cęleſtia ſidera, vt Deos venerentur.

Cęleſtiũ corporũ cõtemplatio veluti ſcala quædã eſt, quæ ad Dei cognitionẽ perducit.

Anaxagoræ Dictum.

Huius Diſputationis cum ſuperiore cõnexio.

Quæſtio diſcutienda.

Ordo in Diſputatione ſeruandus.

*De re propoſita opiniones variæ.* *Cap. II.*

QVò faciliùs veram de re propoſita ſententiam intellectus apprehendere poſſit,haud abſurdum fortaſſe erit,varias omnis generis philoſophorum opiniones hoc capite recenſere: ſic enim à confuſis ad diſtincta procedemus,& ordinem illum ad vnguem ſeruabimus, quem Ariſtoteles in proœmio primi libri de phyſico auditu, in cuiuſcunque rei cognitione tradenda,ſeruandum eſſe docuit. Nempe in re tanta nulla eſt philoſophorũ conſenſio. Chaldæi, & Aegiptij,qui in cæleſtium rerum contemplatione maxime verſati ſunt,atque potiſſimùm de aſtris,deque ipſorum influxibus multa litteris conſignarunt, animatum eſſe cælum, exiſtimarunt;ſed ij quoque tamen in diuerſum abierunt. Nonnulli putarunt, vnicam animã

Chaldæorũ, & Aegyptiorum opinio multiplex.

Opinio Platonis.

Opinio ſtoicorum. Opinio Ioa. Grammatici & Auic.

toti cęlo ſufficere, atque adeò cælum veluti magnum quoddã animal eſſe, quod à ſeipſo moueatur: quam etiam opinionem ex Græcis philoſophis in Cratillo, & Epinomide ſecutus eſt Plato. Exiſtimarunt alij, toti Cælo vnicam animam non ſufficere; ſed quot ſunt orbes cæleſtes, tot pariter in ipſis animas reperiri. Alij nõ ſolùm ſingulis orbibus, verùm etiam ſingulis aſtris ſuam cuique animam aſcripſerunt. Rurſus nonnulli putarunt, altrice tantùm, ſeu vegetali anima cæleſtia corpora prædita eſſe; in quam etiam ſententiam Cleantes, Plinius, Seneca, & Stoici omnes inclinarunt; qui cæleſtia corpora marinis fluctibus ali, tradiderunt. Arbitrati ſunt alij, non ſolùm vegetalem animam, verùm etiam ſentientem cælum cõtinere: quã ſententiam ex Gręcis Ioannes Grammaticus, & ex Arabibus Auicenna aliqua ex parte ſecuti ſunt. Alij, præter vegetalem, & ſentientem, rationali quoque anima cælum præditũ eſſe, cenſuerunt. Alij, non ſentiente, ſed rationali tantùm, atque altrice anima gaudere. Alij neque altricem, neque ſentientem animam, ſed ſolam rationis participem cælo tribuere. Ex

Opinio Hebræorum. Opinio Zimaræ, Gandauenſis, & Scoti. Opinio Achillini, & Balduini. Opinio Alexãdri, & multorũ Arabũ. Opinio S. Thomę.

Hebræis, Philo, & Rabbi Moſes, vnà cum eorum ſectatoribus, cælum animatum eſſe, crediderunt. Sed & inter Peripateticos maxima controuerſia eſt, Nonnulli exiſtimarunt, (& eſt communior ſententia) cælum nullam aliam animam, præter motricem intelligentiam, habere; eamque eſſe veluti naturam, & formam cæli, non quidem informantem, ſed aſſiſtentem; cuius ſentẽtiæ præcipui defenſores fuerunt Zimara, Gandauenſis, & Scotus. Arbitrati ſunt alij, intelligentiam non aſſiſtere quidem cælo, quemadmodum auriga aſſiſtit curtui, vel nauta naui; ſed eſſe formã informantẽ cęlum, à qua non ſolũ motus, verùm etiã ipſummet illius eſſe pendere dicatur: &, vt planiùs eloquar, quẽadmodũ vegetalis anima eſt forma, quæ dat eſſe plantis, ſentiens verò, quæ dat eſſe beluis, rationalis aũt, quæ dat eſſe homini: ita putarunt, intelligentiã eſſe formã, quæ dat eſſe cęlo; & huius opinionis fuerunt Alexander, Achillinus, & Hieronymus Balduinus. Cenſuerunt alij, intelligentiã eſſe quidẽ formã, quę, veluti nauta naui, cęlo aſſiſtit; nihilominus, pręter intelligẽtiã, ponẽdã quoq; eſſe in cęlo rationalem animam, quę ſit forma, atque natura eius, quęque eidem exiſtentiam impertiatur. Et hanc ſententiam inter Gręcos tuetur Alexander Aphrodiſienſis: inter Arabes, Algazellus, Alpharabius, & Albumaſar; nec ab ea longè diſſenut Auicenna; ex recentioribus verò philoſophis omnes ferè huic ſententię ſubſcripſerunt, qui humanam animam morte mulctarunt. Alij denique, ſit ne cęlum apud Ariſtotelem animatum, veluti problema quoddam cenſuerunt, &, vtrunque defendi poſſe, aſſeuerarunt: cuius ſententię videtur fuiſſe Angelicus Doctor. S. Tho. qui lib. 2. contra Gentiles c. 70. cęlum animatum eſſe, atque ab intelligentia, veluti ab informante forma, ſuam rationem, atque perfectionem nanciſci, pronunciauit. Contrà verò in 1. par. Summæ quęſt. 70. art. 3. cęlum animatum eſſe, atque ab intelligentia exiſtentiam accipere, negauit. In tanta opinionum diuerſitate nos, docendi methodo, diſputationem facilem reddere, atque rei veritatem explicare conabimur.

*Platonis opinio de anima Mundi.* *Cap. III.*

Plato multis in locis mundũ animatũ eſſe putauit. Tria coæterna apud Platonem. Vniuerſalis idea, quæ circa Bonũ reperitur. Idearũ differentiæ, quæ recipiũtur in Mente. Idearũ rationes, quæ recipiunt in Anima mundi. Rerũ omnium ſemina ab Iſderũ rõnib. orta.

INcipiemus igitur ab opinione Platonis, qui in Epinomide, in Timæo, ĩ Parmenide, in Cratillo, in libris de Legibus, de Republica, & alijs pluribus in locis, non ſolùm id, quod ex omnibus cęleſtibus corporibus aggregatum eſt, ſed Mundum vniuerſum, ex æthera, & elementari regione conſtantem, animatum eſſe, exiſtimauit; idque totum diuinum quoddã animal appellauit, quod ex ſemetipſo motum edat. Porrò diuinum hoc animal, ſi corpus tantummodo ſpectes, ortum aliquando cenſuit: ſin autem animam, æternum eſſe decreuit. Tria enim ſunt, quæ, immutabili æternitate contineri, Plato conſtituit; Bonum, Mentem, & Animam Mundi. Bonum rerum omnium patrem, & autorem Deum nuncupauit. A Bono, vt à patre Mentẽ oriri perhibuit, eo modo, quo lux à Solis lumine proficiſcitur. A Mente verò, vt ſplendorem à lumine, Mundi animam fluere putauit. Circa Bonum vnicam, & illam quidem ſimpliciſſimam bonitatis ideam reperiri affirmauit: à qua, tanquam ab inexhauſto fonte, innumerabiles idearum differentiæ effluxerunt; non ſecus, ac ab vno, & ſimplici lucis radio, plurimi in cęlo diſtincti radij conſpiciuntur. Has omnes ideas diuina excipit mẽs, & ab ijs rationes idearum emanant, quas excipit anima Mundi: à rationibus autem idearum rerum omnium ſemina in cælos, ſideraque ſparguntur; atque hoc ordine mundus totus ita ſuſtinetur, vt primo ſublato, intereãt omnia neceſſe ſit. Verùm quoniam vniuerſi corpus tractabile eſt,

& ſenſibus

& ſenſibus patẽs; eius verò anima puriſſima, ſimpliciſſima, diuiniſſima, nullaq; corporea mole prædita; rationi conſentaneum videbatur, vt duo hæc tanto naturæ interuallo diſiuncta, alicuius mediæ naturæ interuẽtu, coniungerẽtur, quæ alioquin nunquam copulata fuiſſent: hæc autem media natura eſt æthereus, ac diuinus ſpiritus, communis vtriuſq; & amborum nexus, & vinculum. Etenim anima mundi, quaſi turgens, vi ſua genitali, ſpiritum hunc æthereum ex ſe fundit, & per cuncta diffundit: cuius comes eſt cæleſtis ille feruor, qui vitam, & calorem rebus hiſce inferioribus elargitur. Quemadmodum autem ſpiritus in paruo animali præcipuum eſt animæ inſtrumentum, omniumque actionum opifex; ita in magno animali ab eo ſpiritu, quem anima mundi progignit, tanquam ab inſtrumento præcipuo, cuncta procreantur, & conſeruantur. Nihil igitur intra cęli ambitum reperitur, ſiue illud elemẽtum ſit, ſiue lapis, ſiue metallum, ſiue aliud quodcunque corpus viuens, quod non animã mundi participet, quodque diuino hoc ſpiritu nõ ſuſtineatur. Neque verò, tametſi in mundo multæ res diuerſi generis conſpiciuntur; idcirco illas à diuerſis animabus foueri, putandum eſt. Sed quẽadmodum in paruo animali, non aliam animam habent oſſa, aliã nerui, aliam cartilagines, aliam aliæ partes, verùm omnibus partibus vna anima vitam impertitur; ita in magno animali, & elemẽta, & quæ ex ijs conflata ſunt, & corpora omnia cæleſtia, quatenus vniuerſi partes ſunt, ab vna mundi anima vitam accipiunt; licet rebus viuentibus, ſecundum propriam naturam, & rationem conſideratis, propria quibuſque anima tribuatur. Vnica ergo anima, per omnes partes mundi diffuſa, reperitur, quæ tota vbique ſeruatur, ſicut & anima in paruo animali. Eſt enim tota anima in toto animali; & in varijs eiuſdem partibus varias functiones exercet, vt in oculo quidem videat, in manu tangat, in pede ambulet, deque cæteris partibus idem dicendum ſit. Ita igitur fit, vt anima mundi in omnibus eius partibus varias operationes edat, illis conueniẽtes; atque ideo in cælo cæleſtia tantũ, & in terra terreſtria fulgẽt. Hæc anima mũdi datrix formarum, atque etiam vniuerſalis natura Platonicis dicitur, à qua ea omnia, quæ contingẽter fieri videmus, quæque & admirationem maximam ferunt, oriuntur: quales ſunt rerum ſympathiæ, & antipathiæ, & alij multi admirandi effectus: qui, cùm euidẽtem cauſã non habeant, nec à manifeſtis qualitatibus ortum ducant; ab hac vniuerſali natura, & mũdi anima, ex Platonis ſñia, proficiſcuntur. Sic igitur Plato, cælum animatum eſſe putauit, vt non propriam animam habeat, à cęteris rebus diſtinctam; ſed quæ ab vniuerſali mundi anima ſuſtineatur, perficiatur, & conſeruetur.

Æthereus ſpiritus, quo Mũdi corpus, & eiu anima copulantur.

Aethereus ſpiritus partus eſt aiæ mundi, cuius comes eſt cæleſtis feruor.

Spiritus tã in paruo, quã i magno aiã li eſt aiæ inſtrumentum.

Oẽs mundi partes viuũt aia mundi.

Vnica eſt aiã mundi, oib. eius partib. inſeruiens.

Anima mundi tota vbiq; fertur.

Anima mundi apud Platonẽ eſt datrix formarũ

*Platonicorum rationes eorum ſententiam de mundi anima confirmantes.* *Cap. IV.*

HÆc Platonis ſentẽtia de mundi anima ab eius ſectatoribus plurimis rationibus confirmatur. Primò ſic argumentantur; animatum, & viuens inanimato, & non viuente lõgè præſtantius, atque nobilius eſt: ſed mundus, omnium conſenſu, præſtantiſſimus, & nobiliſſimus eſt, igitur eſt animatus. Secundò, totum non debet eſſe deterioris conditionis, quàm ſint ſuæ partes: ſed multæ ſunt mundi partes, quæ vitam degunt, vt ſtirpes, animantes, & cæleſtia corpora, igitur & mundus, qui perfectiſſimus eſt, & omnibus numeris abſolutus, vita neceſſariò fruitur. Tertiò, homo à Philoſophis paruus mundus nũcupatur; ergo ei cum magno mũdo aliqua conuenientia, atque ſimilitudo eſſe debet: at in homine anima continetur, quæ cũcta mouet, rectè diſponit, & omnibus dominatur, ergo multò magis in magno mundo debet anima reperiri, quæ cuncta moueat, regat, diſponat, atque gubernet. Quartò, mundus vnus eſt, & mirificus in eo apparet omnium partium conſenſus, vnio, & harmonia; ergo vna in eo anima dari dẽt à qua hic cõſenſus, hæc vnio, atque harmonia exoriatur. Quintò, ſicuti ex nõ quanto non poteſt fieri quantum, & ex non ſubſtantia non poteſt fieri ſubſtantia; ita ex non viuente non poteſt fieri viuens: ſed multæ ſunt mundi partes, quæ, nullius ſeminis vi procreãtur, vt nonnulla animantia, & ſtirpes, quæ ex putri materia generantur; ergo ab aliquo viuente neceſſariò fiunt: quod aliud quidem eſſe non poteſt, quàm ipſe mundus, qui vniuerſalem animam habet. Sextò, quicquid animi motu fertur, animatum id eſt: ſed mundus animi motu fertur; mundus igitur animatus eſt. Minorem probant; quia mundus in orbem vertitur: huiuſmodi aũt motus animi proprius eſt. Septimò, cæleſtia corpora conſtanti curſu, & vnius modi ſemper aguntur; & eorum motibus conſtanti quadam mutabilitate, atque viciſſitudine, res omnes in elemẽtari mundo procreantur: hæc autem abſque mente fieri non poſſunt;

Prima ratio.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Septima.

Octauum.

totus igitur Mundus mente præditus, atque animatus eſt. Denique, niſi daretur anima Mundi, vnde etiam in naturalibus rebus conſenſiones ille, atque diſſenſiones, quas Græci ſympathias, & antipathias appellant, exorirentur? A quonam membrorum illa conformatio in animalibus fieret? Quanam virtute tam variæ animantis partes, nulla prorſus cognitione præditæ, ſuum ad ſeſe familiarem ſuccum accerſerent? Quomodo ex vili ſemine tam multæ herbæ, tot floribus ornatæ, totque folijs diſtinctæ, naſcerentur? hæc certe non fierent, niſi vniuerſalis anima Mundi daretur, quæ horum omnium opifex eſſet.

### *Platonis opinio de Mundi anima refutatur.* *Cap. V.*

Platonis doctrina qualis nam ſit.

OMnia Platonis dicta, placita, atque decreta, auditu quidem quàm iucundiſſima ſunt, & maximam auribus oblectationem afferunt; ſed tamen, (ſi verum fateri liceat) eorum plurima, quoniam leuioribus fundamentis nituntur, rationibus preſſa facilè cedunt. Hoc illud eſt, quod à Platone de Mundi anima pronunciatum, ut elegantiſſimum explicatu cenſetur; ita firmiorem aliquam rationem, illud roborantem, deſiderat. Etenim aut re vera Mundum vniuerſum animatũ eſſe putauit, aut id ipſum, tanquam Metaphoricè dictum, intelligi voluit.

Mundus dici pt. magnum animal metaphoricè.

Si hoc ſecundum detur, eius ſententia admitti facilè poteſt; quemadmodum enim in paruo animali ſingulę partes habent proprias habilitates, ſeu propenſiones ad proprios motus; omnes tamen ab vna communi anima mouentur, reguntur, & gubernãtur; ita propemodùm in hoc magno animali, hoc eſt in Mundo dicendum videtur, cuius ſingulæ partes, peculiarem habent ad proprias regiones appetitum, atque ad illas proprio motu feruntur; ſed tamen omnes à communi quadam natura, quæ Mundi anima nuncupatur, & vitam, & motum accipiunt.

Dictum pulcherrimum Philonis Iudæi.

Eadem ratione, hoc dictum Philonis Iudæi, Quod in magno Mundo eſt *Deus*, in paruo Mundo eſt animus hominis, Metaphoricè intelligẽdum eſt, & rectè quidem: nã Deus in magno Mundo naturam effecit; & animus hominis, incredibili virtute præditus, tot artes adinuenit, vt, autore Tullio, in rerum natura, quaſi alteram naturam effecerit. De vera tamẽ non idem omnino eſt in paruo Mundo animus hominis, quod in magno Mundo eſt Deus; nanque Deus magno Mundo tantummodò præeſt, nec illum informat: animus autem hominis eſt parui Mundi ſubſtantialis forma, perfectio, &, vt Græci aiunt, Endelechia.

Mũdus re vera animatus dici non pôt. Prima ratio.

At verò, vt ad Platonem redeamus, ſi non Metaphoricè, ſed verè animatum eſſe Mundum intellexit, eũque magnum animal appellauit; profectò placitum hoc difficultatibus maximis vrgetur. Primò, ſi magnum animal eſt Mundus, ſub quanam obſecro animalis ſpecie continetur? Eã certè Platonicis non eſſet facilè fingere. Dicent fortaſſe, vnicum eſſe indiuiduum ſub ſpecie Mũdi, ſicut vnica eſt Phœnix ſub ſpecie Phœnicis. Sed hoc indiuiduum multorum animalium prægnans eſſet: aut tot animalia, tanquam pediculi in eius capite, vel tanquam lumbrici in eius inteſtinis continerentur, quæ ridicula ſunt.

Secunda.

Deinde, ſi Mundus eſſet animal, tunc maximè propria animalis operatione deſtitutus eſſet, quæ eſt, ſibi ſimile procreare; planta enim generat plantam, bos, bouem, & homo hominem: deberet igitur & Mundus ſibi ſimiles Mundos procreare, ſi quidem animal dicendus ſit.

Tertia.

Præterea, ſi Mundus verè, & propriè animal eſſet; tunc nullæ eius partes propriam vitam haberent; ſed ſola anima Mundi viuerent, ſicut, eodem autore Platone, partes parui animalis, vt oſſa, nerui, cartilagines, & huiuſmodi, à nulla alia anima, præterquam ab anima totius animalis perficiuntur, & vitam accipiunt: ſed tamen in magno animali multæ ſunt partes, quæ propriam animam habent; ſtirpes enim gaudent anima vegetali; belluæ ſentiente, & homines rationali; totus igitur Mundus non eſt animatus.

Quarta.

Rurſus, ſi cæleſtia corpora, propterea quòd vnicam Mundi animam participãt, Platonicis animalia dicuntur, cur non item animalia dicantur elementa, quæ non minus ſunt vniuerſi partes, quam cæleſtia corpora? Corpora hæc ſunt animalia; aiunt Platonici. At, quo modo illis vnus tantùm ſimplex conuenit motus, nimirum ſurſum, aut deorſum? Animalia progreſſione mouentur, ſurſum, deorſum, antè, retrò, dextrorſum, & ſiniſtrorſum, & in medio curſu reſiſtere poſſunt; quod non eſt dicendum de elementis; immò ne de cæleſtibus quidem corporibus; igitur neque hæc, neque illa dicenda ſunt animalia, atque adeò totus Mũdus nõ eſt animatus.

Quinta.

Ad hæc, Mũdi corpus, teſte Platone, generatione aliquando editum eſt: at eius animam idem æternam conſtituit: quid autem in philoſophia abſurdius audiri poteſt, quam ſubſtantiam aliquam ex æterno tempore otio ceſſauiſſe?

Sexta.

Præterea, cuiuſnam ſeminis vi,

hæc

hęc anima mundi prægnans fuit, vt ſpiritum conciperet, quem deinceps pareret, & per cũcta diffunderet? Sed à ſolida quoque Philoſophia contemplatio illa de Bono, Mẽte, & mundi Anima abhorrere videtur: aut enim tria hęc in vnam ſubſtantiam coeunt, & rationibus tantùm diſſident: aut ſunt tres ſubſtantiæ diſtinctæ. Si detur primum; ergo hæc vna ſubſtantia non erit, niſi Deus, qui varijs rationibus, & Bonũ, & Mẽs, & mundi Anima nuncupari poteſt. Bonum, quatenus in ſe conſideratus, perfectiſſimus eſt, & nullius rei indigens. Mẽs, quatenus omnia intelligit. Anima mundi, quatenus tùm ipſum eſſe, tùm Vita omnibus mundi partibus, his quidem clarius, alijs verò obſcurius, emanant. Si verò Bonum, Mens, & Anima mundi ſunt tres ſubſtantiæ diſtinctæ, quarum ſecunda à prima oritur, & à ſecunda, tertia, vt Plato docuiſſe videtur; quanam obſecro ratione hęc ſubſtantiarum pluralitas earundemque ortus, & emanatio à Platone, aut ab eius ſectatoribus probari poterit? Profectò hæc ſubſtantiarum trinitas, aut merum fuit Platonis commentum, aut de eo quippiam, ſub caligine tñ pronunciatum ab Ægyptijs Plato hauſit, quod deinde in Græciam traſportauit: cumque illud diuinitus reuelatum ſit, mirum non eſt, ſi Plato ad illud probandum, nullam prorſus naturalem rationem adduxerit. Ne igitur Platonis hanc de Anima mundi ſniam, tanquã figmentum quoddam accipiamus, dicendum puto per Animam mundi intelligi facilè poſſe illũ Dei generalem influxum, quem etiam Theologi in rebus omnibus, à Deo procreatis conſtituunt. Si enim Deus virtutis ſuæ demiſſam celorũ vim tetraheret; neque ignis calefaceret, neque aqua refrigeraret, nec Sol, aut alia ſidera mouerentur, &, vt vno verbo dicã, cõcidant vniuerſa. Niſi hæc diuinæ virtutis influxio ſit Anima mundi; putem certè, eam ipſam animam, quam Platonici ſtatuunt, purum eſſe figmentum.

Septima.

Qua ratione Deus Bonũ, mens, & mũdi Anima nũcupari poſſit

Placitũ illud de triũ ſubſtantiarũ pluralitate, atq; earundẽ vniꝰ abaltera emanatione Plato ab Ægyptiis fortaſſe hauſit.

Platonis ſententia de Anima Mundi quo ad bonum ſenſum reuocari poſſit.

*Platonicorum rationes, pro Anima mundi propoſitæ, diluuntur. Cap. VI.*

PLatonicorum autem rationes, quæ ad mundi animam confirmandam, ſuperius propoſitæ ſunt, expediri facilè poſſunt. Ad primam concedẽdum eſt, animatum, quatenus animatum, quocunque inanimato longè perfectius, atque nobilius eſſe. Cùm autem in minori propoſitione mundum perfectiſſimum, ac nobiliſſimum ſtatuunt; ea propoſitio diſtinguenda neceſſariò eſt: aut enim per mundum totam molem intelligunt, ex ætherea, & elemẽtari regione cõflatam: aut totum tantummodo ex cæleſtibus corporibus aggregatum, quatenus ſub ſe inferiora omnia corpora complectitur. Si Mundi nomine totam molem intelligant, ex æthera, & elemẽtari regione conſtantem; mundus quidem perfectiſſimus eſt; non quia ſit alicuius ſpeciei indiuiduum, quod nobiliſſimam aliquam differentiam obtineat, ſed quia rerum omniũ perfectiones continet. Quòd ſi mundus hoc modo accipiatur, nihil erit, cum quo eius perfectio comparari poſſit: quare inanis erit hæc conſecutio, rerum omnium mũdus eſt perfectiſſimus; ergo eſt animatus; quia animatum inanimato perfectius eſt. Si verò mũdi nomine aggregatum tantummodo ex corporibus cæleſtibus intelligant; admittendum quidẽ eſt, celeſtia corpora perfectiſſima eſſe; quia ſunt perpetua, indiſſolubilia; atque ab illis res omnes caducæ, atque mortales proficiſcuntur. Cur igitur ea perfectio illis negatur, quæ rebus hiſce inferioribus, vilibus, atque abiectis conceditur, vita ſcilicet, & animatio? Reſpondẽdum eſt, quia illius perfectionis non ſunt capacia. Etenim habere animam, quæ ſit forma informans, dicit perfectionem in his corporibus inferioribus; quia, vt dictum eſt, animatum corpus eſt inanimato perfectius; at verò celeſtia corpora, quia ſimpliciſſima ſunt, & organis carent, idcirco non ſunt capacia animæ, quæ ſit forma informans. Verùm quoniam eorum perfectionem, atque nobilitatem non decebat, à viuẽte aliqua ſubſtantia omnino eſſe ſeiuncta; ideò, modo quodam eminenti, extrinſecùs illis intelligẽtia motrix addita eſt, quæ, ob virtutis contactum, adeò illis annexa eſt, vt animata quodammodo dici mereantur: non anima quidem informante; ſed aſſiſtẽte: non anima quidem, à qua vita ipſa; ſed à qua motus tantummodo pẽdeat. Ad ſecundam, ſi mundus eſſet quoddam totum integrale, ſicuti eſt animal, capite, brachijs, manibus, pedibus, & alijs partibus conſtans; valeret vtique huiuſmodi conſecutio; partes viuunt, ergo & totum. At verò mundus eſt totum quoddam, ex diuerſarum partium aggregatione conſurgens, cuius perfectio, & pulchritudo in ipſarum partium varietate conſiſtit; idcircò aliquæ partes animatæ ſunt, aliquæ verò anima carent, in quarum numero ſunt etiam celeſtia corpora, ſi abſque motricibus intelligentijs conſiderẽtur. Ad tertiam dicimus,

Ad primam.

Ad ſecundã.

Ad tertiam.

argu-

argumēta, à ſimilitudine ſumpta, frequēter claudicare, ſicut in re noſtra contingit. Homo ap-
pellatur paruus mūdus; quia multi motus in eo fiunt, & multæ partes ab vnica anima guber-
nantur: ſicut in magno mundo partes omnes ab vnica mēte reguntur; & omnis mouendi vir
tus ab illa emanat: quæ quidem mens eſt Deus Opt. Max. Hoc tñ intereſt, quia anima in ho
mine eſt forma informans; ideoque homo animal dicitur: Deus verò in magno mundo non
eſt forma informans (hoc enim eſſet imperfectionis) ſed tanquàm Rector, & Gubernator
præſtò illi adeſt; hincque fit, vt magnus mundus non verè animal ſit, ſed metaphoricè tantū.
Ad quartam
Ad quartam, reſpondendum eſt, mundum eſſe vnum, non quidem per eſſentiam, ſed, vt iam
diximus, per partium integrationem: ideò quemadmodum ad vnitatem illius concētus, qui
in muſica fit, ſufficit præcētor, qui muſicam regat; & ad vnitatem exercitus ſufficit præſentia
Ducis, qui omnes eius partes moderetur, & regat; ita ad vnitatem mundi ſatis eſt ſuperæ mē-
tis aſſiſtētia, quæ omnes mundi partes rectè diſponat, atque gubernet. Quemadmodum igi-
tur neque vocum concētus quatenus concentus, neque exercitus, quatenus exercitus, anima-
tus eſt, quanuis ex multis rebus animatis conſtet; ita nec mundus, quatenus mundus, anima-
tus verè dicetur; quanuis in eo multæ res animatæ contineantur, & ab eo, quod eſt verè vi-
Ad quintam
ta, gubernetur. Ad quintam concedimus, viuens à non viuente procreari non poſſe: negamus
tamen inde ſequi, vt Mundus ſit animatus, & viuens. Et quanuis nonnullæ ſtirpes, & animā-
tes, nulla vi ſeminis, procreentur: non tamen illarum parens eſt animatus Mundus; ſed cæle-
leſti calore: æthereoque ſpiritu, per omnia diffuſo, earum materia ſenſim præparatur; poſtea
Quære Diſp. de form. origine.
verò, vbi abſoluta præparatio eſt, in illam materiam forma cælitus, atque diuinitus immitti
tur, vt alia diſputatione dilucidiùs aperiemus. Ad ſextam, concedenda eſt maior, ſi ea tamen
Ad ſextam.
aut de informante, aut de aſſiſtente forma intelligatur. Itaque ea ratio nil aliud cōcludit, niſi
An motus in orbē animi proprius ſit.
Mundum eſſe animatum, anima aſſiſtente. Ad probationem autem minoris propoſitionis,
cùm dicunt, motum in orbem animi proprium eſſe, id certè probatione aliqua indigeret: for
taſſe enim quia cælum ab intelligentia circunducitur, ideo eliciunt, motum in orbem animi
proprium eſſe. Sed hæc eſt ratio à poſteriori: ſi enim proprius animi motus in orbem eſt, cur
non etiam homines à rationali anima in orbem ducuntur? Dicunt Platonici, proprium ratio
nalis animę motum in orbem quidem eſſe, ſed hominis corpus, quòd graue ſit, & natura deor
ſum tendat, ad eum motum minus aptum reddi, & propterea neque hominem in orbem agi,
neque deorſum ferri, ſed medio quodam motu moueri, qui progreſſiuus eſt, corpuſque ab ani
ma contineri, ne deorſum ruat. Sed mihi iſti dicant obſecro, cùm homo ſaltando ſurſum mo-
uetur, à quonam ille motus fit? A corpore quidem fieri non poteſt, quia graue eſt, ab anim
igitur: quare proprius animę motus non eſt in orbem, ſed apta eſt ipſa quocunque motu cor
pus pro eius facultate mouere. Quia igitur cæleſtia corpora nata ſunt conuerſione torque-
ri, ideo eum motum ab aſſiſtente intelligentia recipiunt. Et quia oportebat, tùm homines, tū
brutos animantes huc illuc antè, & retrò, ſurſum. & deorſum, dextrorſum, & ſiniſtrorſum mo
Ad ſeptimā.
ueri, propterea hanc mouendi vim ijs omnibus propriè anima contulit. Ad ſeptimam, verum
eſt, conſtantem cæleſtium corporum curſum, & conſtantem pariter in elementari *Mūdo* mu
tabilitatem, atque viciſſitudinem, abſque mente fieri non poſſe, non inde tamen *ſequitur*, mū
dum eſſe animatum; vt enim ea omnia fiant, ſatis eſt ſuperæ mentis aſſiſtentia: ſicut etiam,
vt Regnum aliquod rectè gubernetur, & cuncta in eo rectè adminiſtrentur, non eſt neceſse,
Ad octauam
vt ipſum animatum ſit, ſed ſatis eſt Regis pręſentia, ad quem Regni procuratio pertinet. Ad
Rerū antipathiæ, & ſympathiæ vnde oriantur.
octauam dicimus, rerum antipathias, & ſympathias oriri à proprietatibus formarum ſubſtā
tialium, atque adeò à virtute cæleſti, aqua etiam ipſęmet formę proficiſcuntur, ſicut manife
ſtæ contrarietates, ab elementaribus qualitatibus, atque adeò à materia originem ducunt.
Membrorum confirmationes, diſtincta que herbarum folia à quonā fiant.
Membrorum autem conformationes, & diſtincta herbarum folia à virtute illa formatrice,
quę diuina penitus eſt, exprimi, atque effingi: ea enim vnà cum ſpiritu, & calore cęleſti vbiq;
diffuſa eſt. Animantis verò partes ex eodem alimenti aceruo ſuum quaſque familiarem ſuc-
Animātis diſtinctæ partes quò ex eodē alimento diſtinctū ſuccum alliciāt.
cum allicere, naturali quadam proprietate, ex materia pendente: vt enim grauia inferum, &
leuia ſuperum locum appetunt, ita animantis partes, quę ſiccę ſunt, vt oſsa, ſiccum appetunt
alimentum, quę verò humidę, tenues, viſcoſę, humidum quoque tenue, atque viſcoſum ali-
mentum alliciunt. Non igitur ex harum partium appetitu, aut ex alijs operationibus, ſupra
relatis, elicere licet: Mundum viuere, & animatum eſse: ac proinde, cùm nulla ſit anima Mū-

di

di, quæ perequè totum, & omnes eius partes perficiat, atque informet, nulla pariter dabitur anima cæli, à qua, ceu ab informante forma, vitam accipiat, vt Platonici ſtatuiſſe viſi ſunt.

### *Opinio Stoicorum.* *Cap. VII.*

PRobatum eſt hactenus, cælum non eſſe animatum vniuerſali anima, quam Platonici mundi animam appellarunt. Nunc videndum eſt, habeat ne celum animam propriam, quæ operationum eius cauſa ſit, & ſub quanam ſpecie ipſa contineatur. Cleanthes, & Chryſippus, Stoicorum facilè principes, arbitrati ſunt, cælum anima propria animatum eſſe, & illa quidem altrice: ignea enim cæleſtia corpora eſſe putarunt; ac proinde ſine paſtu, & alimonia viuere nequaquam poſſe; ſed marinis fluctibus ali. Quam in ſniam veteres etiam Poetę, tragediarumque ſcriptores, Orpheus, Homerus, Heſiodus, Muſæus, Linus, & alij plures iuerunt: quam poſteà Cicero 2. de Natura Deorum, & Plinius 2. lib. Naturalis Hiſtoriæ, ca. 9. amplexati ſunt. Vetus igitur opinio percrebuit, cęleſtia corpora ignea eſſe, atque humoribus è terra, Oceanoque hauſtis, continēter nutriri, atque inſtaurari. Fiunt enim in homine, cæteriſque animantibus, non eadem ſemper oſſa, neque eadē caro manet; ſed natiui caloris actione, continuò conſumitur, & ex aſſumpto alimēto reficitur, atque inſtauratur; ita non eadem ſemper manere ſidera, cæleſtiaq; corpora exiſtimarunt Stoici; ſed cùm maximè calida ſint, ingenti illo calore, eorum ſubſtantiam continuò diſſipari, alimentoque indigere, quo reparetur. Ideò Solem, qui aſtrorum omnium calidiſſimus eſt, ingenti ſuo calore, è Montibus, Fluminibus, & Oceano humores continenter allicere, quibus nutritur: vbi autem epulis iam ſatis expletus, & ſaturatus eſt, cæteris aſtris alimentum ſuppeditare. Maximam quoque attrahendi vim Lunæ tribuunt, propterea quòd inferiori huic mundo vicinior eſt. Ea igitur alimētum Soli, & pabulum præparat, non ſecus, ac pulmones præparant aerem cordi: nam ſi interdum contingat, vt è terra, Marique Sol humores non attrahat; alios iam congeſtos, & pręparatos, à Luna, tanquam à proprio penu, & cellario haurit: eo ferè modo, quo natiuus noſter calor, dum nihil habet alimēti aſſumpti, quo depaſcatur, ſuccum à venis allicit, illumque depopulatur. Hinc peracutam nonnulli, ſed fabuloſam tamen reddunt rationem, cur Sol viciſſim dimidium primum Zodiaci percurrat Septentrionale; deinceps dimidium Auſtrale; & cur ad verticem noſtrum appropinquet, & ab eo poſtea recedat? Rationem eam dicunt eſſe, quia ſcilicet, dum Sol Septentrionalem plagam permeat, humoribus, inquiunt, ibi nutritur, quos ei Luna ſuperiore hyeme comparauit: cùm verò ad meridionalem regionem conuertitur, humorib. alitur, à Luna ibidē hyberno tempore, cumulatis. Porrò Stoici, trib. potiſſimū rationibus ſuam ſniam comprobare nituntur. Primò, quia certū eſt, ignem ſine alimento ſeruari nō poſſe: cæleſtia aūt corpora ignea eſſe, nemo certè ambiget, q. inter cetera aſtra Solē precipuè conſiderauerit: qui omni igne ſplendidior eſt; eiuſque calor non tepefacit modò, ſed impenſè calefacit, immo etiam vrit. Deinde, quia interdum aſtra, dimidio orbe, maculis quibuſdam aſperſa cernuntur, quod apertiſſimum ſignum, & argumentum eſt, terrenis tunc illa humoribus paſci. Poſtremò, quia non eſt putandum, caſu, & temerè tot continuò humores è terra, marique in altum abſtrahi: ea igitur re in ſublime attollūtur, vt ex illis capeſcant cæleſtia corpora nutrimentum: nutriuntur igitur, atque adeò altrice anima prædita eſſe neceſſe eſt.

Cleanthes.
Chryſippus.
Orpheus.
Homerus.
Heſiodus.
Muſæus.
Linus.
Cicero.
Plinius.
Putarūt ſtoici, cæleſtia corpora ignea eſſe, humoribuſq; à terra, & oceano hauſtis ſuſtineri.
Stoicorū fabula.
Prima ratio Stoicorum.
Secunda.
Tertia.

### *Stoicorum opinio reijcitur.* *Cap. VIII.*

PLatonicorum opinio de mundi Anima, à nobis iam ſuperiùs reiecta, tametſi falſa eſt; aliquàm tamen veritatis ſpeciem præ ſe ferebat, & ad veram rationem reuocari facilè poterat: hæc verò Stoicorum ſnia, quæ, cęleſtia corpora altrice anima viuere, & animata eſſe, decernit, prorſus abſurda eſt, & ſanè infirmo nititur fundamēto. Ignea eſſe cęleſtia corpora, caloriſque formam in ſe continere, putarunt Stoici; quia habent calefaciendi virtutem: Sed toto, vt dicitur, cælo aberrarunt. An ne vinum re vera ebriū dicemus, quòd vim habeat inebriandi? Peripateticorum princeps Ariſt. cęleſtem naturam optimè contēplatus, falſam hāc Stoicorum opinionem validiſſimis quibuſdam rationibus reiecit, quas nos in medium nunc afferemus. Illud autem in primis ponēdum eſt, quod in Peripatetica philoſophia eſt ſatis tritum, nec ab alijs philoſophis facilè negaretur; videlicet ſicut materia innoteſcit per tranſmuta-

Falſū fundamentum quo ſtoicorū ſententia nitebatur.
Notabilis poſitio.

mutationem,ita formam cognoſci per operationem: ſi igitur oſtenderimus, nullam in cælo altricis, ſeu vegetalis animę operationem reperiri,non ne conſtabit illicò,cęlum altrice nulla ſeu vegetali anima prædítum eſſe? Iam verò tres vegetalis animæ facultates reperiuntur, vt lib. 2. de Anima Ariſt. docet, nimirum nutriens, augens, & generans: ſed cęlum neque nutriri, neque augeri, neque generare poteſt; non eſt igitur præditũ anima vegetali.

Tres vegetalis alæ facultates.

Cælũ nutriri non poteſt.

Probatur primùm, cęlum nutriri non poſſe: nãque nutritio ijs corporibus competit, quibus, ob aſſiduã propriæ ſubſtantiæ fluxionem, aliqua inſtauratio neceſſaria eſt; vt patet in animalibus, quorum internus calor propriam ipſorum ſubſtantiam continuè depopulatur, tandemque ſenio deficiunt: atqui cęlum nullum habet internum calorem, à quo eius ſubſtantia diſſipetur; immò ne ab vllo quidem externo agente contrariam aliquam affectionem perpeti poteſt: neq; enim alterationem vllam ſuſcipit, neque ſenio contabeſcit, igitur nutritione non indiget, qua deperdita eius ſubſtantia inſtauretur.

Cælũ nõ põt augeri.

Probatur deinde, cęlum augeri non poſſe: nam vera accretio, quæ animatis corporibus competit, abſque nutritione fieri nequit: ſed iam oſtẽdimus, cęlum non nutriri, neque igitur augeſcere poteſt. Hoc etiam probatur experiẽtia: quoniam cęlum & in toto, & in partibus eiuſdem ſemper nobis quantitatis apparuit: ſi enim incremẽtum acciperet, ſaltem aſtra, poſt tot ſecula, maiorem quantitatem obtinuiſſent: quod tamen falſum eſſe philoſophi omnes, qui etiam ante Ariſt. ætatem vixerunt, teſtati ſunt.

Cęlũ nõ põt generare.

Probatur denique, cælum generare non poſſe: nam generatio caducis tantùm, & mortalibus corporib. competit: quorum indiuidua cùm perpetua eſſe non poſſint, eorum Natura miſerta eſt, permiſitque, vt, generationis beneficio, ſeſe in ſpeciebus perpetuò conſeruarent: atqui cęlum vt ingenerabile, ita indiſſolubile eſt, vt 1. de Cælo Ariſtoteles multis rationibus patefecit, igitur, cùm in indiuiduo perpetuum ſit, non eſt, cur, generationis interuentu, eius ſpecies perpetuo conſeruetur. Quare cùm cęlum nec nutriri, nec augeri, nec generare poſſit, iam planè conſtat, vegetali anima ipſum animatum non eſſe.

Ratio efficax qua probaẽ, cælũ nõ eſſe aĩatũ aĩa vegetali.

Quod rurſus hac ratione confirmari poteſt: ſi in cęlo vegetalis animæ operationes exercerentur, oporteret, vt, ad eas operationes exercendas, idoneis illud organis inſtructum eſſet, etenim opus eſſet, vt pars in eo aliqua ineſſet, vel animalium cultui, vel plantarum radicibus proportione reſpondens, qua alimentum alliceret, atque in ſe reciperet. Porrò inſtrumẽtũ aliquod illi neceſſarium eſſet, quo receptum alimentum coqueret, atque conficeret: eſsent etiam illi neceſsaria inſtrumenta, quibus excremẽta deijceret: inſtrumenta etiam requirerentur, apta generationi, & plura id genus alia, quib. manifeſtum eſt, cęlum penitus deſtitutum eſse, cùm iam ab Ariſt. probàtum ſit naturam illud ſimpliciſſimam obtinere; repugnaret enim, corpus aliquod organicum ſimul, & ſimpliciſſimum eſse.

Corpus ſimplex organicũ eſſe non poteſt.

Etenim elementa, quæ ſimplicia corpora ſunt, organis carent; ergo cęlum, quod eſt corpus adhuc elemẽtis ſimplicius, multò magis organis carere debet: nam elemẽta ſaltem ex materia, & forma cõſtituta ſunt: cęlum verò materiæ, & formæ compoſitionem excludit; eſtque tantummodo ſimplex ſubſtantia, quæ materiæ nomine nuncupatur, vt ſuperiore diſputatione abundè ſatis explicatum eſt. Itaque hæc Stoicorum opinio ab omni recta philoſophandi ratione abhorrere videtur, dum aſserunt, cęlũ vegetali anima præditum eſse: Neque verò rationes, quas ad eam confirmandam attulerunt, quicquam roboris habẽt.

Reſpõſio ad primã rationẽ ſtoicorũ.

Ad primam enim negandum eſt, cęleſtia corpora ita ignea eſse, vt ignis forma cumulatę ſint: in eo autem ſenſu ignea dici poſsunt, quatenus ſuo motu, & lumine vim habent, aerem attenuandi, & rarefaciendi, ac proinde calorem, & ignẽ gignendi. Quòd ſi cæleſtia corpora verè ignea non ſunt, perſpicuum eſt, ea nec nutrimento egere, quo ſuſtineantur.

Ad ſecundã

Ad ſecundam reſpondendum eſt, maculas illas, quæ in ſideribus, atque in Luna potiſſimùm cernuntur, non oriri ex terrenis humoribus, quos tunc ſidera depaſcantur; ſed ex partium raritate, aut denſitate, quæ in ipſis inueniuntur: partes enim denſiores Solis lumen facilè recipiunt, ideo illuminatę nobis apparent: quæ verò rariores ſunt, non ita facilè ſolare lumen admittunt, ideo, cùm eæ partes illuminatæ nõ ſint, apparent nobis in corpore ſideris cauitates illæ, quas Stoici, & alij quoque philoſophi maculas appellarunt.

Ad tertiam.

Ad tertiam reſpondendum eſt, humores è terra, atque Oceano non iccirco in ſublimem regionem attolli, vt illis cæleſtia corpora nutriantur, verùm naturæ id effici quadam neceſſitate: eos enim Sol, ingenti calore, ſurſum attrahit, qui mox à frigore mediæ regionis aeris condenſati, in pluuiam conuertuntur, atque deorſum ad terram irrigandam relabuntur.

*Opi-*

### *Opinio Ioannis Grammatici, & Auicennæ.* Cap. IX.

AT ſi Cęlum non habet animam vegetalem, eſt ne præditum anima ſentiente? Affirmatiuam partem plures ex Stoicis, Platonicis, & nonnulli etiam ex Peripateticis tuētur; ſed in ijs præcipuè Ioannes Grammaticus, & Auicenna, qui, cælum à natura ſenſibus auctū eſſe, cenſuerunt. Hoc tamen inter illos intereſt; quòd Auicenna in ſuo libro de cęlo, & alibi etiam ſenſus tantummodo internos, videlicet cogitationem, & appetitum cæleſtibus corporibus tribuit; Ioannes verò Grammaticus lib. 2. de Anima com. 15. ſenſus etiam externos in eiſdem collocauit: & comitem habuit ex Stoicorum Schola Cleanthem, qui oculorū ſenſum, atque tangendi vim eiſdem corporibus adiunxit. Horum itaque philoſophorum ſentētia hiſce potiſſimùm rationibus ſuaderi ſolet. Prima, quicquid perfectionis eſt in corporibus inferioribus, à corporibus ſuperioribus amoueri non debet: ſed habere ſenſum dicit perfectionem in corporibus hiſce inferioribus; ergo cæleſtibus corporibus, tanquam ſuperioribus ſenſus pariter tribuendi ſunt. Secunda, cæleſtia corpora ea omnia procreare dicuntur, quæ in hoc ſublunari Mundo reperiuntur; quare & ſenſus ipſi ab ijſdem oriuntur; ſi ita eſt; igitur ipſa quoque prædita ſenſibus eſſe debēt, ſi verum eſt id, quod in omnium philoſophorum ore verſatur, neminem ſcilicet dare quod non habet. Tertia, cæleſtes orbes ita conſtituti, atque diſpoſiti ſunt, vt vnus alium tangat, propriumque concentum, & harmoniam ſinguli audiant; ergo tangendi, atque audiendi facultate præditi ſunt. Quarta in cæleſtibus corporibus plures ſunt reuolutiones, quæ diebus ſingulis fiunt, & ab agente per cognitionē efficiuntur: huiuſmodi autem agens, aut eſt forma, à materia abiuncta, aut facultas ſentiens: primum dici non poteſt; quoniam forma, à materia abiuncta, particularia non intelligit; dandū eſt igitur alterum; dicendumque, in cæleſtibus corporibus ſentientem animam contineri. Quinta, cælum ſuo munere oblectatur, indeque voluptatem maximam capit: hoc autem ſine ſenſu fieri non poteſt: habet igitur animam ſentientem. Præter has rationes, nituntur etiā prædicti philoſophi ſuam ſententiam duabus pręcipuis autoritatibus confirmare, altera Platonis, altera Ariſtotelis. Plato in Timeo ait, in Cælo corpori animam coniunctam eſſe; animæ verò mentem. Quid, inquiunt, per animam intellexit? Profectò aut mentem, aut ſentiendi facultatem: non primum, quia tunc mens Menti adiuncta eſſet; quod videtur abſurdum; intellexit igitur alterum, ideſt ſentiendi facultatem, atque adeò in cæleſtibus corporibus ſentientem animam reperiri putauit: quam poſtea ſententiam Plotinus lib. 6. Eneade 4. & plerique alij Platonici ſecuti ſunt. Ariſtóteles autem 3. de anima tex. 61. ſcribit, mobile corpus intellectum abſque ſenſu habere non poſſe, ſiue illud generabile, ſiue ingenerabile ſit: quibus verbis apertiſſimè docuiſſe viſus eſt, cæleſtia corpora vnà cum intellectu ſentiētem quoque animam obtinere.

Diſſidiū inter Ioa. Grā. & Auic.

Prima ratio.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Autoritas Platonis.

Autoritas Ariſt.

### *Prædictæ ſententiæ confutatio.* Cap. X.

SEd nihilominus à veritate quoque abhorret hæc Ioannis Grammatici, & aliorum ſententia, quæ ſtatuit, ſenſus corporibus cæleſtibus affixos eſſe, ſiue illi exteriores, ſiue interiores ſint: tùm quia ſenſuum cæli capaces non ſunt, tùm etiam quia ſenſus cæleſtibus corporibus non ſunt opus. Et quo ad exteriores attinet, ſi eos ſenſus cælum haberet, organis quoque ad ea, quæ ſenſu percipiuntur, neceſſarijs, præditum eſset: ſed corpus ſimplex, cuiuſmodi eſt cęlum, inſtructum organis eſse non poteſt; alioquin non eſset ſimplex, ſed miſtum, igitur nō habet ſenſus exteriores. Dicet aliquis, cælum habere organa, exterioribus ſenſibus inſeruientia; ſed ea tamen latere nos. Verùm hoc eſt ineptè dictum: quoniam, vt docet Ariſtoteles 3. de Anima tex. 62. ſenſus ex elementorum attemperatione, atque primarum qualitatum ſimmetria oriuntur, hincque fit, vt excellens ſenſibile ſenſus organum lædat, atque diſſoluat: ſed in cæleſti corpore non adſunt qualitates elementares, immò illud ab elementari natura diuerſum penitus eſt, igitur ſenſuum organa in eo reperiri non poſsunt. Præterea, nulla eſt neceſſitas ponendi in cælo ſenſus exteriores: nanque ij ſenſus in id à natura animantibus dati ſunt, vt iucundum, atque familiare alimentum capiant, noxium verò, & iniucundū reſpuant; vt ſalutaria, vel proxima, vel remota conſequantur, moleſta verò declinent: atqui cælum nec alimento eget, vt antè probatum eſt, nec alterabilium qualitatum eſt compos, vt oblectatio-

Prima ratio.

Tacita reſpōſio.

Confutatio.

Secūda rat.

nem aliquam,aut moleſtiam ex ſenſibilibus qualitatibus percipere poſſit, nec quicquã eſt, quod illi,ceu contrarium aliquod officiat,non igitur ſenſibus exterioribus egèt, atque adeò ij ſenſus in cęlo ponendi non ſunt. Quod aiunt quidam,cęlum per Solem veluti per oculum,videre,per polos verò,veluti per aures,audire,hoc non eſt philoſophicè, ſed fabuloſè dictum.

*Fabuloſum dictum.*

Cæterùm,cùm exterioribus ſenſibus cælum deſtitutum ſit,facilè nunc eſt probare,interioribus quoque ſenſibus illud carere:nulla enim ſenſibilis ſpecies in interiore ſenſu recipi poteſt, quin prius aliqua ſpecies in exterioribus recipiatur:hi enim,tanquàm miniſtri,illis famulantur,quemadmodum illi intellectui deſeruiunt:ſed cælum non habet ſenſus exteriores,vt etiã probatum eſt;neque igitur interiores habere poteſt. Deinde,ſi qua vis ſentiens interior, vt cogitatio,in cælo reperiretur,quemadmodum Auicennæ placuit, huiuſmodi virtus, atque facultas aut diſſolubilis eſſet,aut æterna,vt rectè argumentatur Mercenarius;non primũ,quoniam cælum diſſolubile eſſet:ſi detur alterũ;ergo illa facultas eſſet immaterialis; atque adeò non ſentiens,ſed intelligens:ſiquidem,vt 3.de Anima tex.15.& 16. Ariſtoteles docet,omnis forma,à materia abiuncta,natura ſua intelligens eſt;ſicut contrà, omnis forma,cum materia coniuncta,natura ſua intelligibilis,non intelligens eſt. Cùm igitur neque ſenſus exteriores, neque interiores in cælo reperiantur,iam plane ſequitur,illud ſentiente anima animatũ non eſſe.

*Quarta rat.*

## *Soluuntur rationes,& autoritates,quæ pro Ioannis Grammatici,& Auicennæ ſententia adducta ſunt.* Cap. XI.

NVnc ijs rationibus,& autoritatibus occurrendum eſt,quibus hęc ſententia ab eius autoribus comprobatur. Ad primam rationem negandum eſt abſolutè,ſenſus tàm interiores,quàm exteriores vllam in cæleſtibus corporibus perfectionem dicere, quinimmò aſſerimus imperfectionem maximam in ijs rebus,in quibus verè reperiuntur, indicare: quicquid enim ſenſibus præditum eſt,continuò,quo ad ſubſtantiam fluit,& vt ortum agnouit, ita aliquando interitum patietur;huius enim conditionis ſunt animantia cuncta: quod ſi cælũ ſenſibus à natura donatum ſtatuamus,an non apertè fatebimur,illud ipſum aliquando in perniciem abiturum? Sed fac,ſenſus in ijs rebus,in quibus reperiuntur, perfectionem aliquã dicere;illa tamen non ſimplex,& abſoluta perfectio eſt:ſed determinata;ac proinde non omnibus corporibus congruens. Melius eſt vti ſenſibus,dicebat Zeno,quàm non vti. Infima ſanè ratio; Deus igitur ſenſus pariter habebit,cùm id,quod melius eſt, ei neceſſariò tribuendum ſit. Porrò argumentum ab inferioribus corporibus ad ſuperiora, hoc eſt ab imperfectioribus ad perfectiora ductum,non in omnibus corporibus locum habet,ſed in ijs tantùm,quæ ſunt eiuſdem generis,vt muſca,& omne inſectorum genus ſenſum habet; igitur & animal perfectum:in corporibus verò,quę toto genere differunt,cuiuſmodi ſunt cæleſtia;atque mortalia, vim nullam habet.

*Ad primam rationem.*

*Habere ſenſus, an dicat pfectionem.*

Ad ſecundam admittendum eſt,cæleſtia corpora vim habere ſenſus generandi,negandum tamen,ea ſenſibus prædita eſſe. Cùm verò,inquiunt,nemo dat,quod nõ habet,explicanda eſt propoſitio;aut virtute,aut forma.

*Ad ſecundã.*

Ad tertiam reſpondendum eſt, nullum orbem cæleſtem contactum illum percipere,quo alium Orbem tangit;neque etiam concentum illum,aut harmoniam,quæ ex perpetuis reuolutionibus proficiſcitur;ſed motricem intelligentiam vtrunque innata vi,ac facultate deprehendere. Et quanuis intelligentia Orbẽ, quem mouet,non tangat,niſi contactu virtutis;intelligere tamen poteſt cõtactum illum mathematicum,quo continentes orbes ſe inuicem tangunt;atque pariter proportionem illam, quæ inter mobile corpus,& motricem facultatem reperitur,quam Pythagorici concentum, & harmoniam cæleſtem appellarunt.

*Ad tertiam.*

Ad quartam reſpondendum eſt, plures conuerſiones, quæ in cæleſtibus corporibus diebus ſingulis fiunt,ab agente per cognitionem proficiſci, & illud quidem eſſe formam,à materia abiunctam,negandum tamen,formam illam particularia percipere non poſſe. Et quanuis particularium rerum cognitio inferioribus facultatibus, hoc eſt ſenſibus deſtinata ſit;hoc tamen ita eſſe in caducis,concretiſque rebus intelligendum eſt,ſecus in rebus ſimplicibus,& æternis,cuiuſmodi ſunt Intelligentiæ,quę vt vniuerſalia,ita particularia intelligere queunt: quicquid enim poteſt facultas inferior, id ipſum, & nobiliori etiam modo poteſt facultas ſuperior, vt alia diſputatione à nobis cumulatè demonſtratum eſt.

*Ad quartã.*

*Quęre Diſp. de cognitione ſingularis*

Ad quintam negandum eſt,cęlum,quatenus cęlum,ſuo munere oblectari, ex eoque vo-

voluptate maxima affici: vt enim eiuſmodi eſt, omni prorſus cognitione caret: ſi quid igitur eſt in cælo, quod à ſuo munere voluptate afficiatur, eſt Intelligentia, quæ, dum Orbem illum voluit, cui eſt addicta, & proprium, & ſupremæ Intelligẽtiæ finem attingit; & iccirco eo mouendi munere vehementer oblectatur. Quod verò ad Platonem, & Ariſtotelem attinet, neuter profectò in cæleſtibus corporibus ſenſus admiſit; hic quidem organorum inopia, ille verò obiectorum carentia. Etenim Plato in Timeo de cælo loquens, hæc ſcribit ad verbum, *nec enim oculis indigebat; quia nihil extra, quod cerni poſſet, relictum erat: nec auribus; cùm nihil ſupereſſet foris, quod audiretur; neque intus, quod guſtaret, quod olfaceret, aut ſenſu tangeret.*

Plato in Timeo ſenſus in cælo reperiri negauit.

Ariſtoteles verò 2. de Anima tex. 128. probare volens, præter quinque ſenſus exteriores, ſenſum alium nullum reperiri, hoc argumento vtebatur. Si daretur alius ſenſus, aliud quoque organum neceſſarium eſſet, quod ei inſeruiret. Ex quo quidem argumento elicimus, ſenſus abſque organis dari non poſſe: ſed, ex Ariſtotelis ſententia, in cælo non dantur organa, cùm ſit corpus ſimplex; ergo neque ſenſus in eadem reperiri poſſunt. Explicata iam Platonis, & Ariſtotelis ſententia, facilè nunc eorum autoritates, ab aduerſarijs adductas, ſoluere poterimus.

Ariſt. arg. ex quo elicitur, ſenſus in cælo reperiri nõ poſſe.

Ad autoritatem Platonis reſpondet Mercenarius, illam, ſi rectè expendatur, ſententię noſtrę non aduerſari: ſiquidem Plato, nomine mentis, & animæ, non duas res diſtinctas intellexit, ſed vnam, & eandem rem, quæ, prout duas habet operationes, alteram internam, quæ eſt intelligere, alteram externam, quæ eſt loco mouere; duo etiam diſtincta nomina ſortitur: prout enim intelligit, dicitur intellectus, ſiue mens: prout verò loco mouet, anima nuncupatur. Verùm aliter ea Platonis autoritas, iuxta eius principia, explicanda mihi videtur. Plato enim aſſeruit, in cælo corpori animam coniunctam eſſe, animæ verò mentem: vbi per animam nõ intellexit facultatem ſentiendi, vt aduerſarij arbitrati ſunt; ſed vniuerſalem naturam, quam Mundi animam appellauit; quamque vt cælo, ita rebus cunctis, quæ ſub cælo ſunt, coniũctã eſſe, perhibuit. Animæ verò dixit coniunctam eſſe Mentem, hoc eſt ſecundam illam ſubſtantiam, à Bono, vt lucem à Solis lumine proficiſcentem; huiuſmodi enim erat Platonicis à ſuperioribus ſubſtantijs in inferiora corpora virtutis influxio: ſed de Platonis opinione iam ſatis ſuprà diſputatum eſt. Ad autoritatem Ariſtotelis facilis eſt reſpõſio, ſi ea, quæ ſcripſit in tex. illo 61. tertij libri de Anima, diligenter perpendantur. Eius enim conſilium eſt ibi docere, *mobile corpus*, quod ex ſe mouetur, mentem iudicantem, abſque ſenſu habere non poſſe: neque *id abſolutè* in omnibus corporibus, tàm generabilibus, quàm æternis intelligi voluit, vt falsò aduerſarij crediderunt, ſed in caducis tantùm, mortalibuſque. Porrò, quæ in eo textu difficultatem aliquam faciunt, ſunt ea verba, *Quare enim non habebit?* Aduerſarij ea ſic interpretantur; quid prohibet, quominus in ſempiternis etiam corporibus ſenſus menti coniunctus reperiatur? Alij, vt textum faciliorem reddant, legunt verba abſque negatione, hoc pacto, *Quare enim habebit?* Sed profectò verba, vti iacent, cum negatione legenda ſunt, & totius contextus ſententia, atque uerborum ſenſus eſt huiuſmodi. In ijs corporibus, quæ à ſe ipſis mouentur, mens abſque ſenſu reperiri non poteſt: quod quidem in corporibus tantùm generabilibus, & diſſolubilibus intelligendum eſt. Ratio autem, cur id ipſum in perpetuis etiam corporibus non intelligatur, ea eſt; quia ſenſus in ijs corporibus eſſent otioſi. Aut enim mẽti, aut corpori inſeruirent: non menti; quia mens abſtracta, vt intelligat, ſenſu non eget: neq; corpori, quia ſenſus dati ſunt à natura, ob corporis conſeruationem: corpus autem perpetuũ, quod natura ſua contrarium nullum recipit, atque adeò iniuria laceſſiri non poteſt, nihil habet, quod proſequatur, atque declinet; ac propterea ipſum ſibimet ſufficit, vt cõſeruetur. Hęc vera eſt illius contextus interpretatio, quo tantùm abeſt, vt aduerſariorum ſententia confirmetur, vt ex eodem potius totum oppoſitum eliciatur.

Ad autoritatem Platonis reſponſio Mercenarij.

Reſp. Autor.

Ad autoritatem Ariſt.

Vera interpretatio tex. 61. lib. 3. de animo.

### *Opinio Alexandri Achillini.* Cap. XII.

HActenus probatum eſt, cælum non eſſe animatum anima Mundi, neque nutriri, neq; ſenſus vllos aut exteriores, aut interiores habere; atque adeò nec vegetali, nec ſentiente anima præditum eſſe: nunc autem videndum eſt, an illud idem Mentem participet, ſitq; præditum anima rationali. Omnes ferè Peripatetici appellant cęlum animal rationale; in eius autem anima explicanda diſſident inter ſe: ideo opus eſt, vt varias opiniones ſingillatim examinemus, vt poſtea veriorẽ ſniam eligere valeamus. Incipiemus igitur ab Alexandro Achillino,

Cælũ Peripatetice eſt animal rationale, q tñ non

eodẽ mõ ab oib. intelligitur.

Alex. Achil. putauit, intelligentiã eſſe formã, quæ det eſſe cęlo.

lino, qui lib. 3. de Orbibus, dubio 1. arbitratus eſt, cęlum, quatenus quippiã eſt ex intelligentia, & orbe concretum, eſſe animal rationale, quod intelligat, & ex ſemetipſo motum edat; atque ita conſtitutum eſſe, vt orbis ſit eius materia, non poteſtate quidem affecta, ſed reipſa conſiſtens, intelligentia verò eius ſubſtantialis forma, non aſſiſtens quidem, ſed perficiens, informans, & vnà cum orbe aliquod per ſe vnum, in genere cauſæ formalis, conſtituens. Hanc ſententiam plurimis rationibus, atque etiam Ariſtotelis, & Auerrois autoritatibus probare conatus eſt; ſed quæ maioris ponderis eſſe videntur, eæ ſunt.

Prima ratio Achil.

Prima quicquid ex ſe mouetur, ex duabus naturis neceſſariò cõpoſitum eſt, quarum altera motum edit, altera eundem recipit, id quod frequẽter in 8. Phyſ. apud Ariſtotelẽ legitur: ſed cælum ex ſemet ipſo mouetur; igitur ex duabus naturis conflatum eſt, hoc eſt ex intelligentia, motum largiente, & ex orbe, eundem recipiente; conſtat igitur ex materia, & informante forma.

Secunda.

Secunda, omne illud, quod altera ſui parte agit, altera verò patitur, & recipit, ex materia, & forma cõpoſitum eſt: ſed cælum mouet orbem, in inferioraque corpora agit, intelligẽtia; orbe verò motum, aliaque accidentia recipit; igitur ex materia, & forma compoſitum eſt.

Tertia.

Tertia, omnem compoſitionem ex ſubiecto, & accidẽte, ſubſtantiarum compoſitio neceſſariò antecedit; quia accidentia terminata non ſunt in ſubiecto, niſi ratione formæ ſubſtantialis: ſed in cælo eſt cõpoſitio ex ſubiecto, & accidẽte, vt perſpicuum eſt: habet enim ſplẽdorem, figuram, raritatem, denſitatẽ, & alia id genus accidẽtia; ergo huiuſmodi cõpoſitio ſubſtantiarũ cõpoſitionem neceſſariò ponit; quæ certè alia eſſe non põt, niſi ex orbe, & intelligẽtia, tanq̃ ex materia, & informante forma.

Quarta.

Quarta, cælum per orbẽ eſt poteſtate viuens, per intelligentiã, verò eſt actu viuẽs; ergo intelligẽtia eſt actus corporis cæli; atq; adeò forma eius ſubſtantialis. Conſequẽtiam ita probat; oẽ illud, quo aliquid eſt in actu, eſt illius actus, & forma ſubſtantialis: ſed intelligẽtia cælũ eſt in actu; ergo intelligentia eſt forma cæli ſubſtantialis. Sumpſit hoc argũ

Confirmatio ex Ariſt.

Achillinus ab Ariſt. 2. de anima, tex. 25. vbi ait, ex corpore, & anima, tanquam ex potẽtia, & actu, ſiue ex materia, & forma per ſe vnum conſtitui: ſicut igitur homo eſt in actu per animã, & anima eius eſt ſubſtantialis forma; ita cùm cælum ſit in actu per intelligentiam, illa pariter eius forma ſubſtantialis dicenda erit.

Quinta.

Quinta, motus cæli eſt naturalis; ergo à forma, quæ dat illi eſſe, proficiſcitur: ſed huiuſmodi forma eſt intelligẽtia; ergo intelligẽtia eſt forma, quę

Confirmatio ex Auer.

dat eſſe cælo. Confirmat hanc rationẽ, autoritate Auerrois 2. Phyſ. comm. 4. vbi de natura loquens, ait, eam quoq; ad cælum ſe extendere; natura autem dicitur de materia, & forma; ergo in cælo reperitur materia, & forma, quæ dicitur motus principium, & à qua motus dicitur naturalis: cùm igitur intelligẽtia ſit principium motus cæli, eiuſdem etiam forma ſubſtantialis appellanda erit.

## *Alexandri Achillini opinio refellitur.* Cap. XIII.

NOn poſſum equidem non mirari, virum alioqui doctiſſimum, & in Auerrois doctrina exercitatiſſimum eò imbecillitatis recidiſſe, vt eorum, quæ & Auerroes, & Ariſtot. docuit, quaſi oblitus, ſniam hanc, qua certè in Peripatetica philoſophia nulla abſurdior audiri

Prima ratio.

poteſt, tàm pertinaciter defenderit. Etenim, vt ſuperiore diſputatione ſatis ſuperque probauimus, cælum, ab intelligẽtia ſecluſum, ex Ariſtotelis, & Auerrois ſnia, ſimpliciſſima quædã ſubſtantia eſt, nullam materiæ, & formæ compoſitionem admittens, ſed per ſe actu exiſtens, &, quod multa in ſe ſe accidẽtia recipiat, ab Auerroe ſubiecti nomine decorata. Hanc ſubſtãtiam ingenitam Ariſt. indiſſolubilem, atque æternam conſtituit; quomodo igitur ab intelligẽtia vllum eſſe recipiet? Si cogitatione intelligẽtiam à cælo ſecludes, ipſum nihilominus cũ ſua ſubſtantiali perfectione manebit; non ergo, vt ſit, intelligentia eget. Sed dices, non mouebitur. Quid inde? Recipit ne eam ob rem ab intelligẽtia eſſe ſubſtantiale? Minimè verò, ſed

Secunda.

accidẽtale tantùm, videlicet motum. Pręterea qui fieri vnquàm poteſt, vt ex orbe, & intelligẽtia aliquod per ſe vnum conſtituatur? Materia cæli, teſte Auerroe libello de ſubſtantia orbis, & ipſo etiam Achillino autore, non eſt potẽtia, ſed actus; intelligẽtia pariter actus eſt: ſed vt 1. Phyſ. & 12. Metaph. Ariſt. docet, non niſi ex actu, & potẽtia per ſe vnum fieri poteſt; ergo ex orbe, & intelligẽtia, tanquam ex materia, & forma per ſe vnum non conſtituitur.

Tertia.

Deinde, ſi intelligẽtia eſſet forma, quæ cæleſtem ſubſtantiam perficeret, ac informaret, tunc materiæ inhæreret, nec ſubſtantia abſtracta, atque immaterialis diceretur; ac deinceps orbem,

cui

cui præeſt, perpetuo ambitu non circunduceret: in mouēdo enim fatigaretur, & laſſitudine tā dem occumberet. Nanque Ariſt. 8. Phyſ. tex. 78. & 79. ex eo elicuit, cæli motum perpetuum eſſe, quia virtus mouens à magnitudine ſecreta eſt, atque adeò nec ſenio confici, nec in mouē do langueſcere, frangive poteſt. Rurſus, ſi intelligētia eſſet forma, quæ daret eſſe cælo, tunc culpandus maximè eſſet Ariſt. qui in duobus prioribus libris de cælo, vbi cęli naturam exactiſſimè ſe explicare profeſſus eſt, ſubſtantialem eius formam, à qua recipit eſſe, ſilentio penitus obruiſſet: fieri enim nulla ratione poteſt, vt alicuius rei natura abſque eius forma ſubſtantiali optimè declaretur. Ad hæc, ſi intelligētiæ eſſent formæ ſubſtantiales, cęleſtes orbes informantes, tunc illa pars Metaphyſicæ, in qua de ſeparatis ſubſtantijs diſſeritur, aut ſuperuacanea eſſet, aut ſaltem nulla cum ratione conſtructa: propterea quòd ad eum artificem, ad quē alicuius rei materiæ conſideratio pertinet, ad eundem quoque formæ conſideratio pertinere videtur, vt 2. Phyſ. & alibi Ariſt. docet: quare cùm ad naturalem Philoſophum cęleſtis materiæ conſideratio pertineat, ad eundem quoque intelligētiæ conſideratio, quę eſt eius forma, pertinebit; fruſtra igitur de intelligētijs in Prima philoſophia diſputaretur. Rurſus, hoc potiſſimùm diſcrimine naturalis philoſophia à Metaphyſica diſſidet, quòd hæc abſtractas formas, & immateriales conſiderat; illa verò formas penitus in materia demerſas: abſtractæ aūt formæ non ſunt niſi intelligētiæ; ergo non poſſunt eſſe ita orbibus coniunctæ, vt illos ſecundum ſubſtantiam perficiant, atque informēt. Denique, ad euertendam Achillini ſniam, lubet adducere autoritatem Auerrois, quam apud eum ſcio, non exigui fore momēti. Is. n. libello de ſubſtantia orbis, intelligētiam non eſſe animam, quæ cælum informet, apertiſſimè oſtē dit, dum ait, à ratione penitus abhorrere id, quod inſipiētes quidam philoſophi aſſerunt, videlicet cęlorum animas eſſe formas materijs affixas, & materias à formis æternitatem nanciſci: contingeret. n. vt id, quod natura ſua æternum non eſt, ab alio æternitatem acciperet; quod tametſi alioquin verum ſit; Auerroes tamen nulla ratione fieri poſſe exiſtimauit;

Quarta. — Quinta. — Sexta. — Auer. autoritas cōtra Achillini ſententiam.

## *Soluuntur rationes Alexandri Achillini.* Cap. XIV.

RAtiones autem ab Alexandro Achillino propoſitæ, haud difficilem habēt ſolutionem. *Ad primam* reſpondemus, cęlum dupliciter accipi poſſe, vno modo pro ſolo orbe: altero, pro toto aggregato ex intelligētia, & orbe. Si primo modo accipiatur, falſum eſt dicere, cęlum à ſemetipſo moueri; mouetur. n. ab alio, nimirum ab intelligētia. Si verò altero modo ſpectetur, à ſemetipſo quidem moueri dicitur, non tamē verè, & propriè, ſed ſecundum quādam ſimilitudinem, & excellētiam. Vt. n. animal à ſemetipſo vere mouetur, & ex duabus partibus conflatum eſt, quarum altera motum edit; videlicet anima: altera verò eundem in ſe ſe recipit, puta corpus: ita aggregatum, ex intelligētia, & orbe quodammodo à ſemetipſo moueri dicitur; quia hoc aggregatum duas habet naturas, ſimul annexas; quarum altera motum edit, ſcilicet intelligentia: altera eundem recipit, puta orbis: tantaque eſt huiuſmodi naturarum coniunctio, atque affinitas, vt tametſi vera ex materia, & informante forma compoſitio non fit; efficit tamen, vt id, quod partes conflatas, & inſtructas habēt; ceu animal quoddam à ſemetipſo moueri dicatur. Ad ſecundam concedimus, cælum in hæc inferiora còrpora agere, intelligentia; orbe verò, cùm motum, tùm alia accidentia recipere: negamus tamen intelligentiam, & orbem eſſe partes ſubſtantiales cæli, ex quibus totum aliquod, tanquàm ex materia, & informante forma, conſtituatur: quemadmodum enim nauta nō eſt pars nauis; ita intelligentia non eſt pars orbis. Dicet aliquis, intelligentiam non eſſe partem orbis, ſed partē cęli: ſicut aīa rōnalis nō eſt pars humani corporis, ſed pars hoīs. Inane dictū: cælū. n. & orbis, quo ad ſubſtantiā minimè differunt: orbis dr̄, quia eſt figuræ rotundæ; cęlum verò à cælando, & tegendo, quòd nimirum inferiora omnia cælet, & tegat: vel quòd in eo ſidera impreſſa, & quaſi cælata ſunt. Ad tertiam concedenda eſt maior propoſitio in rebus ſublunaribus, quæ ex materia, & informante forma conſtitutæ ſunt: cùm enim proximum accidentium ſubiectum ſit totum ex materia, & forma compoſitum, nulla in his accidentalis cōpoſitio dari poteſt, quin ſubſtantialis compoſitio ex materia, & forma neceſſariò præcedat. In cæleſtibus verò corporibus ea propoſitio locum nullum habet; propterea quòd ſimpliciſſima illa ſunt, nec vllam, vt iam probauimus, materiæ, & informantis formæ compoſitionem

Ad primam. — Ad ſecundā. — Obiectio. — Solutio. — Ad tertiam.

agnoſcunt. Tota igitur cæleſtis ſubſtantia, veluti ſubiectum quoddam, accidẽtia recipit: quò fit, vt hanc accidentalem compoſitione in nulla ſubſtantialis compoſitio antecedat.

Ad quartam

Ad quartam reſpondendum eſt, vitam duobus modis accipi poſſe, vel pro actu primo, hoc eſt pro forma, vel pro actu ſecundo, hoc eſt pro operatione. Cùm ait Achillinus, cælum per orbem eſſe poteſtate viuens; admittimus, ſi vitam accipiat pro actu ſecundo, hoc eſt pro operatione; quę eſt propria rei viuentis, & per quandam excellentiam, & eminentiam, cælo etiam aſcribitur: cælum enim per orbem eſt in potentia ad motum, qui tametſi animalis non ſit, cum eo tamẽ ſimilitudinem maximam habet. Rurſus, cælum per intelligentiam eſt actu viuens; non quòd intelligentia ſit anima cæli, quæ ei vitam impertiatur; ſed quòd ab ea operationem recipit, ſimilem operationi rei viuentis, puta motum.

Ad confirmationẽ ex Ariſtot.

Quod addit ex Ariſtot. 2. de Anima tex. 25. eius ſententiam nequaquam confirmat: nanque homo eſt quidem in actu per animam, & anima eſt eius ſubſtantialis forma; cælum verò motum quidem ab intelligentia recipit; non tamen eſt actu cælum per intelligentiam: ſi enim vel motum, vel ipſam quoque intelligentiã à cælo ſecludas; adhuc nihilominus tota cæleſtis ſubſtãtia, tametſi immota, perſiſtet.

Ad quintam

Ad quintam negamus, cæli motum naturalem eſſe: dicimus enim cum Auicenna 9. Metaph. cap. 2. & cum Doctore ſubtili 2. Sentent. diſt. 2. q. 6. & quarto eiuſdem operis libro diſt. 48. q. 2. motũ illum, ratione intelligentiæ, voluntarium eſſe, ratione verò orbis, eſſe neutrum. Nam orbis ad eum motum nec interiorem habilitatem habet, ſicut terra ad inferum locum; neque repugnantiam, ſicut terra ad locum superum; ſed exteriorem tantùm habilitatem, ratione rotunde figuræ, vt alibi docuimus.

Ad confirmationem ex Auer.

Ad confirmationem, ex Auer. ſumptam, negamus abſolutè, naturam, prout ſecundo libro de Phyſico auditu ab Ariſtotele definita eſt, ad cælum ſe extendere; immò Ariſtoteles initio illius libri, ea recenſens, quæ natura conſtant, nominauit animalia, & partes ipſorum, & plantas, & ſimplicia corpora: ne autem omnia ſimplicia corpora abſolutè intelligeremus; terram, ignem, aerem, & aquam expreſſit, cęli verò nullam prorſus mentionem fecit: vt intelligeremus, in cælo verè naturam, non eſſe, quę de materia, & forma dicitur, ſed æquiuocè, & ſecundum quandam ſimilitudinem tantùm.

Inſtãtiæ Anto. Bern. Mirandulani.

Quære Diſp. de ſubiecto naturalis Philoſophiæ ca. 15. & 16. & Diſpu. de ſubiecto lib de cælo c. 12.

Antonius Bernardus Mirandulanus lib. 19. de euerſione ſingularis certaminis, ſect. 2. hãc reſponſionem refellere nititur; tunc enim, inquit, neque cælum naturale corpus diceretur, nec eius conſideratio ad naturalem philoſophum pertineret. Maximi quidem momenti eſt huiuſmodi inſtantia; ſed eam iam alibi cumulatè diſſoluimus, non eſt nunc, cur actum agamus.

### *Opinio Alexandri Aphrodiſienſis.* *Cap. XV.*

Alex. præter intelligentiã poſuit in cœlo aĩam rationalẽ, quã cæli formam atq; naturã appellauit.

Simplicius tria in cœlo diſtincta conſtituit, Intelligẽtiã, Animam, & Naturam.

Auic. præter cogitationẽ, & appetitum poſuit etiam in cælo animam rationalem.

ALexander Aphrodiſienſis in commentarijs 2. de Cælo, referente Simplicio 8. Phyſic. comm. 31. & 1. lib. naturalium quæſtionum q. 1. & 12. Metaph. comm. 20. 29. & 34. arbitratus eſt, cælo aſſiſtentem intelligentiam non ſufficere; ſed præter eam, poſuit etiam rationalem animam, quam eius naturam appellauit, propterea quòd internum conuerſionis principium exiſtit. Non enim Alexander cæli animam à natura diſtinxit: ſed ſicut leuitas eſt natura ignis, & grauitas eſt natura terræ, ita animam, cęli naturam, formam, atque perfectionem eſſe putauit. Simplicius 8. Phyſ. comm. 51. 2. de Cælo comm. 3. & 4. & alibi, ſentit quidem cum Alexandro, in cælo, præter intelligentiam, rationalem animam reperiri; ſed ab eo tamen diſſentit, quòd naturam ab anima non ſecreuerit. Tria enim in cælo Simplicius diſtincta conſtituit, videlicet Naturam, Animam, & Intelligentiam: à natura dixit cælum, accipere propenſionem ad motum: ab anima motum: ab Intelligentia motus æternitatem. Auicenna quoque lib. 6. Naturalium, libro de Cælo, & 9. Metaph. cum Alexandro arbitratus eſt, cęlum rationali anima præditum eſſe; ſed, præter eam, poſuit etiam in cælo cogitationem, & appetitum, vt ſupra docuimus. Cenſuit enim, vniuerſam Mundi materiam eo modo phãtaſiæ obtemperare, quo corpus animalis animæ obedit: & ſicut corpus animalis ſecundũ imagines rei delectabilis, vel triſtis, ab anima apprehenſas, immutatur; ita elementorum materiam, ad cogitationem motorum cæli, mutationem accipere; hincque terræ motus, atque ſciſſuras aliquando contingere. Sed qualeſcunque ſint Auicennæ, & Simplicij ſententiæ, in vna tantùm Alexandri opinione verſabimur; quæremuſque ſit ne cælum animal rationale, vt rationis

tionis participe anima, tanquam informante forma perfruatur? Alexander igitur, & qui eũ ſecuti ſunt, rem totam tribus propoſitionibus expediunt. Prima eſt, cælum, ex Ariſtotelis ſententia, animatum eſſe. Secunda, cælum animatum eſſe, anima informante. Tertia, animã cæli eſſe rationis participem.

Tres propoſitiones quibus Alex. ſẽtentia explicatur.

Primam propoſitionem ex ipſomet Ariſtotele manifeſtiſſimã eſſe putant: qui 2. de Cælo tex. 13. apertis verbis, cælum animatum eſſe fatetur: in illius enim contextus initio ita ſcribit, *cælum autem animatum eſt*, hæc igitur prima propoſitio alia probatione, aut euidentiore teſtimonio non eget.

Apertiſſima Ariſt. autoritas, qua cęlũ aĩatum eſſe probatur.

Secundam verò propoſitionem nonnullis rationibus probare nituntur, quarum prima ea eſt; Quicquid à ſemetipſo mouetur, eſt animatum, anima informante: ſed cælum à ſemetipſo mouetur; ergo eſt animatum, anima informãte. Minorem propoſitionem eliciunt, ex Ariſtotele 8. Phyſ. tex. 40. vbi oſtendit, ne in mouentibus, & motis in infinitum res abeat, ad vnum tandem primum deueniendum eſſe, quod vel à motore omnino immobili motum accipiat, vel à ſemetipſo; ſumpſitque hoc ſecundum mẽbrum, vt opportuniore loco oſtenderet, hoc primum corpus, quod à ſe mouetur, cælum eſſe. Maiorem autem propoſitionem eliciunt ex eodem Ariſtotele 8. Phyſicorum text. 41. & tribus ſequentibus, vbi docet id, quod à ſeipſo mouetur, ex duabus partibus neceſſariò compoſitum eſse, quarum altera motum edit; altera verò eundẽ recipit: quicquid autem ex his duabus partibus conſtitutum eſt, informãte anima animatum eſt: anima enim motum edit, corpus verò eundem recipit.

Prima ratio Alexandreorum, probãs, cælũ aĩatum eſſe, aĩa informante.

Secunda, quicquid natura ſua ſex habet poſitionũ dfĩas, quæ ſunt, antè, retro, ſurſum, deorſum, dextrum, & ſiniſtrum, informante anima prędi tum eſt: ſed cælum natura ſua ſex poſitionum differẽtias habet; ergo cęlum informante anima præditum eſt. Maiorem probant ex Ariſt. 2. de cęlo tex. 9. & ſequẽtib. vbi has potiſſimũ differẽtias tàm in perfectis, quàm in imperfectis animalibus poſuit, quę motus principium in ſe ipſis habẽt, quæque conſtat, non aſſiſtente, ſed informante anima prædita eſse: quare, cùm eodẽ libro tex. 13. cęlum ſex differentias poſitionum habere, & animatum eſse fateatur; neceſse eſt, vt eius animam non aſſiſtentem, ſed informantem formam eſse, intelligat.

Secunda rat.

Tertia, omne corpus, organis præditum, eſt animatum, anima informante: ſed cęlum eſt corpus, organis pręditum; ergo cælum eſt animatum, anima informante. Rationem hanc recẽtiores Alexandræi maximi faciunt, propterea, in probandis, & explicandis eius propoſitionibus, *multùm operis* contulerunt.

Tertia ratio.

Maiorem igitur propoſitionem probant ex definitione animæ, *lib.* 2. de anima ab Ariſ. tradita, quæ eſt huiuſmodi: Anima eſt actus corporis naturalis inſtrumentarij: regula inquiunt, optimæ definitionis eſt, vt definitio vniuersè cum definito cõuertatur, quare ſicut omne corpus animatum inſtrumentarium eſt, ita viciſſim omne corpus inſtrũtarium aĩatum dicitur.

Prima probatio maioris propoſitionis.

Probant pręterea eandem propoſitionẽ ex Ariſt. 2. de Ani. tex. 10. vbi ait corpus inſtrumentarium, nõ eſſe inſtrũtariũ, niſi quatenus animam habet: ideo cadauer non dicitur corpus inſtrumentarium, quia anima caret, quam priùs habebat; neque ſemen, quia nondum animam obtinuit. Ergo corpus viuens, quod anima præditum eſt, ideo inſtrumentarium dicitur, quia animam habet: quæ cùm illius forma ſit, eſt etiam cauſa, cur corpus illud inſtrumentarium dicatur.

Secunda probatio.

Probant rurſus eandem propoſitionem autoritate Ariſt. eodem lib. tex. 8. vbi ait, animã ita eſſe actum corporis inſtrumentarij, vt ſit quodquid erat eſſe illius, hoc eſt forma, quæ dicitur quod quid erat eſſe, & pars eſſentialis corporis naturalis: quare ſi anima eſt actus, quæ dicitur quodquid erat eſſe corporis naturalis inſtrumẽtarij; neceſſe eſt, vt omne corpus naturale organicum ſit animatum, anima, quæ ſit eius quodquid erat eſſe, & pars eſſentialis ipſum conſtituens.

Tertia probatio.

Minorem verò propoſitionem principalis argumenti ita probãt: ſi quid obſtaret, quominus cælum corpus organicum eſſet, id maximè eſſet eius ſimplicitas, quæ inſtrumẽtorum varietatem non admittit; ſed hæc non impedit; quoniam inſtrumentorum varietas in mortalibus tantùm corporibus neceſſaria eſt; in immortalibus verò, atque diuinis non item. Nihil igitur prohibet, quominus corpus aliquod diuinũ, ſimplex, & organicum ſit; atque adeò cęlum, quod diuinum, & immortale corpus eſt organorum varietate non eget, vt in vltima parte libri tertij de Anima Ariſt. docet.

Recentiores quidã Alexãdræi probãt, cælũ eſſe corpus organicum.

Ad hæc, cælum eſſe corpus ſimplex, & tamen organicum, eliciunt ex 2. de Partibus animalium cap. 1. vbi Ariſtot. quærit, quomodo cor animæ ſedes, & ſenſus, ac motus principium eſſe poſſit, cùm tamẽ ſimplex, & vniuſmodi ſit, nec ex diuerſis partibus, ſed ex vnica tantùm carne conſtet? Reſpondet Ariſt. cor eſſe membrum organicũ; quia figura propria figuratum eſt. Ex hac reſpon

Ad ipſum ex Ariſt. eliciũt.

ſione eliciunt recentiores Alexandræi huiuſmodi argumentum; Omne figuratum, figura propria, organicum eſt: ſed cælum eſt figuratum, figura propria; ergo cęlum organicum eſt. Minor patet 2. de Cælo, tex. 22. vbi rotunda figura, tanquã maximè propria & neceſſaria cælo aſcribitur, immò cælum ita propria figura gaudet, vt ei ſoli hoc priuilegium conceſſum ſit; cętera enim ſimplicia corpora eatenus figuram accipiunt, quatenus à cælo continentur. Mixta verò tùm primùm propriam, & determinatam figuram habere incipiunt, cum primùm organica, & animata ſunt: aurum enim, quod inanimatum eſt, figuram propriam nullam habet: tàm enim eſt aurum, ſi ſit rotundum, quàm ſi ſit triangulare. Quæ ergo organica, & animata ſunt, figuram propriam habere dicuntur: & contra, quæ propriam figuram habent, organica, & animata ſunt; ac propterea cęlum, quod propriam figuram habeat, organicum, & animatum dicetur. Porrò quamuis in cælo organa non appareant, quia ſcilicet, partium diuerſitatem non videmus; ſufficit tamen, inquiunt Alexandræi, diuerſitas ſecundũ virtutem, vt docet Ariſt. 2 de Cælo: alia enim pars in cęlo eſt dextra, alia ſiniſtra alia ſuperior, alia inferior, alia anterior, alia poſterior, ſicut in animalibus: hoc ſolo diſcrimine, quod hæ partes diuerſæ in animalibus differunt figura; in cęlo verò virtute, & facultate tantùm.

Apud eoſdē quod hēt ꝓpriam figurā organicū, & animatū eſt.

*Animam cæli, ſecundum Alexandri ſententiam, rationalem eſſe; ab eaque cæli motum, tanquàm ab interno principio proficiſci.* Cap. XVI.

TErtia Alexandræorũ propoſitio ea erat; Anima cæli rationis particeps eſt. In hac propoſitione totius Alexandræorum ſententiæ cardo vertitur; propterea eandem diligentiſſimè explicare, atque ex Ariſtotelico fonte haurire conati ſunt. Cęlum, inquiunt, eſt animal rationale, quod à ſe ipſo mouetur, atque in partem per ſe motam, & partem per ſe mouentem diuiditur: pars mota eſt orbis: pars verò mouens eſt anima rationalis, quæ dum aſſiſtentem intelligentiam intelligit, & appetit, eidem ſimilis fieri conatur; hincq; cæli conuerſio neceſſariò conſequitur. Porrò cæleſtis animæ intellectum cum intellectu animæ noſtræ ſimilitudinem aliquam habere, & aliquo etiam ab eodem diſcrimine diſſidere, fatentur. Similem eum dicunt eſſe intellectui noſtro, non agenti quidem, ſed patienti tantùm; cum ſit potentia, quæ eſt forma in materia. Sicut igitur materia, ex qua fit cęlum, ad vnam tantum formam determinata eſt; ita intellectum illum patientē certæ intellectioni deſtinatum eſſe affirmant; nullo tamen modo ad intelligendum, & non intelligendum indifferentem eſſe. Differt aũt intellectus ille ab intellectu noſtro; quia intellectus noſter non niſi poſt abſtractionem intelligere poteſt: intellectus verò cæleſtis formas intelligibiles, iam abſtractas, intelligit: eę aũt formæ ſunt intelligentiæ ſeparatę, quas intelligere debet, vt moueat; aliter non moueret. Cũ .n. abſtractæ ſint, aptæ ſunt ab intellectu recipi: & cùm intellectus ad eas recipiendas paratus ſit; ſtatim receptio, & intellectio, ac deinceps ipſa motio neceſſariò ſequitur. Non ſolum aũt cæleſtis animæ intellectus ab intellectu noſtro differt, verum ēt ab intellectu intelligentiarũ, idque ratione intellectionis. Nanque cæleſtis animæ intellectio nec purè ſpeculatiua eſt, qualis eſt intellectio intelligentiarum, nec purè practica, qualis eſt intellectio actiua in nobis: ſed ad intelligentiam, quam intelligit, dicitur ſpeculatiua: ad id verò, quod hanc *intellectionem* conſequitur, quod eſt orbis motio, dicitur practica; mouere enim agere eſt. Si quæratur, quomodo anima cæli, intelligendo intelligentiam, cælum moueat? Reſpondent Alexandræi, intelligentiam ad cęli animam, vt finem ſe habere; hincque fieri, vt anima ideo cęlum moueat, vt hunc finem conſequatur. Hunc autem finem imitando conſequitur; quia intelligentiam, quantum ad perfectionem, imitatur: cùm enim intelligentia potentiam omnē abijciat, ſitque ſimpliciter in actu, tam primo, quam ſecundo; rationalis quoque anima, cælum mouendo, potentiam à ſeſe excludit, optatamque perfectionem conſequitur. Cæterùm perfectio formæ materialis, quo ad actum ſecundum, duplex eſt, motus, & quies: anima, dũ cælum in orbem agit, vtranque perfectionem conſequitur: cælum enim ſimul eſt in motu, ſecundum partes, & in quiete, ſecundum totum, ideo eius anima alio motu, quàm in orbē mouere non poteſt, alioquin in omni actu ſecundo non diceretur. Imitatur ſecundò cæleſtis anima aſſiſtentem intelligentiam, ratione intellectionis; quia intelligentia, dum ſe ipſam intelligit, in ſe ipſam conuertitur, cuius quidem conuerſionis imago eſt motus in orbem, qui conuertitur in ſe ipſum. Imitatur tertiò quo ad regimen, quo intelligentiæ ad hæc inferiora ſe

Cælũ Alexãdræis ex orbe, & rõnali aĩa, tanquam ex informante forma, cõpoſitum eſt.

Similitudo inter intellectũ aĩę cæleſtis, & intellectũ humanum.

Differētia inter intellectũ cæleſtē, & intellectum humanum.

Intellectus intelligentiarum, & intellectus aĩæ cęli intellectiõne differunt.

Quõ anima cæli ſecundũ Alexãdræos, intelligendo intelligentiã cælum moueat.

Primus modus quo cæleſtis aĩa intelligentiam imitatur.

Secũdus modus.

Tertius modus.

habent,

habent, vt fines, vnde eorum diſpoſitio deriuatur: anima enim cæleſtis, per cæli conuerſionẽ, hanc diſpoſitionem efficit, quæ ſi ceſſaret, omnia perturbarentur. Si quæratur, ſatis ne ſit vna intelligentia, quàm omnium orbium animæ, vt finem appetant? Reſpondent Alexandræi, non ſatis eſſe, quia in cęlo duo motus fiunt, alter ab ortu ad occaſum, alter oppoſito modo: ideo intelligentiarum multiplicatio ſecundum numerum orbium neceſſaria eſt. Nam vnaquæque anima primò, & proximè cognoſcere, & appetere nequit, niſi cognoſcibile, & appetibile proprium, quodque ſibi proportione reſpondet; ideo anima inferioris orbis, qui eſt lunæ, non poteſt, proximè cognoſcere, & appetere primam intelligentiam; debet ergo habere finem, quem proximè appetat, & cognoſcat, & propter quem primò moueat, qui quidem finis propria eſt cuiuſque orbis intelligentia. Hæc, vt ex varijs locis elicere potui, eſt Alexandreorum opinio de cęleſtis corporis conſtitutione, de anima eius rationali, deque eiuſdem proprijs operationibus, quę quantum veritatis contineat, paulò inferius oſtendemus.

An omnibus aialib. cęleſtibus ſatis ſit vna intelligẽtia, quàm vt finem appetant.

*Alexandræorum ſententia de rationali cæleſtis corporis anima Ariſtotelis autoritatibus roboratur.* Cap. XVII.

INterim præcipuas Ariſtotelis autoritates, quibus ſuam Alexandræi ſententiam confirmare nituntur, in medium afferamus. Primam eliciunt ex 2. Phyſ. tex. 45. vbi Ariſtoteles quoddam Democriti dictum ridiculum putat, hominem ſcilicet, & alia multa determinatas cauſas habere; cęlum verò, quod illis præſtantius, atque diuinius eſt, caſu, atque fortunę temeritate conditum eſſe. Quibus verbis inquiunt, Ariſtotelem docere, cælum, prout res naturalis eſt, homine dignius, præſtantiuſque eſſe: ſed non poteſt dari dignius animatum naturale, quam ſit homo, niſi habeat animam rationalem, quæ ſit eius forma naturalis, ergo cælum, ad mentem Ariſtotelis, eſt animatum anima rationali. Quòd ſi quis dicat, cælum homine præſtantius eſſe, non quatenus ens naturale eſt, ſed quatenus mouentem formam ſupranaturalem ſibi adiungit, quæ eſt intelligentia. Contrà ipſi probare nituntur, cælum eſſe homine nobilius, quatenus ens naturale eſt. Primò ex modo Ariſtotelicæ locutionis; dicit enim, cælum eſſe diuinius ſenſibilibus; ergo hanc dignitatem, & perfectionẽ ei tribuit, quatenus naturale, & ſenſibile eſt. Deinde verò, quia eius dictum non eſſet ad rem contra Democritum, qui intelligentias negabat: quare ſi cælum tantummodo ob intelligentiam nobilius eſſe deberet; facilè Democritus alijs animantibus præſtantius ipſum, atque nobilius, eſſe negaret. Cælum igitur eſt homine nobilius, quatenus eſt ens naturale: quod eſſe nulla ratione poſſet, niſi rationalem animam, tanquam eius formam, atque naturã haberet. Secundam autoritatem eruunt ex 2. Phyſ. tex. 26. vbi diſertis verbis Ariſtot. fatetur, Solem, & hominem, hominem generare. Iam verò, ſi cælum cum homine ad hominis generationem concurrit, & tanquam cauſa prior, atque præſtantior, naturaleque principium, concurrit; ergo ſub propria ratione naturalis cauſæ homine prius, atque præſtãtius eſt. Quare ſi homo, vt verè, & vt aiũt, formaliter animatus eſt, generare hominem dicitur; pari ratione cælum, vt formaliter animatum, generabit; alioquin animatum ab inanimato generaretur. Nec ſatis eſt, inquiunt, animatio intelligentiæ, ea enim cælum in animatorũ genere non conſtituit, nec illi intima eſt: forma autem, ſic cælum conſtituens, internum motus principiũ eſſe debet, & hæc eſt anima rationalis. Tertiam ſumũt ex 12. Metaph. tex. 37. vbi aſſerit Ariſtoteles, primum principium, quod cæleſtibus corporibus motum impertitur, ſiue Deũ, qui eſt primus motor, tanquam amatum quiddam, atque deſideratũ mouere: putauit igitur Ariſtoteles, in cæleſtibus orbibus intellectum, & appetitum ineſſe, quibus primum motorem diligant, & cognoſcant: Siquidem appetere, & diligere indicia ſunt animæ intelligentis. Quartam accipiunt ex primo de cælo tex. 100. vbi Ariſt. ſcribit, cæleſtia corpora optimam, atque indeficientem vitam viuere; cùm nec ſeneſcere, nec vlla affici laſſitudine poſſint: habent igitur animam rationalem, à qua optima vita pendere videtur. Quintam eliciunt ex 2. de anima tex. 15. vbi ait Ariſtoteles, in mortalibus corporibus ſuperiores animæ facultates ſine inferioribus non reperiri; ſecus autem in æternis: per æterna autem non niſi cęleſtia corpora intellexit. Sextam ducunt ex eodem libro, tex. 29. vbi ait Ariſtoteles, quibuſdam mentem cõpetere, vt homini, & ſi quid aliud honorabilius eſt: huiuſmodi autem eſt cęlum: ei igitur competit mens, atque adeo eſt animatum, & viuit anima rationali.

Prima autoritas.

Tacita reſpõſio.

Replica.

Secũda autoritas.

Occupatio.

Tertia autoritas.

Quarta autoritas.

Quinta autoritas.

Sexta autoritas.

*Alexan-*

### *Alexandræorum præcipua ratio, probans, intelligentiam, cælo aſſiſtentem, ipſum tantummodo vt finem, non etiam vt efficientem mouere.* *Cap. XVIII.*

TAndem Alexandræi, vt ſuam ſñiãm omnino confirmēt, præcipuam rationem adducũt, qua probare contendunt intelligentiam, cælo aſſiſtentem, ipſum tant ũmodo in genere cauſæ finalis mouere; vt hinc eliciant, dandam eſſe neceſſariò animam rationalem, quæ idē

Intelligentia tripliciter cõſideratur. Intelligentia non põt mouere cęlũ ſub ratione, qua eſt ens.

moueat in genere cauſæ efficientis. Sic igitur rõcinantur. Intelligentia tripliciter conſideratur, vel vt ens, vel vt intelligens, vel vt intelligibilis. Intelligentia non poteſt mouere cęlum, ſub ratione entitatis: nam ſi ens aliquod alteri admiſceatur, ad agendum in illud, neceſſe eſt, vt hęc duo entia aliquam inter ſe naturæ coniunctionem, & affinitatem habeant, vel vt ſint in eodem genere vniuoco, vt contingit in rebus hiſce ſublunaribus, quarum materia communis eſt, vel analogico, quia ambo ſint naturalia, quanuis materiam habeant diuerſæ rationis, vt cælum, & hæc inferiora. Sed inter orbem, & intelligentiam nulla harum coniunctio reperitur; ergo intelligentia, quæ eſt ens immateriale, per ſe ſubſiſtens, nullam eſſentialem ad materiam relationem habens, motum proximè efficere nequit,

Exemplum, quo Alexandræorum pòſitio cõfirmatur.

qui eſt effectus materialis, in materia cæleſti. Confirmant id ipſum exemplo, à rebus ſenſibilibus ſumpto: obiectum enim viſibile habet, inquiunt, vim mouendi animal; non tamen proximè, ſed ſpiritualis alterationis interuentu: obiecto autem intus recepto, appetitus, & motrix facultas excitatur, hincque motus exoritur. Si ergo materialis effectus ab actione ſpirituali, materialis agētis oriri non poteſt, multò minus certè ab agēte immateriali orietur: quare fieri non poteſt, vt intelligentia moueat cælum quatenus ens; atque adeò neceſſe

Intelligentia non põt mouere cælum, quatenus intelligens.

eſt, vt moueat vel quatenus intelligēs, vel quatenus intelligibilis. At verò quatenus intelligens mouere non poteſt: ſequeretur.n. vt eius intellectio practica eſſet, quia deſcenderet ad opus, quod eſt contra Ariſtotelē 12. Metaph. vbi expreſsè ait, intellectionem intelligentiæ eſſe purè ſpeculatiuam, quia vita intelligentiarum eſt optima, quæ in ſpeculatione conſiſtit. Relinquitur ergo, vt dum intelligentia ſeſe, ad mouendum, cælo applicat, id quatenus intelligibilis faciat: quod certè Ariſt. loco nuper citato, conſentaneum eſt, vbi docet, ens abſtractum, vt amatum, & deſideratũ mouere, quod autem ita mouet, vt intelligibile mouet. Porrò intelligentias, vt intelligibiles mouere dupliciter contingere poteſt: vel vt ſunt intelligibiles à ſe ipſis: vel vt ſunt intelligibiles ab alio aliquo, quod, eas intelligendo, cælum moueat.

Intelligentia non põt mouere cælum, quatenus intelligibilis à ſeipſa.

Primum duplici ratione dici non põt. Primò quia, dum à ſe ipſis intelliguntur, earum intellectio manet in ipſiſmet, atque illis intima eſt; ergo per huiuſmodi intellectionem, in ſeipſis manentem, motionem in materiam penitus exteriorem facere non poſſunt, cùm præſertim illa intellectio ſpeculatiua, & non practica ſit. Deinde, intelligētię mouent, quatenus à ſe ipſis intelligibiles ſunt; ergo falſum eſt, quod Ariſt. dicit, eas, quatenus amantur, & deſiderantur, mouere; tunc.n. mouerēt, quatenus amant, atque deſiderant. Conſecutionem probant, quia idē eſt, intelligētiam eſſe intelligentiam, & intelligentiam eſſe amantem, ac deſiderantē: ſi ergo mouet quatenus à ſeipſa intelligibilis eſt, & quatenus à ſeipſa intelligitur, ergo ratio forma-

Intelligentia mouet cælũ, quatenus ab alio intelligibilis, & appetibilis eſt.

lis, qua mouet, erit vt appetens, & amans. Cùm ergo intelligentia, vt intelligibilis, & appetibilis moueat, nec moueat, vt intelligibilis, & appetibilis à ſeipſa: ſequitur neceſſariò, vt moueat, quatenus ab alio intelligibilis, & appetibilis eſt. Quemadmodum igitur obiectum mouet animal, ſub ratione finis, qui ab animali appetitur, & animal proximè ab anima, vt ab interno principio mouetur, ita intelligentia cælum mouet, vt appetibilis ab aliquo, quod intimè ipſum conſtituit, & hoc eſt eius anima, quæ intelligentiam intelligit, &, appetendo, cæ-

Alexandræorũ concluſio.

lum mouet. Hinc concludunt, cęlum rationali anima animatum eſſe, non ſolùm per quandam ſimilitudinem, vel vt aiunt, appropriationem, ſed per veram formam informantem, ſicut in omnibus alijs animantibus contingit.

### *Alexandri ſententia confutatio.* *Cap. XIX.*

Alexãdri ſententia perniercioſa.

HÆc Alexãdri opinio, quam eius ſectatores mordicus tuentur, & tenent, omnium, quas hactenus retulimus, abſurdiſſima eſt, &, ſi Deo placet, grauiſſimorum errorum origo, & ſeminarium. Quoniam verò tempeſtate hac multorum animis iniecta penitus eſſe videtur, qui eam ab eorum nutricibus vnà cum philoſophiæ lacte ſuxerunt, idcirco enixè nobis

opera danda eſt, vt tantus error ab hominum mentibus euellatur; curandumque, ne initiò
per adoleſcentum animos peruadat, nam ſicut vaſa cum odorem, quo primum imbuta ſunt:
ita animi quas primas opinionem combiberunt, conſtantiſſimè tuentur, & ſeruant. Concedi
mus Alexandræis, Ariſt. animatum cælum ſtatuiſſe: id autem quonam pacto intellexerit, in
veræ ſententiæ explicatione planum fiet. Negamus abſolutè, cælum formam vllam informã
tem habere: quod tùm ex ſuperiore diſputatione, tùm ex Achillini ſententię reprobatione
patere vnicuique poteſt. Abſurdiſſimum autem arbitramur, cęlum, pręter aſſiſtentem intel-
ligentiam, rationali anima, tanquam informante forma, atque interno ſui motus principio,
prędítum eſſe; quod niſi quis in Philoſophia planè plumbeus fuerit, ex paucis his rationibus,
quas nunc adducemus, intelligere facile poterit. Primò igitur ex Alexandro quęrerem, ratio *Prima ratio.*
nalis anima, quam formam cęli informantem eſſe putauit, ſit ne eiuſdem rationis, & ſpeciei
cum rationali anima hominum, an diuerſę? Si eiuſdem; ergo, cum, eodem autore, rationalis
hominum anima mortalis ſit, cęleſtis quoque anima mortalis erit, atque adeò cęlũ aliquan
do interibit, eius ſubſtantiali forma pereunte, quod Ariſtoteli penitus aduerſatur. Si diuerſę,
ergo reprehẽſione maxima Ariſtoteles dignus eſſet, qui in libris de Anima, vbi de omni ani
ma verba ſe facturum pollicitus eſt, cęleſtem animam neglexerit. Immo in 1. capite primi li
bri de partib. animaliũ docuit, ad naturalẽ Philoſophũ pertinere, de omni anima diſputare
quę alicuius corporis eſt actus, vt intelligẽtias excluderet, quę sũt ſubſtãtię abſtractę, & nul-
lius corporis actus, ſed puriſſimæ, ſimpliciſſimæque mentes; & humanas ẽt animas, corpori-
bus ſolutas, quæ tunc veluti intelligentiæ ſunt, ſubſtantiarumque abſtractarum nomen, &
naturam induunt: mirum igitur, ſi cælum rationalem animam, tanquam formam informan
tem haberet, quòd eam Ariſtoteles omiſerit, nec eius nobis naturam, ſicut cæterarum anima
rum, explicarit? Sunt qui reſpondeant, Ariſtotelem in rebus, à ſenſu remotis, paucis contentũ *Recentiũ Alexandræorũ*
fuiſſe, & nunquam ſermonem ad particularia deduxiſſe; ſed vniuerſali ſermone omnia com *reſponſio.*
plexum eſſe; ac propterea in libris de Anima, de mortaliũ quidem anima pręcipuè diſputaſ
ſe; ſed vniuerſè ibi cęleſtem quoque animam intelligere voluiſſe. At futilis eſt huiuſmodi re *Confutatio.*
ſponſio, nec argumento propoſito ſatisfacit: aut enim cęleſtis anima eſt eiuſdem rationis cũ
anima hominis, aut diuerſę: ſi eiuſdem; ergo, vt paulò antè ex Alexandro concludebamus, cę
lum diſſolubile erit: Si diuerſę; ergo incongruum fuiſſet, eius tractationem cum mortaliũ ani
mabus confundere. Huc accedit, quod Ariſtoteles valde diminutus fuiſſet; quia in libris de
Cęlo, vbi cęleſtem naturam, atque ſubſtantiam nobis explicare conatus eſt, nihil penitus de
eius informante forma dixerit: aut ergo rationalem cęleſtis corporis animam, ſi qua eſt, Ari
ſtoteles ignorauit, quod credibile non eſt: aut nullam in cęleſtibus corporibus rationalẽ ani-
mam poſuit, quod & rationi, & eius doctrinę maximè conſentaneum videtur. Pręterea, quò *Secunda rō.*
forma informans perfectior, atque nobilior eſt, eò perfectiorem, & elaboratiorẽ materiam
expoſcit: ſed, ſecundum Alexandręos, rationalis anima cęli omnium formarum, vel ipſius ho
minis, nobiliſſima eſt; perfectiſſimam igitur, & elaboratiſſimam materiam expoſcere videre
tur; hæc autem materia in cælo eſſe non poteſt: cùm eius ſubſtantia ſimpliciſſima ſit, &, vt iã
oſtendimus, organis careat; ergo in cælo rationalis anima, quæ ſit forma informans, reperiri
non poteſt. Nonnulli ex recentioribus Alexandræis reſpondent, maiorem huius ſyllogiſmi *Quorundam Alexandræorum rñſio.*
propoſitionem in rebus tantùm ſublunaribus veram eſſe, quarum materia imperfectiſſima
eſt, & ad omnes formas recipiendas indifferens: ideo, vt perfectam formam recipiat, opus eſ
ſe, vt per multos antecedentes actus determinetur, qui eam ad perfectam illam formam reci
piendam præparent, & accommodent. Materia verò cæleſtis perfectiſſima eſt, nec ad varias
formas recipiendas indifferẽs; ſed per ſe ad certum, immò ad vnum actum determinata, qui
eſt anima ipſa rationis particeps: ideo affectionibus, ſeu præparationibus non eget; ſed ex cõ
ditione ſuæ perfectionis proximè ad actum perfectum determinata eſt. Puto, omnes facilè *Refutatio.*
aduertere, reſponſionem hanc inane quoddam effugium eſſe: nam maior illa propoſitio, quia
perfectiſſima forma perfectiſſimam materiam habere dicebatur, & quò perfectior eſt forma
eò perfectiorem materiam ipſam expoſcere, abſolutiſſima, & vniuerſaliſſima eſt; ac propte-
rea ſi cælo non competit, exiſtimandum eſt, ipſum informantem formam non habere. Ele-
menti forma, quæ omnium imperfectiſſima eſt, nuda materia prima, omni contrarietate ca- *Inductio euidens.*
rente, contenta eſt. Formę miſti, quæ perfectior eſt, nuda, & impolita materia, non ſatisfacit:
ſed

ſed materia, elementorum formis formata, neceſſaria eſt, ſi congruenter illi accumbere de-
beat. Vegetalis anima neque nudam materiam primam, neque eandem elementorum for-
mis ornatam; ſed præterea miſtionis forma gaudentem exigit; alioquin non ſubſiſteret. Ani
ma ſentiens, præter formam miſtionis, materiam poſtulat, in qua ſit anima vegetalis; aliter
ipſam, tanquam incongruens domicilium reſpueret. Anima tandem rationalis, formarum
omnium perfectiſſima, non vegetalem ſolùm, ſed ipſam quoque ſentientem animam, mate-
riam ipſam perficientem expectat, antequam ad humanum corpus perficiendum accedat; a-
lioquin nullas in ipſo operationes exerceret. Nã tametſi in operando ab alijs animabus non
pendeat, nec inſtrumentis vllis ad operandum egeat; dum tamen corpori coniuncta eſt, nun
quam in operandi actum erumpit, niſi priùs inferiores animæ, vel facultates ad opus exie-
rint, iuxta peruulgatum illud Ariſtotelis dictũ, nihil eſt in intellectu, quin priùs fuerit in ſen
ſu. Quare hoc eodem ordine, ſi cæleſtis anima formarum omnium perfectiſſima eſt, materiã
quoque perfectiſſimam multis partibus diſtinctam, varijſque organis inſtructam haberet,
quæ illi ad ſuas edendas operationes inſeruirent; alioquin perfectiſſima forma aut nullas,
aut paucas operationes ederet, quod videtur abſurdum. Nam, vt forma ex operatione co-
gnoſcitur; ita perfecta forma ex multis, varijs, atque perfectis operationibus innoteſcit: *in cę*
*lo* autem, præter motum, alia nulla operatio deprehenditur, quæ ab anima, tanquam ab in-
terno principio proficiſci videatur; ergo, cùm cæleſtis motus alia magis propria, atque nobi-
lior cauſa inueniatur, propter illum tantùm, rationalis anima in cælo ponenda minime eſt.
Occupatio. Quod ſi quis iterum eodem confugiat, ſcilicet aliam in mortalibus, aliam verò in cæleſtibus
corporibus rationem eſſe; hoc modo dicere quoque poſſemus, in plantis ſentientem, & ratio
nalem etiam animam reperiri; quanuis ibi organa, & alia requiſita non adſint; quia *alia* ra-
tio in animalibus eſt, alia in plantis: nemo tamen vel philoſophiæ initiatus concedet, in plã
tis, præter vegetalem, aliam animam reperiri; cùm intelligat, eam, ſine organis, operationi-
bus planè vacuam, & ocioſam fore: idem igitur de cæli anima, ab Alexandræis poſita, dicen-
Tertia ratio. dum eſt. Rurſus, quid obſecrò opus eſt cælo anima rationali? Omnis forma, quæ alicui ma-
teriæ adhæret, opus aliquod edere debet, & propter aliquem finem cum illa materia copu-
lata eſt: ſed nullus apparet finis, propter quem rationalis anima cælo, tanquam materiæ affi
xa ſit; ergo huiuſmodi anima in cælo ponenda non eſt. Maior eſt manifeſta. Minor autẽ pro
batur: cùm enim oſtenſum ſit, neque ſentire poſſe cælum, neque alimento egere; ſi daretur ali
quis finis, is maximè eſſet aut propter intellectionem, aut propter motum. Propter intelle-
ctionem quidem eſſe non poteſt; quia corpus non niſi ſenſuum miniſterio rationali animæ
deſeruit: probatum autem eſt, cæleſte corpus tàm exterioribus, quàm interioribus ſenſibus ca
rere. Neque etiam propter motum; quoniam, vt cælum moueatur, ſatis eſt exterioris virtutis
Quarta ratio appulſus, nimirum intelligentiæ; fruſtra ergo in cælo ponitur anima rationalis. Ad hæc, *ſi cę*
*lum* animatum eſſet, anima rationali; tunc, per ſe ſumptum, non ſolùm animalibus omnibus
verùm etiam omnibus rebus inanimatis imperfectius eſſet: Conſequens eſt abſurdum, *præ-*
*ſertim* apud Alexandræos, ergo & antecedens. Conſecutio facilè probatur: nanque *elemen-*
*tum* ea ratione, qua ex materia, & ſubſtantiali forma concretum eſt, natura ſua, *omni impe-*
*dimento* ſublato, ad proprium locum moueri aptum eſt, quæ propria eſt eius operatio. Cor
pus miſtum inanimatum, vt lapis, ſolius formæ virtute, in propriam regionem concedit. Plã
ta, citra alterius opem, vi propria vegetali, nutritur, creſcit, & generat. Brutæ animantes, ſola
forma ſentiente, & facultate motrice, ſentiunt, progrediuntur, & arbitratu ſuo à motu quie-
ſcunt. Homo ſola rationali anima, nullius alterius agentis acceſſu, intellectionem edit: cęlum
autem abſque intelligentia moueri non poteſt: ergo corporum omnium imperfectiſſimum
Alexandræorum effugium. eſt. Dicent Alexandræi, cælum, vt rationali anima præditum eſt, in orbem quidem moueri,
vt tamen ille motus perpetuus ſit, intelligẽtiam exigere. Sed Platonicè dictum hoc eſt, quod
Confutatio prima. ſi rationibus prematur, facilè cedat. Nam aut intelligentia vim mouendi effectricem cęlo tri
buit, aut eius motus finis tantummodo exiſtit: ſi detur primum, ergo ſupernacanea eſt anima
rationalis: ſi detur alterum, ergo motus cęli nõ erit perpetuus, quoniam forma, quę materię
Cõfutatio ſecunda. adhæret, perpetuo motu mouere non poteſt, vt 8. Phyſ. tex. 79. Ariſtoteles docet. Præterea,
ex iam reddita reſponſione id ipſum elicitur, quod argumento probabatur, videlicet, cęlum
omnium corporum imperfectiſſimum eſſe, propterea quòd ſua forma ſubſtantiali, abſque
al-

alterius auxilio,propriam operationem edere nequit. Vlterius, cùm cęlum materiam perfectiſſimam habeat,formam quoque perfectiſſimam habere debet, quæ per ſe,citra alterius opem, proprium munus exequi valeret. Dicent aduerſarij, hanc cęleſtis animæ imperfectionem ab aſſiſtente intelligentia ſuppleri. Verùm,non ſatis eſt id pronunciare, ſed oportet etiam explicare,quodnam auxilium cæleſti animæ ab aſſiſtente intelligentia feratur.Mouet anima,inquiunt,cæleſtẽ orbem, in genere cauſæ efficientis, vis tñ quædã ab intelligentia illi tribuitur,vt motũ perpetuare poſſit. Non ſatis capio huiuſmodi vim;nã ſi qualitas,& accidẽs eſt,dubio procul cęleſtis aĩę ſubſtantiã mutare non põt,propterea,cũ natura ſua,materię affixa ſit, nunq̃ ſic manẽs,perpetuũ motũ edere poterit,quia tandẽ laſſitudine deficiet. Si verò tanta eſt intelligẽtiæ vis,vt cæleſtis aĩæ ſubſtantiã prorſus immutet,eamq; oĩno immaterialem reddat; quid obſecro entia ſine neceſſitate multiplicãda ſunt? Si intelligentia, ſolo virtutis contactu,perpetuum ad tempus cæleſtem orbem mouere põt, cùm penitus abſtracta,& immaterialis ſit,quid opus eſt,cælo addere animam rationalem? Dicent aduerſarij,intelligentiam mouere ſolùm vt finem; ideò addendam eſſe cęlo animam rationalem, quæ moueat,vt efficiens. Sed nos iam alibi ſatis multis probauimus;intelligentias in vtroq; genere cauſæ ſuos orbes mouere poſſe. Denique finis ille, quem cęli operatio ſpectat, eſt,vt in hoc inferiore mundo res generẽtur,& cõſeruentur, adeò vt ex vnius interitu,alterius ſemper generatio ſequatur;ſed hunc finem aut motu, aut lumine,aut etiam (quod alijs placuit) influentia,cælum aſſequi poteſt,nulla igitur intellectione eget,ſed ſatis eſt,vt illa virtus,quę ipſum extrinſecùs mouet,intelligendi munere fungatur.

Confutatio tertia.

Aduerſariorum rñſio.

Confutatio.

Reſpõſio aduerſariorum.

Pro confutatione lege diſpu.de motore primi orb. cap.4. & 9. Quinta 16.

*Soluuntur duæ primæ rationes Alexandræorum; deq́; poſitionum differentijs cælo congruentibus,diſſeritur.* *Cap. XX.*

NVnc Alexandræorum rationibus,quibus cælum informantem animam habere,& Ariſtot.autoritatibus,quibus idem rationali anima præditum eſſe, probare contenderũt, ſingulatim occurramus. Ad primam patet ſolutio ex ijs,quæ paulò antè dicta ſunt. Ad ſecundam reſpondent nonnulli, Ariſt. ſex poſitionum differentias in cælo ſtatuiſſe, quia id ſequi neceſſariò ex eorum philoſophorum ſnĩa videbatur,quibus cum diſputabat: ipſi.n.cęlũ animatum eſſe dicebant:ſex aũt poſitionum differẽtias in cælo negabant.Quos Ariſt.reprehẽdens,ait,ſi cælum animatum eſt,vt vos conceditis;ergo ſex poſitionum differentias neceſſariò habet,quia eæ differentiæ rebus omnibus animatis conueniunt. Verùm arbitror ego, Ariſt.non ex aliorum,ſed ex propria ſnĩa, cælum & animatum eſſe, & ſex poſitionum differentias habere,ſtatuiſſe;vt ſit eius argumentum huiuſmodi. Omne animatum ſex habet differentias poſitionum:ſed cęlum eſt animatum;ergo ſex habet differentias poſitionum. Ex eo igitur Ariſt.elicit,cælum habere ſex differentias poſitionum, quia animatum eſt,quare tanquàm firmum, & ratum ponit, cælum animatum eſſe, & in hoc conſiſtit robur argumenti Alexandræorum. Quod vt facilius explicetur, primò in forma enthymematica ſoluemus; deinde verò breui digreſſiuncula totam difficultatem aperiemus. Cælum inquiunt, ſex habet differentias poſitionum;ergo eſt animatum. Diſtinguenda eſt conſecutio:aut enim de anima informante intelligitur,aut de aſſiſtente:ſi de informante intelligatur,falſa eſt,ſi verò de aſſiſtente,veriſſima. Sed probant aduerſarij,veram eſſe hanc conſecutionem de anima informante:nam Ariſt.primò docet, omne animatum anima informante habere ſex differentias poſitionum:deinde verò,quia cælum putat,animatum,concludit, ipſum habere ſex differentias poſitionum,cenſet igitur, eſſe animatum anima informante, non autem aſſiſtente. Caput totius rei hoc eſt,in quo ſanè multi hallucinati ſunt. Pro cuius declaratione ſcito, Ariſtot. lib. de communi animalium inceſſu docuiſſe,ſex poſitionum differentias rebus tantùm modo animatis verè competere;inanimatis verò per quandam ſimilitudinem, atque relationem. Surſum appellatur illa pars reiviuentis, qua nutrimentum accipit:deorſum verò illa, qua excrementa expelluntur:vt in plantis pars ſurſum dicuntur radices,quibus è terra ſuccũ alliciunt:pars deorſum dicuntur rami, & folia;nam ex ea parte exeunt excrementa. In animalibus pars ſurſum dicitur os:pars deorſum eſt aluus, pars anterior ea dicitur, vbi ſunt ſenſus exteriores,vt tota facies animalis: pars huic oppoſita dicitur poſterior. Pars dextra illa dicitur,vbi motus animalis incipit:dum.n. animalia moueri incipiunt, motus initium à

Ad primam. Quære ſupra c.14. ad primum Achillin.

Ad ſecundã Rñſio Philalþæi.

Rñſio autoris.

Soluitur arg. in forma enthymematica.

Replica aduerſariorũ,in qua toti⁹ difficultatis caput conſiſtit.

Sex poſitionum differentiæ reb.tm̃ animatis vere conueniunt; inanimatis aũt per quandã relationẽ.

Pars ſupior. viuentib.quę nam dicatur.

Pars iferior.

Pars anterior.

Pars poſterior.

Pars dextra. Pars ſiniſtra.

dextra parte ſumunt, fortaſſe ob ſanguinis redundantiam, quæ eſt in ea parte, vbi hepar, officina ſanguinis, reperitur: pars verò huic oppoſita appellatur ſiniſtra.

Naturalis ordo inter differentias poſitionum.

Eæ igitur differentiæ re vera in animalibus reperiuntur, hoc tamen ordine, vt omnium primę ſint ſurſum, & deorſum: has ſubſequuntur antè, & retrò: vltimę ſunt dextrum, & ſiniſtrum.

Sex poſitionum differentiæ in animalibus vnde ſumantur.

Ratio eſt, quia primę ſumuntur penes nutritionem, ſecundę penes ſenſationem, tertię penes localem mutationem; nutritio autem ſenſationem, & ſenſatio localem mutationem pręcedit: nam infantes priuſquam ſentiant, nutriuntur, & priuſquàm loco moueantur, ſentiunt.

Sex differentiæ poſitionũ in rebus inanimatis.

In rebus autem inanimatis eæ differentiæ re vera non inueniuntur, ſed ſolùm per relationem ad nos: lapis.n. dicitur ſurſum, quando eſt ſupra caput noſtrum, deorſum verò quando eſt ſub pedibus noſtris: ſic columna, ante faciem poſita, anterior dicitur, poſt faciem, poſterior: ponè latus dextrum, dextra, ponè latus ſiniſtrum, ſiniſtra.

Cęlum, ſecluſa intelligentia, nõ habet poſitionum differentias, niſi per relationẽ ad nos.

Sed quid dicendum in cęlo? Si cęlum abſque intelligẽtia conſideretur, nihil magis habet poſitionum differentias, quàm habeat lapis, & inanimatũ quodcunque: eſt.n. ſimplex, vnius modi, & vbique ſibi ſimile. Si quas igitur habeat poſitionũ differentias, eę tantùm erunt per relationem ad nos: propterea ea pars cęli ſuperior dicetur, quę eſt ſupra caput noſtrum, quam appellant Zenith: inferior verò, quę eſt ſub pedibus noſtris, quam vocant Nadir, quod item de cęteris dicendum eſt.

Cælum, prout eſt aggregatum ex intelligẽtia, & orbe, habet ſex poſitionum differẽtias ex natura rei.

At verò ſi cęlum, prout ex *intel*ligentia, & orbe aggregatum eſt, conſideretur, cùm ob illam intimam coniunctionem, arctũque vinculum animal dici mereatur, quod à ſemetipſo mouetur; tunc ex rei natura ſex etiam poſitionum differentias habet, eo ferè modo, quo habent illa animalia, quæ informante anima prædita ſunt.

Dextrũ cæli eſt oriens. Siniſtrum occidens.

In ijs animalibus diximus, dextram partem eſſe, vnde incipit motus: in cælo pariter dextrum appellamus, vnde motus incipit, videlicet Oriens: oppoſitam aũt partem, quæ eſt occidens, dicimus ſiniſtrum.

Surſum cæli eſt polus Antarcticus. Deorſum polus Arcticus.

Surſum in animalibus appellatur nobilior pars, quæ eſt caput: in cælo ſurſum dicimus polum Antarcticum, quia propè illud nobiliores ſunt ſtellæ, vt Aſtrologi tradunt; deorſum verò appellamus partem oppoſitam, videlicet polum Arcticum, quem nos incolimus; inferius.n. hæmiſpherium habitamus: ſunt autem Polus Arcticus, & Antarcticus duo puncta in cælo, maximè diſtantia, ſicut in homine caput, & pedes.

Anterior cæli pars eſt meridies. Poſterior ſeptentrio.

Quoniam verò cæli motus incipit ab Oriente, atque in Occidentem per meridiem *tendit*, ideò meridies dicitur pars anterior: pars verò illi oppoſita, poſterior. Sunt ergo in cælo ſex differentiæ poſitionum: & iure optimo Ariſtot. 2. de Cælo tex. 11. Pythagoræos reprehendit, qui duas tantùm differentias, ſcilicet dextrum, & ſiniſtrum, cælo concedebant, reliquas verò poſitiones, quæ non minoris momenti ſunt, nec minorem differentiam inducunt, penitus omittebant.

Difficultas notabilis.

Sed hìc duæ occurrunt difficultates. Prima, ſi cæli figura rotunda eſt, & vbique ſibi ſimilis, & æqualis, quomodo has poſitionum differentias admittit?

Solutio.

Reſpondet Ariſto. in cælo has poſitionum differentias reperiri, non ratione illius rotundæ figuræ, ſed quatenus cæleſtis ſubſtantia in diuerſis partibus diuerſas affectiones à motrice intelligẽtia recipit: *quo* fit, vt non eodem modo cęlum ex omnibus partibus virtutem ſuam influat, plus.n. virium habet in Oriente, & meridiè, quàm in Septentrione, & Occidente: patet hoc ex gemmis, aromatibus, alijſque multis mercibus, quæ huc ex illis regionibus tranſportantur.

Altera difficultas.

Altera *difficultas* eſt, ſi motus cęli, ex Ariſt. ſñia æternus eſt, quonam modo initium motus ab Oriente duxit?

Solutio.

Hanc etiam difficultatem Ariſt. ſoluit, aitque, ſi cęlum moueri cæpiſſet, ab Oriente in Occidentem eius motus primò fuiſſet, & ſi nunc ſtaret, iterumq; moueri inciperet, hoc idem illius motus principium eſſet.

Cur ſi cęlum nunc ſtaret ab oriente, q̃ ab alia parte motum inciperet.

Sed rurſus ſciſcitabitur curioſus, quænam ratio ſit cur cælum magis ab Oriente, quàm ab occidente, vel ab alia parte motum inciperet, ſi nunc ſtaret?

Perpende diligenter hãc rationem.

Rationem eam puto eſſe, quã tetigit Magnus Albertus prima parte Summæ de quatuor coęuis quæſt. 4. art. 5. nanque intelligentia non eſt tota in toto orbe, & tota in qualibet eius parte, non.n. eſt forma informans, ſicut anima hominis, ſed orbi tantùm aſſiſtit. Neque immenſa eſt, vt per totum orbem quaſi extenſa dicatur, eo modo, quo ſecundum fidei catholicæ veritatem, Deus Opt. Max. ſua virtute omnia complet, quoniam is eſt immenſus, & eſt vbique per eſſentiam, potentiam, & pręſentiam, vt Theologi aiũt, ſed finita illa eſt, atque limitibus coercetur.

Intelligentia cælo aſſiſtẽs deſtinatũ hẽt locũ in Oriẽte, cui praeſẽs eſt, ſine occupatione.

Locus igitur illi certus, & circunſcriptus aliquis aſſignari debet, cui, abſque vlla occupatione, præſens ſit: hic autem locus in oriente eſt, vbi maiorem, atque intenſiorem virtutis ſuæ inflexionem patefacit. Et ſicut anima magis influit in vna corporis parte, quàm in alia, vt magis in corde, quàm in manu, & magis in capite, quàm in pede;

eius

ſta intelligentia, cęlo applicata, maiorem virtutem influit in eá cęli parte, in qua motus incipit, hoc eſt in oriente, quàm in cæteris; & ob eam cauſam orientalem cęli plagam dextram eius partem Ariſtoteles appellauit. Hæc cumulatioris doctrinæ gratia de ſex poſitionum differentijs, cælo congruentibus, ſatis dicta ſint: quibus ſatis, ni fallor, ſecundę Alexandræorũ rationi factum eſſe arbitror: cuius tamen ſolutio, in verę ſententię explicatione adhuc dilucidior apparebit.

*Reſponſio ad tertiam rationem Alexandræorum, ex qua elicitur, num cæleſtibus corporibus organa competant,* Cap. XXI.

Ad tertiã rationem.

PRo tertiæ rationis ſolutione minor tantùm propoſitio, tanquam abſolutè falſa, neganda eſſet: verùm quoniam hæc ratio ab Alexandræis maximi æſtimatur, atque ab eiſdem quamplurimis argumentationibus roboratur, vt eorum ingenia experiamur, in ea ipſa pauliſper verſari operæpretium duximus: quæ certè tantùm abeſt, vt quicquam roboris habeat, vt rationum omnium, quæ pro eorum ſententia afferri poſſunt, infirmiſſima ſit. Negamus ergo tàm maiorem, q̃ minorem propoſitionem. Et ad maiorem quod attinet verũ quidem eſt, omne corpus animatum organicum eſſe; non tamen reciprocari licet, vt omne corpus organicum, eo ipſo, quo organicum eſt, protinus animatum dicatur: nam corpus priùs natura organis inſtruitur, quàm animam recipiat: (non enim illam recipit, niſi perfectè inſtructum, ac præparatum ſit:) in illo autem priori naturæ, ac temporis ſigno, organa quidem habet, nondum tamen animatum eſt. Poſſemus etiam inſtantiam in cadaueribus afferre, quæ organica corpora ſunt, animata verò nequaquam: nonnulla enim eorum membra organicarum partium definitionem recipiunt; non enim quælibet pars brachij eſt brachium, nec quælibet pars capitis eſt caput. Sed quoniam dicere quiſpiam poſſet, in cadauere non eſſe brachium, neque caput, niſi æquiuocè; ideo eam nunc quæſtionem omittemus, alia diſputatione expedituri, quonam pacto dictum illud Ariſtotelis 4. Metheor. carnem videlicet mortuam non eſſe carnem, niſi æquiuocè, & oculum mortuum non eſſe oculum, niſi æquiuocè, vt confirmat 2. de Anima tex. 8. intelligendum ſit. Redeamus ad primam inſtantiam: nemini dubium eſt, inſtrumenta illa, quæ in corpore phyſico à natura parata ſunt, in animæ gratiam parata eſſe, vt ijs ſcilicet, ad ſuas edendas operationes, vtatur; alioquin eſſent otioſa. Quare concludere quidem poſſumus, quemadmodum omne corpus animatum organicum eſt; ita omne corpus organicum aut animam habere, aut ipſam recepturum eſſe; non tamen ſequitur, omne corpus organicum, quatenus organicum eſt, reipſa animatum dici. Ad primam probationem illius propoſitionis, ex animæ definitione ſumptam, reſpondendum eſt, locum à definitione valere quidem à tota definitione ad definitum; non autem à parte definitionis ad definitum: ſic enim contra ipſos argumentum optimè retorqueri poſſet; anima eſt actus corporis naturalis organici &c. ergo omne corpus naturale eſt animatum, quod nemo concedet. Reſponderent ipſi, hanc conſecutionem non valere; quia oportet dicere, ergo omne corpus naturale organicum eſt animatum. Sic mihi reſpondere liceat, ipſorum conſecutionem non valere, qua inferunt, ergo omne corpus organicum eſt animatũ: ſed oportet dicere, ergo omne corpus organicum, potentia vitam habens, eſt animatum, præſertim iuxta interpretationem, qua ipſi definitionem animæ, ab Ariſtotele traditam, explicare nituntur. Putarunt enim, vitam in ea definitione pro actu ſecundo, hoc eſt pro operatione, intelligendam eſſe: illud ergo, quod verè animatum eſt, opus eſt, vt potentia vitam habeat; hoc eſt vt perfecte ad operationes edendas paratũ ſit; huiuſmodi aũt non pōt eſſe oẽ corpus organicũ, quatenus organicum eſt, hoc. n. ſic acceptũ priùs eſt in potentia ad actum primum, quàm ad ſecũdum. Dicendum igitur eſt, ſicut anima ſui natura, quocunque modo ſpectetur, ſiue in concreto, puta quando cum corpore iam coniuncta eſt, ſiue in abſtracto, hoc eſt, quando corpus nondum perficit, eſt actus corporis phyſici, organici &c. quia ad illud perficiendum propenſionem habet, ita corpus phyſicum organicum natura ſua habet propenſionem ad animam recipiendã, quam propenſionem etiam tum retinet, cùm animam recepit: ideo potentia vitam habere dicitur, non quia tunc anima careat, ſed quia eius natura, atque ſubſtantia non niſi per potentiam ad animam optimè explicari poteſt. Sicut ſi diceremus, forma eſt actus materiæ, potentia perfectionem habentis: materia iam reipſa forma prædita eſt, nihilominus forma, in ma-

Oẽ corpus aĩatum organicũ eſt, non tamen cõtra.

Quęre Diſp. de formarũ pluralitate.

Ad primã ꝓbationẽ maioris.

Ex animæ definitione elicitur oẽ corpus organicũ quà organicũ eſt, habere ꝓpenſionẽ ad animam recipiendam.

Nota hoc exẽplum.

teria exiſtens, non remouet ab ea propenſionem illam, quam habet, vt perficiatur, ideo etiã ſi cum forma coniuncta ſit, potentiam tamen ad formam habere dicitur, quia per talem potẽtiam eius natura optimè declaratur.

Ad ſecundã probationẽ maioris.

Ad ſecundam probationem, ſumptam ex contextu decimo, ſecundi libri de Anima, reſpondendum eſt, Ariſtotelis conſilium in eo textu, ab eo, quod Alexandræi exiſtimarunt, longè diuerſum eſſe: non enim ibi potiſſimùm Ariſtoteles docere nititur, corpus inſtrumentarium non eſſe inſtrumentarium, niſi quatenus animam habet: neque animam eſſe cauſam, cur corpus illud inſtrumentarium ſit, alioquin corpus priùs animatum, quàm inſtrumentarium diceretur: ſed illi, iam traditam animę definitionem planiùs explicare, conſtitutum eſt. Cùm.n. ſuperiùs dixiſſet, animam eſſe actũ corporis phyſici, organici, potentia vitam habentis, ne quis fortè putaret, corpus hoc phyſicum ita potentia vitam habere, vt anima prorſus careat; hunc ſcrupulum in eo textu remouet, dum ait, corpus potentia vitam habens, non eſſe vt ſemen, quod anima caret, ſed reipſa animam obtinere. Vitam autem habere potentia dicitur, quia, vt paulò antè docuimus, per huiuſmodi poteſtatem, natura, atque ſubſtantia organici corporis perfectiſſimè declaratur; vt in illius contextus commentario doctiſſimè Ioannes Grãmaticus animaduertit. Tantum ergo abeſt, vt ex eo Ariſt. loco eliciatur, omne corpus organicum, quatenus organicum eſt, animatum eſſe, vt potius eliciatur oppoſitum, hoc eſt omne corpus organicum, quamuis reipſa animam obtineat, nihilominus quatenus organicum eſt, dici poteſtate viuens, hoc eſt in ſui natura, atque ſubſtantia, ſemper propenſionem, & habilitatem ad animam recipiendam includere.

Ad tertiã probationem.

Ad tertiam probationem reſpondendum eſt, animam eſſe actum, perfectionem, & quodquid erat eſſe organici corporis, vt rectè 2. de Anima tex. 8. Ariſtoteles docet: ac proinde corpus organicum, quatenus organicum eſt, ſemper ad hunc actum natiuam propenſionem habere, ne in rerum natura otioſum ſit. Hinc ergo elicitur, omne corpus organicum in animæ gratiam factum eſſe, & animam neceſſariò recipere debere; non tamen omne corpus organicum, quatenus organicum eſt, animatum eſſe; id, quod maior illa aduerſariorum propoſitio inferre videbatur. Et verò, quæ adhuc ad maiorẽ illam propoſitionẽ attulimus, omitti facilè potuiſſent: ſiue enim organicum corpus reipſa, ſiue facultate tantùm animatum ſit, parui id omninò refert; ideo maiorem illam in aduerſariorum gratiam, abſque vllo detrimẽto, concedere potuiſſemus. Sed quoniam illi abſque vlla neceſſitate tot eam probationibus muniuerunt; ideo placuit nobis paululum digredi, vt oſtenderemus, propoſitionem illam nõ eam habere vim, quàm ipſi fortaſſe exiſtimarunt. Tota ergo difficultas in minori illa poſita eſt.

Ad probationem minoris

Ad cuius probationem dicimus, cæli ſimplicitatem in cauſa eſſe, cur ipſum organicum eſſe non poſſit: quod ex vltima parte tertij libri de anima, ab aduerſarijs citata, elicimus, vbi Ariſt. non docet, cæleſte corpus, propterea quod diuinum, & immortale eſt, ideo organorum varietate non egere (de hoc enim ne verbum quidem) ſed disertè oſtendit, animalis corpus, quòd organis egeat, ſimplex eſſe non poſſe; neque enim, inquit, igneum, neq; aereum id erit.

Cælũ organicum eſſe non põt, quia ſimplex eſt.

Quòd ſi elemẽtum, ex Ariſt. ſnĩa, eò quod ſimplex eſt, corpus organicũ eſſe non poteſt; quid de cælo dicemus, quod adhuc elemẽtis ſimplicius eſt? Elementa enim ideo ſimplicia dicuntur, quia non ſunt miſta; ſunt tamen ex materia, & forma concreta: cælum verò ita ſimplex eſt, vt non ſolùm miſtionem, verùm etiam materiæ, & formæ compoſitionem excludat, vt alibi docuimus.

Si daretur diuinũ animal, organis neceſſariò egeret, quà animal eſt.

Neque verò quia cælum diuinum, & immortale corpus eſt, ideo organorũ varietate nõ eget, ſi eſt animatum; quaſi organorum varietas ſolis caducis corporibus neceſſaria ſit, vt aduerſarij dicunt: quoniam organorum varietas neceſſaria eſt animali, quà animal eſt. Si autem diuinum, & immortale animal eſt; organa illud requirit optima, quæ neq; diſſolui, immò nec labefactari quidem poſſint. Quare ſi cælum eſſet animal rationale, cùm eius anima eſſet forma, materiam perficiens; abſque interioribus ſenſibus intelligere non poſſet; ac ne ij quidem, abſque exterioribus ſenſibus, ſuis muneribus fungerentur; ac propterea huic celeſti animali, ad proprias operationes obeundas, multa organa neceſſaria eſſent: quod ſi, diuinum cum ſit, organorum varietate non eget; profectò quia diuinum eſt, ne organis quidem vllis egebit.

Explicatur locus Ariſt. 2. de par. animal. cap. 1.

Id verò, quod aduerſarij ex Ariſt. afferunt, lib. 2. de Partibus animalium, cap. 1. eos planè deuincit, & frangit: nõ enim ibi Ariſt. dicit, cor ſimplex eſſe corpus, & vnius modi; atque ex ſimplici carne conſtare; immò fatetur, ipſum triplici compoſitione compoſitum eſſe, ſ. ex elementis, ex partibus ſimilaribus, & ex partibus diſſimilaribus. Arbitratus eſt

enim, cor tùm ſenſus, tùm motus principium eſse; immò etiam & ſanguinis fontem, & neruorum originem, quæ omnia vera ne ſint, non eſt modo diſputandum: ſcio, Medicos aliter ſentire, ſed de hoc alias. Voluit igitur Ariſtoteles, cor habere partes ſimilares, propter ſenſũ; diſſimilares verò propter motum; atque adeò organicum eſſe, figurãque habere, proprio fungendo muneri accommodatam. Eadem ratione ventriculus, hepar, aliaque viſcera; immò etiam caput, manus, pedes, & alia membra, quòd organica ſint, atque ex diſſimilaribus partibus conflata, figuram habent, proprijs muneribus aptatam. Hinc recentiores quidam Alexandræi hallucinati ſunt, exiſtimãtes, cor, quoniam organicum eſt, & propriam figuram habet, ideo hanc propoſitionem vniuerſalem eſſe, quicquid figura propria ornatum eſt, organa neceſſariò habet, neque animaduerterunt, in eo propoſitionis conuerſionem non valere; nam verum quidem eſt, omne corpus organicum figuratum eſſe, propriamque figuram habere, ab alijs corporibus, vel membris diſtinctam, non tamen concludere licet, omne corpus, propria figura figuratum, organicum eſſe; ac propterea non ſequitur, cælum, propterea quòd propriam figuram habet, organicum eſse. Porrò Ariſtoteles 2. de Cælo tex. 22. rotundam figuram, tanquam propriam, cælo tribuit, quoniam illa figurarum omnium prima, ac perfectiſſima eſt, ideo primo, ac perfectiſſimo corpori, quod eſt cęlum, congruenter tribuitur, immò illi etiam neceſsaria eſt, vt in orbem torqueri poſſit. Corpus igitur cæleſte in hoc ſenſu organicum dici poteſt, quia. ſ. ſua rotunda figura, vt inſtrumentum intelligentiæ inſeruit, ad conuerſionem efficiendam; ſic autem non magis corpus organicum eſt, quam ſit doliũ, quod ab externo mouente volutationem recipit. Denique ſi in cælo non eſt re vera organorum diuerſitas, ſed ſolùm ſecundum virtutem, vt Alexandræi fatentur, quid aliud hoc eſt, niſi aſſerere, cælum reuera animal non eſse, ſed ſolùm ſecundum virtutem, & eminentiam? quod libenter illis concedimus.

Cor, ſm Ariſtot. tàm ſenſus, quã motus principiũ exiſtit, ideo organicũ eſt, ꝓpriã figuram habet.

Alexandræorum quorundã hallucinatio.

Cur rotunda figura tanq̃ propria cælo tribuatur.

Cælũ eſt animal ſecundũ virtutem, & eminentiam.

*Ariſtotelis autoritatibus, ab Alexandræis adductis, ſatiſfit.* Cap. XXII.

IAm Alexãdræorum rationibus, quibus cælum rationali anima præditum eſſe, probare conati ſunt, hactenus ſatisfactum eſt: nunc Ariſtotelis autoritatibus, ab eiſdem adductis, ſingillatim occurrendum. Ad primam reſpondendum eſt, Ariſtotelem 2. Phyſ. tex. 45. ſtatuiſſe, *cælum homine* dignius, præſtantiuſque eſſe; non quidem ratione aſſiſtentis intelligentię, ſed ea ratione, qua ſenſibile eſt. Neganda tamen eſt ea conſecutio, qua inferebatur, cælum rationali anima prẹditum eſſe, propterea quòd homine dignius, atque præſtantius eſt: non enim eſt nobilius, quòd rationalem animam, & eam quidem humana anima nobiliorẽ, obtineat; ſed quia æternum, immortale, atque impatibile eſt, omniumque ſublunarium rerum cauſa exiſtit. Ariſtoteles itaque contra Democritum diſputans, ridiculum putauit, plantas, & animalia determinatam cauſam habere, quia non ex quouis ſemine fieri poteſt quoduis, ſed determinatum ex determinato, vt ex ſemine oleæ olea, & ex humano ſemine homo; cęlum verò, quod omnibns hiſce corporibus dignius, atque nobilius eſt, à fortunę temeritate pendere. Hinc elice, Ariſtotelem comparaſſe cęlum, quatenus ſenſibile corpus eſt, mortalibus cũctis, quibus omnibus nobilitate anteire affirmauit; quare & homine quidem nobilius eſt, quatenus in mortalium rerum numero continetur: non eſt autem mortalis, ratione animæ rationalis, ſed ratione formæ, ex ſemine ortæ. Vt ergo paucis rem concludamus, intellexit Ariſtoteles, cęlum eſſe nobilius homine, non ratione animæ, ſed ratione corporis; non ideo tamen ſequitur, ipſum quoque rationali anima, & ea quidem nobiliori præditum eſſe. Ad ſecundam reſpondendum eſt, Solem, & hominem, ex Ariſtotelis ſententia, hominem generare; non tamen eodem modo; homo enim generat hominem, vt cauſa vniuoca; ideo verè, & formaliter animatus eſt: Sol verò generat hominem, vt cauſa æquiuoca; ideo non eſt animatus, niſi ſecũdum virtutem. Homo cauſa inferior, & proxima eſt generationis hominis; ideo eiaculato ſemine, hominem generat, quo ad illam formam, quæ generatione educi poteſt; Sol vero eſt cauſa ſuperior, atque remota; ideo vnà cum homine ad generationem concurrit, quatenus eius calor in ſemine continetur; qui materiam perficit, ac præparat, ad eam formam recipiendam, quę generationis terminus futura eſt. Vt excludamus rationalem animam, quæ ex materiæ poteſtate non deducitur, neque à naturali agente, ſed à Deo proficiſcitur; eſtque terminus creationis. Inanis ergo eſt hæc conſecutio, Sol, & homo generant hominem; homo eſt

Ad primam.

Cælum quo homine præſtantius ſit.

Ad ſecundã.

Rõnalis anima de materiæ poteſtate non deducit.

animatus,anima rationali;ergo Sol,ſiue cælum,( nam ibi nomine Solis intelligitur cælum)
Ad tertiam rſſio aliorũ.
eſt animatum,anima rationali. Ad tertiam,qui tuentur,præter intelligentiam, primo or-
bi aſſiſtentem,dari primum motorem,qui cæterarum intelligentiarum,immò rerum omniũ
ſit finis,reſpondent,primum motorem mouere, vt amatum,& deſideratum,non quidem à ra
tionali anima cæli, cùm nulla in eo anima reperiatur;ſed ab intelligentijs, quæ cæleſtibus
corporibus præſtò adſunt. Hæc reſponſio optima,atque veriſſima eſt,& fidei catholicæ con-
ſentanea: verùm quoniam ex Ariſtotelis ſententia nunc diſſerimus,habeat ne cælum animã
rationalem,negatiuamque partem defendimus;& alibi ex doctrina eius,tametſi falſa, oſten
dimus,tot eſſe intelligẽtias,quot cæleſtes orbes;nec præter primã intelligẽtiã,primũ orbẽ cir
cũuoluẽtẽ,Deũ aliũ vllũ. Ariſt.cognouiſſe;ideo prędictæ autoritati, ſm eius doctrinã,aliter
Rñſio Autoris.
occurrẽdũ putamus. Dicendũ igitur eſt,primũ mouẽs mouere,vt amatũ,& deſideratũ, tùm
Quære diſp. de materię 1. orbis.
à cæteris intelligentijs, tũ à ſemetipſo: alibi enim docuimus,intelligentias omnes,tàm in ge
nere cauſæ efficientis,quàm in genere cauſæ finalis, cæleſtes orbes mouere ; & vnamquam-
que intelligentiam eſſe finem proprij motus ; ſed præterea intelligentiam ſupremam ſupre-
mum omnium motuum,& intelligentiarum finem exiſtere. Quoniam verò mouere in gene
re cauſæ finalis nobilior eſt mouendi modus,quàm in genere cauſæ efficientis : ideo *Ariſto-
teles* 12. Metaph.tex.37.vt primæ intelligentiæ nobilitatem oſtenderet,abſolutè pronũcia-
uit,primum mouens,vt amatum,& deſideratum,hoc eſt in genere cauſæ finalis,mouere:quo
modo autem ſemetipſum appetat,& primum orbem circũducat, alibi patefecimus. Ad quar
Ad quartam
tam reſpondendum eſt,ibi Ariſtotelem de cæleſtibus corporibus non loqui,ſed de intelligen
tijs: ait enim,extra cælum neque locum eſſe,neque tempus,ſed ſpiritus,vitam optimam du-
centes,qui neque ſeneſcere,neque vlla vnquam laſſitudine affici poſſunt ; iſti autem *ſpiritus*
Ad quintam.
ſunt intelligentiæ, cæleſtibus orbibus aſſiſtentes. Ad quintam reſpondendum eſt, eo loco
Ariſtotelem docuiſſe,in mortalibus corporibus ſuperiores animæ facultates abſque inferio-
ribus reperiri non poſſe;quia mortalium corporum animæ eorum informantes formæ ſunt,
quæ in eiſdem,inſtrumentorum beneficio,ſuas operationes edunt. In æternis verò corporib.
cuiuſmodi ſunt cæleſtia,ſuperiores animę facultates abſque inferiorib. exiſtere queunt; *pro
pterea* quòd eorum animę non informantes,ſed aſſiſtentes formę ſunt:idcirco intelligentiæ,
quę cęleſtia corpora mouent,intelligendi,& volendi facultates habere poſſunt,abſque facul
Ad ſext à reſponſio aliorum.
tatibus ſentiendi,& nutriendi,quę ad inferiores animas pertinent. Ad ſextam, ſunt qui eũ
Ariſtotelis locum ita interpretentur,vt nimirum cęlo mẽs quoque competat, quatenus cor-
pus eſt,quocunque inferiore corpore dignius,atque honorabilius; mens quidem non info
Rñſio Autoris.
mans,ſed aſſiſtens tantùm. Ego verò puto, Ariſtotelem ijs verbis ſignificare Dęmones volu
ſe,qui,ſecundum Platonem,animalia quędam aerea ſunt:ac propterea dixiſſe, mentem cõ-
petere hominibus,aut etiam Dęmonibus,ſi tamen verum eſt, Dęmones reperiri, vt *Plato ar
bitratus* eſt: ibi enim Ariſtoteles ſub conditione locutus eſt, adducendo tacitè opinionẽ Pla-
tonis,alibi diſcutiendam:nam ipſe hac in re Platoni penitus aduerſatur.

### *Soluitur Alexandræorum ratio,qua probant intelligentiam non mouere cælum, niſi vt finem.* Cap. XXII.

AVdiamus iam recentium Alexandręorum Achillem. Quęrebant,moueatne cælum in
telligentia,vt ens,an vt intelligens,an vt intelligibilis? Reſpondeo,mouere vt ens, vt
intelligentem,& vt intelligibilem,ſed tamen ratione diuerſa. Mouet quidem in genere cau
Intelligentiã mouet cælũ, in genere cauſæ efficientis vt ens abſtractum.
ſę efficientis,vt ens,non abſolutè vt ens,quia ſic omne ens cęlum mouere poſſet, ſed vt tale
ens,hoc eſt ſpirituale,& à materia penitus abſtractũ. Etenim,ſi rationalis anima, quę imma
terialis eſt,vim hẽt,humanũ corpus mouendi,in genere cauſę efficientis,cur intelligentia, q̃
rationali anima immaterialior eſt,idẽ munus obire nõ poterit? Porrò intelligẽtia, & rationa
Diſcrimẽ inter animã rationalem, & intelligẽtiã.
lis anima,ſi quo ad ſubſtãtiã ſpectentur,æq; immateriales ſunt:gaudent.n.ſimplicitate, atq;
materię concretionẽ abnuunt. Si verò quo ad ſubiecta,quib.annexa ſunt,conſiderentur, tunc
magis immaterialis eſt intelligentia, q̃ anima rationalis:ratio eſt,quia rationalis anima hu-
manũ corpus perficit,& informat,quod ex materia,& forma conflatũ eſt, intelligentia verò
cęlo tãtũ aſſiſtit,quod ſimpliciſſima ſubſtãtia eſt,ex materia,& forma minimè coaleſcens.
Intelligentia igitur,quatenus ens immateriale eſt, vim habet, cælum in genere efficientis
cauſæ

Alexandræorũ obiectio.

Solutio ex Ariſto.

cauſę circunuoluendi. Probant autem Alexandræi, id fieri non poſſe, quia inter intelligentiam, & orbem nulla eſt affinitas, nulla neceſſitudo, nulla conuenientia, neque enim in vniuoco, neque in analogo genere conueniunt. Sed meminerint Alexandræi, huiuſmodi conuenientiam inter ea requiri, quę aut mathematico, aut phyſico, & naturali contactu ſe tangunt, quęque, dum mouent, mouentur; dum agunt, patiuntur: non item inter ea, quæ metaphorico contactu ſe tangunt, qui eſt contactus virtutis: hæc enim agunt, & non patiuntur, mouent, & non mouentur, vt diſertis verbis 1. lib. de Generatione, & Interitu, tex. 45. Ariſt. docet. Huiuſmodi autẽ ſunt intelligentiæ, quæ agendi, & mouendi vim habent; agunt enim in cæleſtes orbes, & ab illis non patiuntur, eos mouent, & ab eiſdem non mouẽtur, vt ibidem Ariſt. affirmat. Nulla igtur inter intelligentiã, & orbẽ in vniuoco, aut in analogo genere conueniẽtia neceſſaria eſt; ſed ſufficit appulſus virtutis, ob dñium illud, & prãtẽ, quã res ſpirituales ſupra corporeas, & materiales obtinuerũt, vt Ariſt. 8. Phyſ. tex. 37. 3. de aĩa, tex. 4. & alijs pluri. in locis fatetur. Exemplum aũt illud, ab obiecto viſibili ſumptum, neſcio quam vim habeat, Alexandræorum ſñiam confirmãdi: illud enim obiectum mouet, vt finis, de quo modò non loquimur: & ſi, ſpiritualis alterationis interuẽtu, motus exſuſcitatur; multò magis id, quod ſecundum ſubſtantiam ſpirituale eſt, vim habebit, motum efficiendi. Non ergo valet hęc conſecutio, obiectum viſibile non poteſt mouere, niſi ſpiritualis alterationis interuentu; ergo intelligentia non poteſt cælum in genere cauſæ efficientis circunducere; quia obiectum materiale eſt, intelligentia verò ſpiritualis: obiectum concurrit ad mouendum, vt finis, intelligentia verò non ſolùm vt finis, ſed etiam vt efficiens. Sed præterea non ſolùm intelligentia habet vim cælum mouendi, quatenus ens abſtractum, & immateriale eſt, verùm etiam quatenus intelligens; non quia intellectio ſit motio ipſa, ſed quia intellectio motioni antepo nitur: forma enim, quæ intellectu, & volũtate agit, quicquid agit, neceſſariò intelligit, ac propterea, cùm intelligentia, motũ ſui orbis efficiat, vt ex Ariſt. 2. & 8. Phyſ. alibi probauimus, neceſſe eſt, vt eum motum intelligat. Cùm verò probant Alexandræi, inde ſequi, vt intellectio intelligentiæ ſit practica, quod eſt contra Ariſt. 12. Metaph. qui dixit eſſe purè ſpeculatiuam. Reſpondendum eſt, Ariſt. 12. Metaph. tex. 51. vbi de intelligentiarum, ac potiſſimũ de primi entis intellectione diſputauit, hanc quidem quæſtionem non propoſuiſſe, nec explicaſſe, practica ne, an ſpeculatiua intelligentiarum intellectio ſit; ſed tantùm docuiſſe, intellectionem primæ intelligentiæ perfectiſſimam, & nobiliſſimam eſſe, quia prima intelligentia ſe ipſam intelligit; idque tanquam æquatum obiectum, quod eius intellectum mouet, atque intellectionem primò terminat: vileſceret enim eius intellectus, ſi ab aliquo extra ſe primò terminaretur. Non negauit autem Ariſt. primam intelligentiam, dum ſe ipſam intelligit, alia pariter, quæ in ipſa modo quodam eminentiore continentur, tanquam ſecundaria quædam obiecta intelligere. Etenim Ariſt. primam intelligentiam, tanquam totius mũdi Rectorem, conſtituit; dixitque, eſſe in mundo, ſicut in exercitu eſt Dux, & in domo paterfamilias: abſurdum autem eſſet, ducem ignorare ea, quæ in exercitu, & patremfamilias ea, quæ in domo fiunt; quare & prima intelligentia, prętet ſe ipſam, debet etiam intelligere ea, quæ in mũdo procreantur, & id præſertim, quod ab ea proxime efficitur, quod eſt motus primi orbis.

Intelligẽtia, & orbis tangunt ſe contactu virtutis.

Exemplũ ab Alexandręis adductũ, nullã vim habet ad eorũ ſentẽtiam confirmandam.

Intelligentia mouet cęlũ in genere cauſæ efficiẽtis, vt intelligẽs.

Alexandræorũ obiectio.

Solutio.

Explanatˀ locus Ariſt. 12. Met. tex. 51.

Prima intelligentia nõ ſolum ſeipſam, ſed in ſeipſa cętera quoque intelligit.

Mouet rurſus intelligentia cælum, quatenus intelligibilis, tùm à ſe, tùm ab alio; ſicque non amplius in genere cauſæ efficientis, ſed in genere cauſæ finalis. Verùm hìc diſtinctione opus eſt: aut enim de prima intelligentia loquimur, aut de cæteris. Inferiores intelligentiæ mouẽt ſuos orbes, quatenus ſunt intelligibiles, & appetibiles à ſe ipſis; non tamen à prima: at prima intelligẽtia mouet, quatenus intelligibilis, & appetibilis à ſemetipſa, & ab intelligentijs etiã inferioribus. Diximus enim alibi, vnamquanque intelligentiam eſſe finem proprij motus; ideo vnamquanque ſeipſam intelligere, & appetere: ſed præterea vnam eſſe finem vniuerſalem omnium intelligentiarum, & omnium motuum, & hic eſt prima intelligẽtia, quæ ab omnibus intelligitur, & appetitur. Ideo Ariſt. vt hunc vniuerſalem omnium motuum finẽ exprimeret, non dixit, primum mouens, vt intelligens, & appetens mouere, quanuis ſeipſum intelligat, & appetat; (hoc. n. modo mouet potius in genere cauſæ efficiẽtis) ſed vt intelligibile, & appetibile, qui proprius eſt mouendi modus in genere cauſæ finalis. Cùm igitur vnaquęque intelligẽtia ſeipſam intelligat, & appetat, & prima intelligentia cùm à ſeipſa, tùm ab alijs intelligibilis, & appetibilis ſit; fruſtra eſt ponenda in cęlo anima rationalis, cui intelligẽ-

Intelligentia vt intelligibilis mouet cælum in genere cauſæ finalis.

Diſcrimẽ inter primã intelligẽtiã, & inferiores.

Cur dixerit Ariſt. primũ mouens, vt amatũ, & deſideratũ mouere.

di, & appetendi munus aſcribatur, vt Alexander, & eius ſectatores arbitrati ſunt.

*Vera de cæli animatione ſententia.* *Cap. XXIV.*

REiectis iam aliorum opinionibus, quæ tùm à ratione, tùm ab Ariſtotelis mente abhorrere videntur; facilè nunc erit, veram de cæli animatione ſententiã depromere, & quid hac de re Ariſtoteles ſenſerit, paucis explicare.

Vt materia trãſmutatione, ita forma operatiõe cognoſcitur.

Vulgatiſſimum eſt in Peripatetica philoſophia pronunciatum, materiam tranſmutatione, formam verò operatione cognoſci. Hinc eſt, quòd cùm in cælo nulla ſubſtantialis tranſmutatio deprehendatur; ſed cælum idem ſemper maneat, nulli interitui, alterationi ve obnoxium; carere ipſum materia, ex qua compoſitum ſit, ij omnes cenſuerunt, qui in Peripatetica doctrina optimè verſati ſunt, atque Ariſtotelis dicta ad veritatis trutinam expenderunt.

Cælum non habet materiam ex qua.

Cæli motus à viuente aliqua forma proficiſcitur.

Cùm verò cælum in orbem continenter voluatur, manifeſtam hanc operationem, quæ eſt motus, non niſi à motrice aliqua virtute pẽdere poſſe exiſtimarunt: & quia motus ille nobiliſſimus eſt, nec conſentaneum videtur, vt ſoli naturæ acceptus referatur, ſicut ſimplicium corporum motus, quæ natiuo impetu, dummodo ne ſint impedita, aut ſurſum, aut deorſum feruntur; ideo animæ illum, tanquam formæ omniũ perfectiſſimæ, aſcribendum eſſe putarunt; atque adeò cælum in animantium numero collocarunt.

Cæli natura à natura mortalium lõgè diuerſa eſt.

Verùm quoniam cæli natura à natura mortalium rerum longè diuerſa eſt, vt Ariſtoteles, vtranque optimè contemplatus, quaſi cælum nihil communionis, aut affinitatis cum rebus hiſce inferioribus habeat, quintam illud eſſentiam, & interdum etiam quintum elementum appellauerit; ideo quicquid cælo tribuitur, longè alia ratione illi cõpetere, ac rebus mortalibus competat, exiſtimandum eſt.

Cælũ dr̃ animatum æquiuocè, lege D. Th. 1. p. q. 70 ar. 3, in corp. prope finem. Sueſ. in com. lib. de inſtr. Diſputa. 3. q. 5. & Diſput. noſtras de ſubiec. natural. philoſophię, & lib de cæ.

Si ergo cælum animatum dicitur, id non vniuocè, ſed æquiuocè intelligas: nam & naturale corpus cælum æquiuocè dicitur; quia ex materia, & forma conflatum non eſt: & motus eius æquiuocè dicitur naturalis; quia non ab interno, ſed ab externo principio proficiſcitur: & eius ad motum habilitas cenſetur æquiuoca; quia non interna, ſed externa eſt: nihil igitur mirum videri debet, ſi, cùm cælum animatum dicitur, id pariter æquiuocè intelligendum ſit.

Cæleſte animal à ceteris animalib. tripliciter differt.

Porro cæleſte, atque diuinum hoc animal à mortalibus animalibus tripliciter differt; ratione corporis, ratione animæ, & rõne vnionis, qua corpus, & anima inuicem copulantur.

Corpus animalis mortalis qualenam ſit.

Ratione corporis, quoniam corpus, quod in hoc ſublunari Mundo perfectionem ab anima recipere debet, ex materia, & forma primò concretum eſt; deinde ex elementis coagmentatum; atque demum forma miſtionis præditum, & multis inſtrumentis ornatum, quibus accedens anima ſuas functiones obire poſſit; hincque fit, vt corpus, ſic conſideratum, potentia vitam, hoc eſt animam; quæ eſt actus primus, habere dicatur.

Corpus animalis cæleſtis.

Corpus verò cæleſte, vt nobiliſſimum eſt, ita à ſeſe omnia abijcit, quæ imperfectionem aliquam dicunt. Æternum igitur eſt; atque adeò nunquam factum; aut ex materia pendẽs; ſed eius ſubſtantia eſt materia quædam, per ſe exiſtens, nec ab vlla informante forma perfectionem expectans; ſic enim decebat, vt nobiliſſima anima, qualis eſt anima cæli, nobiliſſimã materiam haberet, à rerum ſublunarium materia penitus diuerſam. Id ipſum quoque vniuerſi ordo exigebat: vt enim in vniuerſo reperitur materia, actu indigens, à quo perficiatur, & forma, potentia indigens, quam perficiat; ita reperiri debet materia, per ſe exiſtens, nullam ad informantem formam relationem habens; & forma per ſe ſubſiſtens, nullius materiæ actus; hæc autem eſt anima cæli, illa verò eiuſdem materia.

Corpus cæleſte nõ eſt natura ſua potẽtia viuẽs, nec organicum.

Cæterum cùm huiuſmodi ſit cæleſte corpus; potentia viuens natura ſua nequaquam dicitur, niſi vitam pro actu ſecũdo accipias; non enim ab eius anima cæli rationem nanciſcitur; nam cælum eſt, etiam ſi ab eo animam cógitatione ſecludas. Nullus ergo inſtrumentis prẽditum eſt, cùm eius anima inſtrumentis non egeat, ſed ſola rotunda figura ſatis accommodatum inſtrumentum cenſetur, vt in orbem torqueri poſſit.

Mortaliũ anima.

Differt præterea cæleſte animal à cæteris animantibus, ratione animæ: nanque anima, quæ mortalia corpora perficit, aut ſolam vitam illis impertitur, qua & nutriri, & creſcere, & ſibi ſimile generari poſſint, vt plantis; aut, præter vitam, ſenſum etiam ſine motu tribuit, vt plantanimalibus, quæ viuunt, & ſentiunt; ſed tamen de loco ad locum non mouẽtur, habentque tantummodo compreſſionis, & dilatationis motũ, cuiuſmodi ſunt oſtreæ, ſpõgiæ, & id genus alia: aut vna cum ſenſu localem etiam motum exhibet, vt perfectis animalibus, quæ viuunt, ſentiunt, & de loco ad locum mouentur: aut denique præter hæc ipſa, intellectionem etiam elargitur, vt hominibus.

Anima cæleſtis.

Anima verò cæli nullarũ iſtiuſmodi operationum

prin-

principiũ exiſtit: neque. n. cælũ nutritur, neque creſcit, neque ſentit; neque; ſi totũ ſpectetur, de loco ad locum mouetur, neque intelligit: diuerſa igitur omnino eſt anima eius ab anima mortalium. Prædita quidem ipſa eſt intelligendi, atque mouendi facultate, ita vt vna tantũ ſubſtantia ſit, cui intelligendi, & mouendi munus aſcribitur: dum tamen intelligit; ſenſuum miniſterio non eget, qui ſenſibiles ſpecies ſuppeditent, è quibus poſtea intelligibiles elicianꝰ tur: nec, dum mouet, ex accidenti mouetur, ſicut cæterorum animatorum animæ; ſed prorſus immobilis eſt. Differt tandem, ratione vnionis, qua corpus, & anima inuicem copulantur: in cæteris. n. animalibus ex corpore, & anima fit vnum per ſe; quia hæc eſt actus, illud potentia; hæc forma, illud materia: in cæleſti verò animali non fit vnio ex intelligentia, & orbe tanquam ex materia, & informante forma; ſed tanquam ex motore, & mobili; quia intelligentia forma quidem aſſiſtens eſt, non autem informans. Porrò hæc vnionis differentia in cauſa eſt, cur, tametſi iuxta hominis, ac cæli anima rationalis eſt: non eodem tamen modo cælum, & homo intelligere dicatur: homo nanque ita intelligit, vt vere intellectionem edat, & eius anima principium dicitur, quo intellectionem parit: cælum verò intellectionem nequaquam edit; quia eius anima non eſt principium, quo intelligat, ſed ipſamet eſt ſubſtãtia intelligens, cuius intelligendi principium eſt intellectus, ſicut volendi, voluntas: huius autem rei alia nulla ratio reddi poteſt, niſi quia hominis anima eſt forma informans, cæli verò anima, aſſiſtens. Ex his omnibus apertiſſimè iam elici poteſt, animationem cælo, non niſi æquiuocè, tribuendam eſſe, & Ariſtotelem, quotieſcunque is cælum aut animatum, aut rationale animal appellauit, animationem ſemper non pro informatione aliqua, aut formali coniunctione, ſed pro intima præſentia motricis intelligentiæ ad cælum, accepiſſe: intelligẽtiamque licet ſecundum ſubſtantiam à cælo ſeparatam, eius animam ideo nuncupaſſe, quia intima eius præſentia id virium habet ad cælum voluendum, quod habet anima ad motum ſuo corpori impertiendum. Hanc veram eſſe de cæli animatione ſententiam. Scotus, Zimara, Gandauenſis, Mercenarius, & alij plures exiſtimarunt, quin immo S. Thomas, tametſi ſecundo contra Gẽtiles cap. 70. oppoſitam ſniam in Ariſt. defenderit, tamen in prima parte ſummæ queſt. 70. art. 3. palinodiam cecinit, & re maturius conſiderata, huic ſniæ lubens, & volens ſubſcripſit, quemadmodum Cardinalis Gaietanus in illius articuli commentario animaduertit. Hęc autem ſnia alijs probationibus, aut confirmationibus non eget, ſatis. n. ſuperquẽ ex ijs; quę in aliarum opinionum confutatione attulimus, & probata, & confirmata eſt.

Vnio animæ & corporis alia in cælo, alia in mortalibus.

Quamuis cælum aĩatum dicatur anima rationali, verè tñ ac ꝓpriè nõ intelligit.

Veræ ſententię concluſio.

Scotus. Zimara Gandauenſis Mercenarius S. Thomas.

## *Fiatne ex orbe, & Intelligentia magis vnum, quàm ex materia, & forma?* Cap. XXVI.

PRobatum eſt Philoſophiam Peripateticam cęli animationem admittere, in eo tamen ſenſu, vt intelligentia ſit forma aſſiſtens, non autem informans: quę ideo cęli anima vocatur, quia ei vitam, pro actu ſecundo acceptam, hoc eſt motum, impertitur. Nunc autem in dubium vocatur, num adeo intime intelligentia orbi annexa ſit; vt ex vtroque magis vnum fiat, quàm ex materia, & forma? Affirmatiuam partem eliciunt Auerroiſtę ex Commentatore ſecundo de cęlo comm. 3. vbi trium compoſitionum meminit, nimirum ex intellectu, & intelligibili, ex orbe, & intelligentia, atque ex materia, & forma; Ex prima compoſitione vnitatum omnium maximam exoriri perhibent, quia eſt ex incorporeo, & incorporeo: minorem ex ſecunda, quia eſt ex abſtracto, & corporeo, ex tertia minimam; quia eſt ex corporeo, & corporeo: hinc ergo concludunt, ex intelligentia, & orbe magis vnum fieri, quàm ex materia, & forma; hancque propoſitionem veriſſimam putant. Ego verò propoſitionem hanc ſemper falſam exiſtimaui, ſi de ea vnitate ſermo fiat, quia ex duabus diſtinctis rebus aliquod vnum conſtituitur. Etenim vera vnio tunc eſt, cum res, quæ in vnum cogi debent, ſe habent inuicem vt actus, & potentia: per ſe enim imperfectæ ſunt, ac propterea ſimul iunguntur, vt in vnum quippiam perfectum coeant. At verò ſi ſint duæ res, in ſuo genere perfectæ, quę relationem illam actus, & potentię non habeant, ſed ambę per ſe ſubſiſtant; tunc in rem vnam coire nunquam poterunt. Rem explicemus exemplis: conſideremus materiam primã; hæc, tametſi exiſtentiam per ſe habeat; nihilominus abſque forma, imperfectum quiddam eſt, atque adeò naturalem habilitatem habet, vt cum forma copuletur: forma itidem, quan-

Compoſitio triplex apud Commentatorem.

Auerroiſtarũ ꝓpoſitio abſolute falſa eſt.

Exempla rẽ aperientia.

uis

uis natura ſua ſit actus,atq; perfectio;tamen per ſe ſumpta nullius rei perfectio eſt,nec quicquam agere poteſt:materiæ igitur copulam appetit, vt habeat quod perficiat; atque ita ex his duobus principijs, ſimul iunctis, aliquid per ſe vnum conſtituitur, quod terra,ignis, vel quippiam aliud huiuſmodi appellatur. Sic, dum humanum corpus, & rationalis anima inuicem copulantur, aliquod per ſe conſtituitur, quod appellatur homo: cuius quidem partes,cùm ſe habeant inuicem vt actus, & potẽtia;ſi ſeorſum accipiantur, nihil perfectum indicant;ſed vnius ad alteram naturalis propẽſio eſt. Quid quæris?ex ſubiecto etiam, & accidente aliquod vnum,quamuis per accidens,conſtituitur:vt ex albedine,& ligno fit lignum album; quia lignum nullam habet repugnantiam, vt ab albedine preficiatur; & albedo, cùm ſit accidens,naturalem habet propenſionem,vt ſit in ſubiecto. Iam verò ex intelligẽtia,& orbe,ſimul iunctis,quidnam conſtituitur, quod verè vnum appellari poſſit? Intelligẽtia per ſe eſt vna,cælum pariter per ſe eſt vnum,habent enim vnitatem,quæ propria eſt entis affectio; & ſi motus rationem excipias:vnius ad alterum nulla propẽſio eſt:cælum per ſe eſt cælũ: intelligentia per ſe eſt intelligentia;vtrunque in ſuo genere perfectum;quomodo igitur ex eis, ſimul iunctis,fit magis vnum,quàm ex materia,& forma? Nonnulli Auerroiſtæ,aduertẽtes propoſitionem hanc veritatis malleo reſiſtere non poſſe;varijs interpretationibus ad bonum ſenſum eam reuocare conati ſunt.

Quo Achillinus Auer. propoſitionẽ intellexerit. Achillini ſenſus reijcitur.

Alexander Achillinus ex ea elicuit,intelligẽtiam eſſe formam,cæleſtem orbem informantem;quæ ideo cum orbe magis vnum faciat,quàm ex materia,& forma,quia intelligẽtia incorporea eſt,nec ex materiæ poteſtate deducitur, ſicut aliq̃ mortalium rerum formæ. Hanc autem Achillini ſñiam ſatis commodè ſupra reiecimus,& nunc etiam eius abſurditas oſtendi facilè poteſt:quia Auerroes loco citato rationem reddẽs, cur ex orbe,& intelligẽtia fiat magis vnum,quàm ex materia,& forma: eam dixit eſſe, quia intelligentia abſque dimẽſionibus orbi iungitur:nunc autem aliquid alteri abſque dimenſionibus iungi,non eſt illius formam informantem eſſe.

Aliorũ interpretatio.

Alij dixerunt,ideo ex orbe, & intelligentia magis vnum fieri, quàm ex materia, & forma, quoniam ex illis fit vnum æternum, quod eſt veriùs vnum, quàm id, quod genitum eſt, & interire poteſt.

Confutatio.

Verùm hæc expoſitio à Mercenario optimè reijcitur;tunc enim non ſolùm ex orbe,& intelligentia fieret magis vnum,quàm ex materia,& forma;ſed magis etiam vnũ, quàm ex intelligibili, & intellectu: ex his.n.non ſemper fit vnum æternum;quoniam,vt fatetur idẽ Auerroes 3.de Anima cõm. 5.& 20.intellectus ſpeculatiuus, & res intellectæ diſſolubiles ſunt.

Mercenarij expoſitio.

Ideo Arcangelus Mercenarius in ſuis dilucidationibus aliam huius propoſitionis interpretationẽ excogitauit; dixitque vnitati maximè propriam indiuiſibilitatem eſſe,quod enim vnum eſt,quatenus vnũ, indiuiſibile dicitur;quia ergo ex orbe,& intelligẽtia fit aliquid magis indiuiſibile,quàm ex materia,& forma;ideo ex illis magis vnum fieri putauit. Fieri autem magis indiuiſibile ex eo elicuit,quia materia,& forma materialis diuiſibiles ſunt;orbis verò eſt quidem diuiſibilis, *intelligẽtia* tamen indiuiſibilis: nunc autem ex diuiſibili, & indiuiſibili magis indiuiſibile oritur, quàm ex diuiſibili, & diuiſibili.

Refutatio.

Sed neque huiuſmodi expoſitio approbanda mihi videtur; neſcio enim,quonam pacto ex orbe,& intelligẽtia,ſimul iunctis,indiuiſibile aliquod *oriatur:* nanque indiuiſibilitas ad ſolam intelligentiam ſpectat; totum autem,quod ex *intelligentia*, & orbe conflatum eſt,diuiſibile prorſus eſt,cùm in orbem,& intelligentiam,tanquam in duo entia perfecta diuidi poſſit:ſic autem eſſet minus vnum,quàm ex materia,& forma conflatũ; quippe quod non niſi in duo entia imperfecta,quorum vtraque partis rationem obtinet,diuiſibile eſt.

Autor Auerrois propoſitionẽ ad bonum ſenſum reuocat. Vnitas duplex, idẽtitatis & vnionis.

Si prædictã igitur propoſitionem ad aliquem bonum ſenſum reuocare velimus, vnitatem ipſam diſtinguendam arbitror:alia enim eſt vnitas, quam vocant identitatis; alia eſt vnitas,quæ dicitur vnionis:ex orbe,& intelligentia fit quidem magis vnum,quàm ex materia,& forma,loquendo de vnitate vnionis,non aũt de vnitate identitatis. Ratio ea eſt,quã ipſemet Auerroes attulit; quia ſcilicet intelligentia abſque dimenſionibus orbi cæleſti iungitur:maior autem,atque interior eſt eorum vnio,quæ proximè,& nullius alterius interuentu,iunguntur,quàm eorum,quæ alicuius interpoſitu copulantur: intelligentia autem proximè cælo iungitur; forma verò materialis non ſine dimenſionibus cum materia copulatur; quare vnitate vnionis ex orbe,& intelligentia fit magis vnum, quàm ex materia,& forma. Non fit autem magis vnum, vnitate identitatis,quoniam materia,& forma in vnitatem,ſeu identitatem totius compoſiti tranſeunt, quod eſt tertium quiddam, ex eorum vnione proficiſcens:

ciſcens;orbis verò,& intelligentia in nullius tertij identitatem tranſeunt; cùm ex eorum coniunctione nulla tertia entitas oriatur,

*Quid de propoſita Quæſtione ſentiat catholica fides.* *Cap. XXVI.*

ARiſtotelis mente de cæli animatione ſatis commodè patefacta, vt huic noſtræ diſputationi coronidem tandem imponamus, quid eadem de re fides catholica ſentiat, paucis aperiendum, Negocium profectò ſatis difficile; cùm nullū apertum diuinæ ſcripturæ teſtimonium habeatur, & Sanctorum Patrum non vna eademque ſententia fuerit. Etenim, ſi veteres adeamus, inueniemus Origenem lib. 1. Periarchon cap. 7. cæleſtia corpora animata eſſe, affirmantem: contrà verò Damaſcenum lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 6. Baſilium homil. 3. Hexameron. & alios plures Doctores Græcos, cælum neutiquam animatum eſſe, perhibentes. Si Latinos perſcrutemur Ambroſius cum Græcis, Hieronymus varius, dubius Auguſtinus nobis obuiam fiunt, Cælum rationali anima, & ſenſu carere, fatetur Ambroſius libro 2. Hexam, cap. 4. Hieronymus illa verba exponens Eccleſiaſtici primo, luſtrans vniuerſa per circuitum pergit ſpiritus, ad Origenis ſententiam accedere videtur. Idem verò ſuper pſalmum, Audite cæli, oppoſitum ſtatuit; aſſerit enim, locutionem ibi eſſe ad inanimata. Auguſtinus ſecundo, ſuper Geneſim ad litteram, cap. 15. & in Enchiridio, cap. 58. ait, ſe certè neſcire, an ad ſupernam ciuitatem Sol, Luna, & alia ſidera pertineant. Et 1. lib. Retractationum cap. 8. ait, ſe opinionem illam de cæli, & Mundi animatione, quam libro de Animi immortalitate ſcripſerat, non omnino tanquam falſam, & erroneam retractaſſe. Ex Scholaſticis verò Doctoribus, Diuus Bonauentura in ſecundo Sententiarum, diſtin. 14. quæſt. 3. eorum ſententiam valde abſurdam, & erroneam exiſtimauit, qui cæleſtia corpora animata ſtatuerunt. San. Thomas loco ſupra citato, diſſidium hoc, quod inter Sanctos Patres inuenitur, in voce tantùm, vel nomine conſiſtere, arbitratus eſt: qui enim inquit, cæleſtia corpora animata fatentur, id intelligunt, anima aſſiſtente: qui verò eadem animata eſſe negāt, id intelligunt, anima informante. Scotus ſecundo Sent. diſt. 14. quæſt. 1. art. 2. in Extremo, ait, ſi cęli non ſunt animati, hoc creditum eſſe, non tamen ratione comprobatum. Qui cęlos inanimatos eſſe tuentur, afferunt quintam ſynodum Conſtantinopolitanam, quæ eos anathemate punit, qui oppoſitum aſſerere auſi fuerint. Sunt tamen qui dicant, nondum ſatis conſtare, an decretum illud à quinta ſynodo editum fuerit. Afferunt alij articulum Pariſienſem, à Stephano Epiſcopo condemnatum, Dicere, cęlos animatos eſſe, error. Sed qui contrariam ſententiam defendunt, illos articulos paruifaciunt, eoſque aiunt, non tranſire alpes. In tanta Doctorum varietate, tutiorem partem eligendam arbitror, abſolutèque ſtatuendum, cęlos animatos non eſſe. Cùm enim multis rationibus, ex Ariſtotelica philoſophia ſumptis, iam antè probatum ſit cæleſti corpori rationalem animam competere non poſſe, nec cęleſtis animæ vlla vnquam mentio in diuinis litteris facta ſit; & multi Sancti Doctores in negatiuam partem inclinent; an non illam, tanquam fidei catholicæ magis conſentaneam, accipiemus? Huc accedit, quòd ſi in cæleſtibus corporibus rationales animæ reperirentur, mereri illæ, & demereri; atque adeo pręmio, & ſupplicio affici poſſent, quod tamen ſolis hominum animabus ſtatutum legitur: Verbū enim diuinum non pro cæleſti, ſed pro humano duntaxat genere humanam carnem aſſumpſit, mortemque obijt. Dicendum igitur eſt, cęleſtibus corporibus ſolam intelligentiam ſufficere, cuius virtutis appulſu, motum recipiant, & in orbem continenter euoluantur.

Origenes.
Damaſcenus.
Baſilius.
Ambroſius.
Hieronymus.
Auguſtinus.
D. Bonauen.
S. Thom.
Scotús.
Quinta ſynodus Conſtantinopolitanā.
Articulus Pariſienſis.
Cōſentaneū eſt catholicæ fidei ſtatuere cælos animatos non eſſe.
Rō, euidens.

# DE FORMIS ELEMENTORVM

## Diſputatio Decimaquinta.

### PRAEFATIO.

Diſputatio de formis elementorum præcipua in tota philoſophia.
Difficillima ob varias opiniones.

VNam è præcipuis totius naturalis philoſophiæ diſputationibus, quę non modò ad acuenda ingenia, verùm etiam ad plures dubitationes euoluendas, quam maximè conducat, eam ſemper exiſtimaui, quę de formis elementorum vſquequaque inſcribitur. Creticum ſanè Labyrinthum, vel potius vaſtiſſimum pelagus ingrediuntur, qui ad hāc ipſam explicandam accedunt; tot enim eſt difficultatibus circunſepta, totque contrariarū opinionum, quaſi fluctibus agitata, vt feliciſſimi, ac omnium peritiſſimi ij ſint habendi, quicunque ex hac (vt ita dicā) nauigatione ſeſe incolumes in portum recipiant. Cùm enim hinc Græcorum, inde Latinorum claſſes, nec non præterea Arabum piraticas triremes, huc, illuc fluctuantes, atque incurſantes, videas; quid eſt, quod ſine prælio euadere te poſſe ſperes? Amici omnes eſſe nequeūt:

Opinio Græcorum.

eligas quos velis, tibi erit neceſſariò cum cæteris dimicandum. Tuentur Græci, ſubſtantiales elementorum formas eſſe quatuor principes qualitates, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem, eaſque vel ſimplices, vel copulatas.

Opinio Latinorum.

Defendunt Latini, in elementorum naturis, præter manifeſtas qualitates, formas quaſdam ſubſtantiales latere, quæ vt ſenſibus incompertæ ſunt, ita etiam nomine carent, ſolaque poſſunt ratione comprehendi: eæ aūt ſunt, quæ qualitatibus, tanquàm inſtrumentis, ad operandum vtuntur.

Opinio Arabum.

Arabes, quorum dux eſt Auerroes, neque principes qualitates, vt Græci, neque latētes ſubſtantias, vt Latini, ſed qualitates nonnullas, à primis ortas, nimirum grauitatem, & leuitatem, ſubſtantiales formas, eſſentialeſque differentias eſſe exiſtimarunt, quibus elementa conſiſtentiam accipiunt ſuam, atque elementorum rationem adipiſcuntur: ita tamen hanc ſuam ſententiam explicant, vt modò Græcis, modò Latinis adhærere, modo æquè his, ac illis aduerſari penitus videantur.

Diſputādi occaſio.

Famoſa hæc, & difficillima quęſtio adeò doctè, atque ſubtiliter à pluribus omnis generis philoſophis, & veteribus, & recentioribus excuſſa eſt, vt non immeritò eundem laborem nunc ſubire, non eſſe operepretium videatur. Quænam enim præcipuæ ſint cuiuſlibet opinionis rationes, & fundamenta; quæ opinio verior, atque Ariſtoteli magis conſentanea, omnes, opinor, ex tot autoribus, qui hac de re, copioſe ſcripſerunt, elicere nullo negotio poſſunt. Ego verò libentiſſime ab hac diſputatione abſtinuiſſem, atque hoc labore ſuperſediſſem, niſi Nouus quidam Autor, Græcorum doctrinæ, atque potiſſimùm Alexandri profeſſor, me *quodā* modo ad diſputandum impuliſſet.

Noui Autoris libellus dē formis elemētorum.

In libello enim, quem is nuper edidit de formis elementorum, Græcorum ſententiam non nouam ille quidem, ſed iam tritam, & peruulgatam *ſatis* cō modè explicat: verùm quoniam in Latinos philoſophos adeo acerbè, & contumelioſè *inuehitur*, vt eos planè negligere, &, ſi Deo placet, etiam irridere videatur: ideo vt celeberrimos viros, de Philoſophia Peripatetica optimè meritos, ab iniuſta hac contumelia vindicarem, ego quoque eandem diſputationem aggreſſus ſum; cùm præſertim ipſemet in ſui libelli peroratione locum aliquem etiam superuenturis hoſpitibus, ſe reliquiſſe affirmauerit. Abſit ab hac diſputatione iactantia, abſit contentionis ęſtus: quod me nunc ad diſputandum impulit, quodque ſemper incitauit, eſt veritatis inueniendæ deſiderium. Fateor, omnibus, qui gymnaſiorum ſubſellia aſcendunt, me longè inferiorem eſſe, omnes veneror, omnes ſuſpicio; nulla tamen cuiuſquam autoritas tanta apud me eſt, qua quidquam affirmare cogar, niſi id ipſum firma aliqua, & euidenti ratione munitum planè cognoſcam. Profeſſus eſt Nouus hic Autor;

Nouus autor mordicꝰ Grecorum ſentētiam tuetur.

Græcorum ſententiam adeò veram eſſe, vt quicquid contra allarum ſit, falſum omnino, atque ab Ariſtotele alieniſſimum iudicetur. Profeſſus etiam eſt, eas rationes, quas pro Gręcis propoſuit, firmas adeo, & validas eſſe, vt vim omnino habeant demonſtrandi. contra verò rationes, à Latinis adductas; leuiſſimas eſſe, quæque facili reſponſione tollantur. Neminem arbitror, in cauſa propria ęquum iudicem eſſe poſſe; nec ei plena fides habenda eſt, qui quę ſua ſunt, ſolùm diligit, ſolùm ęſtimat; cętera, in dicta cauſa, condemnat, deſpicit, abijcit, aſpernatur.

tur. Dandam igitur mihi idcirco operam duxi, vt quæ nam ſit eius opinionis explicatio, & defenſio; quæ argumentorum vis, quod reſponſionum robur, quę ſoliditas, omnes apertiſſimè ex hac noſtra diſputatione cognoſcerent. Verùm ne cõfuſa, & perturbata diſputatio ſit, hunc ordinem in diſputando ſeruabimus. Primò Gręcorum opinionem cum omnibus rationibus, & fundamentis, quibus eam Nouus Autor defendit, in medium adducemus. Deinde Latinorum ſententiam, quam, & veritati, & Ariſtoteli conſentaneam arbitramur, explicabimus, rationibuſque firmabimus. Tertiò, quia Nouus Autor modò argumenta contra Latinos dirigit, modò eorundem reſponſiones refellere nititur; ideo ita nos cũ illo diſputabimus, vt cùm illi arguentis partes dederimus, nobis ſumamus reſpondentis: at verò cùm ille perſonam ſuſceperit reſpondentis, nos arguentis uicem ſuſtineamus. De Auerroiſtis parùm nobis curandum erit: nam ſi probauerimus, quatuor principes qualitates ſubſtantiales elementorum formas eſſe non poſſe; conſtabit illicò, multò minus id muneris grauitatem, aut leuitatem obire, quę ſunt qualitates ſecundæ, à primis exortę; ideo poſtremo loco in Auerrois opinione pauliſper verſabimur.

Ordo in diſputatiõe ſeruandus.

## PARS PRIMA,

## IN QVA GRÆCORVM OPINIO EXPLICATVR.

### *Græcorum, & Latinorum doctrina comparatio.* *Caput Primum.*

QVoniam diſputatio hæc, ob varias tùm congreſſiones, tùm digreſſiones longiùs paulò producetur: ideo non ab re alienum exiſtimaui, illam in partes, & partes ſingulas in capita diſtribuere; quò ea faciliùs, & minore cum faſtidio ab omnib. legi poſſit. Priùs tamen vnum velim diligenter conſideremus, quod ad rei veritatem, in propoſita diſceptatione, inueſtigandam, perneceſsarium eſt: quanti. ſ. Gręcorum doctrina, quam Nouus Autor tanti facit, quamque ſolam auditoribus aſſerit eſse tradendam; quanti etiam doctrina Latinorum æſtimanda ſit. Et quanuis omnis comparatio odioſa, moleſtaque videatur; nihilominus ingenuis viris, qui ex ęquo, & bono cuncta iudicant, quique quod ſuum cuique eſt, libenter tribuunt, haud iniucundum fortaſse erit, ſcire, qua in re Gręci Latinis, quave Latini Gręcis antecellant. Equidem fateor, Gręcos interpretes, Alexandrum Themiſtium, Simpl. Ammonium, & omnes alios, optimos philoſophię cultores extitiſse, atque in explicandis Ariſtotelis ſenſis, & verbis plurimùm valuiſse, Latinoſque philoſophos hac in re potiſſimùm ſuperaſse, vt omnes philoſophię ſtudioſi plurimum illis ſe debere fateãtur, qui ſolidam, & ſatis commodè explicatam Ariſtotelis philoſophiam exhibuerunt. Verũ quoniam de ipſa aperta, & iam explicata Ariſtotelis mente multę dubitationes perſępè exoriuntur, & multę etiam in eius dictis apparentes contradictiones inueniuntur, quę à Gręcis ſolutę non ſunt, quęque, niſi diſſoluerentur, valdę obſcuram, & dubiam Ariſtotelis philoſophiam relinquerent: ideo Latini philoſophi hac in re operam enixè dederunt, vt difficultates, non ex verbis ſolùm, verùm etiam ex Ariſtotelis ſenſibus emergentes, omninò euoluerẽt, & enodarẽt; atque ita ſubtiliſſimis ſuis ingenijs philoſophiam auxerunt, illuſtrarunt, ſolidioremque reddiderunt. Non me latet, Gręcorum fautores dictitare, multa in Latinis interpretibus inueniri, quę Ariſtoteles ne per ſomnium quidẽ ſuſpicatus eſt. Leuiſſima obiectio. Immò addo ego, Latinos philoſophos multa tradidiſse, quæ Gręci interpretes nunquam excogitarunt. Eſt ne igitur hac de cauſa eorum doctrina contemnenda? Nihil contra Ariſtotelẽ Latini dixerunt, ſed multa, diſputando, docuerũt, quę pariter ipſemet Ariſtoteles docuiſset, ſi eiſdem propoſitis dubitationibus reſpondere, coactus eſset. Cepit Auerroes peripateticam philoſophiam, propoſitis hinc inde dubitationibus, atque earum ſolutionibus, ſubtiliorem reddere: eum ſecuti ſunt Latini, qui tandem eam ipſam ad ſummum ſubtilitatis faſtigiũ extulerunt. Non eſt hoc, nouam inducere philoſophiam; ſed iam traditam, communiterque receptam Ariſtotelis philoſophiam diligentius expendere, ſubtiliùſque examinare. Iam verò ij, qui fortè, vt ipſi putant, exiſtimationis cauſa, Auerroe, Latiniſque philoſophis neglectis, Græcis tantummodò ſe addicunt, ſui erroris interdum pænas luunt; cùm enim in Latinorũ

Græcorũ excellẽtia in Ariſt. explanãdo.

Latinorum acuitas in dubitationibus enodandis.

Nihil Latini contra Ariſt. ſed multa noua, à Græcis minimè excogitata, protulerunt.

Quorum ingenij hebetudo, qui i Gręcis tantũ expoſitoribus verſantur.

diſpu-

diſputationibus exercitati non ſint, ſi argumētulum aliquod, vel debile, aduerſus Ariſt. contextum, illis proponatur, ſtatim animo concidunt, dumque illud explicare nituntur, tantum abeſt, vt explicent, vt potius eundem iam manifeſtum Ariſt. contextum, noua declaratione confirment. Si ū autem eiſdem aduerſus aliquem argumentari contingat, noua audita ſolutione, quam apud Ariſt. non inuenerint, (non.n. neceſſe eſt, vt Ariſt. omnia dixerit) ſtatim acquieſcunt, atque argumētorum inopia circunuenti, putant, reſponſionem illam ſatis eſſe irriſione impugnatam. Qui ergo exiſtimant, Latinorum doctrinam à philoſophorum Scholis abijciendam eſſe, vellē etiam viam aliquam, & rationem traderēt optimè diſputandi; ne adoleſcentes in publicis concertationibus, multò iam antè argumētis, atque reſponſionibus præuiſis, eiſdemque memorię mandatis, cùm Picos ſe eſſe credant, tanquàm Picæ quædam diſputantes, aut veriùs garrulantes viderētur. Inſigne dedecus: exercitationem, ad ingeniorum oſtētationem olim inuentam, nunc apertiſſimum eſſe ignorationis argumētum. Exteras gentes, Gallos, Germanos, Belgas, Britannos, Sarmatas, Hūgaros, pleroſq; alios ad Italiæ Gymnaſia, tanquam ad illas doctrinarum inuentrices Athenas, confluētes, quid dicere putes, cùm hos diſputandi fucos animaduertunt? Hoc non accideret, ſi Græci ſimul Arabes, & *Latini* philoſophi legerētur. Bone Deus, contemnemus ne Magnum Albertum, Ariſtotelicæ *philo*ſophiæ inſtauratorem, Diuum Thom. dilucidatorem, Scotum examinatorem, Ægidium cōſolidatorem, alios complures horum imitatores, & defenſores? Hos ego arbitror, eruditione, atque ingenij acumine longè Græcis excelluiſſe: nam & quæcunque à Gręcis tradita ſunt, optimè intellexerunt, & multa inſuper alia ex proprijs hauſta riuulis exprompſerunt. Multi fuerunt in totius Italiæ Gymnaſijs, & præſertim in hac Patauina Academia celeberrimi Doctores, Zimara, Archangelus, Zabarella, Pendaſius, Piccolomineus, & alij, vt antiquiores omittam, qui Græcis interpretibus, in Ariſt. explanando, vtētes, Latinos quoque, atque præſertim Scholaſticos Philoſophos, in præcipuis difficultatibus euoluendis, adhibuerunt. Quid eſt igitur, cur vni tantùm credamus, atque Græcorum tātùm lectionibus, Latinis penitus neglectis, incumbamus.

Noſtri tēporis diſputantium conſuetudo.

Latini interpretes præcipui.

Recentiores Philoſophi, qui philoſophando, Grecorū ſimul, & Latinorū doctrinā amplexati ſunt.

### *Opinio de formis elementorum, Græcis autoribus communiter aſcripta.* *Cap. II.*

SEd his omiſſis, propoſitam iam diſputationem ineamus, atque ſniam illam de formis elemētorum, quæ Græcis cōiter aſcribitur, in medium afferamus. Fuit igitur ſatis celebris opinio, ſubſtantiales elemētorum formas, quæ eiſdem conſiſtentiam tribuunt, eorumq; naturam complent, atque perficiunt, eſſe quatuor principes qualitates, Caliditatem, Frigiditatem, Humiditatem, & Siccitatem. Inter eos tñ, qui ſic opinati ſunt, nonnihil diſcriminis intercеſſit. Aliqui.n. ſimplicem qualitatem, ad vnicum elemētum conſtituendum ſufficere, exiſtimarunt, vt caliditatem, ad ignem; humiditatē, ad aerem; & ſic de reliquis. Alij verò *non* qualitatē ſimplicem, ſed vel duplicem, vel plures ēt ſimul coniunctas, ad ſtatum quendam reuocari dixerunt, vt verę ſubſtantiales elemētorum formæ, & eſſe, & dici mereantur. *Huius* aūt opinionis præcipuum fundamētum illud eſt, quod Nouus Autor refert ſect. *1. cap. 3. Latum*, inquit diſcrimen eſt in doctrina Græcorum, inter corpus abſolutè ſumptum, quatenus corpus eſt, & corpus, quatenus tale eſt, vid. corpus naturale. Corpus abſolutè ſpectatum, ex prima materia, atq; ex trina dimēſione, ei proximè, & abſque vllo medio aduenīēte, conſtituitur: materia.n. in molē aucta, vt Græci dicunt, corpus conſtituit, quatenus corpus eſt. Iam verò huic corpori, ſic conſtituto, caliditas, frigiditas, & ceteræ qualitates adueniunt: quę quoniam illud non conſtituunt, ſed illi accedere, atque ab eo recedere, abſque eius interitu, poſſunt; idcirco accidētia, proprięque eius qualitates, non ēt ſubſtantiales differentiæ, aut formę nuncupantur. Cæterùm vbi qualitates iſtæ, aut duæ, aut plures ſimul iunguntur, atque ex hac coniunctione priuatam quandam conditionem acquirunt; tunc vim quandam adeptæ ſunt, vt formarum inſtar, corpus tale, hoc eſt, corpus naturale, vel clariùs, elemētum, conſtituere poſſint. Etenim totum corpus, prius conſtitutum, materiæ vicem gerit: qualitates autem, ita coniunctæ, gerunt vicem formæ; & propterea dum forma ſubſtantialis cum materia copulatur, elemētum oritur, quod naturale corpus eſt: habens quidē qualitates, non vt accidētia; quoniam illæ elemēto, iam conſtituto, non adueniunt, ſed vt ſubſtantiales formas, propterea quòd ſunt partes, eius ſubſtātiam conſtituētes. Pro cujus rei maiore explicatione exēplum

Opinio Græcis aſcripta.

Diſſenſio inter Græcos.

Fundamētū præcipuū opinionis Græcorum.

plum affert Nouus Autor, eadem ſect. cap. 4. de materia, & forma, ad ſubſtantiale compoſitum relatis: forma, inquit, ſubſtantialis materiæ pars appellari non poteſt; quia ei admodum accidẽtis ineſt: appellatur aũt pars ſubſtantialis compoſiti; quia, iuncta cum materia compoſitum conſtituit. Hæc igitur, ſic explicata, eſt opinio de formis elemẽtorum, quam, cõis peripateticorum Schola aſſerit, Græcos philoſophos defendiſſe, præſertim Alexndrum eorum ducem, & principẽ; Themiſtium, Simplicium, Philop, Olympiod. Iamblicum, Pſellum, Michaelem Epheſium, Dexipſum, Porphyrium, Ammonium, Galenum, Athenæum, & alios; Scio, multos reperiri, qui, hanc fuiſſe Græcorum ſnĩam omninò negent, ſed eos potius, quẽadmodum etiam Ariſt. hac de re valdè obſcurè locutos eſſe arbitrẽtur: idque in cauſa fuiſſe, cur nonnulli eorum dicta perperam interpretantes, hanc illis opinionem aſcripſerint. Vtcunque aũt res habeat, ſiue hæc fuerit ſnĩa Græcorum, ſiue nõ, quod forſan in diſputationis progreſſu patebit; cõſilium noſtrum erit, diſquirere, vera ne illa, atque Ariſtotelica ſit, an potiùs vt à veritate, ita ab Ariſtot. penitus aliena: quod facilè intelligetur, ſi rationes, & autoritates, quibus illa munita eſt, diligenter examinabimus,

Exemplũ noui autoris.

Græci autores, quib. hęc opinio aſcribitur.

Nõ oĩno certum eſt, an relata opi. Græcorum fuerit, lege Iandun. 3. Phyſi. q. 4.

### *Loci aliquot Ariſtotelis, à Nouo Autore adhibiti, ad Græcorum ſententiam roborandam.* *Cap. III.*

MVltæ ſunt Ariſtotelis autoritates, multæ etiam rationes, quibus Græcorum fautores eorum ſnĩam confirmare nituntur; ego verò eas tantùm accipiam, quas Nouus Autor propoſuit: nam eis præcipuè reſponſurus ſum; eiuſque (vt Plautus loquitur) ipſiſſima afferam verba ne conqueri poſſit, me ex induſtria aliquid omiſiſſe, quod ad vim argumẽtationis pertineret. Itaque ſect. 2. cap. 1. 2. & 4. plures affert Ariſt. autoritates, partim longè petitas, & excurrentes, partim ad rem propius accedentes; ex quibus rationes elicit, ad probandum, quatuor primas qualitates ſubſtantiales eſſe elemẽtorum formas. Primam igitur autoritatem elicit ex 2. lib. de partibus animalium cap. 1. vbi Ariſt. ita ſcribit, *Cùm igitur triplex ſit compoſitio, prima ſtatui põt ea, quæ ex primordijs ijs, quæ nonnulli elementa appellant, terram dico, aquam, aerem, & ignem; Sed melius fortaſſe dici poteſt, ex virtutibus confici elementorum, ijſque non omnibus, ſed vt anteà expoſitum eſt: humiditas enim, & ſiccitas, & caliditas, & frigiditas, materia corporum ſunt compoſitorũ.* Ex hac autoritate, ſuo arbitratu explicata, duas educit argumẽtationes. Prima eſt huiuſmodi; Id quod eſt ratio, & principium miſtionis, qua miſti ſubſtantia conſtituitur, ſubſtantiale eſt: virtutes elemẽtorum ſunt talis ratio, & tale principium; non igitur ſunt accidentia, ſed ſubſtantiales qualitates. Altera eſt hæc; Materia compoſiti ſubſtantialis eſt aliquid ſubſtantiale: hæ qualitates ſunt materia cõpoſiti ſubſtantialis; ergo ſunt ſubſtantiales. Secundam autoritatem ſumit ex 2. lib. de Anima tex. 28. vbi habet Ariſt. *Adhuc autem alimenti ſenſum habent; tactus enim alimenti ſenſus eſt: ſiccis enim, & calidis, & frigidis, & humidis, aluntur omnia viuentia; horum autem ſenſus eſt.* Explicat primùm hęc verba, vid. alimẽti ſenſum non eum dici, qui ea ſentiat, quæ per accidens ad nutrimentum ſe habent: ideo. n. guſtatus alimenti ſenſus non dicitur, qui ſaporem ſentit: quoniam ſapor nutrimenti condimentum eſt, non autem eſſentiale quippiam nutrimẽto. Tunc ita argumentatur; ſi tactus nutrimenti ſenſus eſt; ergo quæ tactus ſentit, per ſe, & propriè ad nutriendum ſe habent: tactus autem has qualitates ſentit; ergo hæ qualitates per ſe, & propriè ad nutriendum ſe habent; quod autem ſe habet per ſe ad nutriendum, eſt ſubſtantia; quia nutrimentum eſt ſubſtantia, ſicut quod nutritur eſt ſubſtantia, ex primo de generatione; ergo iſtæ qualitates non ſunt accidentia, ſed formæ ſubſtantiales. Tertiam autoritatem excipit ex 3. lib. de Ani. tex. 10. vbi ſcribit Ariſtoteles, *ſenſitiuo igitur calidum, & frigidum, & quorum ratio quædam eſt.* Ex hoc textu ita argumentatur; Id, in cuius temperamento carnis eſſentia conſiſtit, eſt ſubſtantiale; quia caro eſt ſubſtantia, & eſſentia ſubſtantiæ in accidentalibus poſita eſſe non poteſt: ſed in harum qualitatum temperamento carnis eſſentia conſiſtit, vt patet ex illo textu; ergo iſtæ qualitates non poſſunt eſſe accidentales, ſed neceſſariò ſunt ſubſtantiales. Quartam autoritatem eruit ex 4. li. Metheor. in principio, vbi habet Ariſt. *Quoniam autem quatuor ſunt determinatæ cauſæ elementorum, harum autem ſecundum coniugationes, & elementa quatuor.* Ex his verbis huiuſmodi conficit ratiocinationem; Iſtæ cauſæ tales profectò eſſe debent, quales requiruntur, vt ex earum numero elemen-

Prima Ariſt. autoritas.

Prima ratio Noui autoris ex hac autoritate deſumpta.

Secunda rõ.

Secunda Ariſto. autoritas

Tertia autoritas.

Quarta autoritas.

torum numerus conſtituatur: iſte numerus non pertinet ad indiuiduum: elementa enim non
ſolo numero, ſed ſpecie diſtinguuntur; quæ autem ſpecie diſtinguuntur, per differentias ſpeci
ficas diſtinguuntur; ergo iſtæ qualitates, ſunt tales cauſæ, quæ ſint ſpecificæ differentiæ ele-
mentorum. Id etiam confirmat ex 2.c. primi eiuſdem operis libri, vbi dicit Ariſtoteles, alia
ſimplicia, præter cælum, eſſe quatuor, ob quatuor principia, quæ ſunt quatuor qualitates,

Quinta autoritas.

quæ ſi ſunt principia elementorum, accidentia certè eſſe non poſſunt. Quintam autoritatem
elicit ex 2.lib. de Partibus animaliũ, c.2. vbi Ariſtoteles quatuor primas qualitates vitæ, &
mortis cauſas, & elementorum principia vocabat: vſque adeo non putat Nouus Autor, hæc

Sexta autoritas.

vnquam Ariſtotelem dicturum fuiſſe, ſi accidentia illas eſſe, ratus eſſet. Sextam autoritatem
educit ex 8. Metaph. tex. quinto, vbi docet Ariſtoteles, id, quod eſt cauſa vni, cur ſit, eſſe eius
formam: hac autoritate, veluti maiore quadam propoſitione aſſumpta, addit minorem:
ſed caliditas eſt cauſa igni, cur ſit; ergo eſt eius forma, & talis forma, quæ ſit ſubſtantia, at-
que natura illius; forma enim ex 2. Phyſic. tex. 13. eſt natura, quia per ipſam eſt generatio:
tunc ſubdit, ſed generatio ignis eſt per caliditatẽ; ergo caliditas eſt forma, atq; natura ignis.

Septima autoritas.

Septimam autoritatem ſumit ex 4. li. Metheor. tex. 2. vbi Ariſtoteles miſti generationem hi
ſce verbis tradit, *Generatio eſt tranſmutatio ab his virtutibus, cùm habeant rationem ex ſub-*

Prima rõ noui Autoris.

*iecta materia.* Ex hac definitione ita argumentatur; generatio, quæ ibi definitur, ſubſtantia-
lis eſt; ſed generatio ſubſtantialis non definitur per aliquod accidentale, tanquã per cauſam

Secunda.

ſui; ergo contrarietates, per quas definitur, non poſſunt eſſe accidentales. Præterea generatio
eſt effectus ſubſtantialis; ergo per cauſas ſubſtantiales definiri debet, atque adeo quæ in defi-

Tertia.

nitione vt cauſæ ponuntur, debent eſſe cauſæ ſubſtantiales, non accidentales. Ad hæc, genera
tio miſti, quoniam definitur prout terminatur ad eſſe ſubſtantiale miſti, definiri debet per ea,
quæ ſunt de eſſe ſubſtantiale eiuſdem miſti: ſed accidentia non ſunt de eſſe ſubſtantiale mi-
ſti; ergo non eſt definienda per accidentia: definitur autem per has qualitates; ergo hæ quali
tates ſunt ſubſtantiales miſto, non accidentales; non poſſunt autem eſſe ſubſtantiales miſto,
niſi ſint ſubſtantiales miſcibilibus; igitur cùm miſcibilia ſint elementa, ſequitur, vt ſint ſubſtã

Octaua autoritas.

tiales elementis. Octauam autoritatem excipit ex 1. de Generatione, & interitu text. 55. *vbi*
Ariſtoteles hæc ſcribit, *forma autem, & fines habitus quidam ſunt: materia autem, ſecundum*

Prima rõ noui Autoris.

*quod materia, paſſiuum; ignis igitur habet in materia calidum.* ſtatuit hanc autoritatem velu
ti multarum rationum fundamentum. Primò ita argumentatur; Per formam eo loco, dubio
procul ſubſtantialem formam Ariſtoteles intellexit; hæc enim eſt finis, hæc materiam reſpi-
cit, hæc eſt illa, ex qua rei ſubſtantia conſtituitur: ergo dum concludit, ignem habere calidũ

Secunda.

in materia, caliditatem vt formam ignis ſubſtantialem concepit. Deinde Ariſtoteles ibidem
caliditatem, quam habet ignis, in materia, ideis, & intelligentijs comparando, hæc habet, *Si*
*autem aliqua eſſet ſeparata caliditas, hæc nihil vtique pateretur.* Tunc arguit Nouus Autor,
ignis idealis eſt ſubſtantia: ſed Ariſtoteles ponit caliditatem pro igne ideali; ergo caliditas eſt

Tertia.

ſubſtantia ignis. Præterea, Intelligentiæ ſunt formæ ſubſtantiales ſeparatæ: ſed caliditas cõ-
paratur Intelligentijs, à quibus hoc ſolo differt, quia eſt in materia; ergo ignea caliditas eſt e-

Quarta.

ius forma ſubſtantialis. Rurſus, dum ait Ariſtoteles, *Materia autem, ſecundum quod materia*
*paſſiuum*, loquitur de materia prima, per ſe, & abſque vlla forma conſiderata; alioquin ſi ha-
beret coniunctam formam, haberet coniunctum aliquod actiuum. Tunc ita argumentatur;
Concludit Ariſtoteles, ignem habere calidum in materia; ergo arbitratus eſt, ignem ex cali-
ditate, tanquam ex ſubſtantiali forma, & ex materia prima conflatum eſſe; atq; adeo in igne

Quinta.

alia forma ſubſtantialis innominata ponenda non eſt, quæ caliditatem antecedat. Ad hæc,
paſſio eſt propter materiam, & actio propter formam: ſed igni tribuũtur actio, & paſſio, qui

Sexta.

habet caliditatem in materia; ergo caliditas eſt forma in materia. Poſtremò, ſi caliditas non
eſt forma ignis; ergo illa propoſitio, ignis habet calidum in materia erit falſa. Probat conſe-
quentiam, quia tunc ignis habebit caliditatem in compoſito, non autem in materia, de qua

Nona autoritas.

ibi Ariſtoteles loquitur. Nonam autoritatem eruit ex 1. Phyſ. tex. 54. vbi Ariſtoteles vete-
rum philoſophorum opiniones de materiali principio, quod ſubiecti loco ſtatuitur, inuicem
comparans, docet, minus à ratione abhorrere opinionem illam, quæ ſtatuit, huiuſmodi prin
cipium non eſſe aliquod ex elementis, ſed medium quiddam, & ait, *Ignis enim, & Terra, &*
*aer, & aqua contrarietatibus complexa ſunt.* Ex hoc loco elicit Nouus Autor huiuſmodi ar-

gumentum; Certum eſt, contrarietates iſtas eſse quatuor primas qualitates: hæ autẽ aut ſunt ſubſtantiales, aut accidentales: ſi accidentales, à ſubiecto igitur abeſse poterũt; atque adeo nullo impedimento erunt, quo minus ſubiectum illud poſſit eſse materiale principium rerũ naturalium, quod Ariſtoteles omnium qualitatum expers eſse volebat. Quare ſi Ariſtotelis ratiocinium aliquam vim, ad materiæ primæ naturam inueſtigandam, habere debet, opus eſt, vt intelligat, contrarietates illas, ſeu qualitates, ſubſtantiales eſse, non autem accidẽtales.

Decima autoritas.

Decimam autoritatem educit ex 1. de Generatione tex. 18. vbi Ariſtoteles ait, *Vt puta ſi calidum quidem prædicamentum aliquod, & forma: frigiditas autem priuatio: differunt autem ignis, & terra his differentijs.* Hiſce verbis rationem reddit Ariſtoteles, ait Nouus Autor, cur in ſubſtantijs generatio ſimpliciter, & generatio ſecundum quid habeatur: ratio autẽ ea eſt, quia in ſubſtantijs quædam ſunt magis ſubſtantiæ, quædam minus: magis ſubſtantias eas dicit, quarum differentiæ magis hoc aliquid ſignificant. Tunc ita argumentatur; terra, & ignis differunt calido, & frigido; ergo calidum, & frigidum ſunt eorum differentiæ ſubſtantiales.

Vndecima autoritas.

Vndecimam autoritatem elicit ex 1. Metheor. c. 4. vbi docẽs Ariſtoteles, quomodo potentia materiæ ad elementa ſe habeat, hæc ſcribit, *oportet autem intelligere ſic, & hinc cùm incepèrimus, quod enim ſub ea, quæ ſurſum eſt circulatione, corpus veluti materia quadam exiſtẽs, potentia calida, ſicca, & humida.* Ex hoc loco ita argumentatur; Materia per ſuam potentiã, ſe habet ad formam ſubſtantialem, & illam proximè reſpicit; ſed materia ſe habet ad iſtas qualitates per ſuam potentiam, ſiue pro generatione elementorum, ſiue pro eorum tranſmutatione; ergo iſtæ qualitates ſunt formæ ſubſtantiales elementorum.

***Aliæ Ariſtotelis autoritates, quæ validiùs Græcorum ſententiam confirmare videntur. Cap. IV.***

Duodecima autoritas.

AFfert deinde Nouus Autor alia Ariſtotelis loca, quibus putat, ipſum euidentiùs ſignificaſſe, primas qualitates eſſe formas ſubſtantiales elementorum. Duodecimam igitur autoritatem excipit ex 2. lib. de Generatione tex. 24. vbi Ariſtoteles ait. *Quod igitur omnia nata ſint inuicem tranſmutari, manifeſtum eſt, generatio enim in contraria, & ex contrarijs: elementa autem omnia contrarietatem inuicem habent; quia differentiæ ſunt cõtrariæ.* Ex hoc loco ita argumentatur; Mutatio ſecundum differentias non ſpecificas non facit mutationẽ ſubſtantiæ: ſed mutatio ſecundum differentias, quas dicit philoſophus, facit mutationem ſubſtantiæ; ergo illæ ſunt differentiæ ſpecificæ: iſtę autem ſunt quatuor qualitates: ergo quatuor qualitates ſunt differentiæ ſpecificæ elementorum.

Confirmatio

Hoc idem confirmat ex text. 25. vbi Ariſtoteles ait, *vt ex igne quidẽ erit aer, altero tranſmutato: illud enim erat calidũ, & ſiccũ, hoc autem calidum, & humidũ; quapropter ſi vincatur ſiccũ ab humido, aer erit, & victo humido terra erit.* Ex his colligit Nouus autor, ſi aer eſt per humiditatem, & terra per ſiccitatem, neceſſariò ſequi, vt humiditas ſit differentia ſubſtantialis aeris, & ſiccitas ſit differentia ſubſtantialis terræ.

Decima tertia autoritas.

Decimamtertiam autoritatem ſumit ex eodem 2. lib. tex. 49. vbi Ariſtoteles ſcribit, *Aer autẽ, & ignis, quoniã contraria ſunt terra, & aqua, terra enim aeri, aqua verò igni cõtraria eſt, vt contingit ſubſtantiã ſubſtantiæ eſſe contrariũ.* Nulli dubium eſt, inquit, contrarietatem, quam elementa inuicem habent, ſecundùm iſtas qualitates eſſe: quòd ſi probauerit, contrarietatem, quam, loco citato, inter elementa Ariſtoteles ponit, ſubſtãtialem eſſe; manifeſtè apparebit, qualitates illas eſſe differentias ſubſtantiales elementorum. Iam verò contrarietatem illam ſubſtantialem eſſe, ita probat; Ea contrarietas in elementis requiritur, quatenus ſimul miſcentur: ſed ſimul miſcentur, quatenus ſubſtantiæ ſunt; ergo contrarietas inter elementa requiritur, quatenus ſubſtantiæ ſunt: ideo Ariſtoteles hoc agnoſcens, ea verba ſubiunxit, *Vt contingit, ſubſtantiã ſubſtantiæ contrariũ eſſe*; hoc eſt non ſecundum materiã, ſed ſecundũ formã. Tunc arguit Nouus Autor; Contrarietas quã ſemper Ariſ. aſſignat, eſt rõne primarũ qualitatũ; ergo primæ qualitates ſunt formę ſubſtãtiales elementorũ.

Decima quarta autoritas

Decimãquartã autoritatẽ educit ex eodẽ lib. tex. 6. vbi hẽt Ariſt. *Nos autẽ dicimus aliquam materiam corporum ſenſibilium: ſed hanc non ſeparabilem, ſed ſemper cum contrarietate, ex qua generãtur vocata elementa.* loquitur hic Ariſtoteles, ait Nouus Autor, de contrarietate, dante exiſtentiam materiæ: hæc autem eſt contrarietas generans, & conſtituens, per quam elementa inuicem tranſmutabilia, & miſcibilia ſunt; ergo loquitur de contrarietate poſitiua, quæ eſt for-

Decima quinta autoritas. mæ ad formam. Decimamquintam autoritatem eruit ex eodem lib. tex. 7. vbi ſcribit Ariſtoteles, *Non omnes contrarietates corporis formas, & principia faciunt.* Ex hoc loco dupliciter argumentatur. Primò, ſi hæc vera ſunt; ergo contrarietates, quæ proponentur, tãquam formæ ſtatuentur. Deinde, ſi non omnes corporis contrarietates formas, atque principia faciunt; ergo ſignum eſt, poſitiuam contrarietatem, quæ eſt formæ ad formam, Ariſtotelem propoſuiſſe. Decimamſextam, autoritatem elicit ex eodem ſecundo libro, textu ſexto (ſeruo ordinem in his autoritatibus adducendis, quem ipſemet ſeruauit) vbi Ariſtoteles ita ſcribit, *Sed tamen quoniam & hoc modo ſunt ex materia corpora prima; determinandum eſt de his, principium quidem & primum existimantes, eſſe materiam inſeparabilem quidem, ſubiectam autem contrarijs: neque enim calidum materia eſt frigido, neque hoc calido; ſed ſubiectum ambobus: quapropter primum quidem potentia corpus ſenſibile principium eſt; Secundum autem contrarietates; dico autem ut caliditas, & frigiditas; tertium autem iam ignis, & aqua, & alia.* Alias formas in materia ante has qualitates Nouus Autor non videt; quæ quidem qualitates, ſi formas alias ante ſe haberent; iam in elementorum conſtitutione non ſecundum, ſed tertium dicerentur. Subiungit Philoſophus, *Hæc enim inuicē trãſmutantur, & non vt Empedocles, & alij dicunt: neq; enim eſſet alteratio; contrarietates autē non tranſmutantur.* Quibus verbis ſignificauit Ariſtoteles, elementa ex materia, & contrarietatibus compoſita eſſe; alioquin non tranſmutarentur, quia in ſolis contrarietatibus, abſque communi ſubiecto, tranſmutatio non fit; id autem ita eſſe intelligendum vel cæcis, ait Nouus Autor, poterit eſſe euidens; ſi conſiderent, eandem ſententiam in primo de generatione tex. 29. de materia hiſce verbis haberi. *Quam nunquam ſine paſſione, poſſibile eſt eſſe, neq; ſine forma.* & in tex. 7. *Quærimus corporis ſenſibilis principia.* & infra: *Non omnes qualitates corporis, & principia faciunt.* Vbi manifeſtum eſt, eam contrarietatem, à qua materia non ſeparatur, Ariſtotelem vt poſitiuam, non etiam vt priuatiuam intellexiſſe. Poſtremam autoritatem excipit ex eodem ſecundo de Generatione tex. 16. vbi habet Ariſtoteles. *Quoniam quatuor ſunt elementa.* Vocauit ibi Ariſt. primas qualitates elementa; Tunc arguit Nouus Autor, Elementum eſt id, ex quo primò res fit, & in quod vltimum abit; ergo ex his qualitatibus ſimplicia corpora fiunt, atque tandem in eaſdem abeunt, & diſſoluuntur: vel igitur tanquam in materiam, vel tanquam in formam: non tanquam in materiam, vt notũ eſt; ergo tanquam in formã: erunt igitur quatuor primæ qualitates formæ ſubſtantiales elementorũ.

Decima ſextа autoritas.

Decima ſeptima autoritas.

### *Duæ rationes Noui Autoris, quas, ad probandam Græcorum ſententiam, putauit eſſe demonſtrationes.* Cap. V.

His autoritatibus non contentus Nouus hic Autor, cap. 4. eiuſdem ſectionis ſecũdæ ad cõfirmandam Græcorum ſententiam, duas affert rationes, quas validiſſimas putat eſſe demonſtrationes. Prima ea eſt; Si formæ elementorũ non ſunt contrariæ, tunc illæ ſunt indiſſolubiles: ſed falſum eſt, elemẽtorum formas eſſe indiſſolubiles; ergo verum eſt dicere, elementorum formas eſſe contrarias. Aſſumpſit hoc medium, ſ. elementorum formas eſſe contrarias; quoniam, ſi id probauerit, patebit illicò, elementorum formas eſſe quatuor primas qualitates, quæ inter ſe contrariæ ſunt. Conſequentiam primò declarat; deinde probat. Declarat ex Ariſt. 1. Phyſ. tex. 47. & 1. de Generatio. tex. 50. vbi docet, quicquid fit, & interit, ratione contrarietatis fieri, & interire. Itaque contrarietas in rebus dupliciter eſſe poteſt, aut quia ipſæ contrariæ ſint; aut quia ex contrarijs conſtent: ſi ergo elementorum formæ debeãt interire, opus eſt ſanè, vt altero duorum modorum contrarietatem habeant; non poſſunt autem eam habere ſecundo modo; quia ſunt primæ, quæ in materia reperiuntur, nec ab vlla cõtrarietatum miſtione pendent; debent igitur habere contrarietatem primo modo; quia. ſ. ipſæmet inter ſe contrariæ ſint. Hinc conſequentiam ita probat; quicquid interit, vel ideo interit, quia eſt alteri contrarium; vel quia ex contrarijs conflatum eſt: ſed elementorum formæ ex contrarijs conflatæ non ſunt, vt omnes concedunt; ergo, ſi ſunt diſſolubiles, neceſſe eſt, vt ipſæmet inter ſe contrariæ ſint, atque adeo primæ qualitates, quæ contrariæ ſunt, ſubſtantiales erunt elementorum formæ. Altera ratio eſt huiuſmodi: ſi forma, & priuatio ſunt principia rerum naturalium, oportet, primas formas ſubſtantiales, quæ ſunt in natura, eſſe contrarias. Conſequentiam dupliciter probat; primo oportere contrarietatem in principijs; reperiri

Prima ratio.

Secunda ratio.


periri

periri; etenim principiorum natura in ijs maximè conſpicitur, quæ ex principiis proximè cõſtituuntur: ſed prima compoſita, quæ ſunt quatuor elementa, ex principijs proximè cõſtituuntur; ergo principiorum contrarietas in elemẽtis, atque adeo in eorum formis maximè conſpicitur. Deinde probat, elementorum formas iccirco oportere contrarias eſſe, quia priuatio, & forma ſunt principia rerum naturalium. Id autem probat argumento quodam, neſcio in qua figura constructo: poterunt illud, qui voluerint, apud ipſum legere, ego autẽ puto eſse huiuſmodi. Iacit primò hoc fundamentum. ſ. priuationem exiſtere debere: ea autẽ propria vi non exiſtit, vt patet, quia eſt de ſe non ens: aut igitur exiſtentiam capit à materia, aut à forma: non quidem à materia, quia cùm materia per ſe non exiſtàt, ſed ab alio, hoc eſt à forma, exiſtentiam accipiat, multò minus exiſtentiam priuationi tribuere poteſt: accipit igitur exiſtentiam à forma, quam ſibi coniungit. Hinc fit, vt vera alicuius formę priuatio ea ſit, quæ extremè, quantum rei natura patitur, ab illa diſtat: priuatio enim in ſui conceptu cuiuſque modi carentiam includit, quæ quidem carentia non niſi cum altero extremorũ reperitur. Hoc iacto fundamento, ita argumentatur; Quæcunque verè extremè in eodem genere diſtant, illa contraria ſunt: ſed elementorum formæ, cùm extremas priuationes oppoſitas habeant, verè extremè in eodem genere diſtant; igitur elementorum formę inter ſe contrarię ſunt. Confirmat hanc rationem autoritate Ariſtotelis 2. Phyſ. tex. 15. vbi docet, priuationẽ eſſe quodammodo formam. Sed præterea idemmet Ariſtoteles 2. de Generatione tex. 32. clarè docuit, priuationem eſse alterum contrariorum. Tunc ex hoc loco, ſuo arbitratu explicato, ita argumentatur; Fiunt ſimplicia viciſſim, poſita materia; ergo oportet, illorum priuationes viciſſim in materia antè exiſtere: ſed priuationes dicunt formas oppoſitas, ergo oportet, vnamquanque eorum formam aliam ſibi oppoſitam formam hſe, vel ſimpliciter, vt ignis, & aqua, vel ſecundum quid; vt ignis, & aer; atque adeo opus eſt omnino, vt vnaquæque forma, quouis modo oppoſitionem includat. Et hoc eſt, quod non ſurdis quidem conclamauit philoſophis, ait Nouus Autor, dum in conſtituendis elementis, nihil aliud, quam materiam, & contrarietates propoſuit. Hoc idem, quod ex Ariſtotele de coniunctione priuationis cum contrarietatibus aſseruit, confirmat ex Auer. 2. Phyſ. tex. vt ipſe ait, 14. Sed eſt textus 15. vbi habet, priuationem, quæ eſt in materia, à primis contrarietatibus, quæ ſunt quatuor qualitates non ſeparari. Hæ igitur ſunt rationes, quas vir iſte & ſibi, & alijs, ad Gręcorum ſententiã, de formis elementorum, confirmandam, ſufficere exiſtimauit.

Confirmatio ex Ariſt.

Confirmatio ex Auer.

## P A R S S E C V N D A.

### IN QVA LATINORVM OPINIO EXPENDITVR, SIMVLQ; Græcorum ſententiæ fundamentum euertitur.

#### *Quid Latini philoſophi de formis elementorum ſenſerint paucis explicatur. Caput Primum.*

HActenus in Græcorum opinione verſati ſumus: nunc autem quid Latini philoſophi de formis elementorum ſenſerint, paucis aperiemus. Defendunt igitur Latini philoſophi, lib. 2. de Generatione, & interitu, in comm. textus 17. quatuor ſimplicia corpora, elementa vocata, eſſe prima corpora, quæ primò ex materia, & ſubſtantiali forma coaleſcunt: quæ tametſi ſimplicia vocantur, nihilominus materiæ, atque ſubſtantialis formæ compoſitionem non excludunt; ſed talia dicuntur, ad differẽtiam miſtorum corporum, quæ ex ipſis coagmentata ſunt. Itaque ſecundum Latinos philoſophos, elementum quodlibet ſubſtantiale compoſitum eſt, quod primò materię, & ſubſtantialis formę coniunctionem experitur, quodque horum duorum principiorum primus quaſi partus exiſtit. Conſtituto autem elemento, ſtatim ab eius ſubſtantiali forma qualitas quædam oritur, quæ propria eiuſdem affectio nuncupatur, cuiuſmodi eſt in igne caliditas, in aere humiditas, in aqua frigiditas, in terra ſiccitas. Et quoniam ſubſtantiales formæ nec ſub ſenſum cadere, nec vllas proximè manifeſtas operationes edere queunt; ſed qualitatibus, veluti inſtrumentis, ad operandum vtuntur, idcirco qualitates ipſæ cùm ſenſui pateant, atque etiam manifę-

Elemẽta ſunt prima corpora, quę ex materiæ, & formæ cõiũctione orta ſim.

Qualitates elemẽtorum eorũ ſubſtantiales formas conſequũtur. Qualitates elementorum

*interdum loco differentiarum ſumunt, ob earum differentias latentes.* ſta operatioonum principia ſint; ſæpe differentiarum, ſeu formarum ſubſtantialium loco accipiuntur. Id enim ferè cõe eſt, vt quotieſcunque alicuius rei ſubſtantialis differentia nos latet; eius loco, ad eandem rem explicandam, propriam eius affectionem adhibeamus. Et propterea cùm ſubſtantiales elemẽtorum formæ occultæ ſint, ſolaque ratione, non etiam ſenſu percipiantur, mirum non eſt, ſi frequẽter Ariſt. quatuor primas qualitates tanquam elementorum ſubſtantiales formas, ſeu differentias acceperit. *Auerroes.* Hæc igitur eſt Latinorum ſñia de formis elemẽtorum: quam etiam inter Arabes aliquando approbauit comm. Auer. 8. Metaph. comm. 5. quanuis lib. 3. de Cęlo comm. 67. ſecus ſenſerit, & docuerit. *Auicenna.* Eadem quoque medicorum principi Auicennæ non diſplicuit: qui cùm, elemẽtorum formas integras, & incolumes in miſto ſeruari, qualitates verò aliquam virium iacturam perpeti, multis in locis exiſtimauerit; ſignificauit, ſe in elemẽtis ſubſtantiales formas, à qualitatibus diſtinctas, agnouiſſe, atque adeo elementa non per qualitates, ſed per latentes, & innominatas ſubſtantias conſtituta eſſe.

*Argumenta communia, quæ pro Latinorum ſententia afferri ſolent.* *Cap. II.*

MVlta ſunt argumenta, quibus hæc Latinorum ſñia communiter probari ſolet, nonnulla quidem ſatis firma; quædam verò, quæ parùm ad rem faciunt. Afferam ego primùm hęc argumenta cõia, quibus Nouus Autor ſatisfacere nititur, vt eius ſolutiones ad veritatis trutinam expendamus. Deinde verò hanc ſñiam, proprijs rationibus confirmabo.

*Argumẽtum primum.* Primò igitur Latini Philoſophi ita argumentantur. Quod vni eſt ſubſtantia, alteri accidens eſſe non poteſt, vt habet Ariſt. 1. Phyſ. tex. 27. & 30. Sed quatuor primę qualitates, vt accidentia in miſtis corporibus inhęrent; ergo formę ſubſtantiales elemẽtorum eſſe non poſſunt. *Secundum.* Secundò, ſi quatuor primæ qualitates eſſent formæ ſubſtantiales elemẽtorum, ſequeretur, vt id, quod in ſe qualitas eſt, ad alterum ſubſtantia eſſet; hoc autem abſurdum eſt; quia ſubſtantia eſt ens abſolutum, non reſpectiuum. *Tertium.* Tertiò, ſi calor ex. gra. eſſet differentia ſubſtantialis ignis; tunc compoſita, ſeu miſta, ignis definitionem haberent: ſed conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Conſequentiam probant; quia quod habet differentiam ſubſtantialẽ alicuius, habet pariter definitionem illius: ſed omne miſtum calidum habet in ſe calorem, qui eſt differentia ſubſtantialis ignis; ergo omne miſtum calidum, ignis pariter definitionem habebit. *Quartum.* Quartò, ſi calor in aliquo eſſet accidens, vt in miſto, in aliquo verò ſubſtantia, vt ponitur eſſe in igne, ergo calor diceretur æquiuocè, eo modo, quo ens de ſubſtantia, & accidente æquiuocè dicitur. *Quintum.* Quintò, ſubſtantia nõ habet contrarium, vt patet per Ariſt. in Prædic. cap. de ſubſtantia: ſed quatuor primæ qualitates ſunt contrariæ, ergo non poſſunt eſſe formæ ſubſtantiales elemẽtorum. *Sextum.* Sextò, ſubſtantia non ſuſcipit magis nec minus, per Ariſt. loco proximè citato: ſed qualitates ſuſcipiunt magis, & minus, ergo elementa tanquam ſubſtantiales formæ non conſtituũt. *Septimum.* Septimò, formæ ſunt ſicut numeri, 8. Metaph. tex. 10. ſed numeri non ſuſcipiunt magis, nec minus, non habent contrarium, ſunt indiſſolubiles: primæ autem qualitates ſuſcipiunt magis, & minus, habent contrarium, & ſunt diuiſibiles, nequeunt igitur eſſe formæ ſubſtantiales elementorum. *Octauum.* Octauò. In ſubſtantia non eſt motus, vt patet, 5. Phyſ. tex. 10. quia in ſubſtantia non eſt contrarietas: ſed ſi quatuor primæ qualitates eſſent formę ſubſtãtiales elementorũ, in ſubſtantia eſſet contrarietas; cùm illæ qualitates ſint contrariæ, igitur in ſubſtantia eſſet motus: non eſt autem motus, vt ait Ariſt. ergo quatuor primæ qualitates non ſunt formæ ſubſtantiales elementorum. *Nonum.* Nonò, ſi quatuor primæ qualitates eſſent formæ ſubſtantiales elementorum, ſequeretur, vt elementorum generatio eſſet alteratio: ſed cõſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Probant conſequentiam, quia eorum generatio haberet pro termino qualitatem; motus autem ſecũdum qualitatem, alteratio eſt, vt 5. Phyſ. tex. 18. Ariſtoteles docet. *Decimum.* Decimò, Ignis, non quatenus ignis eſt, ſed vt calidus, agit quemadmodum ſcribit Ariſtoteles, lib. de Senſu, & ſenſibili, capite de odore, & ſapore, ergo forma, & natura ignis in calore nõ conſiſtit, alioquin Ariſt. diſcrimen inter ignem, qua ignis eſt, & ignẽ, qua calidus eſt, non poſuiſſet: voluit ergo, ignẽ eſſe ignem per formam, & agere per caliditatem, tanquam per aliquid, à forma diſtinctum. *Vndecimum.* Vndecimò, forma ſubſtantialis, quæ materialis eſt, nullam quidem actionem proximè edit, ſed qualitate, vt inſtrumento, ad operandum, vtitur, vt autor eſt Ariſtoteles ſecundo, de Generatione textu 54. & 55. &

libro

libro de Senſu, & ſenſili, capite de odore, ſapore: ſed qualitates elementorum ſine inſtrumento agunt; ergo ſubſtantiales elementorum formæ appellari non poſſunt. Duodecimò, Nulla ſubſtantia eſt per ſe ſenſibilis, vt docet Ariſtoteles 2. de Anima text. 63. & 65. ſed primæ qualitates ſunt per ſe ſenſibiles; ſubſtantię igitur eſſe non poſſunt. Poſtremò, Elementorum affectiones, cùm à ſubſtantijs oriantur, ſubſtantiæ dici non poſſunt: ſed caliditas, frigiditas, & id genus alię, ſunt affectiones elementorũ; igitur eorũ ſubſtãtię dici nõ poſſunt. Minor propoſitio hr̃ apud Ariſt. lib. 3. Metaph. text. 17. vbi ita ſcribit, *Quæ verò maximè ſubſtantiam ſignificare videntur, aqua, ignis, & terra, Ex quibus corpora compoſita conſtant; horum verò caliditates quidem, & frigiditates, & ſimiles paſsiones, non ſunt ſubſtantia.* locus ſanè apertiſſimus eſt, nec vlla indigere videtur explicatione. Nonnullas alias rationes in ſuæ diſputationis peroratione Nouus Autor addit, quæ, quoniã ex præcedentibus robur accipiunt; conſultò, & cogitatò à nobis dimittentur; ne, eas etiam proponendo, volumen augere velle videamur.

Duodecimũ.

Decimũ tertium.

### *Rationes autorũ, ad eandem ſententiam confirmandam.* Cap. III.

SEd præter argumenta communia, nonnullas etiam rationes addere libet, quibus Latinorum ſententia faciliùs confirmetur. Prima eſt huiuſmodi; Si in elementorum conſtitutione, ante omnem qualitatem, & quantitatem, ſubſtantialis forma cum prima materia nõ copuletur, neceſſariò ſequatur, vt nullũ ſimplex corpus, ex primæ materię, & ſubſtãtialis formæ vnione conſurgens, in rerum natura comperiatur: ſed conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Probatur conſequentia; nanque in animalibus, ſubſtantialis forma, quæ eſt anima proximè primæ materiæ non accumbit, ſed miſto corpori adiungitur, materiæ vicem gerenti; & ex hac coniunctione proficiſcitur animal. In miſtis etiam inanimatis, forma ſubſtantialis proximè materiæ primæ non cohæret; quoniam miſta corpora ex elementorum permiſtione, atque ex varia eorundem proportione conſurgunt. Itaque niſi dicamus, ſimplicia corpora, quę ſunt elementa, ex materia, & ſubſtantiali forma, ei proximè, & abſque vllo medio aduenienti, compoſita eſſe, nulla vnquam dabitur ſimplicis corporis generatio. Corpus enim naturale, initio ſecundi libri de Phyſico auditu ab Ariſtotele definitum, illud eſt, quod materiam, & formam, tanquam partes ſubſtantiales, includit; quæ quidem definitio primò elementis aptatur, de quibus tertio lib. de Cælo Ariſtotelis diſputare cępit, tanquam de ijs, quæ primo ex harum ſubſtantiarum coniunctione orta ſunt: habent igitur elementa, præter quatuor primas qualitates, ſuas quæque ſubſtantiales formas, ex quibus compoſita ſunt. Quod adhuc euidentiùs patebit paulò poſt, cùm oſtenderimus, qualitates illas, quæ ſunt accidentia, nullo pacto ſubſtantiales formas euadere poſſe, quod erat præcipuum Græcorum ſententiæ fundamentum. Secunda ratio; In omni ente cuiuſcunque ſpeciei reperitur propria affectio, ab eius ſubſtantiali forma proficiſcens: igitur elementa, præter qualitates proprias; quæ ſunt eorum affectiones, habent pariter ſubſtantiales formas, à quibus illæ affectiones oriantur. Nec eſt, quod dicat aliquis, elementa hanc veluti prærogatiuam habere, vt eorum qualitates formarum ſubſtantialium munere fungantur, quòd ſimplicia corpora ſint: nã ſimplicitas miſtionem quidem plurium partium diuerſorum generum excludit, compoſitionem vero materiæ, & formæ ſubſtantialis non item: nemo enim eſt, qui neſciat, elementa ideo ſimplicia corpora vocari, quia non ſunt miſta. Si igitur in omnibus entibus reperitur propria affectio, quæ eſt veluti partus formæ ſubſtantialis; cur non item in elementis propriæ qualitates, à ſubſtantialibus formis, interioribuſque differentijs orientes, ſtatuentur? Tertia ratio; Quid obſecro, in cauſa eſt, cur in elementis ſubſtantiales formas, à qualitatibus diſtinctas, nõ ſtatuamus? Dicet fortaſſe aliquis, quia in elementis, præter qualitates, nullæ aliæ formę conſpiciuntur. An igitur, quia non apparent ſubſtantiales elementorum formæ, ſed intus latent, & aſpectum noſtrum effugiunt, ita negandæ ſunt, vt ne mente quidem concipi poſſint? Profectò ſi ita eſſet, multarum etiam rerum ſubſtantiales formæ omnino negarentur; multæ enim ſunt ſubſtantiales formæ, & ſpecificæ differentiæ, quæ nos omnino latent: ignoramus enim ſubſtantialem formam bouis, equi, leonis, aſini, & aliorum animalium, quorum tãtummodo proprias affectiones intelligimus; Dicemus ne igitur, affectiones illas eſſe formas ſubſtantiales horum animalium? aut huiuſmodi animalia ſubſtantialibus for-

Prima ratio.

Qui negãt in elemẽtis, pręter qualitates primas, formas ſubſtantiales innoiatas, negãt ſimplicis corporis generationem.

Secunda rõ.

Occupatio.

Tertia ratio.

mis penitus carere, quia nomina non habemus, quibus ipſas exprimerè poſſimus? Multæ aliæ ſunt rationes, & quidem validiores, quibus ſimul & Latinorum ſententia probari,& Græcorum opinionis abſurditas oſtendi poſſet:eas ſuſpendemus nũc,quàs nihilominus infra ponemus,cùm Noui Autoris reſponſiones ad Latinorum argumenta reijciemus.

*Latinorum ſententia Ariſtotelis autoritatibus roboratur. Cap. IV.*

VErùm quoniam iactat ſe Nouus Autor, ſectione 2.c.1.ſub finem,ad confirmandã Græcorum ſententiam,multas Ariſtotelis autoritates attuliſſe: Latinos verò philoſophos ne vllum quidem locum aſſignare poſſe,vbi,elementorum qualitates accidentales eſſe, Ariſtoteles dixerit;ideo ne in peripatetica philoſophia ieiuni omnino videamur, opportunum eſſe duximus, Latinorum ſententiam,iam ſatis rationibus probatam,nonnullis etiam Ariſtotelis autoritatibus,confirmare. Eſſet quidem moleſtum,innumera afferre Ariſtotelis teſtimonia,quibus,reſpectu habito ad duplicem elementorum conſiderationem, varijs in locis quatuor primas qualitates modò alterationum principia,modò accidentia, ad tertiam qualitatis ſpeciem attinentia:interdum ſecundarum qualitatum principium: nonnunquam materiam;aliquando etiam differentias,formas,atque elementorum principia nuncupauit. *Niſi* enim priùs duplex elementorum conſideratio perfectè cognita ſit; nunquam certe Ariſtotelis autoritatibus verus, atque germanus ſenſus aſcribi poterit. Hineque factum eſt, vt Interpretes varij, variè de Ariſtotele ſentientes,autoritates illas ſuis quique opinionibus accommodarint. Afferam nihilominus autoritates nonnullas, ex quibus apertiſſimè vnuſquiſque elicere poterit, Ariſtotelem ſæpius quatuor primas qualitates accidentia nuncupaſſe. Itaque qualitates primas non eſſe ſubſtantias, ſed ſenſibilium rerum affectiones, docet Ariſtoteles 8. Metaph.tex.5.in cuius extrema parte de qualitatibus loquens, hæc ſcribit ad verbum, *ſubſtãtia itaque nihil horum eſt, neque combinatum, attamen proportionale in vnoquoque*. & paulò antè vocat eas ſenſibiles paſſiones, dum ait, *Quædam ſenſibilium paſſionibus, vt duritie, & mollitie, & denſitate, & raritate, & ſiccitate, & humiditate*. Hoc idem confirmat quinto eiuſdem operis lib.tex.19.vbi qualitates iſtas ſubſtantiarum mobilium paſſiones hiſce verbis appellat. *Item quæcunque ſubſtantiarum, quæ mouentur, paſſiones, vt caliditas, & frigiditas, albedo, & nigredo, grauitas, & leuitas, & quæcunque ſimilia*. Idem docuit 8.lib.de Phyſico auditu tex.55.vbi aſſeruit, denſitatem, & raritatem omnium paſſionum principia eſſe, & inter paſſiones, primas qualitates numerauit:ita enim ſcribit, *Amplius autem omnium paſſionum principium eſt denſitas, & raritas: etenim graue, & leue, & molle, & durum, & calidum, & frigidum denſitates videntur eſſe, & raritates quædam*. Locus etiã apertiſſimus eſt in 7. Phyſ. tex.12.vbi per ſenſibiles paſſiones, in quibus ſupra, hoc eſt textu 11.primas quoque qualitates numerauit, alterationem fieri hiſce verbis aſſeuerauit, *Si igitur ſenſibiles quidem paſſiones ſunt, per has autem alteratio eſt*. Locus etiam eſt conſpicuus in 1.de Gene.& interitu text. 24.vbi Ariſtoteles huiuſmodi qualitates affectiones, & accidentia nuncupauit:ſic enim ait, *In his autẽ ſi aliqua maneat paſſio eadem contrarietatis in generato, & corrupto, quando ex aere aqua, ſi ambo tranſparentia, & frigida, non oportet, alterã huius paſſionẽ eſſe, in quã tranſmutatur*. Hoc idem etiam confirmauit in fine quarti libri Methereol. vbi actionem, à forma ignis proficiſcentem, minus manifeſtam eſſe docuit, quàm actionem formæ carnis: ſic enim habet, *Sic igitur & caro: ſed opus ipſius minus manifeſtũ eſt, quã quod lingua: Similiter autẽ & ignis: Sed adhuc minus fortè naturaliter, quã carnis opus*. Hæc autem ſententia dubio procul falſa eſſet, ſi calor ſubſtantialis forma ignis diceretur: cùm caloris actio omnibus pateat. Aliæ plures ad id oſtendendum Ariſtotelis autoritates afferri poſſent; ſed magis puto eſſe philoſophi rationibus, quàm autoritatibus decertare.

A duplici elementorũ cõſideratione quatuor primæ qualitates varia nomina ſortitæ ſunt.

Prima autoritas.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Philoſophus debet potius rõnib. quàm autoritatib[9] decertare. lege Cic. circa initium li. 1. de nat. Deo.

*Fundamentum opinionis Græcorum, quo ad primam propoſitionem euertitur. Cap. V.*

PRobata iam ſatis, & confirmata Latinorum ſententia de ſubſtantialibus elementorum formis, illud præterea, ad eius veritatem planiùs aperiendam, neceſſarium videtur, vt. ſ. Græcorum opinionis abſurditatem oſtendamus: quod facilè quidem præſtabimus, ſi fundamentum, quo tota ſententia nititur, omnino diruemus. Fundamentum itaque opinionis Græcorum, à Nouo Autore relatum, in quattuor propoſitionibus conſiſtere videtur, quas omnes ſin-

Fũdamẽtum opinion. Græcorũ, in qua-

ſingillatim cõfutare cõſiliũ eſt, hīcq; Nouus Autor videbit, quãta eũ obruat incõmodorũ cõſecutio. Prima ꝓpoſitio ea eſt, Corpus abſolutè ſumptũ, vt corpus eſt, ex prima materia, & trina dimenſione, ei proximè, & abſq; vllo medio adueniente, in eſſe corporis conſtituitur. Hęc ꝓpoſitio in primis ipſiuſmet Noui Autoris doctrinæ penitus aduerſatur; qui tuẽ, materiã primã per ſe, exiſtentiã nullã habere, ſed exiſtentiã oẽm à forma recipere. Tũc ſic argumẽtor; eo tꝑis momẽto, quo trina dimẽſio materię aduenit, materia non exiſtit, quia formã nõ hẽt; trina igitur dimẽſio materiæ non exiſtẽti aduẽniet, quo neſcio quid cogitari poſſit abſurdius; nã cũ quantitas, quę eſt accidẽs, ſeorſum exiſtere nequeat; opus eſt, vt alicui ſubiecto, per ſe exiſtẽti, cohæreat; ſed materia abſq; forma, eo autore nõ exiſtit; ergo materia abſq; forma quãtitatis, ſeu trinæ dimenſionis ſubiectũ eſſe non põt, Niſi fortaſſe quis diceret, trinã dimenſionẽ exiſtentiam materiæ tribuere, atq; adeo ſubſtantiam ab accidente exiſtentiam recipere, quod quàm falſum, & abſurdum ſit, intelligere omnes, opinor, Sed quantitatem proximè, abſque intermedia ſubſtantiali forma, in materia recipi, falſum eſt adeo, vt ne ſi cũ alijs quidem, immò cum veritate ipſa tueamur, materiam abſque forma propriam exiſtentiam habere, trinam dimenſionem ſubſtãtialem formam in materia præcedere, aſſerere poſſimus. Etenim ſi proximè trina dimenſione materiæ accedente, ipſa materia in molem augeretur, indeque corpus in eſſe corporis conſtitueretur; tunc accretio mutationes omnes antecederet: quod aduerſatur Ariſt. in toto primo lib. de Generatione, vbi docet, generationem omnium mutationum primam eſſe. Et ratio etiam id ipſum ſuadere videtur; quod enim nondum genitum eſt, nec augeri, nec minui, nec alterationem perpeti, nec alio quopiã modo mutari põt.

tuor propoſitionibus conſiſtit.

Prima propoſitio.

Hæc propoſitio aduerſat nouo Autori

Rõ euidens contra prędictam propoſitionem.

### *Oſtenditur, in doctrina Ariſt. non dari corpus, ter dimenſum.* Cap. VI.

SEd quicquid Græci de hoc ter dimenſo corpore aſſeruerint, certò ſcio, illud nunquã ab Ariſt. poſitum eſſe: qui, præter cõem materiam rebus omnibus, quæ generantur, & intereunt, nullibi in ſua philoſophia corpus vllum cõe finxit, ex quo res procreẽtur, ſed quatuor tantummodo elementa conſtituit, ex quorum permiſtione miſta corpora coaleſcunt, quæq; etiam ſæpius ſecundam materiam, vel ſecundum ſubiectum appellauit. Nolo, vt hac de re pluribus agamus: afferam ſolùm precipuum Ariſt. locum, ex quo Nouus Autor hoc corpus ter dimenſum elici poſſe exiſtimauit, vt omnes intelligant, an locus ille rectè expoſitus ſit. Locus eſt in primo de generatione tex. 33. vt Nouus Autor refert, ſect. 3. cap. 13. Quærit ibi philoſophus, an cùm ex aqua fit aer, accretio vlla fiat, cùm abſque dubio moles augeatur. Reſpondet, tunc quidem fieri vnius generationem, & alterius interitum: accretionem verò neutrius. Si autem alicuius accretio eſſe deberet, eſſet certè alicuius cõis corporis: quod quidem corpus, ſecundum Græcorum ac potiſſimum Io. Grammatici interpretationem, eſt illud ter dimenſum, de quo modo loquimur, ſeu prima materia in molem aucta. Et addit Nouus Autor, Ariſtot. poſuiſſe hoc corpus: quoniam non dixit, corpus illud auctum dici non poſſe, quia non adſit: ſed concedit, adeſſe: aitque auctum dici non poſſe; quia non habet conditiones eius, quod augetur, quas Io. Grammaticus explicat. Ceterùm tam Io. Grammaticus quã Nouus Autor à vero illius contextus intellectu receſſerunt. Mitto, Io. Grammaticum per corpus cõe interpretatum eſſe corpus vniuerſale, quod eò aſſerit augeri non poſſe, quia quod augetur, debet eſſe particulare: non. n. hanc corporis communitatem Ariſt. intellexit: ſed communitatem ei ſimilem, quam habet materia prima ad omnes formas ſucceſſione recipiendas. Mitto etiam alia multa, quæ in illius contextus interpretatione idem Io. Grammaticus aſſeruit, ne à re noſtra longiùs recedamus. Dabo ſolùm cõem illius contex. explanationem, vt oſtendam, tantum abeſſe, vt Ariſt. in eo textu corpus illud ter dimenſum poſuerit, vt potius illud ipſum penitus reiecerit. Cùm igitur iam Ariſt. docuiſſet, accretionem, alicuius corporis acceſſione fieri; ne quis fortè putaret tranſmutationem illam, qua aqua in aerem vertitur, accretionem eſſe, cùm corpus maioris molis factum ſit; hunc errorem amouet, oſtenditq; per locum à ſufficienti diuiſione, tranſmutationem illam accretionem non eſſe. Vel enim, inquit, eſſet accretio aquæ, vel aeris, vel alicuius cõis corporis, quod idem re ipſa ſub vtroque tranſmutationis termino maneret. Primùm dici non poteſt, quoniam forma illius rei, quæ augeẽ, in tota tranſmutatione incolumis ſeruari debet, vt ex tertia accretionis conditione manifeſtum eſt: forma verò aquæ penitus abolerur. Neque ſecũdum, quoniam id, quod creſcit,

Locus Ariſt. vnde nouus Autor elicuit dari corpus ter dimẽſum.

Animaduerſio noui Autoris.

Io Grammatici error.

Vera interpretatio tex. 33. lib. 1. de Gener.

ante accretionem exiſtere, &,alicuius exterioris corporis acceſſione, incrementum accipere debet:aer verò ante accretionem non fuit,ſed recens genitus eſt. Remaneret igitur tertium, nimirum id,quod auctum eſt,eſſe corpus illud cōe:ſed neque hoc dici poteſt,quia nullum huiuſmodi corpus reperitur:iam.n.ante,contra veteres philoſophos demonſtratione probauit, id, quod rebus omnibus generabilibus, & diſſolubilibus ſubijcitur,nullis qualitatibus, aut cuiuſuis generis accidentibus affectum eſſe debere: veteres autem philoſophi pro vniuerſali rerum ſubiecto aut aerem,aut aquam,aut huiuſmodi aliud ſtatuebant;propterea dixit Ariſ.

Ariſt præter primam materiam,nullũ cōmune corpus admiſit.

*Sed hoc eſt impoſſibile*:quia iã ſatis ante probauerat, nullum huiuſmodi corpus cōe reperiri poſſe;ſed ſolam dari materiam primam,omnis qualitatis expertem. In eo igitur textu neque ponit Ariſt.dari corpus ter demenſũm:neque illud,ab alijs poſitum,reprobat:neq; de eo vllo pacto ſermonem habet:ſed negat ſolùm corpus illud commune,à veteribus poſitum,& negat pariter,illud idem ſi daretur, augeri poſſe, quia conditiones, ad accretionem requiſitas, non haberet.

*Euertitur fundamentum opinionis Græcorum quo ad ſecundam propoſitionem.* *Cap. VII.*

Secunda propoſitio.

SEcunda propoſitio eſt, huic corpori, ex materia prima, & trina dimenſione conſtituto, quatuor primas qualitates accidere:quæ ad eius quidem eſſentiam non pertinent, ſed illius accidentia dicuntur,quia eidẽ;iam conſtituto,adueniunt. Hæc propoſitio multa pariter

Prima rõ cõtra hanc propoſitionem. Accidẽs quõ dicatur ſubiectum accidẽtis.

incommoda continet. Primo.n.habemus ex Ariſt.4. Metaph.textibus 13.& 14.verum, & proximum accidentium ſubiectum eſſe ſubſtantiam: vnum autem accidens alteri accidenti accidere non poſſe,niſi quatenus ambo alicui tertio accidunt, nimirum ſubſtantiæ. Et quãuis quantitas alterius accidentis ſubiectum eſſe videatur, vt albedinis, caloris, & huiuſmodi; potius tñ quantitas neceſſaria quædam affectio in ſubiecto dicitur, vt alia accidẽtia corporea recipiat, quàm vt verum,& proximum ſubiectum ſit,in quo verè eiuſmodi accidentia inhæreant. Si.n.ferrum calefiat,caliditas proximè in ferri ſubſtantia,tanquam in ſubiecto recipitur,non autem in ſuperficie:quantitas autem eſt ratio, cur caliditas per totam ferri ſubſtantiam extendatur. Id cùm ita ſe habeat,liceat ſic argumentari; Si quatuor primæ qualitates ter dimenſo corpori accidunt, igitur eædem proximè non in quãtitate, ſed in materia, vt in ſubiecto recipiuntur;atq; adeo ſubſtãtia materiæ,ſimul calida, frigida,humĩda,& ſicca erit: quod maximè,abſurdum eſt,qm̃ materia per ſe, & abſque forma ſpectata eſt propè nihil,& minimum ens, vt docet Ariſt.1.Phyſ.rationi autem conſentaneum non eſt, vt hoc minimũ

Secunda rõ.

ens tot ſimul qualitatibus affectum ſit. Præterea, ſi huiuſmodi qualitates proximè abſque forma in materia reciperentur,tunc materia per ſe,& abſque forma eſſet qualis:quod eſt cõtra Ariſt.7.Metaph.tex.8.vbi docet, materiam non eſſe quid,nec quale,nec quantum. De-

Tertia ratio.

nique ex Græcis libentiſſimè quærerẽ,à quo nam corpore qualitates illæ fluant, quas ter dimenſo corpori accidere dicunt? Aut in quo nam ſubiecto inhæreant? Ab elemẽtis quidem fluere non poſſunt: nam, vt ipſi docent, cùm huiuſmodi qualitates ter dimenſo corpori accidunt,non dum elemẽta conſtituta ſunt. Neq; etiam in materia, vt in ſubiecto inſunt:tũ quia illi non acciderẽt: tùm etiam quia illa abſurda ſequerẽtur, quæ paulò ante tetigimus: per ſe igitur,& abſq; vllo corpore huiuſmodi qualitates ſubſiſterẽt,quod merum monſtrum videatur in peripatetica philoſophia.

*Euertitur fundamentum opinionis Græcorum, quoad tertiam, & quartam propoſitionem.* *Caput VIII.*

Tertia propoſitio.

TErtia propoſitio eſt, Vbi duæ, aut plures qualitates ſimul iunguntur,tunc ex hac vnione vim quandam accipiunt, vt ex ipſis,tanquàm ex ſubſtantialibus formis, & ex corpore ter dimẽſo,tanquam ex materia,corpus naturale,puta elemẽtum, conſtituatur. Et idcirco primæ qualitates,ob earũ nexum, ſubſtãtiales elementorũ formæ iã euadunt,quia ipſis, iam conſtitutis,non accidũt,ſicut accidunt corpori ter dimẽſo; ſed ipſa ſecundum ſubſtantiã

Confutatio.

conſtituunt. Profectò ſi vera eſſet hæc propoſitio, inciperẽ credere, & hominem aſinum, & aſinum hominem euadere poſſe:minus.n.diſtat homo ab aſino,quàm accidens à ſubſtantia: nam homo ab aſino differt ſpecie,accidẽs verò à ſubſtantia differt genere,& eo quidem generaliſſimo. Iam verò qui fieri vnquam poteſt, vt quatuor primæ qualitates,quæ diſiunctæ ac-

cidentia ſunt;coniunctæ formæ ſubſtantiales euadant? Neſcio certè, quam nam virtutẽ earum nexus,& vnio ad id muneris obeundum habere poſſit:illa enim vnio nil aliud planè eſt, quàm relatio;at nulla relatio vim habet,qualitatem in ſubſtantiam tranſmutandi ; cùm ex non ſubſtantia ſubſtantia fieri nequeat, vt 1. Phyſ. Ariſtoteles docet . Si itaque quatuor primæ qualitates per ſe accidentia ſunt;fieri certè nunquam poterit, vt etiam ſi ſimul cum alijs qualitatibus iungantur, in ſubſtantiarum genus commigrent. Quarta propoſitio eſt, Quemadmodum forma pars ſubſtantialis materiæ appellari non pōt: quia ei ex accidẽti ineſt; ſed appellatur pars ſubſtantialis compoſiti;quia iuncta cum materia,compoſitum conſtituit;ita quatuor primæ qualitates non dicuntur partes ſubſtantiales corporis ter dimenſi; quia ei ex accidenti aduenjunt;ſed dicuntur partes,ſeu formæ ſubſtantiales elementorum; quia illis exiſtentiam impertiuntur. Hæc propoſitio ſumpta eſt à Nouo Autore gratia exempli , ad Græcorum ſententiam facilius explicandam : ſed profectò hoc exemplum de illorũ numero eſt, in quibus nulla veritas reperitur. Primò falſum eſt, formam materię ad modum accidentis , vel ( vt ipſe ait ) accidentaliter vniri : contingit quidem , vt materia modò hac, modò illa forma prædita ſit ; forma tamen materiæ non inhæret, eo modo, quo accidens inhæret ſubiecto ; eſt enim ſubſtantia , ſicut & materia ; & propterea ex ipſis ſimul , non ad modum accidentis, ſed ſubſtantiæ iunctis; vnum per ſe, quod eſt compoſitum ſubſtantiale, proficiſcitur. Sed demus Nouo Autori , eodem modo formam materiæ accidere , quo quatuor primæ qualitates accidunt corpori ter dimenſo; tunc contra ipſum ſic argumentor; Quatuor primæ qualitates accidunt corpori, iam conſtituto, &, vt ipſe ponit, iam exiſtenti; ergo forma accidit materiæ, iam exiſtenti: quod eſt contra ipſum, qui materiam à forma, exiſtentiam accipere putauit. Sed præterea ex hoc etiam elicitur, exemplum, ab eo allatum, neque verum eſſe, neque ad rem propoſitam explicandam accommodatum: quoniam forma, & materię adueniens, & compoſitum conſtituens, ſubſtantia ſemper eſt: primæ autem qualitates , vt ipſe dicit, dum ter dimenſo corpori adueniunt, ſunt accidentia: dum autem elementa conſtituunt, ſunt ſubſtantiæ: Similitudo igitur inter quatuor primas qualitates , & formam ſubſtantialẽ, materiæ aduenientem, nulla eſt.

Quarta propoſitio.

Confutatio.

Arg. efficax contra nouũ Autorem.

Aliud argũ.

## P A R S T E R T I A,

### IN QVA NOVI AVTORIS RESPONSIONES AD argumenta Latinorum refutantur.

*Noui Autoris fundamentum, e Simplicio ſumptum, ad Latinorum rationes diluendas. Caput Primum.*

QVæ nam ſint Græcorum, & Latinorum de formis elementorum opiniones; quibus rationibus illæ firmentur; atque Ariſtotelis autoritatibus , tanquam præcipuis fundamentis nitantur; ſatis ſuperque à nobis hactenus oſtenſum eſt. Nunc verò, quia Nouus Autor Græcorum partes, nos Latinorum tuemur; idcirco paulò propiùs cum illo nobis decertandum eſt. Et quoniam ipſe , ſect. 3. ſuæ diſputationis, Latinorum rationibus diluendis totus incumbit; ideo nos arguentis perſonam ſuſcipientes, ſingulas eius reſponſiones expendemus, & quanti roboris illæ ſint, patefaciemus. Antequam autẽ Latinorum argumentis ipſe reſpondeat, c. 1, eiuſdem ſectionis, nonnulla veluti fundamenta iacit, ad qualitatem pręcipuè pertinentia, quibus ſe faciliùs argumentis occurrere profitetur. Orditur itaque à quodam dicto Simplicij, in prædicamentis, cap. de qualitate, vbi ait, non eſſe facilè diſcernere, cur vna, & eadem exiſtens qualitas in aliquibus ſubſtantialis, in aliquibus verò accidentalis ſit; veluti albedini contingit, quæ in ceruſſa, & lacte ſubſtantialis eſt, in alijs autem multis accidentalis. Quærens poſtea Simplicius in fine quartæ ſpeciei qualitatis, an omnis qualitas ſubſtantialis fieri poſſit, addebat hoc (ait Nouus Autor) neceſſarium eſſe , in corporibus concedere, qualitates aliquas alicubi ſubſtantiales fieri. Hæc, quę Simplicius propoſuit, ad qualitatem attinẽtia, non planè explicuit (ait Nouus autor) ſed mouit tantũ; ideo ipſemet ſatis quidem modeſtè id ſe explicaturum, & demonſtraturum pollicetur, quod Simplicius

Dictum Simplicij pro fundamẽto ſuę diſputationi à nouo Autore ſumptum.

Dubiũ à Simplicio propoſitũ, nec planè explicatũ, quod nouus Autor ſoluere intendit.

plicius

Tres quæſt. à nouo Autore ſoluendæ. Prima. Secunda. Tertia.

plicius implicatum,& immanifeſtum reliquit. Iam verò tribus præcipuis quæſtionibus, huc pertinentibus, ſe reſponſurum profitetur. Prima eſt, quonam modo vna, & eadem qualitas huic ſubſtantialis, illi accidentalis dicatur. Altera, quonam modo vna,& eadem qualitas eidem rei modò ſubſtantialis, modò accidentalis fiat. Tertia, quæ videtur maioris momenti, qua ratione vna qualitas eidem ſimul & ſubſtantialis,& accidentalis ſit. Principium explicationis dictarum quæſtionum ſumit à definitione qualitatis, quam Ariſtoteles initio prædi-

Definitio qualitatis ab Ariſtot. tradita.

camenti qualitatis ita tradit, *Qualitatē autē dico, ſecundū quam quales quidā dicuntur.* Quęrit cum Simplicio, quę nam ſit iſta definitio? Non enim qualitatis propria eſſe videtur: quoniam cætera quoque prædicamenta ita ſuo modo definiri poſſent, dicendo .ſ. quantitas eſt, ſecundum quam quantum quiddam eſſe dicitur,& ſic de alijs. Nihilominus aſſerit, definitio-

Eſſe qualitatis ſecundum nouum Autorem in haberi,& participari cóſiſtit.

nem hanc qualitatis maxime propriam eſſe, vtpote quæ propriam, atque eſſentialem eius cōditionem contineat: eius enim eſſe in haberi,& participari conſiſtit: ideo dicebat Ariſtoteles, ſecundas ſubſtantias, quatenus inſunt in primis, non hoc aliquid, ſed potiùs quale quid ſignificare. Quare cum non ſit aliud qualitatis eſſe,& aliud participari; ſed eſſe qualitatis in participari conſiſtat: hinc ſit, vt, ſi albedo aliqua ſeparata,& imparticipabilis ſit, albedo illa qualitas dici nulla ratione poſſit. Competit autem hæc conditio, ratione qualitatis, omnib. prædicamentis: nam quatenus in illis participatio eſt, eatenus in illis qualitas eſſe dicitur; ita vt vel in qualitate ipſa ſit qualitas, pro varietate participationis. Si quis autem quærat,

Cur eſſe qualitatis in participari conſiſtit. Rō noui Autoris.

cur eſſe qualitatis in participari conſiſtat? Reſpondet Nouus Autor huiuſmodi ratiocinatione, ens, inquit, aut ſubſtantia, aut accidens eſt: accidentis eſſe eſt ineſſe: ſubſtantia verò, aut eſt materia, aut forma, aut compoſitum. Compoſitum per ſe ſubſiſtit: materia verò, & forma ſunt in alio, hoc tamen diſcrimine, quia materia eſt tanquam quid antepoſitum: forma verò tanquam adueniens ad inexiſtendum materiæ. Quare eſſe formæ materialis, eſt ineſſe, non ſolum compoſito, cuius eſt ſubſtantialis pars, ſed etiam materiæ, quæ ab ipſa ponitur. Quapropter materia quodammodo ad formam, habet rationem ſubiecti: & forma quodammodo ad materiam, habet rationem eius, quod eſt in ſubiecto. Cùm igitur,& accidentibus,& ſubſtantialibus formis alicui, ante poſito, ineſſe conueniat, nec ſubſtantialibus formis conueniat, quatenus tales ſunt, alioquin accidentibus conuenire non poſſet: neque item conueniat accidentibus, vt accidentia ſunt, quia non poſſet conuenire ſubſtantialibus formis: neceſſe eſt, vt vtriſque per aliquod ambobus commune conueniat. Quidnam autem ſit hoc commune, indagare nititur huiuſcemodi ratione; Quod ineſt alicui, facit illud differ-

Raciocinatio Noui Auto. qua indagare nititur, quid nā ſit illud cōmune, per q & accidentibus,& ſubſtātialib. formis alteri ineſſe cōpetit.

re ab alio, quia ſe habet vt actus ad potentiam: quod facit differre vnum ab altero eſt differentia: (definitur enim vno modo differentia, vt ſit id, quo differunt à ſe ſingula) differentia denotat qualitatem, cùm prædicetur in quale: relinquitur ergo, vt qualitas illud commune ſit, propter quod & formis,& accidētibus ineſſe alteri competit, adeo vt amborum eatenus ſit ineſſe, quatenus eorundem eſt qualia reddere: cùm autem ineſſe nil aliud ſit, quàm haberi,& participari ab alio; ſequitur, vt qualitatis eſſe in haberi, & participari conſiſtat. Id cū ita ſe habeat, vt .ſ. qualitatis eſſe in haberi, & participari poſitum ſit: oportet, vt pro varietate participationis, qualitas varium eſſe ſortiatur. Participatio igitur eius, quod alteri ineſt,

Participatio eius, quod alteri ineſt, tribus modis cōtingere pōt.

tribus modis contingere poteſt. Primò, vt participatum ſit tanquam adueniens ſubſtantię, iam exiſtenti; & ſic oritur qualitas, pertinens ad prædicamentum qualitatis. Secundò vt participatum ſit ſimul vniens,& concomitans principia, rem ſecundum eſſentiam conſtituentia, qualis eſt albedo niuis. Tertiò vt participatum ſe habeat tanquam quid ſecundum eſ-

Cur caliditas ignis vim habeat cōſtituendi.

ſentiam conſtituens, veluti caliditas ignis. Reddit autem rationem, cur caliditas ignis, cùm pura ſit, participari debeat, tanquàm conſtituens. Et ratio ea eſt, quia primum, quod ineſt in materia, vel participatur materiæ (vt vtar eius verbis) quæ eſt ſubiectum rerum generabilium,& diſſolubilium, debet eſſe actiuum,& paſſiuum: primum autem actiuum, & paſſiuum ſunt primę qualitates: propterea & caliditas ignis,& aliæ primę qualitates participātur materię, tanquam conſtituentes. Cùm enim in materia proximè recipiantur,& materia natura ſua indeterminata,& determinabilis ſit, nullo autem modo determinans; ſit, vt primę qualitates tanquam determinantes, atque adeo tanquam conſtituentes participentur; quia ex determinante,& determinabili, ſimul iunctis, aliquid neceſſariò conſtituitur. His

Solutio 1. q. Nonis.

premiſſis, explicat nunc quęſtiones illas, quę paulò antè propoſitę ſunt. Prima erat, quomo

do

do vna,& eadem qualitas huic ſubſtantialis, illi verò accidentalis ſit. Reſpondet, hoc ideo eſſe, quia huic ſecundum ſubſtantiam, illi ſecundum accidens participatur: huic tanquam determinans; illi minimè: huic tanquam intimè conſequens,& ſecundum eſſentiam, vt niuis cādor; illi tanquam extrinſecùs adueniens. Altera erat, quomodo vna qualitas eidem rei modo ſubſtantialis, modò accidentalis ſit. Reſpondet, non ſecundum omne eſſe, vnam qualitatem eſſe ſubſtantialem; quia non adhuc habet participationem ſubſtantialem: non dum habet perfectum, quod requiritur: non dum eſt tantum progreſſa, vt determinet. Sic in habitu, & diſpoſitione contingit: diſpoſitio.n.nondum eſt habitus, quia nondum tantum progreſſa eſt. Vna igitur qualitas tunc eſt accidentalis, cùm nondum eſt tantum progreſſa, vt determinet: tunc eſt ſubſtantialis, cùm iam progreſſa eſt, habetque participationē ſubſtātialem. Nec nouum eſt (inquit) perfectum, & imperfectum alicubi ſpecie differre: ita.n. perfecta, & imperfecta quantitas, ita auctio, & diminutio ſpecie differunt. Tertia erat, qūo vna qualitas eidem ſimul ſubſtantialis,& accidētalis ſit. Reſpondet, quia eadem qualitas, & vt miſta, & vt corpori accidens, atq; ab eodē recedens, conſiderari pōt: primo modo eſt ſubſtātialis; ſecūdo modo accidētalis. Ratio eſt, quia vt miſta, eſt ſm ſubſtantiam participata: vt aūt extra circunfuſa, vel tanquam effectus qualitatis internæ, vel quouis alio modo, ſecundum accidens tantùm. Hinc elicit primò qualitates elemētarias varia ratione in diuerſis ſpeciebus vnius prædicamenti, immò etiam in diuerſis prædicamentis collocari poſſe: quemadmodum etiā figura varia ratione & in quantitate,& in qualitate ſtatuitur. Elicit deinde, qualitates elemētares, eò quia maximè propriè differre faciunt, ſubſtantiales elemētorum differentias noncupari. Tandem explicat quæſtionem, à Simplicio propoſitam, vtrum.ſ. omnis qualitas poſſit fieri ſubſtantialis. Et reſpondet non poſſe; quia illæ qualitates, quæ non ſunt natæ, niſi aduenire ſubſtantiæ, iam exiſtenti, & propriè qualitatis nomen ſibi vendicāt, ſubſtantiales fieri non poſſunt. Alia plura in eodem capite addit, quæ quoniam nunc ad rem noſtram non admodum faciunt, ideo opportuniore loco conſiderabuntur.

Solutio 2. q̄ſtionis.

Solutio tertiæ quæſt.

Solutio quæſtionis à Simplicio propoſitæ.

*Quæ ex Nouo Autore ſuperiore capite relata ſunt, confutantur, primoq́ fundamentum illud è Simplicio ſumptum debile eſſe oſtenditur.* *Cap. II.*

INterim quæ ab eo hactenus dicta ſunt, diligñter examinemus. Et primò fundamētum illud ex Simplicio decerptum, ad Latinorum rationes diluendas, parùm profectò illi prodeſſe poteſt. Dicebat Simplicius, difficile eſſe cognoſcere, quomodo vna,& eadem qualitas aliquibus accidentalis, aliquibus verò ſubſtantialis ſit: &, ſecundum Nouum Autorem, addebat hæc verba, *Neceſſariū eſſe in corporibus concedere aliquas qualitates fieri alicubi ſubſtantiales: albedo.n.cū ſit accidens, ſit ſubſtantialis in ceruſſa, & niue*. Verba hæc Nouus Autor ſatis lepidè propriæ ſnīæ accōmodauit: nam ſi, ſecundum Simplic. albedo in niue,& ceruſſa eſt qualitas ſubſtantialis, inde facilè ſequeī, vt caliditas, frigiditas,& cęteræ primę qualitates in elemētis ſubſtantiales ſint; cùm præſertim neceſſe ſit, ſecūdū Simpl. qualitates aliquas in corporibus alicubi ſubſtantiales fieri. Cæterum tametſi de hiſce verbis parùm laborādum ſit, nihilominus hoc vnū admonendum cenſui, virū hunc, neque ipſa Simplicij verba ſedulò attuliſſe, neque ex ipſis verum, atque germanum ſenſum elicuiſſe. Nullam enim Simplicius neceſſitatem inducit, vt alicubi qualitates in corporibus ſubſtantiales ſint; ſed ita ſcribit ad verbum, *Niſi hoc concedendū ſit in corporibus: nā albū, cū ſit accidens, ſit ſubſtantialis differentia in ceruſſa*. Ex quibus verbis, ſi veram Simplicij mentem attendere velimus, nihil plane aliud eliciemus, niſi qualitates aliquas, quæ ad aliqua ſubiecta, pura accidentia ſunt, ad alia, loco ſubſtantialium differentiarum ſumi poſſe. Et ne ab eodem Simplicij exemplo recedamus, albedo in pariete accidentalis qualitas dicitur; quia parieti accedit,& ab eodem recedit, citra vllum eius interitum: albedo verò in ceruſſa ſubſtantialis differentia nuncupatur, quia ceruſſæ non extrinſecùs accedit, ſed illi propria, atque intima eſt. Et quoniam ſubſtantiales rerum differentiæ latent nos, atque adeo ſi ceruſſam definire vellemus, eius ſubſtantialem differentiam habere non poſſumus; ideo eius loco albedinem accipimus, tanquam illi maximè propriam: & propterea albedo in ceruſſa nomen ſubit qualitatibus, ſeu differentiæ ſubſtantialis. Hunc puto, ſenſum eſſe verborum Simplicij: qui, ſi ita accipiatur, nullo certè Nouo Autori adiumēto eſſe poteſt, ad Latinorum rationes diluēdas: ſin ſecus, vt.ſ. voluerit

Noui Autoris fundamētū debilitaī.

Adulterina verba ſimplicij à Nouo Autore relata.

Verba Simplicij ex ipſiuſmet contex. elicita.

Vera horum verborū expoſitio.

Subſtātiales rerū differentiæ latēt nos. lege Auer. 8. Met. com. 5.

Simplic. albedinẽ re vera eſſe formã, & differentiã ſubſtantialẽ ceruſſæ; id tanquã falſum reijcimus: qm̃ vt diximus, ſubſtantiales rerum differentiæ latent nos, albedo aũt ceruſſæ maniſeſtiſſima eſt. Et quemadmodum Simplicio in diſputatione de formis elementorum aduerſamur; ita eius autoritatem hac in re omittere poſſumus. Itaque Nouus Autor, Latinorum rationibus ſatisfacturus, fundamentum aliquod commune, de quo inter Græcos, & Latinos Philoſophos conueniret, ex Ariſt. non à Simplicio ſumere debuiſſet: nam quemadmodũ Græci falsò exiſtimarunt, quatuor primas qualitates eſſe formas ſubſtantiales elementorum; ita mirum non eſt, ſi hanc ipſam falſitatem huiuſcemodi, fallacijs tueantur.

Animaduerſio circa fundamentũ Noui Autoris.

*Perperam à Nouo Autore qualitatis definitionem, in prædicamentis ab Ariſtotele traditam, expoſitam eſſe. Cap. III.*

PErpendamus nunc ea, quæ Nouus Autor attulit, vt Simplicij defectum suppleret. Explicaturus ipſe tres ſupra dictas queſtiones, quas vult eſſe fundamenta ſuarum reſponſionum, quo nã. ſ. modo vna, & eadẽ qualitas alteri ſubſtantialis, alteri verò accidentalis ſit: tùm quomodo vna, & eadem qualitas eidem rei modò ſubſtantialis, modò accidentalis fiat. præterea quomodo vna qualitas eidem ſimul ſubſtantialis, & accidentalis eſse dicatur; explicationis initium ſumit à definitione qualitatis, ab Ariſt. tradita, cùm dixit, *Qualitatẽ autẽ dico, ſecundũ quã quales quidã dicuntur.* Expendens hanc definitionem, dubitat, ſit ne propria qualitatis definitio: nam hoc eodem definiendi modo cætera quoque prædicamenta definiri poſsent: vt quantitas eſt, ſecundum quam quantum quiddam eſse dicitur, & ſic de alijs. Soluit dubium, & ait, hanc eſse maximè propriam qualitatis definitionem, eius naturam penitus exprimentem: qm̃ eſse qualitatis in haberi, & participari conſiſtit, adeò vt non ſit aliud qualitatis eſse, & aliud participari: immò ſi albedo aliqua ſeparata, & imparticipabilis ſit, nomen illa qualitatis non merebitur. Ideo veriſſima eſt qualitatis definitio, ab Ariſt. tradita, & rectè dictum eſt, in omnibus prædicamentis qualitatem reperiri, quatenus in illis participatio quædam eſt. Hæc ipſe. Confert quidem huiuſcemodi expoſitio eius ſniæ, ſed quãtum à veritate recedat, nunc eſt promẽdum. Primò quid obſtaret, quo minus etiam rectè diceremus, quantitatem eſse ſecundum quam quantum quiddam eſse dicitur? Non ne optima hæc eſset quantitatis definitio? Sicut. n. per qualitatem dicimur quales, per albedinem albi, per caliditatem calidi, & ſic de alijs; ita etiam per quantitatem dicimur quanti, per longitudinem longi, per latitudinem lati, per profunditatem profundi. Poſſet quidem ita quantitas, poſsent cætera prædicamenta definiri: veruntamen aliò ſpectauit Ariſt. cùm qualitatem definiuit, voluitque definitionem illam ita qualitati propriam eſse, vt nulli prorſus alij prædicamento conueniret. Habet. n. definitio illa intellectum quendam, quem certe Nouus Autor nõ plane aſsecutus eſt, dum putauit, eam ideo qualitati maxime propriam eſse, quia eius naturam exprimit, quæ in haberi, & participari conſiſtit. Quid? nonne eſse, & natura non ſolùm qualitatis, verùm etiam omnium accidentium, in participari conſiſtit? Non quidẽ, quòd ipſamet participatio ſit ipſum accidentium eſse, (in aliquo. n. priori ſigno naturæ accidẽtia ſunt, deinde verò cum ſubiecto communicantur) ſed quoniam imperfecta eſt accidentium natura, ac proinde per ſe exiſtere nequeunt; ſed ſtatim ac edita ſunt, neceſse eſt, vt cum ſubiecto communicentur, vel (vt Noui Autoris vocabulo vtamur) participentur. Et quemadmodum ſi daretur albedo aliqua ſeparata, & imparticipabilis, illa non eſset qualitas; ita ſi daretur quodcunque accidens ſeparatum, & imparticipabile, illud non eſset accidens: etenim accidentis eſse eſt ineſse 7. Metaph. hoc eſt, in ſubiecto inexiſtere: non. n. accidens naturæ ſuæ viribus abſque ſubiecto exiſtere poteſt. Si itaque qualitatis definitio, ab Ariſt. tradita, noui Autoris interpretationem reciperet, dubio procul qualitas propriam definitionem non haberet, qua à cæteris prædicamentis diſiungeretur; cùm iam oſtenſum ſit, definitionem hanc, eo modo explicatam, accidentibus omnibus cõem eſse. Vt igitur hanc qualitatis definitionem, tanquam ipſi propriam, habere poſſimus, perinde vt eã Ariſt. tradidit; accipienda eſt expoſitio Magni Alberti, in prædicamẽto qualitatis cap. 1. qui ex Ariſt. 5. Metaph. tex. 19. elicuit, qualitatem multipliciter quidem, ſed tribus præcipuè modis accipi ſolere. Primò pro omni forma ſubſtantiali, & differentia rei. Secundo pro quacunque, forma accidentali, quæ eſt extra naturam ſubiecti. Tertio pro ſolo accidẽte, quartum prædicamentum conſtituẽte. Primo

Qualitatis definitio, à Nouo Autore explicata.

Dictæ explicationis confutatio.

Verus intellectus difficilis qualitatis, nouo Autori ignotus.

Eſſe oium accidentiũ non qualitatis ſolius, in participari cõſiſtit.

Accidẽtis eſſe eſt ineſſe.

Vera explicatio definitionis qualitatis tradita à Magno Albe. in prædi. Qual. cap. 1.

Qualitas tripliciter accipitur.

modo

modo quælibet hominis differentia poteſt qualitas appellari; quia prædicatur in quale: vt cùm quęrimus, quale animal eſt homo? rńdetur, rõnale, aut bipes. Secundo modo etiam quãtitas poteſt appellari qualitas, præſertim diſcreta: nam quemadmodum qui tria, aut duo dicit, quantitatem dicit, ita qui dicit bis tria, aut ter duo, dicit qualitatem: adeo vt ſubſtantia, ſeu natura numeri, dicatur ipſe numerus, ſemel prolatus; eius autem qualitas dicatur multiplicatio, ſiue ductus numeri in numerum. Dicere etiam, numerum eſse ſuperficialem, ſolidũ, quadratum, cubicum, vel huiuſmodi, perinde eſt, ac ſi dicas, ipſum eſse qualem. Hæc tota eſt doctrina Ariſtotelis loco nuper citato. Itaque qualitas, hoc ſecundo modo ſumpta, non ſolùm qualitatem, iam dictam, verùm etiam reliqua nouem accidentium prædicamenta communiter comprehendit. Tertio verò modo ea propriè qualitas dicitur, à qua aliquid purè, & ſimpliciter dicitur quale. Nunc ait Albertus, à qualitate, primo modo ſumpta, non dicitur aliquid ſimpliciter quale; ſed quale quid. A qualitate, ſecundo modo ſpectata, non dicitur aliquid abſolutè quale; ſed vel aliquot, vel qualiter ſe habet, vel qualiter agit, aut patitur, vel huiuſmodi. A ſola igitur qualitate, tertio modo accepta, quę quartum prædicamentum conſtituit, vnumquodque dicitur ſimpliciter, & abſolutè quale: & propterea maximè propriã quarti prædicamenti definitionem Ariſtoteles aſſignauit, dum dixit, qualitatem eſse, ſecundum quam quales quidam dicuntur. Sic igitur qualitatis definitio intelligenda eſt, non autem ratione alicuius participationis, vt Nouus Autor expoſuit.

Qualitas ꝓpriè dicta quã ſit.

*Neque in omnibus prædicamentis qualitatem reperiri, neque naturam qualitatis, vt qualitas eſt, in participari conſiſtere, eo modo, quo Nouus Autor putauit.* Cap. IV.

SEd neque etiam verum eſt id, quod idem autor aſſeruit, nimirum qualitatem in omnibus prædicamentis reperiri, quatenus in illis participatio quædam eſt: nam ſi eſſe qualitatis, vt ipſe dicit, in participari conſiſtit, &, vt ego intuli, hoc idem eſſe omnibus pariter accidentibus commune ſit, quatenus. ſ. ſubiecto indigent; tunc ſi qualitas hoc modo eſſet in prædicamento ſubſtantiæ, eius quoque eſſe, atque natura in participari conſiſteret, atque adeo ſubſtantia ſubiecto indigeret, quod nullus philoſophus concederet. Nõ eſt igitur qualitas in omnibus prædicamentis, ratione alicuius participationis, vt Nouus Autor putauit; ſed potius ratione cuiuſdam diſtinctionis, & differentiæ, eo modo, quo Simplicius in commentario paulò ante primam ſpeciem qualitatis docuit: vbi ait, propriũ qualitatis eſſe, diſtinguere: & quia prædicamentum quodlibet proprium characterem, peculiaremque proprietatem habet, per quam ſubſiſtit, & ab alijs differt; idcirco mirum non eſt, ſi in quolibet prędicamento qualitas eſſe dicatur. Sed his omiſſis conſideremus reliqua. Cùm vellet rationem reddere Nouus Autor, cur eſſe qualitatis in participari conſiſtat, hinc eam accipiendam eſſe putauit: nam omne ens, aut ſubſtantia, aut accidens eſt: accidentis eſſe eſt ineſſe: ſubſtantia verò aut eſt materia, aut forma, aut compoſitum: compoſitum per ſe ſubſiſtit: materia eſt tanquam quid ante poſitum: forma verò eſt tanquam aduenıens, ad inexiſtendum materiæ. Hinc colligit, tàm accidentibus, quàm ſubſtantialibus formis illud conuenire, vt. ſ. in aliquo, ante poſito, inſint; ac propterea ſubſtantiales formas, & accidentia commune aliquod habere, ratione cuius eidẽ ineſſe conueniat: hoc autem commune, ratiocinio quodam elicit, qualitatem eſſe. Nam id, quod ineſt alicui, facit illud differre: quod facit differre eſt differentia: differentia eſt qualitas; ergo &c. Quare cùm ineſſe alteri nil aliud ſit, quàm haberi, & participari ab illo, ſequitur, vt eſſe, & natura qualitatis in participari conſiſtat. In hac Noui Autoris ratiocinatione latet fundamentum quoddam, quod vt ad eius opinionem tuendam validiſſimum eſt; ita à veritate quàm longiſſimè abeſt: propterea dabimus operam, vt illud euertamus; eo enim euerſo, tota eius opinio ſtatim ruet. Porrò fundamentum latens illud eſt; Ita ſubſtantialibus formis, vt accidentibus competit ineſſe in aliquo ſubiecto, iam exiſtenti. De accidentibus perſpicua res eſt: nam vt rectè docet Ariſtoteles 7. Metaph. accidentis eſſe eſt ineſſe, eo modo, quo iam explicuimus. At verò de ſubſtantialibus formis id ipſum enunciari nulla ratione poteſt; alioquin inter accidentia, & ſubſtantiales formas, nullum prorſus diſcrimen reperiretur. Enimuerò vt ex mente Ariſtotelis contra veteres philoſophos, ſimplicem dari generationem, tueamur (ipſi enim eam, quam nos vocamus generationem, appellabant alterationem) opus eſt, vt inter modum exiſtendi ſubſtantialis formę, atque accidentis diſcrimẽ aliquod ſtatuamus.

Non reperiĩ qualitas in oĩbus ꝓdicamẽtis ratione alicuius participationis.

Quõ intelligendũ ſit, in oĩb. ꝓdicamẽtis qualitatẽ reperiri. Vide Simpliciũ in com. prædic. qualitatis.

Ratio Noui Autoris, cur eſſe qualitatis in participari cõſiſtat.

Fundamentũ quo noui Autoris ratio nititur.

Verum in accidentibus. Falsũ in formis ſubſtantialibus.

Proprietas accidentis.

Proprietas formæ ſubſtantialis.

Materia, & forma, cùm ſubſtãtię ſit, cur per ſe nõ ſubſiſtant.

Itaque proprium accidentis eſt ineſſe in ſubiecto, iam exiſtenti, eidemque dare eſse, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid: & propterea ſi accidens à ſubiecto remoueatur; non ideo ſubiectum perit, ſed adhuc manet. Hac igitur ratione accidens in ſubiecto ineſſe, aut inhærere dicitur, quia illi veluti fundamento; & fulcimento accumbit, atque illius quodammodo ſuperficiem tingit; ſubiectum enim denominat, & quale reddit. Proprium autem ſubſtantialis formę non eſt ineſse, neque in materia, neque in compoſito, vt Nouus Autor putauit; ſed vniri materiæ, ad tertium aliquod conſtituendum. Non ineſt quidem in compoſito; quia eidẽ, ante exiſtenti, non aduenit, cùm per formam conſtituatur: neque in materia, quia ipſam nõ denominat, nec qualem reddit; adeo vt ſicut ex ferro, & calore; ita ex materia, & forma compoſitum aliquod ſecundum quid conſtituatur: ſed propriè forma, quæ ſubſtantia eſt, dicitur vniri materiæ, vt ex illarum vnione ſubſtantiale compoſitum coaleſcat. Etenim materia, ea ratione, qua ſubſtantia eſt, & itidem forma per ſe quidem eſse poſsent, vt aliàs docuimus: verũ quoniam niſi iungantur ſimul, nihil vnquam in vniuerſo generaret; ideo natura appetitum quendam in materia, atque propenſionem ad ſubſtantialem formam inſeruit, tanquam ad eam, à qua ſuam rationẽ, ſeu perfectionem eſset acceptura. Alium etiam appetitum in formam indidit, ad materiam formandam, atque perficiendam, & propterea potẽtia hęc, actus illa paſſim à philoſophis nuncupatur. Iam ergo videmus, Noui Autoris fundamentum omnino ruere, quod erat, ſubſtantialibus formis, non ſecus ac accidentibus, id competere, vt alteri inſint.

Tantũ abeſt, vt accidẽtib. competat alteri ineſſe p qualitatẽ, vt potius qualitati cõpetat alteri ineſſe, qua accidẽs eſt.

Sed abſurdum quoque eſt id, quod de accidentibus aſseruit, eis videlicet competere alteri ineſse, per qualitatem, atque adeo eſse qualitatis in haberi, & participari conſiſtere. Hoc inquam abſurdiſſimum eſt; quoniam accidentibus competit alteri ineſse, qua accidentia ſunt, non autem per qualitatem: ſi enim qualitas quocunque modo, vel re, vel cogitatione, à prædicamentorum ſerie amoueretur, adhuc nihilominus accidentia reliqua hanc proprietatem retinerent, vt. ſ. naturali quodam impulſu alio tenderent, vbi inexiſterent, & conſeruarentur. Immò ſi rem attentè conſideremus, inueniemus, ipſi potius qualitati competere alteri ineſse, qua accidens eſt. Vt hinc etiam eliciamus, eſse quidem accidentium, qua accidẽtia ſunt, in haberi; & participari conſiſtere: qualitatis verò non item, niſi qua accidens eſt; ac propterea qualitatis definitionem, à Nouo Autore ſuperiùs expoſitam, illius prædicamenti propriam non eſse, nec eius naturam omnino exprimere, quatenus à cæteris prædicamentis diſcriminatur.

### *Tres gradus participationis, à Nouo Autore ſuperiùs poſiti, reprobantur. Cap. V.*

Tres gradus, participatiõis à nouo Autore poſiti.

Excludit primus.

Reijcitur ſecundus.

Refutat tertius.

Argumẽtum noui Autoris

CÆterum, quòd eſse qualitatis, ſecundum Nouum Autorem, in participari conſiſtit, putauit ipſe, pro varietate participationis, qualitatem varium eſse ſortiri. Tribus enim modis participatio, inquit, contingere poteſt; vno modo, vt participatum ſit tanquam adueniens ſubſtantiæ, iam exiſtenti, & ſic prouenit qualitas; quæ eſt propriè qualitas, quæque qualitatis prædicamentum conſtituit. Secundo modo, vt participatum ſit ſimul veniens, & concomitans principia, rem ſecundum eſsentiam conſtituentia, qualis eſt albedo niuis. Tertio modo, vt participatum ſe habeat tanquam quid ſecundum eſsentiam conſtituens, veluti caliditas ignis. Quod attinet ad hos tres modos participationis, primus tanquam verus admitti hac lege poſset, vt id nõ qualitati ſolùm; verùm etiam reliquis omnibus accidentibus commune ſit, vt ea. ſ. ſubſtantiæ, iam exiſtenti adueniant. In ſecundo nonnihil latet difficultatis, ne dicam erroris: quamuis enim albedo niuis exiſtenti iam niui non adueniat, ſed eius eſſentialia principia conſequatur; nihilominus ea ipſa à qualitatis prædicamento non excluditur: nam ſi qualitas eſt, ſecundum quam quales quidam dicuntur, & ſecundum albedinem nix alba dicatur; dubio procul albedini etiam niuis prædicamenti qualitatis definitio competere videtur, vt nimirum qualitas illa, ad qualitatis prædicamentum attineat. Tertius modus omnino falſus eſt, vid. participatum aliquod ſe habere veluti ſecundum eſsentiam conſtituens, cuiuſmodi eſt caliditas ignis. Animaduertens Nouus Autor, id ab omnibus non ita facilè cõceſſum iri; propterea hoc ipſum eiuſmodi argumento probare conatus eſt; quia primũ quod participatur materiæ; quæ eſt ſubiectum rerum generabilium, & diſſolubilium, debet eſse actiuum, & paſſiuum (inde enim eſt generatio, & interitus, in qua conſiſtit eſsentia huiuſmodi compoſitorum) primum autem actiuum, & paſſiuum ſunt iſtę qualitates; quare conſequi

aliud

aliud non poſſunt;& ſic oportet, vt tanquam conſtituentes participentur. Sed nullius roboris eſt hoc argumentum:neganda eſt.n.maior propoſitio: nam primum, quod in rei generatione participatur materiæ,hoc eſt,cum materia iungitur,atque vnitur, eſt aliquod ſimpliciter actiuum,puta ſubſtantialis forma,non autẽ aliquod actiuum,& paſſiuum. Ad probationem,cùm ait,ex actiuo, & paſſiuo generationem, & interitum oriri, in qua conſiſtit eſſentia huiuſmodi compoſitorum. Reſpondeo propoſitionem hanc ſenſum longè diuerſum habere ab eo,quem Nouus Autor putauit:ita.n.intelligendum eſt, ad haſce mutationes, actiuũ, & paſſiuum neceſſariò concurrere, quatenus.ſ.neceſſariò requiritur materia, quæ eſt principium paſſiuum,& forma ſubſtantialis,quæ eſt principium actiuum:nequaquam verò ad generationem quatuor primas qualitates,quæ actiuæ, atque paſſiuæ ſunt, proximè concurrere, niſi quatenus alterationem aliquam efficere poſſunt, quæ aut generationem,aut interitum antecedat.

Solutio.

Quò intelligendũ ſit, ad generationẽ, & interitum actiuũ,& paſſiuum cõcurrere.

*Duæ inſtantiæ Noui Autoris aduerſus primam Latinorum rationem reijciuntur.*
*Caput VI.*

EVerſo iam penitus Noui Autoris fundamento, nunc ad reſponſiones illas impugnandas tranſeamus,quibus ipſe Latinorum argumẽta ſe ſoluere arbitratus eſt. Itaque ſect. 3.cap.2. incipit ſoluere primam rationem, quæ robur accipit ab illa Ariſt. propoſitione,ex 1.Phyſ.textibus 27.& 30. puta,quod verè eſt,nulli accidit: vel (quod in idem recidit) quod per ſe ſubſtantia eſt,alteri accidens eſse nequit;& propterea ſi quatuor primæ qualitates eſſent formæ ſubſtantiales elementorum, & ipſæ miſtis corporibus veluti accidentia conuenire non poſsent. Pro huius rationis ſolutione, quantum ex dictis ab eo,ſecundo illo capite colligere poſsum,tria facit. Primò triplicem affert inſtantiam. Deinde oſtendit, Latinos philoſophos in hoc primo argumento tripliciter defeciſse. Denique ſoluit argumẽtum in forma. Prima inſtantia eſt,de intellectione,quæ in Deo ſubſtantia eſt,in homine tamen accidens dicitur. Secunda eſt,de figura cæli, quam cælo ſubſtantialem eſse, atque de ipſo in primo modo dicendi per ſe prædicari contendit;cùm tamen ligneo globo accidentalis ſit. Tertia eſt,de forma,quæ materiæ accidit; & tamen eſsentiam compoſiti complet. Nos in hoc cap.circa primam,& tertiam inſtantiam verſabimur;ſecundam verò, quæ eſt maioris momenti,in ſequenti cap.conſiderabimus. Quod igitur attinet ad primam inſtantiam,præuidit Nouus Autor Latinorum reſponſionem,quæ admonet, Ariſtotelicam illam propoſitionem,quod verè eſt,nulli accidit,in rebus tantùm vniuocis intelligendam eſse; ac propterea in diuina,atque humana intellectione nullum locum habere: quoniam huiuſmodi intellectiones in nulla cõmuni intellectione vniuocè conueniunt;ſed æquiuocè tantùm. Redarguit hanc reſponſionẽ argumento illo communi,& ſatis trito,quod eſt huiuſmodi:ſermo abſolutè prolatus,abſolutè eſt intelligendus: Ariſt.eam propoſitionem abſolutè protulit;abſolutè igitur ea propoſitio intelligenda eſt. Quanti ſit hoc redargutionum genus,aliorum ſit iudicium. Si ſermo abſolutè prolatus abſolute intelligendus eſset;omnis igitur explicandi Ariſt.& interpretandi facultas prorſus eriperetur:quod quantum incommodi, & detrimenti peripateticæ philoſophiæ afferret, vel tacẽte me,omnibus,arbitror,compertiſſimum eſſe. Quàm multa.n.eſſent apud Ariſt.loca,quæ inuicem pugnarent,& multa etiam falſa,atque abſurda continerẽt; niſi eius verba ad bonum ſenſum reuocarentur? Abſolutè protulit Ariſt.in prædicamentis,cap. de ſubſtantia,ſubſtantiam per ſe ſubſiſtere; quod tamen falſum eſt,ſi de quacunque ſubſtantia intelligatur:etenim materia,& forma ſubſtantiæ ſunt, & tñ per ſe non ſubſiſtunt; niſi per ſe ſubſiſtere accipiatur pro non inhærere:itaque propoſitio illa de ſola ſubſtantia perfecta,cuiuſmodi eſt ſubſtantia compoſiti, intelligenda eſt. Abſolutè protulit 2.Phyſ. materiam,& efficiens in idem incidere non poſſe,quod tñ falſum eſt, ſi de quacũque materia intelligatur: nam intellectus eſt materia, in qua intellectio, ſeu ſcientia recipitur; & tñ ille ipſe efficiens cauſa ſcientiæ paſſim dicitur:itaque propoſitio illa debet tãtùm intelligi de materia, ex qua. Abſolutè etiam protulit 3.lib.de Anima,intelligere eſſe quoddam pati; quod tñ falſum eſt, quia vt ipſe docet eodem lib.intellectus impaſſibilis eſt:veram autem facimus propoſitionẽ illam,cùm dicimus, Ariſt.ibi de paſſione,perfectionem inferente,non etiam interitum,locutum eſſe. Alia ſexcenta ſunt apud ipſum loca, vbi de varijs rebus abſolutè locutus eſt; quę tñ

Quod verè eſt,nulli accidit, propoſitio vulgatiſſima.

Triplex inſtãtia noui Autoris,de intellectione,de figura cæli, de forma ſubſtãtiali.

Latinorũ rñſio ad primã inſtantiam.

Argũ ſatis tritũ,quo vtitur nouus Autor cõtra Latinorũ rñſionem.

Oſtendit Autor,quàm leue ſit argũ illud cõe.

Subſtantia per ſe ſubſiſtit.

Materia,& efficiens in idẽ incedere nõ poſſunt.

Intelligere ẽ quoddã pati.

multa incommoda præ ſe ferret, niſi, interpretationis beneficio, verus illorum intellectus aperiretur. Vanum eſt igitur, ita argumentari: ſermo abſolutè prolatus, abſolutè intelligendus eſt; atque adeo neceſſe eſt, vt Nouus hic Autor alios inueniat redarguendi modos. Quòd verò attinet ad tertiam inſtantiam, quæ erat de forma, quæ materiæ accidit, & tamen eſſentiā compoſiti complet; ea profectò nullius eſt momēti: quia tametſi forma materiæ accidat, quia nimirū accidit, vt materia hac, vel illa forma prædita ſit; forma tū accidens non eſt: quia nec materiæ inhæret, nec ipſam quantam, aut qualem reddit: aut alio quocunque modo denominat; ſed cum ea tantùm iungitur, ad ſubſtantiale compoſitum conſtituendum.

*Quo intelligenda ſit formam accidere materiæ.*

***Monſtrum eſſe in Peripatetica philoſophia aſſerere, rotundam figuram ita cælo ſubſtantialem eſſe, vt de ipſo in primo modo dicendi per ſe prædicetur. Cap. VII.***

*Rotūda figura ſecundum Nouū Autorē eſt, de intima rōne cæli.*
*Autoritas Auerrois.*
*Ratio noui Autoris.*

PRæcipua inſtantia, quam Nouus Autor attulit, aduerſus primam Latinorum rationē, erat de rotunda figura, quam cælo ſubſtantialem; ligneo tamen globo accidentalem eſſe, affirmauit: id quod & Auerrois autoritate, & ratione inſuper probare conatus eſt. Autoritas Auerrois eſt 2. de Cælo comm. 59. vbi ita ſcribit, *Et iam declaratum eſt, quòd figura eſt de rebus eſſentialibus in corporibus cæleſtibus, quæ ſunt animata.* Ratio autem eſt huiuſmodi; figura circularis in cælo aut eſt accidens, aut proprium, aut differentia eſſentialis, quæ de ipſo in primo modo dicendi per ſe prædicetur: ſed non eſt accidens, neque proprium; ergo eſt eius differētia ſubſtantialis. Probat minorem; non. n. inquit, figura circularis in cælo eſt accidens, ſiue ſeparabile, ſiue inſeparabile: quoniam ſubiectum huiuſmodi accidentium abſque illis eſſe poteſt; cælum verò non poteſt eſſe ſine figura circulari; cùm illa figura cælo neceſſaria ſit, vt docet Ariſt. 2. de Cælo tex. 22. Neque etiam eſt proprium; quia proprium ſumit in ſui definitione ſubiectum; figura autem circularis non ſumit in ſui definitione cælum. Si non eſt accidens, neque proprium; erit igitur differentia ſubſtantialis.

*Dictæ ſententiæ confutatio.*

Portentum video in peripatetica philoſophia, dum cælum mihi obtruditur, rotunda figura, tanquam ſubſtantiali differentia præditum: hoc nunquam ſomniauit Auerroes, nunquam Ariſt. nunquam vllus Græcus interpres; immò ne vlla quidem ratio eſt, qua id ipſum ſuaderi poſſit. Ad Auerroem, quod attinet, ſi quæ varijs in locis ſcripta reliquit, attento animo conſideremus, eiuſque præcipua dogmata memoria teneamus, inueniemus, ſatis famoſam eſſe illius ſententiam de cæleſtis ſubſtantiæ ſimplicitate; quam in aureo illo libello de orbis ſubſtantia promulgauit. Noluit enim, cæleſtem ſubſtantiam ex materia, & forma concretam eſſe, ſed propterea quod pluribus accidentibus ſubijcitur, ideo eam ſimplicis ſubiecti nomine decorauit. Quod cùm ita ſe habeat, quis non videt, rotundam figuram de mente Auerrois eo modo cælo ſubſtantialem eſſe non poſſe, quo vult Nouus Autor, quatuor primas qualitates eſſe ſubſtantiales elementis? Sed dabo ego locum apud Auerroem, vbi apertiſſimè fateatur, rotundam figuram in cælo eſſe quidem accidens, eius naturam conſequens: non autem differentiam ſubſtantialem, quæ de ipſo in primo modo dicendi per ſe prædicetur. Locus eſt in 2. de Cælo comm. 22. propè finem, vbi hęc ſcribit ad verbū, *Et cùm poſuimus quòd figura eſt accidens, quod ſequitur ad ſubſtantiam corporis.* Ex hoc loco liceat ſic argumentari; ſi figura abſolutè ſpectata, vt genus quoddam eſt, ſecundum Auerroem, accidens dicitur; ergo omnes figuræ ſpecies, ſub ea contentæ, accidentia pariter erunt: ſed rotunda figura, quæ cælo competit, ſub figuræ genere continetur, ergo ea quoque figura accidens dicenda erit.

*Secundū Auer. cælū ſimpliciſſimū ē; propterea ſigura rotūda ad illud ſe habere nō pōt, vt primę qualitates ſecundum nouum Autorem ſe habent ad elementa.*
*Locus aptiſſimus apud Auer. vbi fatetur, figuram rotundam in cælo accidēs eſſe.*

Docet fortaſſe aliquis, rotundam figuram accidens quidem eſſe, vt figura eſt; eam tamen, vt cęlo competit, eſſe differentiam ſubſtantialem. Quid ſi probauero, argumentò, non aliunde, quàm ab ipſomet Auerroe ſumpto; rotundam figuram, prout cælo competit, eſſe accidens, quod eius naturam conſequitur; non autem differentiam eius ſubſtantialem? Auerroes, itaque loco nuper citato, oſtendere volens, primam figuram, quæ orbicularis eſt, cæleſti corpori conuenire; ſic argumētatur; Quod eſt prius, ſecundum ſubſtantiam, debet etiam eſſe prius ſecundum accidentia: ſed cęlum eſt prius omnibus corporibus, ſecundum ſubſtantiam; ergo pariter debet eſſe prius, ſecundum accidentia, atque adeo ſecundum figuram, quæ eſt accidens: atqui inter figuræ ſpecies orbicularis eſt prima; ea igitur corpori primo, hoc eſt, cælo competere debet. Liquidò igitur conſtat, rotundam figuram, ſecundum Auerroem, non ſolùm accidens eſſe, vt figura eſt, verùm etiam vt cæleſti corpori conuenit. Sed quid dicemus ad autoritatem, à Nouo Autore allatam,

*Occupatio.*
*Argū. Auer. probans, rotundam figuram, vt cælo competit, accidens eſſe.*

tam, qua Auerroes ſenſiſſe viſus eſt, orbicularem figuram in cælo differentiam ſubſtantialẽ eſſe? Facilis eſt ſolutio, ſi Auerrois verba, ab eodem Nouo Autore citata, rectè perpendãtur.

Rñſio ad autoritatem Auerr. à Nouo Autore allatam.

Dixit Auerroes figuram eſſe de rebus eſſentialibus in corporibus cæleſtibus: quibus verbis, non intellexit quidem, figuram eſſe de ſubſtantia, hoc eſt de eſſentia, ſeu de eſſentiali differẽtia corporis cæleſtis, adeo vt de ipſo in primo modo dicendi per ſe prædicetur: ſed intellexit, orbicularem figuram de illarum rerum numero eſſe, quæ ad cæleſtia corpora maximè pertinent, quęq; illis conuenienter aptatæ ſunt. Verba Auerrois ita aperta ſunt, vt nulla prorſus explanatione indigeant: ita enim ſcribit initio comm. 22. iam citati, *Et volumus modò declarare, quòd figura cæli eſt rotunda, & hæc figura eſt conueniens natura, & ſubſtantia eius.*

Nota diligẽter hæc verba.

Neque verò locum habet huiuſmodi conſecutio, vt forſan Nouus Autor putauit; hoc eſt alicui intimum, & eſſentiale, ergo eſt de eius eſſentia: quoniam (vt aliàs docui eſſentiale eſt homini, vt ſit rectè figuræ; vt ſit riſibilis; tamen neque recta figura, neque riſibilitas ſunt de eſſẽtia hominis, cùm de ipſo in primo modo dicendi per ſe non prædicentur, ſicut rationalitas.

Eſſe eſſentiale, & de eſſentia differunt; quære diſpu. de poten. materiæ, c. vlt.

Sed neque ſecundum Ariſtotelem, neque ſecundum Græcos interpretes, rotũda figura eſt de ſubſtantia cæli: adducam vnum Simplicium (ne hac in re multus ſim) in commentario 22. libri ſecundi de Cælo, mentem Ariſtotelis explanantem; ſcio enim, huic maximè interpreti à Nouo Autore fidem haberi. Connectens igitur cum Ariſtotelis ſermonem cum præcedentibus, cùm hactenus, inquit, Ariſtoteles de cæli ſubſtantia diſputaſſet, nunc de eius figura diſſerere incipit: non hoc certè dixiſſet, ſi figuram de cæli ſubſtantia eſſe credidiſſet.

Quære Simplic. 2. de cælo, com. 22. q̃ ſaret de mente Ariſt. figurã in cælo accidẽs eſſe.

Soluamus nunc rationem, à Nouo Autore propoſitam: & ſit hæc cathegorica ſolutio; negamus illã partem minoris, qua dictum eſt, rotundam figuram in cælo inſeparabile accidens non eſſe. Ad probationem cùm ait, ſubiectum huiuſmodi accidentium ſine illis eſſe poſſe: ſi de ſeparabilibus intelligat, concedimus; ſi vero de inſeparabilibus, negamus: quoniam nigredo eſt accidẽs inſeparabile in coruo, & albedo in cygno; & tamen neque coruus ſine nigredine, neque ſine albedine cygnus eſſe poteſt: alioquin accidentia hæc inſeparabilia non eſſent.

Solutio rationis à Nouo Autore ſuperiùs propoſitæ.

Obijcit Nouus Autor; nam quamuis ſubiectum ſine accidente inſeparabili eſſe non poſſit; ei tamen, ſecundũ rationem propriam, ſine illo eſſe, non repugnat: cælo autem repugnat eſſe ſine figura rotunda; immò adeo repugnat, vt ſine illa ne mente quidem concipi poſſit; alioquin mente conciperetur cælum, quod non eſſet cælum.

Obiectio noui Autoris.

Ad ea reſpondeo, non repugnare quidem ſubiecto, quatenus ſubiectum eſt, ſine accidente inſeparabili eſſe; eſt enim illo ſaltem natura prius; nec abſurdum eſt, omne prius eſſe ſine ſuo poſteriore, & propterea non repugnat coruo, quatenus ſubſtantia eſt, ſine nigredine eſſe, aut cygno ſine albedine: ſed hac eadem ratione non repugnat cælo, quatenus ſubſtantia eſt, eſſe ſine figura rotunda.

Reſponſio.

Et cùm Nouus Autor per Ariſtotelem oppoſitum probat; quia nimirum neceſſe eſt, cælum hanc figuram habere. Reſpondeo, ibi Ariſtotelem docuiſſe, rotundam figuram à cælo ſeparari non poſſe, quia accidens inſeparabile eſt: & cùm cælum orbiculari motu moueri debeat; neceſſe eſt, vt rotundam figuram habeat, quæ ad eum ipſum motum appoſita eſt: Non negauit tamen Ariſtoteles illam non repugnantiam in cælo, ea. ſ. ratione, qua ſubſtantia eſt; abſque omni accidente reperiri poſſe.

Rotũda figura ſecundum Ariſt. eſt accidens inſeparabile à cælo, eiq; neceſſarium, vt in orbem moueri poſſit.

Hæc autem non repugnantia realem exiſtentiam neceſſariò non infert; quoniam non repugnat homini, eſſe ſine riſibilitate, cùm ſubiectum ſit prius affectione; tamen non ſequitur, vt riſibilitas, re ipſa ab homine ſeparari poſſit, atque homo re ipſa, abſque riſibilitate cõſiſtat. Sed falſum quoque eſt dicere, cælum abſque rotunda figura concipi non poſſe: quoniã cæleſtem ſubſtantiam, à quocunque accidente abſtractam, concipere poſſumus, idque ea abſtractione, quam Scholæ præciſiuam appellant.

Calũ, abſq; rotunda figura mente concipi poteſt.

Quemadmodum etiam eadem abſtractione concipere poſſumus Deum, eius bonitatem non concipiendo, quæ attributum quoddam illius eſt: & quemadmodum non ſequitur, concipio Deum, eius bonitatem non concipiendo, ergo Deus non eſt bonus; ita non ſequitur, concipio cælum, non concipiendo eius rotunditatem, ergo cælum non eſt rotundum, vel cælum non eſt cælum; quia abſtractio præciſiua eſt, non diuiſiua. Et ſicut proprietas per intellectum à forma ſeparari poteſt, vt Nouus etiã Autor ſect. 2. c. 5. in principio concedit; ita multò magis à ſubiecto inſeparabile accidẽs poterit cogitatione ſeiungi.

Nota duplicẽ abſtractio nem præciſiuam, & diuiſiuam.

Ma-

***Maiorem propoſitionem, à Latinis aſſumptam, in prima eorum ratione, quicquid Nouus Autor aſſerat, Ariſtotelicam eſſe.*** ***Cap. VIII.***

Difficultas à nouo Autore appoſita circa maiorē propoſitionē primæ rationis Latinorum.

PRopoſitis inſtantijs, oſtēdit deinde Nouus Autor, primam Latinorum rationem, in qua etiam num verſamur, errores varios continere. Primò dicit, propoſitionem, à Latinis aſſumptam, vid. quod per ſe ſubſtantia eſt, alteri accidens eſſe nequit; non eam eſſe, quam citatis locis Ariſtoteles ſcripſit; in illis enim hæc ſola propoſitio habetur, quod verè eſt ens, nulli accidit: per verè autem ens non intellexit Ariſtoteles (ait ipſe) niſi ſubſtantiā perfectam, quę per ſe ſubſiſtit, cuiuſmodi eſt compoſitum. Quare verum eſt dicere, id, quod verè eſt ens, hoc eſt ſubſtantia perfecta, & per ſe ſubſiſtens, nulli accidere poſſe; & propterea cùm forma ſubſtantialis non ſit verè ens, quia per ſe non ſubſiſtit; abſurdum non erit aſſerere, caliditatem, quæ eſt forma ſubſtantialis ignis, veluti qualitatem alicui miſto corpori accidere poſſe. Si verum fateri liceat, perbelle quidem Nouus Autor eum Ariſtotelis locum propriæ ſententiæ accommodauit: an autem verum Ariſtotelis ſenſum elicuerit, facilè patebit, ſi quicquid in ijs contextibus Ariſtoteles docuit, paucis aperiemus. Ariſtoteles igitur, vt inter omnes conuenit, contra Parmenidem ibi diſputat, qui, vnum tantum reperiri ens, exiſtimauit: præcipuum autem medium, quo ad eius ſententiam impugnandam vſus eſt, à multiplici entium ſignificatione ſumpſit: fore enim viderat, vt ſi ens multipliciter dici probauiſſet; illicò non vnum tātùm, ſed plura entia reperiri facilè conſtaret. Ens itaque, ait Ariſtoteles, aut nulli penitus ſubiecto adhæret; & hoc appellatur ſubſtātia: aut alicui ſubiecto neceſſariò accumbit; idque accidens nuncupatur. Cùm ergo dicit Parmenides, vnum tātùm reperiri ens, hoc ens eſt ne accidens, vt album, an ſubſtantia, vt lignum? Si accidēs, cùm illud neceſſariò ſubiectum exigat, in quo inhæreat, hoc eſt, ſubſtantiam; iam præter illud ens, dabitur aliud: album enim, quod eſt concretum albedinis, per ſe exiſtere nō poteſt; ſed aut in lapide, aut in ligno, aut in aliquo alio ſubiecto inexiſtit. Si verò dicat Parmenides, hoc vnum ens eſſe ſubſtantiam, quia .ſ. in ſubiecto nullo eſt; tunc nihilominus ens aliud, præter illam, fateri cogitur; etenim ſi lignum album accipiamus, proculdubio albedinis ratio à ligni ratione diſtinguitur: in ligno igitur albo duo entia numerantur: alterum, quod per ſe ſubſiſtit, vt lignum, quod eſt ſubſtantia; alterum, quod ſubiecto inhæret, vt album, quod eſt accidēs: ideo ait Ariſtoteles, ***Si igitur, quod verè eſt, nulli accidit.*** ac ſi dixiſſet, ſi igitur ſubſtantia per ſe ab accidente diſtincta eſt; iam planè ſequitur, vt præter vnum ens, quod eſt ſubſtantia, aliud ens, quod eſt accidens, contra Parmenidem, reperiatur. Hæc eſt tota in ijs contextibus Ariſtotelis ratiocinatio: in qua, vt manifeſtum eſt, ſubſtantiam pro perfecta ſubſtantia non accepit, hoc eſt pro compoſito per ſe ſubſiſtente, quatenus .ſ. à materia, vel à forma diſtinguitur, quę ſeorſum conſiſtere nequeunt, vt Nouus Autor putauit: ſed accepit ſubſtantiam pro toto prædicamento ſubſtantiæ, quatenus in ſe tàm materiam, quàm formam, & compoſitum comprehendit, & quatenus à quolibet accidente diſtinguitur. Propterea in eodem 1. lib. tex. 13. dicebat principium omnium ad Parmenidis, & Meliſſi ſententiam euertendam accommodatiſſimum, eſſe ab illis percontari, cùm id, quod eſt, multipliciter dicatur, quo nam pacto ipſi aſſerant, omnia eſſe vnum (vtrū omnia ſubſtantiam, an quantitatem, an qualitatem, &c. De ſubſtantia igitur prædicamentali, vt à cæteris prædicamentis diſtincta, Ariſtoteles locutus eſt: nam omnis ſubſtantia, quęcunque illa ſit, ſiue materia, ſiue forma, ſiue compoſitum, hanc proprietatem habet, vt alteri non inhæreat: hac enim proprietate, ſubſtantia quælibet ab accidēte diſtinguitur; quanuis hęc ipſa proprietas perfectæ ſubſtantiæ puta compoſito quam maximè conferat; ideo Ariſtoteles, Simplicius, & alij de ſubſtantia compoſita, tanquàm de ea, in qua proximè accidentia recipiuntur, exempla ſæpius attulerunt. Non igitur vim, & robur huius primæ rationis Nouus Autor declinare poteſt; quoniam ſenſus illius Ariſtotelicæ propoſitionis hic ipſe eſt; quod per ſe ſubſtantia eſt, alteri accidens eſſe nequit; nec aliud certe Ariſtoteles intellexit, cùm dixit, quod verè eſt, nulli accidit. Verùm, eſto Ariſtotelica illa propoſitio de ſola ſubſtantia compoſita intelligenda eſt, & forma, quæ per ſe ſubſtantia eſt, alteri accidere pōt, vt Nouus Autor contendit; quæro, cui nam forma ſubſtātialis accidat? Materię ne? Minimè verò; quia iam docuimus, accidere quidem, vt hæc forma cum materia copuletur; formā tamen materiæ accidens non eſſe, quia ipſam nullo pacto denominat. Nutrimentum etiam cor-

Difficultas ſoluitur, explicaturq; locus Ariſt. 1. Phy. tex. 27. & 30.

In diſputatione Ariſt. contra Parmeni. 1. Phy. ſermo fit d̄ tota ſubſtantia prædicamētali, nō autē de ſola ſubſtantia cōpoſita.

Cōis proprietas totius ſubſtantiæ prædicamentalis

Arg. efficax contra nouū Autorem.

corpori accidit, quod nutritur, nec tñ ob eam rẽ ſequitur, vt nutrimentũ accidẽs ſit. An verò compoſito fortaſſe accidit? Ne hoc quidem verè dici poteſt, quia id, quod alteri accidit, ei iam exiſtenti; aduenire dicitur: ſubſtantialis autem forma compoſito, iam exiſtenti, non aduenit; ſed illud ipſum conſtituit; non ergo forma ſubſtantialis compoſito accidere poteſt. Dum verò Nouus Autor contendit, caliditatem eſſe formam ſubſtantialem ignis, & eandẽ nihilominus accidere miſto: obſecro, eſt ne eadem re ipſa caliditas, quæ & ignem conſtituit, & miſto corpori accidit? Si eadem, ſaltem genere, quomodo in igne ſubſtantia, in miſto verò qualitas eſſe poteſt? Quænam eſt ratio huiuſce metamorphoſeos, vt. ſ. de ſubſtantia in qualitatem mutetur? Sin autem non eſt omnino eadem; ergo caliditas, vt in igne, aliquid ſecum affert, quod non habet, vt in miſto: quod certè aliud eſſe non poteſt, niſi forma ſubſtantialis, in igne latens: cuius ipſa caliditas, & proprietas, & affectio dicitur; & tanquam manifeſtior, loco eſſentialis differentiæ ſumitur. In miſto verò caliditas pura eſt, nec ſecum affert ſubſtantialem formam; ſed vt effectus, ab illa proficiſcens, proximè miſto corpori adhæret, illudque calidum reddit.

Argũ oſtendens, caliditatem eandem non poſſe in igne eſſe formam ſubſtantialem, in miſto verò accidens.

*Optimam eſſe hanc Latinorum conſecutionem, quod vni eſt ſubſtantia, alteri, eſt accidens: ergo ſubſtantia eſt accidens.* *Cap. IX.*

AIT prætereа Nouus Autor, Latinos philoſophos parùm oculatos fuiſſe, in eliciẽdo, ex Ariſtotelica propoſitione, conſecutionem illam, ergo ſubſtantia erit accidens: quoniam hæc conſecutio, per regulam à coniũctis ad diſiuncta, nulla eſt. Sicut. n. irritum eſt hoc argumentum, Dominus Sempronij, eſt ſeruus Titij; ergo Dominus eſt ſeruus; vel vnius generatio eſt alterius īteritus; ergo generatio eſt interitus: ita vanum illud erit, quod vni eſt ſubſtantia, alteri eſt accidens; ergo ſubſtantia eſt accidens: ideò leuiter, ait, Latinos philoſophos cecidiſſe. Verùm ſi paulò diligentius primam hanc Latinorum rationem vir iſte perpendiſſet, eiuſque robur animaduertiſſet; profectò cognouiſſet, Latinos philoſophos neque leuiter cecidiſſe, neque parùm, vt ipſe aſſerit, oculatos fuiſſe. Etenim ius rationis eorũ in eo poſita eſt; quod per ſe, ſubſtantia eſt, accidens ad alterum eſſe nequit: ſi. n. res aliter ſe haberet, tunc neceſſariò ſequeretur, vt ſubſtantia fieret accidens, quod maxime abſurdũ eſt. Fieri quidem poteſt, vt quod per ſe ſubſtantia eſt, alteri quodammodo accidat, non tamen, vt illud ipſum, ceu accidens aliquod, ſubiectum, cui accidit denominet. Nam, vt paulò ante notauimus, nutrimentum, per ſe, ſubſtantia eſt, acciditque corpori, quod nutritur; accidens tamen non euadit; ſed ſubſtantia manet, quæ poſtea in ſubſtantiam viuentis corporis trãſmutatur. Sic diximus, formam accidere materiæ, tamen forma per ſe ſubſtantia eſt: cumque accidit, vt cum materia iungatur, ibi eſt duarum ſubſtantiarum coniunctio. Veriſſima igitur eſt hæc propoſitio; Quod, per ſe, ſubſtantia eſt, accidens ad alterum eſſe non poteſt, alioquin ſequeretur, vt ſubſtantia fieret accidens. Cùm verò Nouus Autor regulam obijcit à coniunctis ad diſiuncta, ea profectò in relatiuis tantùm, non etiam in abſolutis locum habet; & propterea cùm Dominus, & ſeruus relationem inferant; abſurdum non eſt, aliquem ad Sempronium eſſe Dominum, & eum ipſum ad Titium ſeruum eſſe, nec tamen inferre licet; ergo Dominus eſt ſeruus, vel oppoſito modo. Sic columna ad Petrum poteſt dici dextra, ad Franciſcum verò ſiniſtra, quia dextrum, & ſiniſtrum relationem dicunt; non tamen licet arguere, ergo dextrum eſt ſiniſtrum. At verò in abſolutis hæc regula nullum penitus locum habet: nam quod per ſe quantitas eſt, nunquam ad alterum qualitas erit, neque viciſſim: ſimiliter quod per ſe ſubſtantia eſt, nunquam ad alterum quantitas erit, aut aliud quoduis accidens. Rectè igitur inferebant Latini. ſi, quod per ſe ſubſtantia eſt, accidens ad alterum eſſet, neceſſariò forè, vt ſubſtantia accidens fieret.

Nou⁹ Autor in Latinos inuehitur

Latinorũ defenſio.

Regula à coniunctis ad diſiuncta I quibus locũ habeat.

*Prima Latinorum ratio ab alijs Noui Autoris calumnijs vindicatur.* *Cap. X.*

CÆterum quia prima hæc Latinorum ratio ab Auerr. ſumpta eſt, ideo Nouus Autor ait, deductionem apud Auerroem longè diuerſum eſſe: non. n. intulit Auerroes, ſubſtantiam fore ſimpliciter accidens, ſed id, quod in vno, de vno prædicamento eſt, in altero, de altero prædicamento fore. Nihilominus ait Nouus Autor, ipſummet quoque Auerroem hallucinatum fuiſſe: nihil enim abſurdi eſt, ſi id, quod in vno, de vno prædicamento eſt, in alte-

Nou⁹ Autor contra Latinos, & Auerroem.

ro de alio prædicamento ſit: nanque figura, ſecundum multitudinem linearum, & planorum accepta, eſt dé genere quantitatis: Secundum verò ſuperficiei figurationem conſiderata, ad

Noui Autoris lapſus.

prædicamentum attinet qualitatis. Neſcio, vter hac in re magis hallucinatus fuerit, Auerr. ne an Nouus Autor? conſiderabunt alij. Non eſt, opinor, abſurdum, vnam, eandemque rẽ, diuerſa ratione ſpectatam, ad diuerſa prædicamenta pertinere: vt eadem res, quæ eſt pater, quatenus homo, pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ: quatenus pater, ad prædicamentũ relationis. Sic eadem res, quæ eſt figura, prout quantitas eſt, hoc eſt ſm multitudinem linearum accepta, eſt de genere quantitatis: prout verò qualitas, hoc eſt, ſecundum ſpeciei configurationem, eſt de genere qualitatis. At verò, abſolutum fieri relatiuum, quantitatem euadere qualitatem, ſubſtantiam in accidens tranſmutari, nulla certè ratione dici poteſt. Quale enim cunque quid eſt, vbicunque ponatur, ſemper idem erit: propterea ſi igneus calor in igne forma ſubſtantialis eſt, is ipſe, vt in miſto, accidens eſſe non poterit: ſed ſubſtantia pariter erit, ex accidẽti alteri ſubſtantiæ adiuncta.

Inanis noui Autoris diſputatio de verbis ꝓpoſitionis Latinorum, cum de sẽſu nulla ſit difficultas.

Ait rurſum Nouus Autor, malè Latinos philoſophos hanc propoſitionẽ attuliſſe; Quod vni eſt ſubſtãtia, alteri accidens eſſe non põt, qm̃ ſubſtãtia nulli eſt ſubſtãtia, ſed de ſe eſt ſubſtãtia. Diſputat nũc de verbis: nã Latinorũ propoſitio, ſi rectè intelligatur, ſenſum diuersũ non habet ab eo, quẽ ipſemet verũ eſſe putauit. Etenim Latini eã propoſitionẽ non ita intelligunt; quod vni eſt ſubſtãtia, i. quod ad vnum eſt ſubſtantia, vt Nouus Autor intellexit: ſed hoc modo, qđ vni eſt ſubſtantia, ideſt quod vni vt ſubſtantia iungitur, alteri accidens eſſe non poteſt, & tunc propoſitio veriſſima eſt, vt ipſemet etiam fatetur.

Fruſtrà nouus Autor mutat sẽſum propoſitiõis Latinorum.

Aptat deinde hanc Latinorum propoſitionem ſnĩæ propriæ, quò facilius ſolutionem elicere poſſit, & ait, ſi quem ſenſum hæc propoſitio habeat, eum eſſe debere: quod vni ſubſtãtiale eſt, accidentale alteri eſſe non poteſt: nam ſubſtantia, & ſubſtantiale differunt. Acceptã autem in hoc ſenſu propoſitionem Latinorum, quem perperam aſſerit Auerrois etiam ſenſum extitiſſe, falſam vndique ipſam eſſe pronunciat: quia quod vni ſubſtantiale eſt, accidentale alteri eſſe poteſt. Agerent gratias Nouo Autori Latini Philoſophi, de commodè conſtituta eorum propoſitione, ſi fuiſſet opus; ſed non erat opus: ſcimus enim, id, quod alteri ſubſtantiale eſt, hoc eſt, ad illud maxime pertinens, accidentale alteri eſſe poſſe: ſicut ſupra de rotunda figura aſſeruimus, quæ cælo ſubſtantialis eſt, hoc eſt, illi maximè congruens, & ad eius motum neceſſaria, quæ tamen ligneo globo accidentalis dicitur. Sed quinam ſit verus ſenſus Latinorum propoſitionis, iam ſupra, ni fallor, ſatis commodè explicatum eſt.

### *Formalis Noui Autoris Reſponſio ad primam Latinorum rationem, atque eiuſdem confutatio.* Cap. X I.

Formalis ſolutio noui Autoris, quæ fũdamẽtum eſt etiam opinionis Græcorũ.

AFfert tandem Nouus Autor formalem huius primę rationis ſolutionem, admittitque, id, quod vni ſubſtantia eſt, accidens alteri eſſe non poſſe, quoquo modo huiuſmodi propoſitio intelligatur, atque hanc ipſam propoſitionem, tanquam Græcorum ſententię validiſſimum fundamentum ſumit. Nam caliditas, inquit, ea ratione, qua forma ignis ſubſtantialis eſt, nulli accidens eſse poteſt: iam enim antè declarauit, caliditatem corpori quidẽ ter dimenſo accidere poſſe: ſed eam tamen quatenus ſimplex, nec vllo modo copulata eſt, nondum vim illam ex aliarum qualitatum copulatione acquiſiuiſſe, quæ ſibi neceſſaria eſt, vt forma ignis ſubſtantialis euadat. In miſto verò negat, caliditatem accidens eſſe, vt Latini putarunt: quoniam cùm Ariſt. lib. 2. de partibus animalium, cap. 1. quatuor primas qualitates miſti materiam appellaſſet, & materia ſubſtantia ſit, ſequitur, vt qualitates iſtæ, quatenus in miſto temperatę ſunt, non accidentia quidem, ſed potius de miſti ſubſtantia eſſe dicantur. Non ergo ſequitur, ait ipſe, quoniam quatuor primæ qualitates in miſtis accidentia ſunt, icciro formas ſubſtantiales elementorum eſse non poſse: nam antecedens hoc, vt ipſe putat, probatione indiget.

Cõfutatio ſolutionis, & fundamenti.

Ad tuendam Græcorum ſententiam melior certe, aut ſubtilior reſponſio excogitari non poterat: & fateor quidem, hac in re, virum iſtum ingenij ſui aciem pateſeciſse. Verùm ſi nos antecedens, ab eo negatum probauerimus, & quatuor primas qualitates in miſtis accidentia eſse oſtenderimus, non ne ſtatim, eas ipſas qualitates in elementis quoque accidentales, nec vllo modo ſubſtantiales formas eſse, patebit? Non ne ſtatim tota Græcorum ſententia, tanquam penitus debilitata, iacebit? Non eſt difficilis probatio. Sed antequam id probemus, illud aduertendum eſt, non ſolùm qualitates primas, ve-

Elementa vnà cũ eorum

rùm

rùm etiam tota ipſa elementa, vnà cum eorum eſsentialibus partibus, & cum omnibus quoquo modo ad ipſa pertinentibus, in ratione materiæ, ad miſtum conſtituendum concurrere: nam ex elementis, tanquam ex materialibus partibus, omne miſtum coagmētatum eſt. Quæ cùm ita ſint, ſi quis hoc ad probandum ſumat; elementa vnà cum ſuis qualitatibus, in ratione materiæ, ad miſtum conſtituendum concurrunt, & materia eſt ſubſtantia; non tamen hinc efficietur, ergo qualitates ſunt ſubſtantiæ: nam vtar ego hoc eodem, in rebus alijs, argumentandi modo, qui tamen apertiſſimè falſus erit. Nō enim ſic licet arguere; lignea tabula, quę aut lenis, aut aſpera, aut alba, aut rubra, aut alia huiuſmodi qualitate affecta eſt, in ratione materiæ, ad ſcamnum conſtituendum concurrit, & materia eſt ſubſtantia; ergo lenitas, aſperitas, albedo, rubedo, & aliæ huiuſmodi qualitates ſunt ſubſtātiæ. Itaque quatuor primę qualitates, ad ſubſtantiam quidem elementorum pertinent, atque inſtrumenta, ad miſtum conſtituendum neceſsaria dicuntur; ſubſtantiæ tamen nequaquam ſunt. Quod nunc per locum à definitione euidentiùs oſtendam. Accidens eſt, quod adeſt, & abeſt, præter ſubiecti diſsolutionem: ſed caliditas, frigiditas, & aliæ qualitates, quæ in miſto vel temperatæ ſunt, à miſto, præter eius diſsolutionem, abeſse poſsunt; ergo qualitates in miſto accidentia ſunt, atque adeo in elementis accidentia pariter erūt. Maior eſt definitio accidentis. Minorem aūt ſic probo. Fingamus, corpus aliquod ab elementis calidum temperamentum obtinuiſse: nemini dubium eſt, quin temperamentum illud aut medicamentis, aut frigida virtus ratione mutari queat, vt Medici frequenter experiuntur: mutatur temperamentum, ſeu calor ille, aliarū qualitatum permiſtione temperatus, citra illius corporis interitum; accidens igitur, non etiā ſubſtantia, calor ille cenſendus eſt. Nam profectò, ſi de ſubſtantia illius corporis eſset, atque eius materia, vt Nouus Autor putauit, ab illo nunquam, citra eius diſsolutionem, remoueri poſſet: materia enim eſt pars ſubſtantialis corporis: remota autem à corpore aliqua ſubſtantiali parte, illud ſtatim concidit, nec amplius conſiſtere poteſt. Aliud ergo eſt dicere, calorem pertinere ad ignem, qui in ratione materiæ, ad miſtum conſtituendum concurrit; & aliud, calorem eſſe ſubſtantiam, & eam quidem materialem ipſius miſti: nam primum dictum eſt verum, ſecundum verò falſum. Quod etiam probare liber, validiore argumento. Conſideremus *lactucam*; olus iſtud temperamento frigido præditum eſt; dumque in animalis corpus agit, frigiditatem ſuam cum illo communicat. Quæro nunc, communicet ne frigiditatem eiuſdem ſpeciei, an diuerſæ? Non diuerſæ; quia nihil agit vltra ſuam ſpeciem; atque adeo non poteſt lactuca mandragoræ, aut papaueris frigiditatem communicare: frigiditas ergo, quam accepit animal ab eſu lactucæ, eſt eiuſdem ſpeciei cum frigiditate, qua ipſamet lactuca prædita eſt. Tunc ſubarguo; ſed frigiditas, communicata cum animali, eſt accidens; ergo frigiditas lactucæ non poteſt eſſe ſubſtantia. Probo conſequentiam; ſi nihil agit vltra ſuam ſpeciē; multò minus agere poteſt vltra ſuum genus: ſed frigiditas, qua lactuca prædita eſt, & frigiditas, quam cum animalis corpore communicauit, ſunt eiuſdem generis; immò eiuſdem ſpeciei, vt probatum eſt; ergo cùm frigiditas communicata ſit accidens; frigiditas quoque lactucæ erit accidens, non autem ſubſtantia. Porrò frigiditatem communicatam eſse accidens, omnibus patere arbitror; cùm facilè à corpore, citra eius diſſolutionem, recedat. Nullum igitur aliud inter frigiditatem lactucæ, & frigiditatem, quam ipſa cum corpore communicauit, diſcrimen inuenitur, niſi quia lactucæ frigiditas ei eſſentialis eſt; quia ſcilicet proprietas eſt, ab eius ſubſtantiali forma proficiſcens, ſicut albedo niuis, aut dulcedo mellis: at verò frigiditas communicata accidentalis corpori eſt: quia illi extrinſecùs accedit, nec ab eius ſubſtantiali forma proficiſcitur; vtrobique tamen accidens eſt, ad genus qualitatis pertinens. Hinc ſcitu neceſſaria eſt differentia illa inter eſſe ſubſtātiam, & eſſe eſſentiale, quod interdum etiam ſubſtantiale dicitur: non enim quod alicui eſſentiale, vel ſubſtantiale eſt, ſubſtantia nuncupatur. Quare admittimus, caliditatem igni eſſentialem quidem, vel etiam ſubſtātialem eſſe, in hoc ſenſu, quia ſcilicet proprietas eſt, ab eius ſubſtantiali forma proficiſcens; eius tamen ſubſtantia non eſt, ſed accidens, ab eo inſeparabile, dicitur: caliditas verò in cādente ferro neque ſubſtantia, neque ſubſtantialis, aut eſſentialis, ſed accidentalis tantùm eſt. Profeſſus eſt Nouus Autor, ſect. 3. in extremo c. 2. ſe hanc differentiam, inter ſubſtantiam, & ſubſtantiale intellexiſſe: ſed miror, cur caliditatem non igni tantùm eſſentialem, vel ſubſtantialem, ſed ſubſtantiam etiam appellauerit. Dixit enim, caliditatem eſſe qualitatem ſubſtantialem ignis. Si per

qualitatibus in ratiōe materiæ ad miſtū conſtituēdum concurrunt.

Nota hoc diligenter.

[illegible] miſti [illegible]

Argūm Autoris, quo probat, qualitates primas in miſtis corporibus accidētia eſſe id, qđ Nouus Autor negauit.

Arg. aliud validius; ad idē oſtendendū.

Nihil agere poteſt, vltra ſuam ſpecie

Quid interſit inter frigiditatē lactucæ, & frigiditatem, quā ipſa cum animalis corpore cōmunicauit.

Eſſe ſubſtantiam; & ſubſtantiale differunt.

An nouus Autor agnouerit diſtinctionē inter ſubſtantiam, & ſubſtantiale.

ſub-

ſubſtantialem qualitatem internum aliquod,& eſſentiale accidens intellexiſſet: tunc ei gratias ageremus,quia in Latinorum opinionem irrepſiſſet. Sed veram ſubſtantiam intellexit, cùm dixerit, caliditatem in miſto, materiæ munere fungi, quæ ſubſtantia eſt, ac propterea multò magis in ipſo igne ſubſtantiam dicendam eſſe;cùm per ipſam,tanquam per ſubſtantialem formam conſtituatur.

### *Triplex Noui Autoris reſponſio ad ſecundam Latinorum rationem.* *Cap. XII.*

AD ſecundam rationem,quæ erat,ſi quatuor primæ qualitates ſint formæ ſubſtantiales elementorum,inde ſequi, vt id, quod in ſe qualitas eſt,ad alterum ſubſtantia dicatur, quod tamen falſum eſt,quia ſubſtantia eſt ens abſolutum, non reſpectiuum: Nouus Autor, Prima rãſio. ſect.3.cap.3.triplici reſponſione reſpondet. Primò ait, eam conſecutionis partem falſam eſſe,qua dicebatur,id,quod in ſe qualitas eſt:ponit enim,qualitatem,in ſe acceptam,nullum reſpectum dicere,quaſi qualitas,ad ſe qualitas ſit,& non ad aliud,quod valde abſurdum eſt: nam ſi eius eſse in participari conſiſtit,neceſse eſt,vt reſpectum dicat ad participans. Dein Secũda rãſio de reſpondet ad probationem minoris,qua,ſubſtantia non eſse ens reſpectiuum,ſed abſolutum,inferebatur:ait enim,æquiuocationem ibi committi:nam dicere oportebat,ſubſtantiale non dicitur in reſpectu,vel non includit reſpectum, quia nunc ſumus in ſubſtantiali, non in ſubſtantia:& tunc illa propoſitio falſa eſt;quia materia,& forma ſubſtantiæ ſunt:& tamẽ ſunt ad aliquid,& in reſpectu dicuntur,vt patet 2.Phyſ.tex.26.& ſubſtantiale ẽt alicui ſub- Tertia rãſio. ſtantiale eſt. Tertiò reſpondet,nihil abſurdi eſſe,vt quod in ſe qualitas eſt, ad alterum ſubſtantia dicatur:fieri.n.poteſt,vt aliquid ſit in prædicamento qualitatis,ſecundum profunditatem,vt Græci aiunt,quod tamen,ſecundum latitudinem,ſit in prædicamento ſubſtantiæ. Sic differentiæ,ſecundum profunditatem,in qualitate ponuntur:ſecundum verò latitudinẽ, prout ſubſtantiarum genera diuidunt,in prædicamẽto ſubſtantiæ. Abſurdum igitur nõ erit, quatuor primas qualitates, de quibus modò diſſerimus, vt ſpecies quædam qualitatis ſunt, ſecundum profunditatem, in qualitatis prædicamento conſtitui, quæ tamen vt differentiæ, ſubſtantias conſtituentes,ſecundum latitudinem, in prædicamento ſubſtantiæ collocentur.

### *Confutatio prima reſponſionis.* *Cap. XIII.*

VErùm huiuſmodi reſponſiones parum in ſe continent firmitatis;& primam quidẽ duplici argumento inanem eſſe oſtendo: primò argumento ad incommodum, & abſur- Argũ ducẽs ad incommodum. dum ducente:deinde verò argumento oſtenſiuo. Argumentum ducens ad incommodum illud eſt;Si qualitas in ſe,vel ad ſe, non eſt qualitas,ſed ad aliud,ſequitur,vt nullum accidens abſolutum reperiatur:ſed conſequens eſt abſurdum;ergo & antecedens. Falſitas conſequentis perſpicua eſt:nam accidens in abſolutum,& reſpectiuum paſſim diuiditur. Conſequentia verò ſic probatur:ſi.n.qualitas non eſt in ſe qualitas,ſed in reſpectu;quia eius eſſe in participari conſiſtit; ergo ita etiam de quantitate dicendum erit: nam eius eſſe, quatenus accidens eſt,in participari conſiſtit:commune eſt.n.accidentibus omnibus,vt antè docuimus,non ratione qualitatis,vt Nouus Autor putauit,ſed ea ratione,qua accidentia ſunt,cum alio communicari, vel ab alio participari,quia ſcilicet ſeorſum conſiſtere nequeunt; & propterea ſubſtantia indigent,tanquam fundamento ſuſtinente,atque illa participante. Nunc liceat ſic argumentari;Quemadmodum qualitas abſque ſubiecto conſiſtere nequit,quod reddatur quale;ita quantitas abſque ſubiecto conſiſtere non poteſt,quod reddatur quantum: ſed, præter quantitatem,& qualitatem, cætera accidentia reſpectiua ſunt; ergo ſi qualitas non eſt in ſe qualitas,ſed in reſpectu,& eadem ratione quantitas;ſequitur,vt nullum accidens abſolutum Argũ oſtenſiuum. reperiatur. Argumentum verò oſtendens,qualitatem in ſe,& ad ſe,non autem in reſpectu, qualitatem eſſe,ſic conſtruitur;Qualitas priùs natura eſt qualitas,quàm alicui ſubiecto inhęreat,ergo qualitas in ſe,& ad ſe qualitas eſt,non autem in reſpectu. Cõſecutio eſt nota,quia Aptitudinalis inhærẽtia eſſentialis q̃dem accidẽti eſt,non tamẽ de eius eſſentia. in illo priori ſigno naturæ eſt qualitas,& nullum habet reſpectum inhærendi, vel denominandi,niſi ſecundum habilitatem quandam: qui etiam reſpectus, quanuis qualitati interior ſit,non eſt tamen de intima eius ratione, vt doctiſſimi viri tuentur. Antecedens autem ſic probatur. Cùm enim accidentibus inhærentia,vel inexiſtentia conueniat, profectò priùs natura exiſtunt,quàm inexiſtant,quia inexiſtentia ponit exiſtentiam:ergo qualitas,cùm ſit ac

cidens,

cidens, prius natura exiſtit, & eſt qualitas, quàm ſit participata: non enim, ob illam participationem, in eſſe qualitatis conſtituitur. Eſt igitur qualitas accidens abſolutum, &, quod hinc ſequitur, in ſe, per ſe, & ad ſe qualitas eſt: nam reſpectus ad aliud, puta ad ſubiectum ex accidenti formandum, & perficiendum, exterior illi, non interior eſt. Et in hoc differt accidẽs abſolutum à reſpectiuo: nam accidens reſpectiuum, in ſua eſſentia, quidditate, vel formali conceptu, relationem, & reſpectum includit ad aliud, cum quo ſimul natura eſt, & ſine quo exiſtere, contradictionem inuoluit: ideo pater, & filius ſimul natura ſunt; & implicat contradictionem, patrem eſſe ſine filio, quod ne à Deo quidem effici poteſt. At verò accidens abſolutum eſt prius natura illo reſpectu: ideo non implicat contradictionem, illud ipſum ſine eo reſpectu reperiri: & quanuis naturæ viribus, accidens ſine ſubiecto conſiſtere nequeat; id tamẽ fieri poteſt, virtute diuina, vt in Auguſtiſſimo Altaris Sacramento manifeſtum eſt.

Accidens abſolutũ, & reſpectiuũ quid differant.

Accidẽs ſine ſubiecto virtute Diuina cõſiſtere põt

*Confutatio ſecunda reſponſionis.* *Cap. XIV.*

SEcunda reſponſio ſubobſcura mihi videtur: ſed ad vitandam homonymiam, operam certè Nouus iſte Autor non luſiſſet, ſi inter ſubſtantiam, & ſubſtantiale, diſcrimine poſito, quid nam per ſubſtantiale intellexerit, explicaſſet. Aut enim, per ſubſtantiale, aliquid intellexit, quod ad alicuius rei ſubſtantiam maximè pertineat; cuiuſmodi eſt figura rotunda in cælo, dulcedo in melle, candor in niue, riſibilitas in homine, vel id genus alia: aut aliquid, quod ſubſtantialem alicuius rei compoſitionem ingrediatur: cuiuſmodi ſunt corpus, & anima, quę ingrediuntur compoſitionem animalis: vel in vniuerſum materia, & forma, quæ ingrediuntur conſtitutionem cuiuſcunque compoſiti naturalis. Si enim intellexit ſubſtantiale primo modo; tunc re, optime nobiſcum conuenit; verba tantùm, aut nomina nobiſcum diſcrepant: nam facilè admittemus, caliditatem eſſe ſubſtantialem igni, hoc eſt ad eius naturam, atque ſubſtantiam maximè pertinentem. Sin autẽ accepit ſubſtantiale ſecundo modo, neſcio quorſum diſcrimen illud inter ſubſtantiam, & ſubſtantiale poſuerit: quod enim illo modo ſubſtantiale eſt, protinus ſubſtantia eſt. Nam cùm ex non ſubſtantijs ſubſtantia fieri non poſſit; ſequitur, vt quæcunque ſubſtantialem alicuius rei compoſitionem ingrediuntur, ſubſtantię neceſſariò ſint, & appellentur. Inanis ergo eſt illa reſponſio, dum ait, ſumus in ſubſtantiali, non in ſubſtantia. Præterea, cùm reſpondet, falſum eſſe, ſubſtantiam in reſpectu nõ dici; quia materia, & forma ſunt ad aliquid, & ſubſtantiale alicui ſubſtantiale eſt. Vereor, ne Latinorum ratio, aut Auerrois à quo ſumpta eſt, viro huic omnino perſpecta non fuerit. Non enim eſt ſenſus illius propoſitionis, nullam ſubſtantiam aliquem in ſeſe reſpectum includere poſſe: tunc enim falſa eſſet, & hoc benè norunt Latini: nam & materia includit reſpectum ad formam, & forma ad materiam, & ambo ad compoſitum: ideo Scholæ appellant ea relatiua ſecundum dici. Sed vis propoſitionis huc ſpectat, vt id, quod per ſe, & natura ſua, qualitas eſt, ad alterum quoquo modo relatum, ſubſtãtia eſſe nulla ratione poſſit: quia nulla relatio vim habet aliquid de qualitate, aut in vniuerſum de accidente in ſubſtantiam, aut de ſubſtantia in accidens tranſmutandi. Et hæc propoſitio veriſſima eſt, quam nullus ſanæ mentis negare poterit; immò ne ipſe quidem Nouus Autor negauit, vt apud eundem videre licet. Quãuis enim materia reſpectum ad formam, & forma reſpectum ad materiam includat; huiuſmodi tamen reſpectus materiam, & formam in eſſe ſubſtantiæ, non conſtituunt, ſed ipſæ per ſe ſubſtantiæ ſunt, quibus poſtea huiuſmodi reſpectus quodammodo accidere dicuntur.

Inanis Noui Autoris diſtinctio inter ſubſtãtiã & ſubſtantiale.

Rõ euidens contra noui Autoris rñſionem.

Nulla relatio habet vim aliquid de ſubiecto i accidẽs, vel de accidẽte in ſubſtantiam trãſmutandi.

*Confutatio tertia reſponſionis.* *Cap. XV.*

TErtia reſponſio multa continet, quæ à communi philoſophorum Schola, immò à veritate ipſa recedere videntur; ideo in ea nunc paulò magis verſabimur, & omnes eius partes ſingillatim examinabimus. Primò igitur conſiderandum nobis eſt, quid ſit, apud Gręcos, aliquid in prædicamentis, ſecundum profunditatem, & aliquid ſecundum latitudinem collocari: id enim nihil noui exiſtimo, ſi eum ſenſum recipiat, quem doctiſſimi quique viri receperunt. Poni igitur in prædicamento, ſecundum profunditatem, vt ab omnibus, rectè philoſophantibus, percepi, id ipſum eſt, quod Latini dicunt, poni in prædicamento directè; & hoc etiam Nouus Autor agnouit, vt apud ipſum patet. Poni verò in prædicamento, ſecundum latitudinem, illud eſt, quod Latini dicere ſolent, poni in prædicamento, à latere: hoc autẽ haud

Quid ſit ſecũdum Græcos poni in prædicamento ſecundum profunditatem.

Quid ſit po

ſcio, an vir iſte planè fuerit aſſecutus. Nam hæc differentia conſtitutionis alicuius rei in prædicamento non efficit, vt vna, eademque res in diuerſis prædicamentis collocari poſſit: ſed tãtummodo, vt in vno, & eodem prædicamento res aliquæ diuerſum locum obtineãt. Etenim omne, quod eſt, ſedem aliquam in aliquo prædicamento expoſcit, & eam quidem non duplicem, tanquam pro hybernis, atque æſtiuis temporibus deſtinatam; ſed vnam tanũ. Quod hac ſufficienti diuiſione oſtendi facilè poteſt. Omne, quod eſt, aut ſubſtantia, aut accidẽs eſt. Si ſubſtantia, tunc conſtituitur prædicamentum ſubſtantiæ. Si accidens, illud rurſum aut abſolutum, aut reſpectiuum eſt. Si abſolutum, aut ſubſequitur ſubſtantiam, gratia materiæ, & ſic eſt quantitas: aut gratia formę, & ſic eſt qualitas. Si reſpectiuum, aut conſtituitur per internam relationem, aut per externam. Si per internam, tunc eſt prædicamentum ad aliquid. Si per externam, tunc ſunt ſex vltima prædicamenta. Aſſignet mihi Nouus Autor quodcunque velit; tunc, cùm aliquod ex numeratis entibus neceſſariò ſit, illud etiam neceſſariò, quatenus tale ens eſt, ſedem vnicam in aliquo prædicamẽtorum occupabit. Iam ſupra docuimus, complexum aliquod, ratione diuerſorum, in diuerſis prædicamẽtis collocari poſſe: vt homo Muſicus, quatenus homo, ponitur in prædicamento ſubſtantiæ: quatenus muſicus, in prædicamento qualitatis. Quod autem ſubſtantia in prædicamento qualitatis, aut qualitas in prędicamento ſubſtantiæ, ſiue ſecundum profunditatem, ſiue ſecundum latitudinem collocetur, hoc fieri nulla ratione poteſt. Porrò in eodem prædicamento, aliquid ſecundum profunditatem, hoc eſt, directè, aliquid verò ſecundum latitudinem, hoc eſt, à latere collocari, abſurdum non eſt: nam in prædicamento ſubſtantiæ corpus, corpus animatum, animal directè, & ſecundum profunditatem ſtatuuntur. At verò corporeum, incorporeum, animatum, inanimatũ, rationale, irrationale, & huiuſmodi, à latere tantùm, vel ſecundum latitudinem collocantur: ſic materia, & forma, quæ ſunt partes compoſiti naturalis, in genere ſubſtantiæ ſedem occupant, ſed à latere. Sic autem à latere poni dicuntur, quia ſuperiora de ipſis directè non prędicantur: ſed primò prædicantur de ijs, quæ ſunt in prædicamento, ſecundum profunditatem: deinde verò ad ea ipſa prædicatio deſcendit. Vt ſubſtantia primò de corpore dicitur, poſtea de materia, & forma, quę ſunt corporis partes. Similiter corpus priùs de animali prędicatur, quàm de rationali, & irrationali, quæ ſunt eius differentiæ: nihilominus tàm materia, quàm forma, tàm rationale, quàm irrationale, per ſe ſubſtantiæ ſunt; quia per ſe, & ſecundum eorũ naturam in genere ſubſtantiæ continentur. Hinc falſum eſſe conijcimus id, quod Nouus Autor ſcribit, nimirum differentias, ſecundum profunditatem, in qualitate reponi; ſecundum verò latitudinem in genere ſubſtantiæ: hoc enim abſolutè affirmari non poteſt, ſed diſtinctione opus eſt. Nam aut de ſubſtantiarum differentijs loquimur: aut de differentijs qualitatum, vel aliorum accidentium. Si de differentijs ſubſtantiarum; eæ, ſecundum latitudinem, in ſubſtantiæ prædicamento ponuntur, nec ad vllum aliud prædicamentum vllo modo pertinent; cuiuſmodi ſunt, animatum, inanimatum, rationale, irrationale, & id genus aliæ. Si verò loquamur de differentijs qualitatum, cuiuſmodi ſunt, congregatiuum, diſgregatiuum, condenſatiuum, rarefactiuum, & huiuſmodi; hæc, ſecundum latitudinem, ad prædicamentum qualitatis attinent, nec aliter in alio prædicamento collocari poſſunt. Similiter differentiæ quantitatũ, vt continuum, & diſcretum, magnum, & paruum, multum, & paucum, ſecundum latitudinẽ, pertinent ad prædicamentum quantitatis. Atque adeo tantum abeſt, vt differentiæ, qualeſcunque illæ ſint, ſecundum profunditatem, in prædicamento qualitatis collocentur, vt, ſecundum profunditatem, ad nullum prorſus prędicamentum attineant. Tandem cùm ait Nouus Autor, qualitates elemẽtares, de quibus modò diſſerimus, veluti quaſdam qualitatis ſpecies, ſecundum profunditatem, in qualitatis prædicamento collocari; ſecundum verò latitudinẽ, quatenus ſunt differentiæ, ſubſtantias conſtituentes, in prædicamento ſubſtantiæ; ſenſim in ſententiam noſtram deſcẽdit, præſertim quod ad primam partem attinet. Nam quatuor primæ qualitates, per ſe qualitates ſunt, quia ſunt ſpecies qualitatis; &, ſecundum ſuam naturã, in qualitatis prædicamento continentur; ergo nullus reſpectus efficere poteſt, vt illæ eædem ſubſtantiæ euadant; atque in ſubſtantiæ prædicamento collocentur, vt paulò ſupra ſtatuebamus. Nec eſt, quòd Nouus Autor dicat, eas eſſe differentias, ſubſtantiam conſtituentes; & quatenus differentias, eſſe qualitates; quatenus verò ſubſtantiam conſtituentes, eſſe ſubſtantias: quoniam nuper oſtendimus, non omnem differentiam, qualitatem eſſe; ſed tantummo-

do

Ni in prædicamento ſecundum latitudinem.

Nota contra nouũ Auto.

Omne, quod eſt, vnicã tantum ſedẽ obtinet i aliquo prædicamento.

Prædicamentorũ indagatio.

Complexum aliquod in diuerſis prædicamentis collocari poteſt ſimplex non item.

In eodẽ prædicamẽto, aliqua directè, alia à latere collocantur.

Cur aliqua à latere in prædicamẽto ponantur.

Dfiæ qualeſcunq; ſint, ſecundum profunditatẽ ad nullum prædicamentum reuocantur, quicquid cõtra afferat nouus Autor.

Dfiæ ſubſtantiarum, ſecundum latitudinem ponunt̃ i prædicamẽto ſubſtãtiæ.

Dfiæ qualitatum ſecundũ latitudinẽ ponũtur in prædic. qualit.

Qualitates elemẽtorum vt qualitatis ſpecies ſunt, ſecundum profunditatẽ, ponũtur in prædic. qualit.

Qualitates elementorum nullius relationis vi ſubſtantię euadere poſſunt, adeo, vt ad ſubſtantiæ prędicamentũ attineant.

Non omnis

do differentiam qualitatis: differentia autem ſubſtantiæ eſt ſubſtantia: & differentia quantitatis eſt quantitas. Dices, differentia prædicatur in quale; ergo eſt qualitas, falſa eſt conſecutio; quia modus prædicandi in quid, vel in quale, non facit, aliquid eſſe ſubſtantiam, vel qualitatem: nam etiam color prædicatur in quid de albedine, & nigredine, & albedo prædicatur in quid, de hac, vel illa albedine, ſicut etiam nigredo de hac, vel illa nigredine, & tamen color, albedo, & nigredo non ſunt ſubſtantiæ, ſed qualitates. Veriſſima igitur eſt hæc propoſitio; Quod, per ſe, hoc eſt, natura ſua, qualitas eſt, ad alterum ſubſtantia eſſe non poteſt, atque adeo in ſuo robore manet ſecunda hęc Latinorum, ſiue Auerrois ratio.

dr̃ia eſt qualitas, ſed ea tantum, quę qualitatis eſt.

Obiectio, & ſolutio.

Modus prędicandi in quid vel in quale, non facit, aliquid eſſe ſubſtantiam, vel qualitatem.

### *Noui Autoris reſponſio ad tertiam Latinorum rationem atque eiuſdem confutatio. Cap. XVI.*

AD Tertiam rationem, quæ tuetur, ſi caliditas eſſet forma ſubſtãtialis ignis, inde ſequi, vt miſtum calidum ignis definitionem haberet; negat Nouus Autor conſecutionem. Rationemque reddit, quoniam in miſto calido, ignis caliditas temperata eſt, & miſto eſſentialis; cùm ſit eius materia, immò etiam eius differentia ſubſtantialis, propterea nõ ſequitur, vt miſtum calidum ignis ſit, aut ignis definitionem habeat: quoniam caliditas illa pura non eſt, qualis in ignis conſtitutione requiritur; ſed alijs contrarijs qualitatibus permiſta. Quælibet autem alia caliditas, quæ in miſto ineſt, cùm igneæ caliditatis conditiones non habeat, nec miſtum ſecundum ſubſtantiam compleat; ignea caliditas non eſt, neque miſto ſubſtantialis, ſed accidentalis. Quòd ad hanc reſponſionem attinet, videtur primùm in dictis iſtius viri pugnantia maxima reperiri: quoniam ſect. 1. cap. 3. circa initium, Græcorum ſententiam explicans, dixit, caliditatem, non ſecundum omne eſſe, ignem conſtituere; ſed ſi ſit talis, cum aliarum coniunctione: putauit igitur, non puram, ſed temperatam caliditatem eſſe formam ſubſtantialem, vel differentiam eſſentialem ignis. Hic autem totum oppoſitum aſſerit: ait. n. in miſto temperatam caliditatẽ eſſe, & alijs contrarijs qualitatibus commiſtam, non autem puram, qualis in ignis conſtitutione requiritur. Neſcio, quomodo hanc contradictionem vitare poſſit. Dicet fortaſſe, ex qualitatibus, corpori ter dimenſo aduenientibus, ſimul vnitis, & ad ſtatum quendam reuocatis, elementa conſtitui: ex elementis verò, atque ex eorũ qualitatibus, ſeu formis, ſimul confuſis, miſta procreari. Sed hoc, mea quidem ſententia, contradictionem non aufert: nam cum elementa conſtituuntur, qualitates ſimul iunctæ cum materia concurrunt: cùm etiam miſta procreantur, elemẽta ipſa præſto adſunt, quæ nihil aliud ſunt, eodem autore, niſi qualitates cum materia: vtrobique igitur eadem ratio eſt. Nec recurrendum eſt ad certos, atque determinatos qualitatum, vel copulationis gradus, vt nimirum qualitates, quoad aliquem gradum, ſimul in materia copulatæ, elementa conſtituant, quo verò ad alium gradum, miſta corpora pariant: quoniam graduum diuerſitas tantam vim habere non poteſt, vt ex eiſdemmet rebus nunc ſimplicia, nunc miſta corpora procreẽtur. Sed paulò validiùs, hanc reſponſionem redargeamus. Aut enim elemẽta cum eorum formis, quę apud Nouum Autorem, ſunt qualitates, in miſto manent, aut non. Si non manẽt; igitur qualitates non poſſunt eſſe materia miſti, vt ipſe dicit: quoniam materia manet in re conſtituta. Si manent; tunc aliquod miſtum calidum accipio, cuiuſmodi eſt èx. gra. ſulphur, & ita argumentor. In ſulphure manet caliditas ignea, quæ eſt forma ſubſtantialis ignis, quæque cæteris qualitatibus in ſulphure dominatur; ergo ſulphur ignis definitionem habebit, vt in argumento inferebamus. Nec illùc fugiat Nouus Autor, dicatque, ignis caliditatem in ſulphure temperatam eſſe, & cæteris qualitatibus permiſtam: quoniam permiſtio hæc, & ſi gradum aliquem ab ignea caliditate demat, ipſam tamen non deſtruit, nec funditus delet, alioquin ſi extincta eſſet, in miſto, vt cæteris præualens, non permaneret. Manet igitur in ſulphure eadẽ caliditas, quæ eſt differentia ſubſtantialis ignis, atque adeò ignis, & ſulphur eandem definitionem habebunt. Præterea falſum eſt id, quod ipſe dicit, videlicet, quamlibet aliam caliditatem, quæ miſtum ſecundum ſubſtantiam non compleat, nequaquam igneam, ſed accidentalem eſſe. Etenim ſi ferrum ab igne calorem accipiat, ille calor in ferro proculdubio accidẽtalis eſt, quia ferri ſubſtantiam non complet, ſed ferro, iam conſtituto, aduenit: nihilominus ille calor igneus eſt: quoniam eſt idemmet calor re ipſa, qui ab igne exit, & cum ferro communicatur. Si eſt idem calor; ergo queadmodum, vt ipſi placet, in igne ſubſtantia eſt, in fer-

Rñſio noui Autoris.

Pugnãtia eiuſdem in dictis noui Auto.

Excuſatio.

Refutatio.

Effugium.

Argũ validũ contra rñſionem noui Autoris.

Effugium ſ. illud.

Falſa no. Autoris aſſertio

ro quoque ſubſtantia eſſe deberet:aut,quod verius eſt, quemadmodum in ferro eſt accidēs, in igne quoque accidens erit:cum hoc tamen diſcrimine,quia in ferro eſt accidens ſeparabile,in igne verò eſt accidens inſeparabile,ſeu interior quædam proprietas,ab eius ſubſtantiali forma proficiſcens.

### *Noui Autoris reſponſio ad quartam Latinorum rationem,atque eiuſdem confutatio.* *Cap. XVII.*

Rñſio noui Autoris.

AD quartam rationem,quæ erat,ſi calor in igne ſubſtantia, in miſto verò accidens eſſet,tunc calor æquiuoce diceretur;reſpondet Nouus Autor, aliud eſſe diſtinguere ſubſtantiam,& accidens:aliud verò ſubſtantiale,& accidentale. Ens,pro vt dicit eſsentiam exiſtentem,in ſubſtantiam,& accidens diuiditur:prout verò dicit entitatem eſſentiæ,abſtrahendo ipſam ab exiſtentia,diuiditur in ſubſtantiale,& accidentale. Sic igitur putat, diuiſionem fieri debere:entitas eſſetitiæ,quæ in alio eſt,vel ita eſt in alio,vt eius eſſentiam compleat,vel vt non compleat : primo modo eſt ſubſtantialis, ſecundo modo accidentalis, & ſic nulla eſt æquiuocatio. Hìc deſideratur applicatio reſponſionis ad argumentum, vt ſaltem quid concludendum ſit, intelligi poſſit. Nollem ego hac in re interpretis munere fungi;tamen,quò diſputatio dilucidior ſit,eam reſponſionem aperiam, quæ ex prædictis verbis elici mihi poſſe videtur. Erit igitur reſponſio huiuſmodi,falſum poni in hac ratione.

Explicat rñſio noui Au.

( Nouum Autorem loqui putato) calorem in miſto accidens eſſe:ſubſtantia enim eſt,vt ſupra oſtendimus. Illud tamen verum eſt,calorem in igne ſubſtantialem eſſe;quia ignis eſſentiam complet: in miſto verò accidentalem;quia eius eſſentiam non complet. Niſi hæc ſit aperta reſponſio,quam vir iſte exquiſita nimis obſcuritate ſuppreſſit; profectò quarta hæc Latinorum ratio, ne apparenti quidem reſpōſione,diluta eſt.

Optima, & neceſſaria diſtinctio à nouo Auto. notata, non iſta optime explicata.

Placet mihi in primis animaduerſio illa,qua diſtinctio inter ſubſtantiam,& accidens, atque ſubſtantiale, & accidentale notatur; ea enim vt vera; ita ad propoſitam difficultatem dirimēdam,neceſſaria eſt. Vtinam hoc inter nos cōueniret, & quid ſubſtantia,quid ſubſtantiale,quid accidens, & quid accidentale ſit, recte expenſum eſſet:nam tunc omnis controuerſia ſedata eſſet.

Nota.

Propoſuit autem Nouus Autor eam diſtinctionem,quaſi veritate coactus:vt enim 1. Phyſ.tex.48. Ariſt.ſcribit,intellectus quandoque ſponte,& abſque vlla ratiocinatione in veritatem prolabitur. Differunt quidem ſubſtantia, & accidens,atque pariter ſubſtantiale,& accidentale;non eo tamen modo,quo ipſe arbitratus eſt.

Noui Auto. aſſertio. Reprobatio.

Ens,ait,vt dicit eſſentiam exiſtentem,in ſubſtantiam, & accidēs diuiditur. Hoc apertiſſimè falſum eſt;quoniam prædicamenta exiſtentiam non reſpiciunt,vel, vt philoſophorū more loquamur,ab exiſtentia abſtrahunt:ſatis enim peruulgata propoſitio eſt, quam lib. 1. Analit.poſter. Ariſt.ſcripſit,de ſingularibus,& diſſolubilibus rebus ſcientiam nullā dari poſſe.

De rebus ſingularibus,& diſſolubilib non dat̄ ſciā, quo propoſitio, intelligēda ſit.

Ea propoſitio ita communiter explicatur,vt ſcilicet quoad exiſtentiam,non autem quoad eſſentiam intelligenda ſit:quoniam res ſingulares,quoad eſſentiam, immortales, & indiſſolubiles ſunt. Iam verò res,quoad eſſentiā ſpectatæ, in aliquo prædicamentorum ſedem habere dicuntur:roſa enim,& ſi non exiſtat,ſubſtantia dicitur: & album & ſi non exiſtat, dicitur accidens. Cùm igitur detur ſcientia de rebus prout in prædicamento collocatæ ſunt, & res, quatenus in prædicamentis ſedem obtinent, aut ſubſtantiæ, aut accidentia ſint; atque rurſus quatenus ſunt in prædicamentis, eſſe tantùm eſſentiæ, non etiam exiſtentiæ habeant; ſequitur,falſum eſſe,id,quod Nouus Autor aſſeruit, nimirum ens, prout eſſentia exiſtentiā dicit;in ſubſtantiam, & accidens diuidi, cùm hæc diuiſio illi conueniat, antequam exiſtentiam vllam obtineat.

Noui Auto. aſſertio altera. Reprobatio.

Aſſerit deinde, ens, prout eſſentiam ab exiſtentia abſtrahit,diuidi in ſubſtantiale,& accidentale. Hoc etiam falſum eſt:nam ſiue ens aliquod exiſtat, ſiue non,nihilominus aut ſubſtantiale,aut accidentale dici poteſt:immò potius exiſtētia neceſſaria quodammodo eſse videtur, vt aliquid ſubſtantiale, vel accidentale ſit. Etenim ſubſtantiale eſt cælo,habere figuram rotundam, eo modo, quo ſupra explicatum eſt:hæc figura neceſsaria illi eſt, vt in gyrum torqueatur,in gyrum autem non torqueretur,niſi exiſteret. Subſtantiale etiam,vel eſsentiale eſt albedini, diſgregare viſum: viſum autē diſgregare non poſset,niſi exiſteret. Non igitur neceſse eſt, vt aliquid eſsentiale ſit illud ipſū ab exiſtētia abſtrahere.

Noui Auto. aſſertio tertia.

Aſſerit tertiò, entitatē eſsētiæ, quę in alio ineſt, aut eius eſsentiā cōplere,& ſic ſubſtātialē eſse, aut non complere,& ſic eſſe accidentalem. Hac in propoſitione, in qua totius difficultatis caput

poſi-

Reprobatio.

poſitum eſt,longè Nouus Autor à veritate receſſit;ipſe enim,vt video,id,quod eſſentiale eſt, loco eius accipit,quod à viris eruditis,de eſſentia dici ſolet. Et hæc duo,vt alias diximus,maximè differunt:nam quod alicui tantùm eſſentiale eſt, de illo in ſecundo modo dicendi per ſe prædicatur:quod verò eſt de alicuius eſſentia,de eodẽ prædicatur in primo modo. Nouus verò Autor,quod alicuius rei ſubſtantiam complet,atque conſtituit,appellauit eſſentiale;cũ de eſſentia dici deberet;quod verò alicuius rei eſſentiam non complet,neque conſtituit, appellauit accidentale;cùm tamen hoc idem interdum etiam eſsentiale dici poſſit. Cæterùm quò hæc dilucidiora fiant,aduertendum eſt,tria hæc,ſecundum rei veritatem,inter ſe differre; de eſsentia,eſsentiale,& accidentale. Illud dicitur de eſsentia alicuius, quod eſt de conſtitutione illius,quod eius definitionem ingreditur,quod de ipſo in primo modo dicendi per ſe prædicatur,vt animal,& rationale dicuntur de eſsentia hominis; quia omnes prædictas conditiones habent. Illud verò dicitur alteri eſsentiale,quod eius quidem eſsentiam non conſtituit;ſed tamen ad eius naturam,atque ſubſtantiam maximè pertinet;eique adeo intimũ eſt, vt de eodem in ſecundo modo dicendi per ſe prædicetur. Vt riſibile de eſsentia quidem hominis non eſt;quia eius definitionem non ingreditur: ſed tamen eſt quid maximè pertinens ad naturam,atque ſubſtantiam hominis;cùm ſit proprietas, ab eius forma fluens, atque de homine in ſecundo modo dicendi per ſe prędicetur. Sic rotunda figura eſsentialis eſt cælo,atque ita de alijs. Illud tandem dicitur alteri accidentale,quod neque eius eſsentiam cõſtituit, neque ad eius ſubſtantiam intimè pertinet. Vt calor accidentalis dicitur ferro,albedo parieti,& de alijs eodem modo. Si huius rei veritas viro huic perſpecta fuiſset;iam conſtaret,calorem igni eſsentialem eſse;quia eſt proprietas,ab eius forma proficiſcens:miſto autem accidẽtalem; præſertim cùm extrinſecùs accedit,vt in ferro calefacto manifeſtum eſt:nam miſtum, ſuapte natura calidum,ideo calidum eſt,quia calidum elementum in eo cæteris dominatur.

De eſſentia, eſſentiale. & accidentale differunt.

De eſſentia quid ſit.

Eſsẽtiale,q̃d.

Accidentale quid ſit.

Noui Auto. errores orti ex falſa prædictorum terminorũ acceptione.

Verùm quoniam horum terminorum ſignificationem,& vim modo lõgè diuerſo intellexit; ideo mirum non eſt,ſi multa abſurda,& ſi Deo placet, etiam pugnantia dicere coactus fuerit. Nam,quia calor,vt putat,in ratione formę,ignis eſsentiam complet,atque conſtituit;idcirco ignis calorem eſsentialem appellauit;ſed in eo ſenſu,vt eſsentiale id ſit, quod alij vocant,de eſsentia:quod tamen falſum eſse,iam ſupra ſatis commodè oſtendimus. Et quoniã calor miſti ſubſtantiam non complet,ideo dixit,calorem miſto accidentalem eſse, quãuis accidens non ſit. Hoc autem contra illud eſt,quod prope finem ſuperioris capitis affirmauit:vbi dixit,elementares qualitates,prout in miſto temperatæ ſunt,accidentia nõ eſse,ſed de ſubſtantia miſti;quoniam ſunt eius materia,quæ ſubſtantia eſt. Tunc argumentor hoc modo,atque oſtendo,in eius dictis pugnantiam reperiri. Quæcunque ſunt de conſtitutione alicuius; eius eſsentiam complent,ſuntque de illius eſsentia,atque ſubſtantia: ſed quatuor primæ qualitates,quæ de eius ſententia,ſubſtantiales elementorum formæ dicuntur, in ratione materiæ,ad miſtum conſtituendum accedunt:ergo huiuſmodi qualitates ſunt de ſubſtantia miſti, vt ipſemet fatetur ſect. 3. cap. 2. non autem accidentales, vt hac ſua reſponſione concludere cogitur.

Efficax arg. oſtendens pugnantiã in dictis noui Autoris.

*Multiplex Noui Autoris reſponſio ad quintam Latinorum rationem reijcitur: primoque planum fit,proprietatem illam ſubſtantiæ,qua dicitur,ſubſtantiæ nihil eſſe contrarium, non de ſola ſubſtantia compoſita, vt ipſe exiſtimauit, ſed de toto ſubſtantiæ genere intelligendam eſſe.* *Cap. XVIII.*

QVinta ratio erat,cùm ſubſtantiæ nihil cõtrarium ſit,nullo pacto,quatuor primas qualitates,quæ contrariæ ſunt,ſubſtantiales elementorum formas eſse poſse. Ad quã quidem rationem Nouus Autor ſect. 3. c. 4. multipliciter reſpondet:nos autem ſingulas eius reſponſiones examinabimus. Reſpondet itaque primùm propoſitionem illam, in prædicamentis ab Ariſtotele ſumptam,qua dicitur,ſubſtantiæ nihil eſse contrarium, de ſola ſubſtantia compoſita,quæ eſt ſubiectum accidentis,intelligendam eſse( de tali enim ſubſtantia in prædicamentis ſermo eſt)non autem de ſubſtantia,prout etiam ſubſtantiales differentias comprehendit,quæ alioquin in prædicamento reponuntur. Et ſi quis dicat,hanc eãdem proprietatem,ſubſtantijs etiam ſecundis conuenire. Reſpondet,ſecundas ſubſtantias pariter compoſitas eſse,atque vt accidentibus ſubijciuntur,conſiderari:hancque ait,eſse Græcorum inter-

Quę ſenſum habeat hęc ꝓpoſitio, ſecũdum nouum Autorẽ, ſubſtantiæ nihil eſt cõtrariũ.

*Noui Auto. interpretatio reprobatur.*

pretationem,& illam quidem veram. Antequam longiùs progrediamur,examinemus hæc.
Quod dixit iſte vir,proprietatem illam ſubſtantiæ de ſola ſubſtantia compoſita intelligendã
eſſe,& falſum eſt,& ab Ariſtotelis mente alienum; immò ne à Græcis quidem interpretibus
vnquam pronunciatum. Huc fortaſſe tritum illud argumentum optimè quadraret,quo & ip
ſe,& eiuſdem claſſis autores vti frequenter ſolent,nimirum ſermonẽ abſolutè prolatum,ab-
ſolutè intelligendum eſſe: Ariſtoteles abſolutè protulit,ſubſtantiæ nihil eſſe contrarium; illa
igitur proprietas abſolutè de quacunque ſubſtantia intelligenda eſt. Si argumentum hoc a-
pud Nouum Autorem efficax eſt;ſatis igitur commodè eo ipſo illius reſponſio confutata e-
rit,nec vlla ei amplius facultas dabitur inter ſimplicem,& compoſitam ſubſtantiam diſtin-

*Arg. probãs, prædictã ſubſtantiæ pprietatem de toto ſubſtãtiæ genere intelligendã eſſe.*

guendi. Verùm nos argumentum illud parui facientes,alijs medijs eius reſponſionem impu
gnabimus,oſtendemuſque,proprietatem illam ſubſtantiæ de quacunque ſubſtantia intelli-
gendam eſſe. Etenim Ariſtoteles in eo loco,vbi de hac proprietate ſermonem habet,de præ-
dicamentali ſubſtantia loquitur,vt genus quoddam eſt,à cæteris prædicamentis diſtinctum:
vult igitur ibi,ſubſtantiæ proprietates aſſignare,quibus totum ſubſtantiæ genus à quocunq;
alio genere diſtinctum intelligatur: ſed totum ſubſtantiæ genus omnes ſubſtantiæ ſpecies,ſi-
ue ſimplices,ſiue compoſitæ illæ ſint,ſub ſe complectitur;voluit igitur Ariſtoteles, proprie-
tatem illam ſubſtantiæ non ſoli ſubſtantiæ compoſitæ,ſed toti ſubſtantiæ generi conuenire.

*Superior noui Autoris interpretatio à Græcorũ interpretatiõe longe diſtat.*

*Arg. Simplicij cõtra Plotinum.*

*Aliud argum. Simplicij, rẽ quæſitã oſtẽdens.*

Cæterùm interpretationem,à Nouo Autore allatam,non eſſe interpretationem Gręcorum,
quinimmò illis penitus aduerſam,ex eiſdemmet Græcis,ſed potiſſimùm ex Simplicio oſten
dere libet;qui in prædicamentis hanc proprietatem exponens,duobus argumentis,omnibus
eam ſubſtantijs conuenire,contra Plotinum,qui ſecus aſſerebat,oſtendere conatus eſt. Pri-
mum argumentum ex perfecta ſubſtantiarum diuiſione ſumpſit,eſtque huiuſmodi. Subſtan
tiæ omnes rectè in primas,atque ſecundas diuiduntur: ſed neutræ harum contrarietatem ha
bent;ergo nec ſubſtantia in vniuerſum contrarietatem habebit. Deinde argumentatur indu
ctione: quemadmodum,inquit,rationale enunciatur de ſingulis hominibus,& competit om-
ni homini,& ſiugulariter homini;ita,cùm non habere contrarium de ſingulis ſubſtantijs e-
nuncietur;verum erit dicere,congruere ſubſtantialiter ſubſtantiæ,nullam contrarietatem ha
bere: quocirca(& hæc ſunt eius verba) *De aliqua, ac de omni erit verum, quòd ipſa non habet*

*Perpende ſimilitudinem à Simplicio allatam.*

*contrarium*, Perpendenda eſt vis huius ſimilitudinis,quam Simplicius attulit: vt enim ratio
nale ad hominem ſe habet;ita non habere contrarium,ad ſubſtantiam: ſed rationale ita con
uenit homini,vt de ſingulis hominibus,ſub humana ſpecie contentis, enuncietur; ergo non
habere contrarium ita ſubſtantiæ competit,vt ſingulis ſpeciebus,ſub ſubſtantię genere con-
tentis,conuenire dicatur: ſed ſimplices quoque ſubſtantię ſub ſubſtantię genere continẽtur;
ergo proprietas illa eis quoque iure optimo aſcribetur. Videat igitur Nouus Autor, an ea,

*Effugium.*

quam ipſe attulit,ſit Gręcorum interpretatio. Sed reſpondebit fortaſſe, Simplicium probaſ
ſe,proprietatem illam ſubſtantię abſolutè ſubſtantiæ competere,quatenus in primam,& ſe-
cundam,non quatenus in ſimplicem,& compoſitam diuiditur; ac propterea elementorũ for

*Profecutio.*

mas,quę ſimplices ſubſtantię ſunt,ab illa proprietate vacuas eſſe. At infirma, & debilis eſt
hęc reſponſio: cùm enim ſubſtantia omnis in primam,atque ſecundam diuidatur, neceſſe eſt
omnino,vt qualitates elementorum,quas dicit eſſe eorum ſubſtantiales formas, aut primas
eſſe ſubſtantias fateatur,aut ſecundas; atque adeo ſiue ſimplex,ſiue compoſita ſubſtantia ſit,

*In ſubſtãtiæ prędicamẽto de oĩ ſubſtãtia quoquo modo in eo contenta, ſermo ſit.*

vniuerſali totius ſubſtantię proprietate vacare non poteſt. Sed à Veritate quoque alienum
eſt id,quod ſubiungit,nimirum proprietatem illam non eſſe intelligendam de ſubſtantia,pro
ut etiam ſubſtantiales differentias comprehendit,quę alioquin ibi in prędicamento non re-
ponuntur,in quo tantùm de ſubſtantia compoſita ſermo eſt. Nolo nunc diſputemus, an in
prędicamento ſubſtantię tantummodo de ſubſtantia compoſita ſermo ſit: omnibus enim ob
pertiſſimum eſſe arbitror,ibi Ariſtotelem de omni ſubſtantia locutum eſſe, quę quoquo mo
do in prędicamento ſubſtantię continetur: conſtat autem,in eo prędicamento non ſolam ſub

*Differentiæ ſubſtantiales ĩ prędicamẽto ſubſtãtiæ à latere continentur.*

ſtantiam compoſitam,ſed genera quoque ſpecies,differentias,partes ſubſtantiales, & id ge-
nus alia contineri. Hinc falſum eſſe conijcimus,ſubſtantiales differentias in ſubſtantię præ
dicamento non reponi; nam rationale, irrationale, ſenſibile,inſenſibile, & alię huius generis
differentię,quę ſubſtantiales ſunt,latus ſaltem aliquod in prędicamento ſubſtantię obtinere
dicuntur. Et miror,virum iſtum ſui ipſius oblitum eſſe,qui ſect. 3. cap. 3. docuit, ſubſtantiales
diffe-

differẽtias poni in prædicamento qualitatis, ſecundum profunditatem, quod nos reiecimus: in prædicamento verò ſubſtantiæ, ſecundum latitudinem, quod tanquam veriſſimum approbamus. Non igitur dicendum eſt, in ſubſtantiæ prædicamento de ſola ſubſtantia compoſita ſermonem eſſe, cùm in eodem ſubſtantiales quoque differentiæ contineantur.

*Contrarietatem, quæ in ſubſtantialibus differentijs reperitur, ab ea longè diuerſam eſſe, quam Nouus Autor exiſtimauit. Cap. XIX.*

CÆterùm cùm iam Nouus Autor ſtatuiſſet, prædictam ſubſtantiæ proprietatem ſoli ſubſtantiæ compoſitæ conuenire; abſolutè pronunciauit, ſubſtantiales differẽtias, quas etiam à ſubſtantiæ prædicamento ſeiunxit, contrarietatẽ recipere poſſe, vt inde facilius, quatuor primas qualitates, quæ contrariæ ſunt, elementorum formas, & ſubſtantiales differentias eſſe, concluderet. Sed profectò vir iſte in maximum errorem delabitur; ipſoſque Græcos interpretes ſibi facit aduerſos. Quod vt notum, manifeſtumque fiat, noſſe primùm oportet, aliud eſſe loqui de formis, aliud verò de differentijs ſubſtãtialibus: qui enim hæc cũ illis confundunt, maxima in rerum ignoratione verſantur. Etenim ſubſtantiales formas nec Ariſtot. nec aut ex Græcis, aut ex Latinis Philoſophis quiſquã vnquam, qui mentem Ariſt. aſſecutus ſit contrarium recipere poſſe affirmauit. Subſtantiales autem differentias inter ſe contrarias eſſe, nemo eſt, qui ambigat: quanuis Simplicius, & Ammonius, id, quod eſt rationis particeps, & id, quod eſt rationis expers, contraria eſſe noluerint. Sed fortaſſe per rationis particeps, & per rationis expers, non puras differentias acceperunt: nam Simplicius præſertim cõtrarietatem in differentijs conſtituit: ita enim, loco paulò ante citato, ſcribit, *Sed cùm omnes contrarietates circa qualitates, & differentias eſſe videãtur*, nec ab hoc certè diſſentit Ammonius. Quomodo autem in differentijs contrarietas ſit, hoc diligenter conſiderandũ eſt: in eo enim totius difficultatis momentum conſiſtit. Nolo autem huius rei explicationem ab alijs autoribus potius, quàm à Græcis accipere. Id optimè Iamblicus apud Simplicium expoſuit. Ambigunt quidam, inquit, quomodo in ſubſtantia non ſit contrarietas: nã quomodo rationale animal non eſt contrarium irrationali? Reſpondet Iamblicus, differentiam differentiæ quidem contrariam eſſe, ſed tamen totum conſtitutum non eſſe toti contrarium: quare cùm omne genus per differentias oppoſitas diuidatur, animal per rationale, & irrationale diuiditur; & rationale, atque irrationale inter ſe quidem appoſitæ differẽtiæ ſunt, tamen animal rationale animali irrationali contrarium eſſe non dicitur. Hæc eſt optima reſponſio, quanuis Simplicius, defendẽs, rationale, & irrationale inuicem non aduerſari, aliam reſponſionem attulerit. Verùm hæc contrarietas, quæ in differentijs reperitur, non ea eſt, quam Ariſt. à toto ſubſtantiæ prædicamento ſecluſit; ſed ea, de qua lib. 10. Metaph. tex. 13. locutus eſt, dum dixit, in omni genere contrarietatem reperiri, quatenus genus omne per oppoſitas differentias diuiditur. Contrarietas autem, quam à ſubſtantiæ prædicamento remouit, illa eſt, ratione cuius ea, quæ contraria ſunt, inuicem agunt, & patiuntur; cuiuſmodi eſt contrarietas illa, quæ in qualitatibus reperitur. Et propterea inter ſubſtantiæ proprietates eam numerauit; qua ſubſtantiæ nihil dicitur eſſe contrarium, & eam quidem non ſoli ſubſtãtiæ, ſed quantitati etiam conuenire aſſeuerauit; quia bicubito, & tricubito, nihil eſt contrarium. Vt intelligeremus, tametſi ſubſtantia omnibus ſuis proprietatibus, ſimul acceptis, à cæteris prædicamentis diſtinguatur; vnum tamen proprietatem habere, quæ ſibi, & quantitati communis eſt. Ibi autem qualitatem non nominauit, vt ſignificaret, quemadmodum proprietas illa ſubſtantiæ, & quãtitati congruit, ita eandem à qualitate remotiſſimam eſſe, nam qualitas contrarietatem ſuſcipit, & eam quidem propriè dictam, quæ in illis reperitur, quæ actiua inuicem, atque paſſiua ſunt.

Putauit nouus Autor, ſubſtantiales differẽtias eã contrarietatem habere, quã Ariſt. à prædicamẽto ſubſtãtiæ excludere in animo habuit.

Aliud eſt loqui de formis, aliud verò de differentiis ſubſtãtialib.

Subſtãtiales formæ quæcũque illæ ſunt, contrariũ nõ recipiunt.

Subſtãtiales differẽtiæ inter ſe contrariæ ſunt.

Quænam cõtrarietas in ſubſtantialib. differẽtiis reperiatur, lege Iãblicum apud Simpl. in prædicamentis, cap. de ſubſt.

In omni genere cõtrarietas differẽtiarum reperit. vide Ariſt. li. 10 Met. text. 13.

Vt ſubſtãtiæ ita qualitati competit, nõ habere cõtrarium.

In qualitate eſt vera contrarietas qua opponũt ea, quæ inuicem actiua, atque paſſiua ſunt.

*Exquiſitionem proprietatis ſubſtantiæ, à Nouo Autore traditam, neque ad mentem Græcorum eſſe, neque ea ipſa ſeruari poſſe, quatuor primas qualitates eſſe formas ſubſtantiales elementorum. Cap. XX.*

SEd adhuc vehementius contra eundem autorem velim, vt etiam Græcorum armis inueharer; ſua enim illa expoſitione tueri non poſſe, quatuor primas qualitates, quæ contrariæ ſunt, eſſe formas ſubſtantiales elementorum, ex Simplicio, & Ammonio oſtendere libet.

Simplicius in prædicamentis fatetur elementorũ ſubſtantias non eẽ cõtrarias, ſed qualitates tantùm.

bet. Dubitat Simplicius, ſi ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, vt Ariſt. docet, quomodo ergo ignem aquę, & aerem terræ contraria idem Ariſt. facit? Reſpondet idẽ Simplicius, hiſce verbis, *Facile dicere poſſumus, quod hæc contraria ſunt, ſecundum qualitates, & differentias: nã dicit Ariſtoteles, calidum, & ſiccum, contraria eſſe humido, & frigido; & calidum, & humidum, frigido, & ſicco.* ex quibus verbis elicimus, non ſolùm non exiſtimaſſe Simplicium, aliquas ſubſtantias, propriè dictam contrarietatem recipere; ſed neque etiam quatuor primas qualitates eſſe formas ſubſtantiales elementorum: nam dixit, elementa eſſe contraria, non ſecundum ſubſtantias, ſed ſecundum qualitates: noluit igitur, qualitates eſſe ſubſtantias elemẽtorum.

Idem fatetur Ammonius.

Ammonius, ſoluens hoc idem dubium, hæc ſcribit ad verbum, *Dicemus, hæc aduerſari ſibi ipſis, non quatenus ſubſtantiæ ſunt, ſed quatenus ſunt informata qualitatibus: qualitas enim calida, & ſicca, quæ in igne eſt, frigida, & humida, quæ eſt in aqua repugnat; ergo ſubſtantiæ non pugnant inter ſe: hæc enim non ſunt omnino inter ſe contraria: cùm neque in materia, neq; in corpore, ſed in ſolis qualitatibus ſibi ipſa aduerſentur.* Eadem ferè ſcripſit Alexãder libro de ijs, quæ cadunt ſub ſenſum, cap. de odore, & ſapore, ſi eius verba rectè perpendãtur: ſed locum illum conſiderabimus infra.

Nouus Autor explicat Græcorũ autoritates.

Vidit hos locos Nouus Autor, & ſect. 1. cap. 3. atque etiam ſect. 3. cap. 4. ita illos explicat, vt nimirum Græci interpretes intellexerint, toti coniunctioni qualitatum, in qua elementorum forma conſiſtit, alteram totam coniunctionẽ contrariam non eſſe; tametſi elementa, ſecundum qualitates, contraria eſſe dicantur. Ait. n. qualitates tripliciter conſiderari poſſe: vno modo, vt accidunt corpori, ter dimenſo: alio modo, vt qualitates ſimpliciter ſunt, nec certum adhuc gradum obtinuerunt, & prout vim tantùm habent denominandi: Tertiò modo, vt ſunt in certo, atque determinato gradu, & quatenus vim habent conſtituendi.

Qualitates ſecundũ nouũ Autorem, accidentia, & proprietates, & formę ſubſtãtiales dici poſſunt.

Primo modo eas appellat accidentia: ſecundo, proprietates: tertio, formas ſubſtantiales. Non eſt igitur mirum, ſi Græci aſſerant, elementa non eſſe contraria, ſecundum ſubſtantias: quoniam forma exempli gratia, ignis nullum habere poteſt contrarium; quia eius caliditas ſumma eſt, cum ſumma ſiccitate, & leuitate coniuncta, quæ ſecum afferunt ſummam claritatem, ſummamque materiæ diſiunctionem.

Cur aquæ frigiditas ſecundum nouum Autorẽ ignis caliditati cõtraria eſſe nõ poſſit.

Si. n. contrarium haberet, illud maximè eſſet frigiditas aquæ: at hoc eſse non poteſt, quia frigiditas aquæ non habet ſummam humiditatem, nec ſummam grauitatem, nec ſummam materiæ concretionem; quare non vſquequaque ignis caliditati oppoſita eſt, neque illi ſimpliciter contraria: ideo rectè dixerunt Græci, elementi formam, non niſi ſecundum qualitates, contrarium habere. Hæc Nouus Autor.

Nouus Autor redargutionem committit.

Quæ dùm mecum ipſe reputo, inuenio primùm, virum hunc peccatum illud in logica facultate commiſiſſe, quod redargutio cõmuniter appellatur: id enim nunc apertiſſime conceſſit, quod antea abſolutè negauit. Etenim, ſoluens quintam Latinorum rationem, in qua etiam num verſamur, negauit omnino proprietatem illam ſubſtãtiæ, qua dicitur, ſubſtantiæ nihil eſſe contrarium, de omni ſubſtantia intelligendam eſse: ab eaq; immunes reddidit formas, & differentias ſubſtantiales, quas contrarietatem recipere poſse affirmauit; eo potiſſimùm conſilio, vt tueri poſset, quatuor primas qualitates, quæ contrariæ ſunt, eſse formas, & differentias ſubſtantiales elementorum. Nunc verò concedit, elementorum formas non habere contrarium; ſed ſi qua contrarietas in elementis reperiatur, eam eſſe, penes qualitates, non penes formas ſubſtantiales. En igitur apertiſſima redargutio.

Noui Auto. effugium.

Sed hæc tanquam leuia mittamus. Aſserit deinde, toti coniunctioni qualitatum, in qua elementi forma conſiſtit, alteram totam coniunctionem contrariam non eſse. Hoc mihi ſanè pulcherrimum videtur effugium:

Proſecutio.

accipio. n. ignem, ex illa qualitatum coniunctione conſtitutũ, & iuxta eum pono aquam, ex alia pariter qualitatum coniunctione cõſtatam, tunc ſi toti cõiunctioni qualitatum altera tota coniunctio contraria non eſt; ergo ignis, & aqua, abſque vlla contrarietate, aut actione inuicem, & paſſione, ſimul manere poterunt, quod tamen experientiæ penitus aduerſatur.

Noui Autoris reſpõſio.

Reſpondebit, ignem, & aquam ſimul manere non poſse, nõ quidem ob formas, ſed ob qualitates contrarias.

Confutatio.

Tum ego contra: igitur in igne duplex erit caliditas: altera, quæ ignem cõſtituit: altera, quæ ignem calidum reddit, & ſic pariter duplex erit in aqua frigiditas: quod tamen neſcio, an philoſophica dignitas ſuſtinere poſſit. Nam ſi caliditas, ignem conſtituens, quia talem habet gradum, ſubſtantia iam euaſit, nec contrariũ admittit, nec actionem vllam edit, nec aliquod ſubiectũ denominat; cur, obſecro, caliditatis potius, quàm alterius cuiuſpiam qualitatis nomen meretur? Æquè enim poſset ſiccitas, aut le-

uitas

uitas nuncupari. Fortaſſe igitur magis abſurdum erit, ponere in igne caliditatem, quæ nõ calefaciat, q̃ formã, quæ noĩe careat. Et Nouus Autor, veritate coactus, in igne tãdẽ poſuit ſubſtantialẽ formã, à qualitate diſtinctã, vt abſurdũ illud vſquequaq; vitaret, nimirũ ſubſtãtiã contrarietatẽ recipere; quod. n. ſupra, argumentorũ neceſſitate cõpulſus, ſubſtantiæ cõceſſit; nũc erroris cõſcius, in qualitatẽ retulit. Prҽterea, vt id omittã, quod ſuperiùs ſatis cõmodè refutaui, vnionẽ. ſ. vim hẽc non poſſe, accidens in ſubſtantiã tranſmutandi; ac propterea ſubſtãtialem elemẽti formã in tali eſſe tali, coniunctionis minime conſiſtere, vt Nouus Autor putauit; illud reprehenſione dignum exiſtimo, qualitatem videlicet in tali gradu qualitatem, & accidens eſſe; in gradu autem diuerſo formam ſubſtantialem. Si enim magis, & minus nõ mutant ſpeciem; multò minus poſsint mutare genus: ſed nullus gradus, caliditati additus, vel ab eadem remotus, poteſt ipſam in frigiditatem mutare; ergo multò minus alicuius gradus additio, vel ablatio id efficere poterit, vt caliditas, quҽ accidens eſt, forma ſubſtantialis euadat. Ad hҽc, ſi qualitas ſub certo gradu qualitas maneat, ſub alio verò gradu ſubſtantia fiat; periculum erit, ne elementorum qualitates, ex mutua earum actione, & paſſione, in gradum illum determinatum incidant, & formҽ ſubſtantiales euadant, atque adeò elementa ſine qualitatibus denominantibus maneant. Denique abſurdum maximũ exiſtimo aſſerere; igneã caliditatem, propterea quòd cum ſumma ſiccitate, & raritate coniuncta eſt, aqueam frigiditatem contrariam habere non poſſe; quia ſummam humiditatem, & denſitatem annexam non habet. Quid hic, obſecro, ſumma ſiccitas, & ſumma raritas, aut ſumma humiditas, & ſumma denſitas, cùm de frigiditate, & caliditate agitur, quҽ per ſe oppoſitҽ omnino qualitates ſunt? An ҽqualis virtus in qualitatibus exigitur, vt contrariҽ ſint, inuicemque agant, & patiantur? Minimè verò; alioquin inter duos gradus frigoris, & tres gradus caloris nulla eſſet contrarietas; atque adeò nec actio, & paſſio, quҽ, vt habetur 1. de Generat. & interitu, inter contraria eſt, Videat ergo Nouus hic Autor, quo nam abſurditatum pelago obruatur, vt opinionem, à veritate alieniſſimam, tueatur.

Abſurdũ eſt dicere, qualitatem in tali gradu, qualitatem eſſe, in alio verò ſubſtantiam.

Magis, & minus non variant ſpeciẽ.

Aquea frigiditas, tametſi cũ ſumma humiditate, aut denſitate cõiuncta nõ ſit, igneæ nihilominus caliditati prorſus cõtraria eſt.

Actio datur inter qualitates cõtrarias, oriturq; à proportione maioris inæqualitatis, lege primum libr. de Gen. cap. de actio. & paſſione.

*Secundas ſubſtantias, quatenus ſubſtantias, non quatenus compoſitas, vt Nouus Autor voluit, contrarietate carere. Cap. XXI.*

SEd illuc redeat, vnde diſceſſit oratio. Nouus Autor eadem ſect. 3. c. 4. vt defenderet, ſolã ſubſtantiam compoſitam non habere contrarium; in alium errorem, ſilentio minimè prҽtereundum, lapſus eſt. Cùm enim optimè cognouiſſet, ſubſtantias quoque ſecundas contrarietate carere, quia Ariſtoteles capite de ſubſtantia, hҽc verba ſcribit, *At vero nec homini, nec animali aliquid eſt contrarium*. in eam ſententiam venit, vt, ea ſolùm ratione, ſecundæ ſubſtantiæ contrarietate carere dicantur, quatenus ipſæ quoque compoſitæ ſunt. Explicatio ſanè & ab Ariſtotelis mente, & ab eorum philoſophorum Schola longè remota, qui ſtatuerũt, quatuor primas qualitates eſſe formas ſubſtantiales elementorum; ab Ariſtotelis quidem mente; quoniam, vt ſupra ſatis probauimus, Ariſtoteles illam ſubſtantiæ proprietatem aſſignauit, tanquam toti ſubſtantiæ prædicamento, ſub quo omnes ſubſtantiæ ſpecies collocatҽ ſunt, optimè congruentem. Ab alijs verò philoſophis; quoniam qui ſtatuerunt, proprietatem illam ſubſtantiæ de ſola ſubſtantia compoſita intelligendam eſſe, vt tuerentur, ſubſtantiales formas contrarietatem inuicem habere poſſe; per ſubſtãtiam compoſitam, eam ſolùm, quæ phyſicam compoſitionem habet, cuiuſmodi eſt ſubſtantiale indiuiduum, intellexerunt; vt idẽmet etiã Nouus Autor in toto illo quarto capite fateri videtur. Iam verò neſcio, quam nã phyſicam compoſitionem habeant homo, & animal, quæ ſecundæ ſubſtantiæ ſunt: nullam opinor, niſi fortaſſe aliquam aut metaphyſicam, aut intentionalem, quatenus ſcilicet vel ex eſſe, & eſſentia, vel ex genere, & differentia conſtitutæ ſunt. Quod ſi qua iſtarum compoſitionum ſubſtantiæ ſufficiat, vt nihil illi contrarium eſſe poſſit; profectò neque formæ, neq; ſubſtantiales differentiæ inter ſe contrariæ dicentur; cùm ſaltem metaphyſicam aliquam compoſitionem obtineant. Abſolutè igitur prædicta proprietas de omni ſubſtantia vera eſt, vt ſcilicet nulla ſubſtantia, quæcunque illa ſit, ſiue compoſita, ſiue ſimplex, ſiue prima, ſiue ſecũda, contrarietatem recipere poſſit, eo modo, quo de contrarietate, in prædicamento ſubſtantiæ, Ariſtoteles loquitur.

Secundæ ſubſtantiæ ſecundum nouum Autorem ea ſolum ratiõe, qua compoſitæ ſunt, contrarietatẽ renuunt.

Noui Autor. ſententiæ cõfutatio.

Secundæ ſubſtantiæ habere poſſũt metaphyſicam, aut intentionalem cõpoſitionẽ; phyſicam verò nequaquam.

Haud

*Haud rectè Nouum Autorem ex Alberto elicuiſſe, ſolam ſubſtantiam compoſitam non habere contrarium.* *Cap. XXII.*

AFfert præterea Nouus Autor autoritatē Alberti, inter Latinos, vt validiùs confirmet, proprietatē illā ſubſtantię de ſola ſubſtātia cōpoſita, quæ accidētib. ſubſtat, ītelligēdā eſſe. Etenim Alber. in prędic. ſubſtātię c. 9. in ipſo ſtatim principio hęc ſcribit, *Nūc dicendū videtur de proprietatib. ſubſtātia, ſecundū quod ſubſtat accidentib.* ſubſtātia aūt, quæ ſubſtat accidētib. ait Nouus Autor, prima eſt. Sed profectò verba hæc ad id, quod ipſe intēdit, cōfirmandum, nullius roboris ſunt: ait. n. Albertus, de proprietatibus ſubſtantiæ diſputandum eſſe, quæ ipſi conueniunt, quatenus ſubſtantia eſt, & accidentibus ſubſtat: (nam de ſubſtantia, hoc modo ſumpta, Ariſt. potiſſimum in prædicamento ſubſtantiæ ſermo eſt, non autem aliò modo, vt paulò infra dicetur) ſubſtantia autem, quæ accidentibus ſubſtat, eſſe poteſt tàm prima, quàm ſecunda: immò omnis ſubſtantia prædicamentalis, quatenus ſubſtantia eſt, accidētibus ſubſtat. Addit rurſum Nouus Autor, pro ſuæ explicationis confirmatione, hæc alia Alberti verba, quèm de hac proprietate loquentem, ita ſcribere affirmauit, *Et ſecundum hanc contrarietatem, proprium eſt ſubſtantia, ſecundum quòd ſubſtat, & ſubiectum eſt, non habere contrarium: ſecundum autem quòd ſubſtantia dicitur elementaris forma, qua eſt differentia, ſic habet contrarium.* Congrueret quidem mirum in modum hæc Alberti verba huius autoris ſnīæ, ſi ea quidem fideliter relata eſſent: apertè enim Albertus confiteri videretur, elementares formas, tametſi ſubſtantiæ ſunt; nihilominus inter ſe contrarietatem habere. Verùm vnum eſt verbum, hac in re valdè præcipuum, quod tamen apud Albertum longe diuerſum eſt: non enim ſcribit Albertus, *Secundum autem quòd ſubſtantia dicitur elementaris forma* ſed hoc modo *(ſecundum autem quòd ſubſtantia dicitur eſſentialis forma)* ita habet meus codex, impreſſus Venetijs, Anno 1506. ſumptibus hæredum Octauiani Scoti: & miror certè, virum alioqui eruditum verba hęc, ad ſuam explicationem ſuadendam, ita retuliſſe: ſed forte fuit error impreſſoris. Quomodocunq; autem ſe res habeat, verba illa nihil ei prodeſſe poſſunt: ſenſum enim longè diuerſum habent, quem qui rectè percipere vult opus eſt, vt ab illis verbis incipiat, *Et attende, quòd multipliciter dicitur contrarietas, &c.* oportet enim integras ſnīas legere, non autem aliqua tantùm verba curſim percurrere. Poterit, qui voluerit, verba legere apud Albertum: ego breuiter eorum afferam ſenſum. Contrarietas, inquit Albertus, tripliciter accipitur: vno modo pro perfecta diſtantia oppoſitarum differentiarum, in eodem genere: alio modo pro oppoſitione priuationis, & habitus: tertio modo pro completa diſtantia paſſionū, & qualitatum; & hæc eſt vera, & propriè dicta cōtrarietas. Iam verò, ſecundum primam contrarietatem, ait Albertus, ſubſtantia contrarium habere, & non habere poteſt. Dupliciter enim ſubſtantia cōſideratur: vno modo quatenus eſt eſſentialis forma, quæ eſt differentia, & tunc habet cōtrarium: altero, quatenus ſubſtat, & ſubiectum eſt; & tūc non habet contrarium. Cùm autem Ariſt. in prædicamento ſubſtantiæ de hac proprietate loquitur, non accipit ſubſtantiam pro differentia, vel pro forma; ſed hac potiſſimùm ratione, quatenus accidentibus ſubſtat: & tunc etiam ſubſtantia, quæ eſt forma, vel differentia, conſiderata quatenus accidentibus ſubſtat, contrariū non habet. Exempli gratia, hęc differentia, quæ eſt corporeum, habet incorporeum, tanquam differētiam contrariam: at verò quatenus accidentibus ſubſtat, quæ in corpore recipi poſſunt, ſic nullum habet contrarium. Penes verò ſecundam contrarietatem, rerum naturalium principia, nimirum forma, & priuatio, contraria dicuntur. At tertia contrarietas, quæ vera, & propria eſt, in ſolis qualitatibus reperitur. Hæc eſt Alberti ſententia, quæ, vt perſpicuum eſt, tantum abeſt, vt Noui Autoris explicationem confirmet, vt eam potius deſtruat, penituſque diſſoluat.

Autoritas Alber. quam nouus Autor ſibi fauere putauit.

Explicatio autoritatis Alb.

Adulterina verba Alb. à nouo Autore lata.

Germana lectio verborū Alberti.

Verus ſēſus verborū Alberti.

Cōtrarietas tripliciter accipitur.

Subſtantia quò habeat contrariū, & quò non habeat.

Contrarietas in rerum naturaliū principiis quænā ſit.

Cōtrarietas propriè dicta in ſolis qualitatibus eſt.

*Explicantur duo Ariſtotelis loci, quibus Nouus Autor, cōtrarietatem in ſubſtantia, & eam quidem poſitiuam inuehere, conatus eſt.* *Cap. XXIII.*

NOn ſatis fuit Nouo Autori Gręcorum, atque Alberti autoritas, ad oſtendendum, prędictam ſubſtantiæ proprietatem de ſola ſubſtantia compoſita, vel de ea, quæ ſubiecti rationem habet, intelligendā eſſe; cùm id ipſum, autoritate etiam Ariſt. loco, à Magno quoque Alberto obſeruato, confirmare voluerit. Locus eſt in 1. Phyſ. tex. 67. vbi cùm rerum natura-

Locus Ariſt.

turalium principia contraria ſtatuiſſet, ita argumentatur. Si ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, & principia rerum naturalium ſunt ſubſtantiæ; quomodo ergo inuicem cõtrarietatem habebunt? Soluit hoc argumentum, ait Nouus Autor, dicens, ſat eſſe, vt inter principia vnum reperiatur, quod, cùm vtriuſque contrarij ſubiectum ſit, nihil ſibi aduerſum habere dicatur; & hoc principium eſt materia prima: nihil autẽ abſurdi eſt, ſi inter cætera ſubſtantialia principia cõtrarietas reperiatur. Verũ nec locus iſte, ſi rectè, & ad mẽtẽ Ariſ. explicetur, pro Noui Autoris interpretatione quicquam facit: nolo autem hac in re interpretes alios, quã ipſummet Ariſtotelem, & Albertum, quos ipſe pro ſe adduxit, adhibere. Si quis diligenter legat textum illum 67. primi libri Phyſicorum, inueniet, Ariſtotelem neque argumẽtum illud, neque ſolutionem, quam vir iſte attulit, propoſuiſſe: ſed, cùm ſuperiùs contrarietatẽ interdum iã in principijs ſtatuiſſet: interdum eadem non eſſe contraria aſſeruiſſet; quinimmò ea ipſa aliquãdo tria, nonnunquam etiam duo pronunciaſſet; in eo textu docuit, quonam pacto hæ duę indefinitæ propoſitiones ſimul veræ eſſe poſſint, videlicet principia ſunt duo; principia nõ ſunt duo: rurſus principia ſunt contraria; principia non ſunt contraria. Et quod ad contrarietatẽ attinet, dixit, eas propoſitiones ſimul veras eſſe poſſe; quia non tanquam vniuerſales, ſed tanquam particulares accipiendę ſunt. Quare verum eſt dicere, aliqua principia ſunt contraria, vt forma, & priuatio: aliqua principia non ſunt contraria, ut materia, & forma, vel materia, & priuatio: materia itaque cùm ſit ſubiectum contrariorum, non habet contrarium. Hæc eſt vera illius contextus interpretatio; ex quo certe elici nulla ratione poteſt, ſubſtantiam contrarietatem recipere, niſi priuatiuam tantum, de qua ibi Ariſtoteles loquitur, & eſt communis philoſophorum interpretatio; quinimmò ipſiuſmet Alberti in 9. capite iam citato prædicamenti ſubſtantię, vbi ita ſcribit, *Dicitur etiam contrarietas habitus, & priuatio, ſiue contrariæ formæ circa eandem materiam, quæ ſubſtat vtrique &c.* Non placet autem Nouo Autori interpretatio hęc de contrarietate priuatiua; ideo alium attulit Ariſtotelis locum, in 1. lib. de Cælo tex. 20. ex quo, de eius ſententia, elicuit, ſubſtantiæ aliquid eſſe contrarium, contrarietate poſitiua. Volens enim Ariſtoteles ibi probare, cælum indiſſolubile eſſe, hoc argumento vtitur; Cælum non habet contrarium, cùm circulari motui nullus ſit motus cõtrarius: omnis autem interitus fit ratione cõtrarij; ergo cælum eſt indiſſolubile. Loquitur ibi, ait Nouus Autor, de contrarietate poſitiua: nam contrarietas motuum penes formas accipitur, quę motuum principia ſunt: vna autem forma alteri contraria eſſe dicitur, contrarietate poſitiua, nõ priuatiua. Cùm igitur cælum hac poſitiua contrarietate careat, dubio procul indiſſolubile erit: adeo enim contrarietas poſitiua, vt Simplicius ait, in generatione, & interitu neceſſaria eſt, vt, ſine ea, ſubſtantia generari, aut interire nullo modo poſſit. Sed hic quoque locus aliã omnino interpretationem expoſcit: nec ſi rectè intelligatur, ex eo vnquam elici poterit, Ariſtotelem docuiſſe, poſitiuam contrarietatem in ſubſtantia reperiri. Optimum quidem fuit medium illud, quo ibi Ariſtoteles vſus eſt, ad probandum, cælum indiſſolubile eſſe; quia ſcilicet non habet contrarium, cùm eius motui, qui circularis eſt, nullus motus contrarius ſit: motus enim contrarij contraria quoque mobilia indicare ſolent. Ex eo tamen loco inferre non licet, oppoſitorum mobilium ſubſtantias, poſitiua contrarietate inter ſe contrarias eſſe: Sed id potius, quia à ſubſtantialibus formis oppoſitorum mobilium, tanquam à principijs, contrariæ qualitates oriuntur, quæ poſtea oppoſitorum motuum inſtrumenta dicunt; ideo oppoſitos motus oppoſita mobilia vt plurimum indicare. Res fortaſſe fiet dilucidior exẽplo. Hac potiſſimùm ratione, ignem, & aerem, aquæ, & terræ aduerſari dicimus; quia hæc deorſum, illa ſurſum, ſecundum naturam, mouentur: niſi alias oppoſitiones in iſtis elementis conſpiceremus, non ne ſola hæc motuum contrarietas ſatis eſſet, ad ſignificandum, ea ipſa inter ſe oppoſita eſſe? Iam verò tametſi elementorum formæ, quas ſubſtantias voco, oppoſitorum motuum principia ſunt; non ideo tamen putandum eſt, ipſaſmet elementorum formas, ſeu ſubſtantias, inter ſe oppoſitas, atque contrarias eſſe: quoniam ſi elementa accidentibus omnibus nudata eſſent, eorumque ſubſtantiæ ſimul ponerentur; nulla vnquam pugna, aut controuerſia inter ipſa daretur, nec quicquam inuicem agerent, aut paterentur. Quare elementa hæc idcirco inter ſe oppoſita eſſe dicuntur, quia formæ ignis, & aeris ſunt principia quædã, à quibus caliditas, raritas, leuitas, ac deinceps motus ſurſum oriuntur: formæ verò aquę, & terræ ſunt principia, à quibus oriuntur frigiditas, denſitas, grauitas, ac deinceps motus deorſum:

à nouo Autore expoſitus, & adhibitus ad oſtendendum, ſubſtantiæ aliquid eſſe cõtrarium contrarietate poſitiua.

Vera explanatio tex. 67. 1. Phyſic. qui nihil nouo Autori prodeſſe põt, ad id, quod cupit, concludẽdum.

Locus Ariſt. in 1. de cęlo, textu 20. ex quo nouus Autor elicit, ſubſtãtiæ aliquid eſſe contrarium contrarietate poſitiua.

Cõtrarietas poſitiua ſecundum Simplic. in generat. & interitu neceſſaria eſt.

Verus intellectus text. 20 lib. 1. de cęlo.

Exemplũ ducẽs in rei quęſitæ cognitionem.

Cur aliqua elemẽta inter ſe contraria dicantur.

ſum:

ſum:& ſecundum has qualitates elementa contraria dicuntur,nullo autem modo ſecundum ſubſtantias, vt Nouus Autor putauit:eſt enim veluti hæreſis quædam in philoſophia aſſerere,ſubſtantiæ aliquid eſſe contrarium,contrarietate poſitiua. Quòd autem hæc ad generationem neceſſaria ſit,vt Simplicius ait,admitti facilè poteſt:ſed aduertendum eſt, hanc poſitiuam contrarietatem non ad ſubſtantias,ſed ad qualitates tantummodo pertinere. Etenim generatio abſque præcedente alteratione fieri nequit;ad alterationem autem concurrunt qualitates contrariæ, contrarietate poſitiua. Et quanuis contrarietas hæc in ſubſtãtia recipiatur, quia ſcilicet ipſamet ſubſtantia eſt,quę de calida in frigidam, vel oppoſito modo mutatur; hoc tamen ideo eſt,quia ſubſtantia in ſeſe contrarias qualitates recipit;non autem quia ſubſtantiæ,quatenus ſubſtantia eſt,aliquid contrarium ſit,niſi,vt iam diximus,contrarietate priuatiua.

Qúo contrarietas poſitiua in generatione, & interitu neceſſaria ſit,vt voluit Simpl.

Subſtantia recipit quidẽ in ſe qualitates cõtrarias, cõtrarietate poſitiua; ei tñ nihil eſt contrarium, niſi contrarietate poſitiua.

*Noui Autoris reſponſio ad ſextam Latinorum rationem,atque eiuſdem confutatio.*
*Cap. XXIV.*

Noui Autoris rñſio.

AD ſextam Latinorum rationem,qua probant,quatuor primas qualitates ideo ſubſtãtiales elementorum formas eſſe non poſſe,quia magis,& minus ſuſcipiunt,quod tamẽ à ſubſtantia prorſus alienum eſt; Reſpondet Nouus Autor,ſect. 3.c. 5. hãc ſubſtantiæ proprietatem de ſubſtantia quo ad ſe totam intelligendam eſſe: Ariſtoteles enim in prædicamentis de eo magis,& minus loquitur,quod contrarietatem ſequitur;propterea cùm ſubſtãtia,quo ad ſe totam,contrarium non habeat;hinc etiam fit,vt quo ad ſe totam magis, & minus non recipiat. In alia diſputatione latiſſimè patefeci,quiſnam ſit verus ſenſus huius propoſitionis, ſubſtantia non ſuſcipit magis,nec minus. Quòd ſi nunc,ex doctrina Ariſtotelis 5. Phyſ. text. 19. id addiderimus,nimirum rationem, cur qualitas recipiat magis,& minus,ſubſtantia verò nequaquam,eam eſſe,quia qualitas,non item ſubſtantia,contrarium recipit,& propterea magis calidum id dici,quod magis recedit à frigido:ſubſtantiam verò, cùm contrarium non habeat,à contrario recedere non poſſe;rem etiam cumulatius explicaſſe videbimur. Quod verò ad Noui Autoris reſponſionem attinet,ſi illam ſubſtantijs omnibus,quæ in prædicamento ſubſtantiæ continentur,accommodare poteſt,vt ſcilicet quo ad totum,magis,& minus nõ ſuſcipiant:quo verò ad partes,ſuſcipiant,optima ſanè reſponſio erit. At verò ſi de induſtria aliquibus tantùm rebus illam aptauit,quas ſubſtantias eſſe credidit: nihil aliud planè erit, quàm artificioſum quoddam effugium. Iam verò cogitatione fingamus hominem, belluam, plantam,lapidem,ferrum, vel huiuſmodi ſubſtantias;quis affirmare vnquam audebit,has ipſas ſubſtantias non quidem quo ad totum,ſed quo ad aliquas,vel omnes earum partes, magis,& minus recipere poſſe? Id tanquam firmum, & ratum ab omnibus Peripateticis habetur, vt paulò infra ex Ariſtotele docebimus,ſubſtantiam ſcilicet in indiuiſibili conſiſtere: nõ igitur de ea enunciare id poſſumus,vt ſcilicet non quo ad totum,ſed quo ad partes,vt contrarium,ita magis,& minus ſuſcipiat. Sed fac,ſubſtantiam aliquam re ipſa per quantitatem in partes diuiſam eſſe;ne hoc quidem pacto dicere quis poterit,ſubſtantiam in partibus magis & minus recipere poſse:eadem enim ſubſtantiæ ratio,quæ in toto animali,vel in tota planta eſt,in ſingulis etiam partibus eſse dicitur:propterea nulla videtur ratio,cur ſubſtantia, quo ad totum non ſuſcipiat magis,nec minus,quo verò ad partes,ſuſcipiat. Sed potius dicendum videtur,cùm ſubſtantia,quatenus ſubſtantia eſt,& quatenus præcipuè à qualitate diſtinguitur,magis,& minus ſuſcipere nequeat:eam ipſam,& quo ad totum, & quo ad partes, hanc eandem proprietatem obtinere. Cæterum Nouus Autor ſatis aſtutè quidem hanc interpretationem adhibuit,vt eam quatuor primis qualitatibus,quas ſubſtantiales elementorum formas eſſe putauit,accommodaret:quemadmodum enim ſuperiùs dixit, toti coniunctioni primarum qualitatum,in qua ſubſtantialis elementi forma conſiſtit;nihil contrarium eſſe; ita nunc,totam hanc qualitatum coniunctionem neque magis,neque minus ſuſcipere,affirmauit:atque ita,hanc ſubſtantię proprietatem in quatuor primis qualitatibus ſe optimè ſeruaſſe,putauit. Sed prætet quam quod,vt omnibus patet,hoc ſuaue quoddam effugium eſt; nihil etiam facit ad rem,quam in animo habet,explicandam:eam enim ſubſtantiæ proprietatem ita interpretatus eſt,vt ſcilicet,quo ad totam ſubſtantiam.non quo ad partes intelligenda ſit; quaſi ſubſtantia;quo ad partes,magis,& minus ſuſcipere poſſit. Et propterea dixit, totam

Cur ſubſtantia non ſuſcipiat magis, & minus.

Quære ſenſũ huius propoſitionis in diſputa. de miſtione,c. 8.

Cõſutatio reſpõſionis noui Autoris.

Subſtãtia nec in toto,nec ĩ partibus, magis,& minus recipere põt.

Fallax,atque verſuta noui Autoris interpretatio.

Noui Autor. interpretatio reijcitur.

qua-

qualitatū coniunctionē, in qua ſubſtātialis forma conſiſtit, magis, & minus nō ſuſcipere: quālitates aūt diſiunctas, quę veluti partes quædā illius formæ ſunt, vtrq; magis, & minus recipere poſſe. Ridiculū. Nonne videt, qualitates diſiūctas, ſua ipſius doctrina, nō ſubſtātias, ſed accidentia eſſe? quonā modo igitur ſuum rñſum rei propoſitæ rectè accōmodare pōt, cū dixit, ſubſtantiam, quoad totum, non ſuſcipere magis, nec minus, quo verò ad partes, ſuſcipere, ſi ſeparatæ qualitates, quæ, eo autore, partes dicuntur elementaris formæ, non ſubſtantiæ, ſed accidentia ſunt? Cæterùm, vtcunque ſe res habeat, oſtendo, totam illam qualitatum coniūctionem, in qua ipſe, elementi formam conſiſtere, exiſtimauit, magis, & minus ſuſcipere: & in hoc potiſſimùm eius reſponſionis cōfutatio conſiſtit; quia hinc eliciemus, coniunctionem illam ſubſtantialem formam eſſe non poſſe. Ponamus, exempli gratia, ex aere aquam gigni debere; tunc, cùm ad generationem, poſitiua contrarietas neceſſaria ſit, ratione cuius fit alteratio generationem præcedens, opus eſt, vt ſenſim aqua, ſua frigiditate, in aerem agat, atque illum tandem in ſui naturam tranſmutet. Pugnantibus autem hiſce duobus elementis, atq; aere, tanquam infirmiore, propè iam ab aqua deuicto, neceſſe eſt, vt eius calor valdè debilitatus ſit: non.n. in pugna, & paulò ante aeris interitum, eius calor ita intenſus eſt, vt erat ante pugnam: igitur calor ille, iam ortus, vt Nouus Autor ait, ex aliarum qualitatum coniunctione, ab aquæ frigore remitti poteſt; atque rurſus ille idem calor intendi poſſet, ſi aer in ignem tranſmutari deberet. Quod autem de aeris calore dictum eſt, idem de eiuſdem humiditate dici poſſet: quæ vel ab intēſo ignis calore, vel ab ſumma etiam terrę ſiccitate remitti primùm, ac demum penitus extingui poſſet, ſi viribus hiſce qualitatibus eſſet inferior. Quare cùm in elementorum tranſmutatione illud neceſſe ſit, vt elementa inuicē agant, & patiantur, & quatuor primæ qualitates, in ipſis quocunque modo conſideratæ, vel etiam coniunctæ, & ad ſtatum quemlibet reuocatæ, intenſionem, & remiſſionem ferant; ſequitur, vt hæ ipſæ qualitates formæ ſubſtantiales elementorum eſſe nullo modo poſſint.

Caput confutationis rñſionis noui Autoris.

Calor aeris, atq; etiā humiditas intēdi, atq; remitti poſſunt; iō neutra qualitas, nec ambę ſimul iunctę, poſſunt eſſe forma ſubſtātialis aeris.

*Oſtendit autor, ſeptimam rationem, pro Latinis adductam, ad rem propoſitam minime pertinere.* *Cap. XXV.*

SEptima ratio ſumpta erat ex autoritate Ariſt. lib. 8. Metaph. tex. 10. vbi aſſeruit, formas eſſe veluti numeros: tunc arguebatur, numeri non recipiunt contrarium, nec magis, nec minus; ergò quatuor primæ qualitates, quæ recipiunt contrariū, & magis, & minus; non ſunt formæ ſubſtantiales elementorum. Hæc ratio, ſiue à Latinis Philoſophis, ſiue à Nouo Autore, pro eiſdem, allata ſit; nullius certè momenti eſt, ad rem, qua de agimus, concludendum. Et propterea duplex labor nobis ſubeundus erit: alter in huiuſmodi ratione reprehendenda: alter in Noui Autoris reſponſione confutanda. Nec ſanè labor ſuperuacaneus erit; hanc.n. occaſionem nacti, Ariſt. mentem, in iam citato contextu, dilucidè aperiemus. Ad rationem quod attinet, libentiſſimè ſcirem, vnde nam illam Nouus Autor exceperit: eam.n. apud nullos approbatos Philoſophos, ex Latinorum numero, vnquam reperi. Nec quenquam eſſe arbitror, qui optimè nō cognoſcat, nos modò loqui de forma ſubſtātiali, quæ dat eſſe rei, quæque ſubſtantiale compoſitum conſtituit, dum quærimus, quænam ſint ſubſtantiales elementorum formæ: Ariſt. verò loco citato de rerum eſſentia, & quidditate loqui; quæ per definitionē exprimitur. Quā quidē nunc formā ſupple totius, appellat: interdū ſubſtantiā: aliqñ & quod quid erat eſſe, vt cuilibet, textū illū perlegēti, patere facilè pōt. Hāc itaq; eſſentiam, vt eū locum Ariſt. explicemus, idē philoſophus numeris cōparauit: nam & Platonici, atque ēt Pythagorici rerum eſſentias numeros appellarunt. Hoc tamen diſcrimine, quia ipſi rerum eſſentias vnitatum numeros appellabant, ideſt numeros, quibus numeramus: Ariſt. verò vocauit eas numeros rerum, hoc eſt numeros numeratos. Quidditas enim, & eſſentia duo in ſeſe continet, quorum alterum ſe habet vt genus, vt materia, vt potentia, vt determinabile: alterum verò vt differentia, vt forma, vt actus, vt determinans. Porrò quatuor comparationes Ariſt. attulit, quibus rei eſſentia numero comparari poteſt. Prima eſt, ſicut numerus diuiſionem in infinitum non recipit, ſed ad indiuiſibiles vnitates deueniendum eſt, ita eſſentia in diuiſione ſtatum agnoſcit; primò.n. in partes, ipſam exprimentes, diuiditur, quæ ſunt partes definitionis; mox in vltima differētia terminus eſt, quæ vlteriùs diuidi nequit. Secunda eſt, quemadmodum ſi pars aliqua, quantumuis parua, numero addatur, aut ab eodem ſubtraha-

S.Tho. in cō. cap. de odore dicit, in ſubſtātiis eſſe cōtrarietatem, quatenus vna eſt perfectior altera, vt ſunt dīr, quæ ſunt ſicut numeri.

Idem dicunt grauiores Latini.

Hinc efficę ratione propoſitā vim nullā habere poſſe, quocunque tandem illa propoſita ſit.

Explanatio tex 10 lib. 8. Metaph.

Quatuor Ariſtot. comparationes iter numeros, & rerū eſſētias.

Prima cōparatio.

Secūda comparatio.

tur, ſtatim ſpecies numeri variatur; (ſi.n. ternario vnitatem addas, quæ in numero minimũ eſt, ſtatim quaternarius fiet: & ſi à ternario vnitatem auferas, ſtatim binarius conſtituetur) ita ſi quippiam rerum eſsentiæ addas, aut ab illa ſubtrahas; eandem illicò commutabis. Vt ſi à ſubſtantia animata ſenſibili, quæ animalis quidditas eſt, ipſum ſenſibile ſubtrahatur, ſtatim animalis quidditas in plantæ eſsentiam, & quidditatem mutabitur: hincque elicimus, rerum eſſentias in indiuiſibili conſiſtere.

Tertia comparatio.

Tertia eſt, ſicut numerus non eſt ſola vnitatũ aggregatio, ſed præter illas vnitates materiales, habet etiam vnitatem formalem, qua dicitur vnus: vt numerus quaternarius non eſt ſimplex aggregatio quatuor vnitatum; ſed ex illis aggregatis quaternitas oritur, quæ vnitas quædam formalis eſt, a qua numerus quaternarius dicitur formaliter vnus: ita rei eſſentia ſimplex generis, & differentiæ, vel actus, & potentię aggregatio non eſt, ſed ex iſtis, ſimul iunctis, tertia quædam formalis vnitas oritur, à qua rei eſſentia dicitur formaliter vna: id, quod, rectè Pythagorici, & Platonici explicare non potuerunt, putantes, eſſentias non eſſe numeros rerum, ſed vnitatum.

Quarta comparatio.

Quarta eſt, ſicut numerus non ſuſcipit magis, nec minus; ita nec rei eſſentia; quatenus tamen ſimpliciter, & in abſtracto conſideratur: ſecus autem in concreto, & vt adiunctam habet exiſtentiam. Hæc eſt vera explanatio decimi contextus libri octaui Metaph. quã eo conſilio adduxi, vt eos omnes valdè erraſſe intelligamus, qui ex eo loco probare contenderent, formas ſubſtantiales magis, & minus ſuſcipere non poſſe, quia numeris illas Ariſt. comparauit, qui magis, & minus ſuſcipere nequeunt. Comparatio.n. (vt diximus) non eſt inter numeros, & ſubſtantiales formas, quæ compoſita conſtituunt; ſed inter numeros, & formas illas, quæ rerum eſſentiæ, & quidditates nuncupantur. Liquidò igitur conſtat, ſeptimam hanc rationem, pro Latinis allatam, quicunque tandem eius autor fuerit, leuiſſimam eſſe, & ad rem propoſitã minimè pertinere.

*Noui Autoris reſponſio ad ſeptimam rationem, pro Latinis illatam refutatur* — *Cap. XXVI.*

VEniamus ad Nouum Autorem, qui ſect. 3. cap. 6. pro ſolutione huius ſeptimæ rationis, multa protulit, quæ tanquam à veritate aliena ſingillatim à nobis reiſciẽnda ſunt.

Locus Ariſt. lib. 8. Met. textu 10 à nouo Auto. explanatus.

Primò dixit, iam citatum Ariſt. locum de ſubſtantia; immò, quod magis facit ad rem, quam cupit, concludendam, de forma ſubſtantiali intelligendum eſse: ibique Ariſt. docuiſse, ſubſtãtialem formam non ſuſcipere quidem magis, nec minus per ſe, & quatenus forma eſt, ſed ratione materiæ, quatenus.ſ. magis, vel minus à materia participatur: ita enim Ariſtot. ſcribit, *Et quemadmodum nec numerus habet magis, & minus: ita neque ſubſtantia, quæ ſecundum formam eſt; ſed ſi eſt quidem, ea eſt, quæ ſecundum materiam eſt.* Magni quidẽ momenti ſunt hæc Ariſt. verba, & eorum interpretatio non ſolum ad hanc, verùm etiam ad plures alias difficultates euoluẽdas pernecesſaria eſt. Multi interpretes verba hæc leuiter explanarũt, adeo vt nihilo clarior ſit eorum interpretatio, quàm contextus: quidam verò, in illis explanandis, à vero Ariſt. ſenſu receſserunt.

Eiuſdem loci interpretatio communis.

Communior interpretatio ea eſse videtur, vt.ſ. Ariſt. in ijs verbis de ſubſtantia, prout ab accidentibus differt, locutus ſit.

Vtriuſque interpretationis refutatio.

Verùm Ariſt. ibi neque de forma ſubſtantiali, neque de ſubſtantia, vt ab accidentibus differt, ſed de rei eſsentia, & quidditate, ſiue illa ad ſubſtantiam, ſiue ad accidentia pertineat, ſermonem habuiſse, ijs omnibus compertiſſimum erit, qui non ea tantùm verba, ſed præcedentia quoque, immò vniuerſum contextum diligenter conſiderauerint. Nemini dubium eſt, Ariſt. in illius contextus initio de rerum eſsentijs diſputare cæpiſse, quas numeris comparauit, eaſque ſubſtantias, & quidditates appellauit: quatuorque præterea comparationes adduxiſse: atque in tribus prioribus, ſubſtantias ſemper, & formas, pro eſsentijs, & quidditatibus accepiſse: mirum igitur eſset, ſi ſubſtantias, in quarta comparatione, vel pro ſubſtantialibus formis, vel prout ab accidentibus differunt, conſideraſset.

Verus verborum Ariſt. intellectus.

Eorum igitur verborum ſenſus is eſse videtur: ſicut numerus non ſuſcipit magis, nec minus, ita nec ſubſtantia, hoc eſt quidditas, & eſsentia, quæ ſecundum formam eſt, puta in abſtracto conſiderata: ſed ſi magis, & minus recipiat, hoc eſt ſecundum materiam, quatenus.ſ. quidditas in concreto ſpectatur, vel quatenus eſsentia annexam habet exiſtentiam.

Commune id eſt tã ſubſtãtiis, quàm accidentibus vt in abſtra-

Id autem non ſubſtantiis ſolùm, ſed accidentibus etiam competit: nam albedo in abſtracto magis, & minus non ſuſcipit: in concreto verò, quatenus.ſ. albedo in ſubiecto aliquo ineſt, vtique magis, & minus recipere poteſt. Non igitur Ariſt. in eo tex. de forma, & materia phyſicè, ſed metaphyſicè locutus eſt; atque adeo per formam, nõ formam quidem ſub-

ſtantia-

ſtantialem, vt Nouus Autor exiſtimauit, ſed eſſentiam, & quidditatem intellexit. Sed ponamus, ibi Ariſtotelem de forma ſubſtantiali locutum eſſe; neſcio, quonam pacto Nouus Autor fingere poſſit, ſubſtantiales formas magis, & minus à materia participari. De formis quidem accidentalibus id aſſerere, nullum abſurdum eſt: nam illa recipiunt contrarium; & quotieſcunque aliqua forma accidentalis magis à ſuo contrario diſtat, magis etiam eadem à materia participari dicitur: illud enim magis album eſt, quod magis à nigro diſtat, vt 3. Topic. c. 4. Ariſtoteles ſcribit. At verò ſubſtantiales formæ nullum contrariũ recipiunt, vt ſupra oſtenſum eſt: & propterea magis, aut minus à materia participari non poſſunt, ſed earum eſſe in indiuiſibili conſiſtit. Affert deinde Nouus Autor, inter ſubſtantiales, & accidentales formas, diſcrimen: quoniam, inquit, accidentales formæ, ita magis, & minus ſuſcipiunt, vt in quocunque gradu conſiſtant, cuiuſmodi ſunt albedo, nigredo, & huiuſmodi: formæ verò ſubſtantiales, vt ſunt elementorum formæ, non ita magis, & minus ſuſcipiunt, vt in quouis gradu conſiſtant: cùm enim per gradus fiant, in quolibet gradu conſiſtere nequeunt: nã ſi agens ab opere deſiſtat, in priſtinum ſtatum recidunt, vt patet de aqua calefacta, & de vapore, qui eo deſtitutus, quod calorem conſeruabat, ſtatim in aquam recidit. In alia diſputatione apertiſſimè demonſtraui, neque elementorũ, neque aliarũ rerũ ſubſtantiales formas vllos gradus hr̃e: & ſi gradus haberent, ſub quolibet gradu neceſſariò eas conſiſtere dr̃e: nã magis, & minus non variãt ſpeciẽ. Gradus ẽt eſt neceſſariò ipſa forma poſterior; nullũ aũt poſterius ſui prioris naturã abolere põt: & propterea ſi formæ ſubſtantiales gradus haberẽt, dẽpto aliquo gradu, non ideo tñ earũ interitus neceſſariò ſequeretur. Exẽplum autem, quod de aqua, & vapore Nouus Autor adduxit, nihil planè concludit: ſi enim aqua in aerem trãſmutari debeat, opus eſt priùs, vt apta, conuenientique alteratione ita afficiatur, vt faciliùs in aeris naturam conuerti poſſit: quare dum calefit; ſimul etiam rareſit, atque ſenſim in naturam vaporis, qui eſt medium quiddam inter aerem, & aquam commigrat. Vbi autem aqũa iam vapor euaſit, ſi agens, quod priùs illam calefaciebat, actionem intermittat; quoniam adhuc abeſt à perfectione illa, quæ neceſſaria erat, vt in aerem conuerteretur; tùm plus poteſt propria forma, quam forma agentis contrarij: & propterea virtus formæ aquę in actum erumpit, & ſenſim calorẽ, tanquam ſibi repugnantem qualitatem, à ſeſe repellit; & frigus excitatur, quod eſt qualitas aquæ naturalis, ſubſtantialem eius formam conſequens, atque adeo in priſtinum ſtatum reuertitur. Quòd ſi actio agentis calefacientis continua fuiſſet; tunc aqua perfectam affectionẽ adepta eſſet, quæ ſibi neceſſaria erat, vt in aerem conuerteretur: in vltimo autem affectionis gradu, momento temporis, aquæ forma perijſſet, & in eiuſdem materiam forma aeris introducta fuiſſet. Vt hinc eliciamus, ſubſtantiales formas non temporis decurſione, vt Nouus Autor exiſtimauit, ſed de repente in materiam immigrare; atque adeo falſum eſſe, id quod ipſe aſſeruit, nimirum ſubſtantiales formas in fieri magis, & minus ſuſcipere; quanuis in facto eſſe non ſuſcipiant: hinc enim multa incommoda ſequerentur, quæ modò recenſenda nõ ſunt, ne in aliam diſputationem tranſeamus. Quod etiam dixit, intellexiſſe Porphyrium, ſubſtantiales differentias in abſtracto magis, & minus non ſuſcipere, quaſi in concreto ſuſcipiant, abſurdiſſimum eſt: nam cùm ſubſtantiales differentiæ in indiuiſibili conſiſtãt, quemadmodum & formę; fieri nulla ratione poteſt, vt vnum indiuiduum eandem differentiam magis participet, quàm aliud. Non enim ſubſtantialis differentia eſt ſicut albedo, quæ quanuis in abſtracto nec intenſionem ferat, nec remiſſionem; eidem tamen non repugnat, quin in concreto intenſionis, atque remiſſionis gradus habere poſſit. Subſtantiali verò differentiæ repugnat habere gradus; & propterea vt in abſtracto non ſuſcipit magis, nec minus, ita nec in concreto ſuſcipere poteſt.

ẽto, & quoad eſſentia magis, & minus nõ ſuſcipiãt; ſecus in concreto, & quoad exiſtentiã.

Subſtãtiales formę magis & minus à materia participari nõ poſſunt; ſecus accidentales.

Diſcrimen à nouo Autore poſitũ inter formas ſubſtãtiales, & accidentales.

Quod de formis ſubſtãtialibus Nouus Aut. aſſeruit, reprobatur.

Pondera hic tranſmutationem illam, qua aqua in aerem cõuertitur.

Formę ſubſtãtiales momẽto temporis in materiam introducunt.

Subſtãtiales dr̃æ nec i abſtracto, nec in concreto magis, & minus recipiũt.

## *Noui Autoris reſponſio ad octauam Latinorum rationem, atque eiuſdem confutatio.*
## *Cap. XXVII.*

OCtaua ratio erat, ſi qualitates primæ eſſent formę ſubſtantiales elementorum, cùm illæ contrarię ſint, fore, vt in ſubſtantia contrarietas, atque adeo motus reperiatur, quod eſt contra Ariſtotelem 5. Phyſ. tex. 10. Pro cuius rationis ſolutione Nouus Autor, ſect. 3. c. 8. ait primo, ſe iam ſuperiùs docuiſſe, quomodo intelligendum ſit, in ſubſtantia contrarietatem reperiri, vel non reperiri. Deinde argumentum retorquet: nam Ariſtoteles à quantita

Rñſio Noui Autoris.

te contrarietatem amouit;& nihilominus in quantitate motum eſſe aſſeruit, accretionem.ſ. & diminutionem. Tertio hoc argumentum diluit, quantitatemque dupliciter conſiderari poſſe aſſerit: vno modo ſecundum eſſentiam, & ſic non habet contrarium: altero, quatenus dicit terminum corporis naturalis, & ſic habet contrarium, & in ea fit motus, qui eſt ab imperfecta ad perfectam magnitudinem, vel oppoſito modo. Hinc tandem Latinorum rationem ſoluit, aitq; ſubſtantiam dupliciter conſiderari poſſe: vno modo ſecundum formam; altero, quatenus dicit terminum mutationis. Concedit quidem; in eſſentia formarum ſubſtantialium contrarietatem reperiri; negat tamen ſubſtantialem formam eſſe terminum mutationis. Nã terminus mutationis ex 7.& 8. Metaph.& 1.de Generatione, eſt tota ſubſtantia compoſita: quia verò toti ſubſtantiæ compoſitæ non eſt alia tota ſubſtantia compoſita contraria; ideo rectè Ariſtoteles concludit, in ſubſtantia non eſſe motum. Multis capitibus hæc reſponſio cõfutanda eſſet: verùm quoniam ſatis commodè ſupra probauimus, eam ſubſtantiæ proprietatem, quæ eſt, non habere contrarium, omni ſubſtantiæ, in prædicamento contentæ, conuenire; ideò breuiter nunc ipſam refellemus. Et quoniam ex Alexandro ſumpta eſt; ideo validiore argumento eam reijci non poſſe iudicauimus, quàm eo ipſo, quod Auerroes 5. Phyſ. com. 10. contra eundem Alexandrum direxit. Si vera eſt hæc reſponſio, ait Auerroes, igitur argumentum, quo Ariſtoteles probare vult, ad ſubſtantiam non eſſe motum, nullius eſt roboris. Conſequentiam probat; quia medium, quod ad id probandum Ariſtoteles ſumpſit, eſt, quia in ſubſtantia non eſt contrarietas: ſi admittamus igitur, ſubſtantiam, ſecundum formã, contrarietatem recipere, adeo vt ipſæ formæ ſubſtantiales inter ſe contrariæ ſint; ſequetur illicò, ad ſubſtantiam poſſe dari motum, quod Ariſtoteles negat. Nec vllius roboris eſt illa reſponſio, terminum.ſ. ſubſtantialis mutationis non eſſe formam, ſed totum compoſitum: nã totum compoſitum eſt quidem id, quod generatione editur, &, vt Scholæ dicunt, totalis eſt terminus generationis: primus tamen, & proximus generationis terminus eſt forma ſubſtantialis, vt docet Ariſtoteles 2. Phyſ. tex. 14. Vbi probat, generationem dici naturã, in hoc ſenſu, quia eſt via ad naturam, hoc eſt, ad ſubſtantialem formam, quæ natura eſt: non enim, inquit, generatio eſt vt medicatio, quæ eſt ab arte, non ad artem. Idem docet 2. de Anima tex. 37. vbi formam appellat finẽ, gratia cuius, ſupple materia paratur. Terminus itaque primus generationis eſt forma ſubſtantialis: quæ ſi contrarium recipiat, dubio procul in ſubſtantia, contra Ariſtotelem, erit motus. Argumentum autem, quod Nouus Autor in quantitatem retorſit, eſt argumentum commune, quod ab omnibus etiam interpretibus, in explicatione textus decimi, libri quinti Phyſ. adducitur: difficillimum illud quidem, ſed vt à paucis, ita ab eo præcipuè minus rectè explicatum. Afferam breuiter veram, quam arbitror, ſolutionem, ne nimium extra materiam propoſitam euagemur. Docuit quidem Ariſtoteles in prædicamentis, quantitati nihil eſſe contrarium; id tamen de poſitiua contrarietate, cuiuſmodi eſt illa, quæ in qualitate reperitur, dictum voluit: ideo ſubiunxit, bicubito, tricubito, &c. nihil eſſe contrarium. Sed cur conceſſit, lib. 5. Phyſ. in quantitate, ſicut etiam in qualitate, & vbi, non item in ſubſtantia motum eſſe? Hoc ideo eſt, quia conceſſit, contrarietatem aliquam in quãtitate reperiri, non abſolutè quidem, ſed eam, quæ ad motum neceſſaria eſt. Equidem quia motus debet eſſe de contrario in contrarium, opus eſt, vt cõtrarietas ſit inter duos terminos poſitiuos, inter quos medium aliquod intercedat: aut formæ, vt inter album, & nigrum: aut graduum intenſionis, vt inter exiguè calidum, & ſummè calidum; aut extenſionis, vt à parua ad magnam quantitatem: aut denique acquiſiti ſpacij: & ſecundum hoc medium, fit motus ad locum, quatenus.ſ. conſideratur exiſtentia rei mobilis, quę iam receſſit à termino, à quo, & aliquid eius amiſit: acceſſit autem ad terminum, ad quem, cuius aliquid acquiſiuit. Quare, ſecundum hanc latitudinem, inter duos terminos poſitiuos contrarios datur motus: quoniã hac ipſa latitudine id ſeruatur in motu, quod ei maximè neceſſarium eſt, nimirum ſucceſſio: quod tamen in ſubſtantia ſeruari non poteſt; quia, vt antè docuimus, ſubſtantia non ſuſcipit magis, nec minus, ſed eius eſſe in indiuiſibili conſiſtit.

Subſtantia ſecundũ nouũ Autorẽ quo recipiat, & non recipiat contrarium.

Noui Autoris rñſio cõfutatur.

Argũm ex Auer ſumptũ, contra noui Autoris rñſionem.

Terminus primus proximus generatiõis ẽ forma; terminus verò totalis eſt ipſum compoſitum.

Vera ſolutio illius argum. qua probat, ad quantitatem eſſe motum, quanuis in ea non ſit contrarietas.

Quænam cõtrarietas ad motũ neceſſaria ſit.

### *Noui Autoris reſponſio ad nonam Latinorum rationem. Cap. XXVIII.*

NOna ratio erat, ſi qualitates eſſent formæ ſubſtantiales elementorum, tunc eorum generatio eſſet alteratio: quia ex quinto Phyſic. omnis mutatio ad qualitatem alteratio

eſt. Nititur ſoluere Nouus Autor hanc rõnem, ſect. 3. c. 9. vbi aſſerit, tametſi elemẽta qualitatibus primis, tanquã formis ſubſtantialibus, conſtituuntur, in eis tñ & alterationem, & ſubſtãtialem mutationem reperiri. Etenim qualitates, (vt ipſe cenſet) nõ in quocunq; ſed in certo, atque determinato gradu ſimul iunctæ ſubſtantiales elemẽtorum formæ dicuntur: quoties cunque igitur elemẽtis, penes qualitates, ſic conſideratas, mutatio contingit, tunc omnis illa mutatio ſubſtantialis eſt: omnis aũt alia mutatio quę in qualitatibus, citra illã coniunctionem, fit, alteratio nuncupatur. Doctrinam hanc ex Alexandro elicit, lib. 1. Quæſtionum naturalium, cap. 6. vbi docuit, neque calefactam aquam ſtatim aerẽ fieri, neque frigefactum aerem ſtatim in aquã conuerti: ſed ſolùm, cũ caliditas in aqua tãta fuerit, vt forma aeris, fiat; vel tãta frigiditas in aere, vt forma aquę oriatur. Itaque elementa in ſuis formis & excellentem habent gradum, & remiſſum, propterea ſi excellentia tollatur, non ideo tñ ſequitur, vt ſubſtãtialis mutatio fiat, ſed ſolũ accidentalis, vt in miſtione manifeſtum eſt. Ignis enim ex. gra. quia cęteris elemẽtis miſtus eſt, illum quidem excellentiæ gradum, hoc eſt, intẽſiſſimum calorem amittit, non tñ deſinit eſſe ignis, ſed fit ignis, in gradu remiſſo, hoc eſt, minus ignis. Si aũt contingeret, vt, contrariorũ præſentia, tota illa qualitatum coniunctio, vel determinatus ille qualitatis gradus, in quo ignis forma conſiſtit, deſtrueretur, tunc illa mutatio nõ amplius accidentalis, ſed ſubſtãtialis diceretur. Pro huius rei declaratione, exẽplum affert de rationalitate: hęc, inquit, prout ſubſtãtialis differentia eſt, quę ſpeciẽ cõſtituit, æqualiter in omnibus hominibus reperitur: at verò prout in alijs magis excellens eſt, vt in ijs, qui magis ingenio pollent, in alijs autem minus, tunc qualitas dicitur: & hæc adiectio, vel detractio vigoris alteratio eſt. Hæc ipſe.

Qũo in qualitatibus primis ſecũdũ nouũ Autorẽ accidentalis, atq; ſubſtantialis mutatio fieri poſſit.

Doctrina Alexandri.

Exemplũ noui Autoris.

### *Eiuſdem reſponſionis confutatio.* Cap. XXIX.

IAm ſuperiùs ſatis commode probaui, ſubſtantiales elemẽtorum formas in illa qualitatũ coniunctione conſiſtere non poſſe: quo quidem fundamento ſublato, tota hæc Noui Autoris reſponſio ſtatim ruit, vt nihil præterea, ad eandem euertendam, addi poſſe videatur. Ex ſe etiam patet, elementi formam in aliquo certo, atque determinato qualitatis gradu nequaquam poſitam eſſe: nam profectò determinatum hunc gradum, in quo ſubſtantialis elementi forma conſiſtit, effingere difficillimum eſſet. Si. n. caliditas in tertio, quarto, & quinto gradu, qualitas, & accidens eſt; vix quidem cogitatione fingi, nedum ratione concipi poteſt, quonam pacto, ſub ſexto, ſeptimo, aut alio quouis gradu, ſubſtantia fiat. Sed quod admirationem maximam affert, illud eſt, videl. cum igneus calor intenſiſſimus eſſe debeat, remiſſiorem eſſe calorem, in quo forma ſubſtantialis, quàm eum, in quo qualitas, quæ eſt ignis affectio, conſiſtit: quod tamen Nouus Autor admiſit, dùm dixit, ſi ab elementorum qualitatibus excellentia tollatur; non ideo tamen ſubſtantialem mutationẽ fieri; ſed accidentalem ſolum, quia manet adhuc elemẽti forma, ſub gradu remiſſo. Cæterũ quod ad hos gradus elemẽtariarum qualitatũ attinet, latere mihi vr̃ hac in re motus quidã, ſeu artificiũ naturæ, quod ij fortaſſe haud rectè perceperunt, qui qualitates primas ſubſtantiales elemẽtorũ formas eſſe cenſuerunt. Exigit quidẽ cuiuſq; rei ſubſtantialis forma certũ aliquẽ, ac determinatũ qualitatis gradum, adeò, vt abſque illo conſiſtere nequeat: non ita tamen intelligendum eſt, ſubſtantialem formam ab eo qualitatis gradu, pendere, vt qualitatis, cum eo gradu, forma ſubſtantialis euadat, quemadmodum Nouus Autor intellexit: ſed ita, vt niſi materia, alteratione, generationem præcedente, optimè affecta fuerit, certumque, ac determinatum affectionis gradum acquiſiuerit; nunquam ſubſtantialis forma, quam illa mutatio reſpicit, in materiam introduci poſſit. Hæc fortaſſe ad huiuſmodi reſponſionem reijciendam ſatis eſſent: nihilominus paulò acrius hanc reſponſionem redarguamus: nimis. n. horrendum monſtrum in Peripateticam philoſophiam induceretur, ſi elementa, ijſdem qualitatibus prædita, & accidẽtalem mutationem, hoc eſt alterationem; & ſubſtantialem, hoc eſt, generationem, aut interitum ſubire poſſent. Omnis mutatio, ait Ariſt. 5. Phyſ. à termino ad quem vt ſpeciem, ita denominationem ſumit: vt mutatio ad ſubſtantiam, eſt generatio, vel interitus: ad quantitatem, accretio, vel diminutio: ad qualitatem, alteratio: ad locum, latio. Iam verò ſi mutatio in elementorum qualitatibus, quò ad aliquos gradus accidentalis, quo verò ad certum, ac determinatum gradum, ſubſtantialis eſſet; tunc eadem numero mutatio ad duas motus ſpecies pertine

Subſtantialis elementi forma in qualitatũ coniunctione conſiſtere nequit.

Quære ſupra par. 2. c. 8.

Forma ſubſtantialis elementi à nullo pẽdet qualitatis gradu.

Pondera hoc diligenter.

Qũo intelligendum ſit, ſubſtẽtialem elementi formam certum aliquem, ac determinatũ qualitatis gradum expoſcere.

Firmiſſima ratio contra rñſionem noui Autoris.

rēt; atque ſimul alteratio, & interitus diceretur; quod tamen eſſe nullo modo poteſt. Conſequentiam ita probo:

*Perpēde hāc ratiocinationem.*

Ponamus, aquam ab igne calefieri primùm, deinde verò, cōtinuata mutatione, ab eodem conſumi, & aboleri: quod certe fieri poteſt, ſi ignis aqua viribus ſuperior ſit; tunc hæc aquæ calefactio, quoad aliquos gradus, Noui Autoris ſnīa, alteratio eſt, cùm, eo calore, duo, vel tres frigiditatis gradus, ab aqua remoti ſunt. Producatur autem continenter hæc eadem numero calefactio; neceſſe tandem eſt, vt eò deueniat, vt illam qualitatum coniunctionem, vel illum certum, ac determinatum frigiditatis gradū, in quo ſubſtantialis aquæ forma cōſiſtit; omninò deſtruat, planeque diſſoluat; tuncque mutatio ſubſtantialis erit, quia forma aquæ diſſipabitur. Ergo id ſequetur, quod paulò antè dicebam, nimirum eandem numero continuatam mutationem ad duas motus ſpecies pertinere, ſimulque alterationem, & interitum appellari: alterationem, quia eſt ad qualitatem: interitum verò, quia eſt ad certum gradum qualitatis, in quo ſubſtantialis elementi forma conſiſtit, quod quam in philoſophia abſurdum ſit, omnibus puto exploratiſſimum eſſe.

*Argūm. pbās, elemēti formam nec in qualitatū cōiūctione, nec in qualitatis gradu conſiſtere poſſe.*

Præterea, in illa qualitatum coniunctione, vel in eo determinato qualitatis gradu, ſubſtantialem elementi formam non conſiſtere; ita demonſtrare me puto. Cùm aqua ab igne impensè calefacta eſt; iam igneus calor omnē ab aqua frigiditatem abiecit: nulla.n. amplius in aqua frigiditas nec ſenſu, immò ne intellectu quidem percipi poteſt, non ſenſu, quia tactu calida reperitur: nec etiam intellectu, aut ratione, quia ſi calor igneus aquæ frigiditatem ſuperet: perſpicua res eſt, eum, tāquam validiorem, omnem aquæ frigiditatem exemiſſe. At verò ſi in calefacta aqua nulla amplius frigiditas percipitur, non ne firmiſſimum argumentum hoc eſt, formam eius ſubſtantialem extinctā penitus eſſe? Nam, ut Nouus Autor ait ſect. 2. cap. 1. (libet enim obſignatis tabellis cum illo agere) qualitates, quæ ſunt formæ ſubſtantiales elementorum, tactu percipiuntur: in aqua autem calefacta nulla tactu frigiditas percipitur; nulla igitur ibi erit forma ſubſtātialis aquę, ſed ſola materia: quæ ſi à forma exiſtentiam accipiat, vt ipſe tuetur, erit ibi abſque nulla exiſtentia, atque adeo caliditas in non exiſtente materia recipietur.

*Confirmatio*

Quòd ſi quouis modo ex propria ſnīa contendere velit, calefactam aquam, adhuc aquam manere, & propriam ſubſtātialem formam, quæ frigiditas ſit, retinere; quomodo, quæſo, totum ex prima materia, & frigiditate conſtitutum, caliditatis ſubiectum exiſtere poterit? Contrariorum.n. ea eſt natura, vt ſeſe mutuò ab eodem ſubiecto expellant, tantum abeſt, vt alterum alterius ſubiectum exiſtere poſſit.

*Occupatio.*

Dicet fortaſſe, igneū calorem excellentem quidem frigiditatem reprimere; determinatum autem illum frigiditatis gradum, in quo ſubſtantialis aquæ forma conſiſtit, haudquaquam tollere: ac propterea calefactam aquam propriam adhuc naturam, atque ſubſtantiam obtinere. Mira certe res: intenſiſſimus ignis calor id virium habet, vt frigiditatis exuperantiam coerceat; eam autem facultatem nō habebit, vt inferiorem frigiditatis gradum, aut illam qualitatum coniunctionem, in qua ſubſtantialis aquæ forma conſiſtit, extinguere, aut diſſoluere poſſit?

*Ex ipſius Alexandri doctrina confutatio noui Autoris rōnibus elicitur.*

Quod verò ad Alexandrum attinet, ex eodemmet loco, vnde Nouus Autor ſuā reſponſionem accepit, velim, vt nos eiuſdem confutationem eliciamus; indeque oſtēdamus, qualitates primas ſubſtantiales elemētorum formas eſſe non poſſe. Aqua calefacta, ait Alexander, manet etiam aqua; quia non dum tota eius humiditas abſumpta eſt.

*Aqua calefacta manet aqua ſine frigiditate, quod eſſe non poſſet, ſi frigiditas eſſet eius forma ſubſtātialis.*

Addo ego rationes alias, quibus calefactam aquam manere aquam, euidentiſſime appareat. Cùm enim ex primo de Anima, accidentia magnam partem conferant ad cognoſcendum, quod quid eſt, & in calefacta aqua omnia eius accidentia, vt mador, perſpicuitas, grauitas, dēſitas, fluxibilitas, & id genus alia conſpiciantur; frigiditas autem non maneat, quia, vt ſupra probatum eſt, nec ſenſu illa, nec intellectu percipi poteſt: non ne id apertiſſimè oſtēdit, calefactam aquam adhuc manere aquam, atque rurſus frigiditatem formam eius ſubſtantialem eſſe nō poſſe? Quomodo.n. aqua maneret aqua abſque ſua forma ſubſtantiali?

*Hinc elice, quænam ſit forma ſubſtātialis aquæ.*

Quare cùm videamus, calefactam aquam, remoto calefaciente, & ſuæ naturæ relictam, priſtinam frigiditatē recuperare, atque caliditatem, quæ in ea priùs violenter manebat, ab eadem recedere: neceſſariò dicendum eſt, calefactam aquam vna cum prima materia ſuā etiam ſubſtantialem formam retinere: quæ frigiditas quidem non eſt, aut alia quæuis qualitas, aut qualitatis gradus, vel qualitatum coniunctio; ſed talis ſubſtantia, quæ vnà cum materia compoſitum aquæ cōſtituit: quod quidem compoſitum calorem in ſeſe veluti accedentem qualitatem recipere poteſt.

*Igneus calor,*

Præterea illud addo, igneam caliditatem eſſe quandam affectionem, vel, vt aiunt, diſpo-

ſitio-

ſitionem ad aquæ diſſolutionem, atque ad eiuſdem in aerem conuerſionem, & propterea ſi continua calefactio ſit: videmus, aliquam aquæ portionem ſenſim in vaporem primùm; deinde verò in aerem tranſmutari: non enim tanta aquæ portio poſt calefactionē manet, quãta erat, ante calefactionem. Exemplum denique quod Nouus Autor de rationalitate adduxit, nihil facit ad rem: quoniam rationalitas, vt antè probauimus, ſubſtantia eſt, nec magis, aut minus ſuſcipere poteſt: vnus enim homo non eſt magis rationalis, quàm aliter, ſicut nec magis homo, vt Porphyrius ait. Quòd ſi qui homines reperiantur, qui acutiore ingenio, quàm alij prædıti ſint; hoc non ideo eſt, quòd ſubſtantialem hominis differētiam magis participent, aut quia magis rationalem animam poſſideant; ſed quia eorum anima in illuſtriore domicilio manet; vel quia inferiores facultates, aptioribus inſtrumentis ad ſuas functiones obeundas, ornatæ ſunt, Quemadmodum ſi duo ſint viri, æquè fortes, & eorum alter enſe, aut pugione grauiorem plagam infligat; id quidem à maiori fortitudine non pendebit, ſed ab acutiore enſe, vel pugione. Fieri etiam poteſt, vt qui in literis exercitati ſunt, meliùs, quàm rudes, & inexperti homines ratiocinentur, hæc autem cognitio, vel ſcientia, in anima acquiſita, qualitas quædam eſt, & ſecundum hanc qualitatem vnus homo poteſt eſſe magis rationalis, quàm alter, ſicut etiam vnus homo, eſt magis doctus, & eruditus, quàm alter.

In aquâ recepeus, eam aſſeit, quâ facilius in aerem conuerti poſſit.

Exemplū de rationalitate à nouo Autore addı̄ctum reprobatur.

Quo vnus homo dici poſſit magis rōnalis, quàm alter.

*Noui Autoris reſponſio ad decimam Latinorum rationem.* Cap. XXX.

Decima ratio ſumpta erat ex autoritate Ariſtotelis lib. de Senſu, & Senſili, ca. de odore & ſapore: vbi ait, ignem, non quatenus ignem, ſed quatenus calidum, agere: diſtinctionem igitur attulit Ariſtoteles inter formam ignis, qua ignis eſt, atque caliditatem, qua agit. Pro huius rationis ſolutione Nouus Autor, ſect. 3. c. 10. tria facit: primò explicat eum Ariſtotelis locum: deinde ex eo elicit, caliditatem eſſe formam ſubſtātialem ignis: demum rationem diluit. Primò igitur ait, Ariſtotelis conſilium eo loco fuiſſe, de ſaporis natura diſputare; oſtendereque, ſaporem non ex ſola aqua proficiſci; neque ad ſolam aquam pertinere, vt veteres philoſophi exiſtimarunt; ſed terram quoque ad ſaporem efficiendum concurrere: quod quidem multis rationibus oſtendit, vt in eo capite videre licet. Concludit itaque Ariſtoteles, neque puram aquam, neque puram terram ſaporem generare: ſed illum ex humidi, & ſicci commiſtione, aliqua tamen calidi alteratione interueniente, procreari. Hęc cùm ita ſe habeant, hoc dubium Nouo Autori parere videntur: cùm humidum, & ſiccum ad faciendum ſaporem ſimul miſcentur, debent ne ipſa quoque elementa ſimul miſceri, ſicut cùm ex ipſis miſtum generatur? Hoc, inquit, cōtra ſenſum videri: nam ſine miſti generatione, aut in aliud tranſmutatione, ſapores fiunt, & variantur. Hoc dubium putauit idem autor, debuiſſe Ariſtotelem remouēre; alioquin ſaporum generatio ſatis ab ipſo expoſita non fuiſſet. Quare ad hoc dubium remouendum, ait primò Ariſtoteles (fingo nunc Nouum Autorem interpretātem) ex humidi, & ſicci coniunctione ſaporem fieri: quibus verbis ſignificauit, ſiccum igneum à ſaporis generatione penitus excludendum eſſe; propterea quòd ignis, calore potius, quàm ſiccitate, ad ſaporem edendum concurrit: ignis enim propriè calidus eſt, ſicut terra propriè eſt ſicca. Deinde ait Ariſtoteles, ad generandum ſaporem, actionem, & paſſionem inter humidū, & ſiccum ſufficere; quamuis in miſti generationem non deſinat. Id autem fieri poſſe, ita Ariſtoteles oſtendit: quoniam miſtum non generatur, niſi materia, elementis ſeorſum ſubiecta, ſub vna ſubſtantiali forma vniatur: hoc autem non ſemper, cùm elementa agunt, & patiuntur, neceſſariò ſit: quoniam actio, & paſſio non competit elementis, quatenus talia corpora ſunt, ex materia etiam conſtituta; ſed ratione contrarietatum, quæ in ipſis reperiuntur. Quare cùm actio, & paſſio inter elementa, citra miſtionem, & materiæ ſub vna forma vnionem cadere poſſit; dubio procul ſine eadem elementorum miſtione, ſapores alicubi naſci, atq; mutari poterunt: Et hoc eſt, quod dicit philoſophus, *Quæ igitur ignis, & quæ terra, nihil natum eſt agere, vel pati; nec aliud quicquam: quæ autem ineſt contrarietas, omnia agunt, & patiuntur.* Ac ſi dicat Ariſtoteles, actio, & paſſio elementorum non ſtatim miſti generationem inducit: quia elementa non ratione totius agunt, ſed quatenus contrarietatibus prędita ſunt: ideo, illorum actionem, & paſſionem mutatio aliqua, citra vllam miſti generationem, aut ſubſtantialem mutationem, in quibuſdam affectionibus ſequi poteſt. Et hanc dicit Nouus Autor, eſſe veram, atque germanam illius Ariſtotelici loci interpretationem, quam etiam Alexandrum

Locus Ariſt. in lib. de Senſu, & ſēſibili ca. de odore, & ſapore à nouo Autore explanatus.

Dubiū de generatione ſaporis à nouo Auto fictū.

Solutio dubij, ſecūdum noui Autoris interpretationem, quā voluit etiā Alexadri fuiſſe.

Ex dicto loco iam explanato elicit nouus Autor caliditatem eſſe dr̃iam ſubſtãtialem ignis.

drum aſſerit attuliſſe. Oſtendit deinde, ex hoc eodem loco magis elici, caliditatem eſſe differentiam formalem ignis, quam oppoſitum: quod facilè confirmat, quia Ariſt. 1. de generatione, & interitu aſſerit, id, quod agit, ratione contrarietatis agere, & hoc eſt illud idem, quod ſcripſit ſecundo Phyſic. textu 15. quodque diſcutiendum reliquit, ait enim, *Si autem eſt priuatio, & contrariorum aliquod circa ſimplicem generationem, aut non eſt, poſterius conſiderandum.* Iſta eſt contrarietas, quæ eſt principium, quæque formalis, & ſubſtantialis eſt; ergo hìc eſt ſermo de contrarietate formali, & ſubſtantiali, atque adeo caliditas, humiditas, & ſiccitas, quę hìc pro iſtis contrarietatibus numerãtur, ſubſtantiales, & conſtituẽtes qualitates dicendæ ſunt. Soluit tandem propoſitã rationẽ, & primò argumentum retorquet: cùm dicunt Latini, illã particulam, *Quatenus*, conduplicare formã, eſto id verum, ſed tamen inde ſequitur, vt, cùm dicitur quatenus calidus, ipſa caliditas forma ſit. Poſtea notat illam particulã, *Quatenus*, habere vim conduplicãdi omnem cauſam, & principiũ agendi, ſi in actione ſumus: hoc autem loco enunciari primò de compoſito negatiuè, quatenus ſcilicet eſt id quidem, quod agit, non tñ eſt id, penes quod primò agendi ratio accipiatur. Deinde verò enunciari de caliditate affirmatiue, tanquam de ea, quæ eſt verum, & primum agendi principium. quod autem eſt verum, & primum agendi principium, eſt forma ſubſtantialis; atque adeo caliditas erit forma ſubſtantialis ignis: Omnis nanque actio, quæ compoſitis competit, eis ratione principij formalis competit: non. n. dicimus, animã cogitare, ſed hominem anima, vt habetur 1. lib. de Anima. Denique cùm argumentãtur Latini, ſi caliditas eſt forma, & ignis per caliditatem agit; ergo ignis aget quatenus ignis; quia ignis eſt ignis per formã: Hoc, inquit, ipſimet Latini facilè ſoluent, ſi aduerterint, formam ignis eſſe vt ſimum, quod dicit hoc in hoc; quare ignis eſt ignis per formam; non tamen ſine materia.

Solutio rõnis Latinorũ.

*Locum à Nouo Autore expoſitum, in cap. de Odore, & ſapore, neque cum Ariſtotele, neque cum Alexandro, vt ipſe credidit, conſentire. Cap. XXXI.*

Ad ſaporis generationẽ, quæ neceſſaria ſint.

HÆc Noui Autoris reſponſio multis capitibus reprehẽſione digna eſt. Cùm aſſerit, Ariſtotelẽ citato loco, de generatione ſaporis diſputare, atque contra veteres philoſophos concludere, non ſolum aquam, verùm etiam terram, ad saporẽ efficiendum concurrere, quod ſcilicet hæc ſicca, illa verò humida ſit, quarum qualitatum commiſtio calidi alteratione interueniẽte, ad ſaporem neceſſaria eſt; hoc rectè, nec eſt, quod nos ab illo diſſentiamus. Cùm verò ex his dubium illud elicit, verum. ſ. cùm humidum, & ſiccum ad ſaporis generationem conueniunt, ſimulque miſcentur; ipſa quoque elemẽta conueniant, & miſceantur, quemadmodum miſcentur in generatione miſti; an potius ſolæ qualitates miſceantur; aitque Ariſt. pro exacta explicatione generationis ſaporis, hoc dubium ſoluere, atq; in eius ſolutione ſiccum igneum à generatione ſaporis excludere, quòd. ſ. ignis potius ſuo calore, quàm ſiccitate concurrat, cùm ſit propriè calidus, ſicut terra eſt proprie ſicca; tota errat via. Nam neq; Ariſtotel. ſi totum illud caput diligenter legatur, dubium illud ſoluendum propoſuit, immò ne ſomniando quidem finxit, neque etiam à generatione ſaporis igneam ſiccitatem excludit.

Dubiũ ad ſaporis generationem pertinẽs, quod nouus Autor propoſuit, nunq. Ariſt. ſomniauit.

Quodnã ſit dubiũ ab Ariſtot. propoſitum.

Dubium autem, quod ibi Ariſtot. propoſuit, illud eſt, cum, ad generandum ſaporem, ſiccum, & humidum exigantur, propterea quòd qualitates contrariæ ſunt, & vnumquodque, quod agit, in ſuum contrarium agit, humidum aqueum nõ ſolum à terrea, verùm etiam ab ignea ſiccitate patietur: nam ſicca etiam eſt ignis natura, quanuis propriè caliditas eidem conueniat, ſicut propriè terrę competit ſiccitas. Quoniã verò dicere aliquis poſſet, ſi ignis propriè calidus eſt, ſicut terra eſt propriè ſicca; ergo humidũ aqueũ non ab igne, ſed ſolùm à terra patietur. Reſpondet Ariſt. & ſoluit dubium, inquiens, nõ eſſe ignem, neq; terram, quæ aut agat quippiam, aut patiatur, quatenus ignis, aut terra eſt, ſed ea ipſa eſſe, quatenus contrarijs qualitatibus ſunt affecta. Itaque humidum aqueũ ab igne patietur, non quatenus ignis, ſed quatenus ſiccitate præditus eſt. Hoc eſt dubium, quod ibi Ariſto. ſoluit: & ille eſt locus, ex quo verè elici poteſt, exiſtimaſſe ipſum, quatuor primas qualitates non eſſe formas ſubſtantiales elementorum, ſed diſcrimen inter formas ſubſtantiales, & ipſas qualitates attuliſſe. Dum. n. ait, ignis non agit, quatenus ignis, ſed quatenus calidus, vel, quod idem eſt, ignis, & terra, quà ignis, & quà terra nihil agunt, aut patiuntur, ſed quatenus in eis contrarietas ineſt, expreſsè docuit, ignem non per caliditatem eſſe ignem, ſed per aliud quidpiam: non. n. ignis abſq; ſua

Solutio dubij ab eodem Ariſt. tradita.

Ex hac ſolutione elice, quænã fuerit Ariſt opinio de formis elementorum.

ſub-

ſubſtantiali forma exiſtere; immò ne concipi quidem poteſt. Cùm autem dicitur, ignis, quatenus ignis, iam ignis intelligitur, ex materia, & ſubſtantiali forma conſtitutus, ſed tunc caliditas excluditur: ait enim Ariſtoteles, ignis, non quatenus ignis, ſed quatenus calidus agit; ergo caliditas non eſt forma ſubſtantialis ignis; alioquin Ariſtoteles diſcrimen inter ignẽ, quatenus ignis, & ignem, quatenus calidus eſt, ſtatuere nõ potuiſſet: idem enim eſſet dicere, ignis, quatenus ignis, & ignis quatenus calidus agit. Quemadmodum etiã idem eſſet dicere, homo, quatenus homo, & homo, quatenus rationalis, intelligit, ratiocinatur, eſtque diſciplinæ capax. Erraret aũt, qui diceret, homo, nõ quatenus homo, ſed quatenus rõnalis, intelligit; quia rationalitas eſt differentia ſubſtantialis hoĩs. Si quis aũt diceret, homo, non quatenus homo, ſed quatenus riſibilis, aut flebilis, lætitiam, aut mærorem præſefert, rectè diceret; quia nõ idẽ eſt dicere, homo, quatenus homo, & homo quatenus riſibilis. Nam riſibilitas non eſt differẽtia ſubſtantialis hominis; ſed propria affectio, quæ eius differentiam conſequitur. Sic igitur caliditas non eſt differentia ſubſtãtialis ignis, ſed propria affectio, quæ ab eius differẽtia proficiſcitur. Et ſi, qui dicit riſibile, dicit hominẽ; hoc ideo eſt, quia riſibilitas eſt proprietas, quę hominem indicat, non autem quia, ſit differentia, hominem conſtituens: idem de ignea caliditate dici poteſt. Falſum præterea etiam eſt; iam allatam Noui Autoris expoſitionem, Alexandri explanationem fuiſſe: nam Alexander in interpretatione illius capitis de odore, & ſapore, de eo dubio, quod Nouus Autor propoſuit, ne verbum quidem fecit; immò eandẽ attulit expoſitionem, quam ipſe attuli, nimirum elementa, non quatenus ſubſtantialia corpora ſunt, ſed quatenus contrarietatibus pręwithout, agere inuicem, atque pati: habet enim hęc verba ſecundum verſionem Philalthæi, *Addit, elementa, ignem, aerem, aquam, terram ſuapte natura, propterea quòd ſubſtantia ſunt, nihil agere, neque pati: ſubſtantia enim nihil contrarium eſt, neque vna alteri contraria exiſtit: quæ autem actum inferunt alicui, quæque patiũtur, contraria ſunt.* Ex quibus verbis, qui contendere vellet, facilè etiam elicere poſſet, ne ipſum quidem Alexandrum exiſtimaſſe, quatuor primas qualitates eſſe formas ſubſtantiales elementorum. Verba, quæ paulò poſt ipſemet adſcripſit, non ſunt mihi ignota: quin etiam ex iis verbis quem ſenſum viri doctiſſimi eliciant, planè ſcio: ſed hanc controuerſiam lubens, & volẽs omitto.

Ariſto. diſcrimẽ poſuit inter ignẽ qua ignis, & ignẽ qua calidus eſt.

Exemplũ ad rem hãc aperiẽdam ſatis accõmodatũ.

Falſum eſt iã allatam noui Autor. expoſitionẽ, fuiſſe expoſitionem Alexandri.

Verba Alexãdri.

*Grauiter Nouum Autorem erraſſe, dum ex capite de odore, & ſapore elicuit, caliditatem eſſe formam ſubſtantialem ignis.* *Cap. XXXII.*

HAllucinari videtur etiam Nouus Autor, dum putauit, ex iam citatis Ariſtotelis verbis elici poſſe, caliditatem eſſe formam ſubſtantialem ignis; quia. ſ. elemẽta inuicem agent, & patiuntur, quatenus contraria ſunt. Et 2. Phyſ. tex. 15. diſcutiendum propoſuit, an circa ſimplicem generationem priuatio, atque contrarium ſit. Id, quod poſtea lib. 2. de Generatione, & interitu planè aperuit: vbi caliditatem, quæ eſt principium agendi, contrarietatem formalem, atque adeo conſtituentem appellauit. Longè inquam vir iſte, & ab Ariſtotelis mente, & à germana verborum eius interpretatione receſſit: etenim lib. 2. Phyſ. tex. 15. docuit, priuationem ideo eſſe naturam, quia forma eſt natura, & priuatio eſt quodammodo forma: eſt autem priuatio quodammodo forma; quia cum vnius formæ priuatione, oppoſita forma coniuncta eſt. Id quidem, ait ibi Ariſtoteles, in accidentali mutatione manifeſtum eſt: nã priuationi caliditatis frigiditas, & priuationi frigiditatis caliditas iuncta eſt. An autem id etiam in ſubſtantiali mutatione verum ſit, poſteriùs, inquit, conſiderãdum eſt, hoc eſt in libris de Generatione, & Interitu: vbi non docet quidem, ea, quæ inter ſe poſitiua contrarietate cõtraria ſunt, cuiuſmodi ſunt quatuor primæ qualitates, tanquam ſubſtantiales formas ad aliquid conſtituendum concurrere; ſed ait, ſubſtantiales formas quandam contrarietatis ſimilitudinem habere. Nam quemadmodum, quę verè contraria ſunt, vt album, & nigrum, calidũ, & frigidum, non ſe ſimul in eodem ſubiecto compatiuntur, ſed ab eodem ſeſe inuicem expellunt; ita nec ſe compatiuntur ſubſtantiales formæ, quæ priuatiuam contrarietatem habent. Quo fit, vt forma ſanguinis, & forma carnis ſimul in eodem ſubiecto eſſe non poſſint; ſed formæ ſanguinis, priuatio formæ carnis iũcta eſt, & ideo priuatio dicitur quodammodo forma. Hęc igitur eſt contrarietas, quæ in formis ſubſtantialibus reperitur: quę quidem poſitiua nõ eſt, vt Nouus hic Autor exiſtimauit, ſed priuatiua tantùm, vt ſæpius 1. lib. Phyſ. Ariſtoteles do-

Noui Autor. error.

Vera explanatio tex. 15. lib. 2. Phy.

Attende diligenter.

In formis ſubſtantialib. eſt ſolum cõtrarietas poſitiua.

docuit. Rurſus per ſimplicem generationem, non intellexit Ariſtoteles ſimplicium corporũ, hoc eſt, elementorum generationem, vt idem Autor putauit: ſed intellexit omnem mutationem ſubſtantialem, quatenus ab accidentali mutatione differt, quæ non eſt mutatio ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

## *Quæ à Nouo Autore pro ſolutione decimæ rationis Latinorum, poſtremo loco tradita ſunt, reÿciuntur.* Cap. XXXIII.

Soluitur arg. quod in Latinos nou᷒ autor retorſit.

Particula, quatenus, q̃d conduplicet.

CVm tertio, atque poſtremo loco Nouus Autor, decimam hanc Latinorum rationẽ ſoluere aggreſſus, contra eoſdem argumentum ita retorquet, ſi illa particula, quatenus, cõduplicet formam; ergo cùm dicitur quatenus calidus, caliditas pariter tanquam forma ſignificabitur. Nos reſpondentis perſonam ſuſcipientes, dicimus, id apud Latinos abſolute non reperiri videlicet particulam, quatenus conduplicare formam; ſed illud quidem, nimirũ particulam, quatenus, omne illud conduplicare, quod ei annexum eſt, ſiue illud ſubſtantia, ſiue accidens ſit. Quare cùm dicitur homo, quatenus homo, illa particula, quatenus hominẽ conduplicat, hoc eſt ſubſtantiam hominis: cùm verò dicitur homo, quatenus albus; illa particula, quatenus, conduplicat albedinem, quæ eſt accidens in homine. Sic in re noſtra, cùm dicitur ignis, quatenus ignis; illa particula, quatenus, conduplicat ignem; quia, ſine materia, & forma, ignis eſſe non poteſt, ac propterea conduplicat totum ignem, ex materia, & ſubſtantiali forma conſtitutum. Cùm verò dicitur, ignis quatenus calidus; illa particula, quatenus, non amplius ignem, nec ignis ſubſtantiam conduplicat, ſed aliquid in igne, hoc eſt, caliditatem, quæ eſt accidens, & eius propria affectio.

Argum. noui Autoris probans caliditatem eſſe formam ſubſtantialem ignis.

Arguit deinde Nouus Autor, probando, caliditatem eſſe formam ſubſtantialem ignis; quia illa particula, quatenus, cùm in actione ſumus, agendi principium conduplicat: principium autem agendi non de compoſito dicitur; ſed de forma; ideo anima non intelligit, ſed homo anima: ſic ergo, caliditas non calefacit, ſed ignis caliditate; igitur caliditas eſt principium, quo ignis agit, atque adeo eius forma ſubſtantialis.

Eiuſdẽ argumenti ſolut.

Totũ cõpoſitum eſt id, quod agit. Forma ẽ principale principium agẽdi.

Qualitates ſunt inſtrũ, proximaque actionis principia.

Cui nos reſpondemus, verum quidem eſſe, totum compoſitum id eſſe, quod agit, formam verò principium agendi. Illud tamen aduertendum eſt, proprium, ac præcipuum formæ ſubſtantialis munus eſſe, ſubſtantiale compoſitum cõſtituere; ad hoc enim præcipua ſubſtantialis formæ actio terminari videtur. Verùm vbi ſubſtantiale compoſitum iam conſtitutum eſt, quia varias illud operationes edere debet: idcirco inſtrumẽta quædam in eius gratiam comparata ſunt, quibus proximè ſuas operationes exercere poſſit. Itaque ignis ſuâ ipſius ſubſtantiali forma in eſſe ignis iam conſtitutus, varia exequitur munera, quæ illi accidẽtalia quodammodo nuncupari poſſunt, vt ſplendere, calefacere, exiccare, & huiuſmodi: ideo neceſſe fuit, vt inſtrumenta aliqua haberet, quibus probe has functiones obire poſſet; ea autem ſunt lumen, caliditas, & ſiccitas: nam lumine ſplendet, caliditate calefacit, & ſiccitate exiccat. Hæ autem qualitates, quæ inſtrumenta dicuntur, ab vnico principio pendent, quod eſt forma ſubſtantialis ipſius ignis: ea enim in igne eſt principale principium agendi; cætera verò ſunt principia proxima, quæ tamen inſtrumenti rationem habent: ideo Ariſtoteles, vt proximum principium agendi ſignificaret, dixit; ignis, non quà ignis, ſed quà calidus, agit. Sed hac de re paulò infra fuſius dicemus.

Noui Autor. rñſio ad validiſſimam Latinorũ inſtantiam.

Confutatio.

Denique præuidit Nouus Autor validiſſimam hanc Latinorum inſtantiam: nam ſi caliditas eſt forma ignis; ergo cùm ignis agit, quà calidus eſt, agit, quà ignis eſt. Reſpondet autem, eam facilè tolli, ſi aduertatur, formam ignis eſſe vt ſimum, atque adeo non eſſe ſine materia. Non potuit ſoluere inſtantiam, ideo hanc attulit reſponſionem, commentario egentem: quæ tamen & Ariſtoteli, & ipſimet penitus aduerſatur. Nam ſi caliditas eſt forma in materia; ergo id quoque ipſemet Ariſtoteles aduertere debuiſſet; ac propterea diſtinctionem afferre non debuiſſet inter ignem, quatenus ignis; & ignem, quatenus calidus eſt: quia ſi caliditas eſt forma ſubſtantialis ignis; illa ipſa vnà cum materia conſtituit ignem, quatenus ignis eſt.

Similitudo à nouo Autore allata, ꝓpriã ſententiã deſtruit.

Præterea cum ait Nouus Autor, caliditatem eſſe vt ſimum; iam à propria ſententia recedit: quanuis enim ſimitas ſine naſo nõ ſit; naſi tñ forma ſubſtantialis non eſt: nam præter ſimitatem, habet naſus materiam, & formam, ex qua in eſſe naſi conſtitutus eſt: itaque ſimitas eſt accidens inſeparabile à naſo, ſeu accidentalis quædam naſi differentia. Sic igitur caliditas, quanuis in ignis ſubſtantia reperiatur, eius tamen

men

men forma ſubſtantialis non eſt; ſed accidens, ab ea inſeparabile, vel eius propria affectio, quod libenter concedimus.

*Noui Autoris reſponſio ad vndecimam Latinorum rationem.* *Cap. XXXIV.*

VNdecima ratio erat, forma ſubſtantialis materialis, non agit proximè, ergo quatuor primæ qualitates, quæ proximè agunt, non ſunt formæ ſubſtantiales elementorum. Nouus Autor ſect. 3. cap. 11. dubitat primò, an hęc propoſitio ab Ariſt. tradita fuerit, quoniā nullus a Latinis aſſignatur locus, vbi ſcripta ſit. Deinde ait, ſi quem verum ſenſum habere poſſit, eum eſſe, vt. ſ. de ſubſtantia materiali potius, quàm de forma materiali intelligenda ſit: nam ſubſtantia materialis eſt ipſum compoſitum, quod quidem proximè non agit, adeò vt agendi ratio ab ipſomet accipienda ſit; ſed agit ratione formæ. Si etiam propoſitionem hāc de materiali forma intelligere velimus, ea, inquit, quatuor ſenſus habere poteſt; explicat omnes, ſed duo ex illis præcipui ſunt. Alter eſt, forma materialis non agit proximè; quia ab ipſa, quatenus talis eſt, agēdi rō nō accipit. Alter eſt, forma materialis non agit proximè; quia ad agēdū inſtrō vtitur. Priorē ſenſum putat eſſe verū, ſed tñ in affirmatiua ſignificatione: vult. n. materialem formā proximè agere: quia ab ipſa agendi ratio accipitur; cùm omnia, quę agūt, ratione formæ agant, ſicut quæ patiuntur, ratione materiæ patiantur. Ad hæc, forma ſubſtātialis eſt natura, & appellatur illa natura, quæ eſt principium agendi, ad differentiam materiæ, quæ eſt principium patiendi. Definitur etiam actiua potentia, vt ſit principium tranſmutandi aliud; ergo forma materialis per ſe, & proximè agit. Accepit autem hunc ſenſum prædictę propoſitionis, quo facilius tueri poſſet, quatuor primas qualitates, quæ proximè agūt, eſſe formas ſubſtantiales elementorum. Reijcit verò alterum ſenſum, quo materialis forma non proximè, ſed inſtrumenti interuentu, agere dicebatur: cùm. n. inſtrumētum non moueat niſi motum ſit, ſi forma ex. gra. ignis calefactionem, per caliditatem, tanquam per inſtrumētum, edit, quærit, quarnam ſit actio formæ, qua caliditatem mouet, efficitque, vt ipſa calefaciat? Si eſt calefactio, ergo forma calefacit, & caliditatē ipſam calefacit, quod eſt abſurdum. Cùm igitur non reperiatur hæc actio, qua forma in caliditatem agat, dicendum eſt, actionē, à caliditate emanantem, eſſe, primam, atque adeo ipſammet caliditatem formam ignis ſubſtantialem eſſe.

Dubitatio noui Autor. an propoſitio à Latinis adductā, Ariſt. ſit.

Quemnā ſenſum habere poſſit Latinorum propoſitio.

Duo ſenſus præcipui huius propoſitionis, forma ſubſtātialis nō agit proximè.

Senſus, à nouo Auto. approbatus.

Senſus ab eodē reprobatus.

*Eiuſdem reſponſionis confutatio.* *Cap. XXXV.*

NOn eſt difficile refutare quæcunque Nouus Autor pro huius rationis ſolutione pronūciauit. Et vt multa omittamus, quæ ad rem modò non faciunt, præcipua tantùm capita examinabimus. An prædicta propoſitio. ſ. forma materialis non agit proximè, ſed inſtrumento, ad agendum, vtitur, ſit Ariſt. nec ne; ambiget certè nemo, qui textum 54. & 55. ſecūdi libri de Generatione, & interitu, atque rurſus caput de odore, & ſapore, in libello de Senſu, & ſenſibili, attento animo legerit. Etenim iam citatis contextibus libri ſecundi de Generat. & interitu, contra veteres philoſophos Ariſt. diſputat; qui, materiā per calidū, & frigidum, & alias qualitates, quæ agendi, & patiendi vim obtinent, citra alterius principalis cauſæ efficiētiam, ad rerum generationem, & interitum concurrere, exiſtimabant. Cōcedit ibi Ariſt. quatuor primas qualitates actionum inſtrumenta eſſe; ſed tamen præter materiam, efficientem quoque cauſam reperiri, aſſerit, à qua actio ipſa oriatur: cum efficiente autem cauſa forma etiam coniuncta eſt, quæ propria, atque præcipua agendi ratio dicitur, & cuius virtute ipſa quoque inſtrumenta ad agendum diriguntur. Voluit igitur ibi Ariſt. materiales formas nō proximè agere, ſed ad agendum inſtrumentis vti. Id clariùs explicuit, cap. de odore, & ſapore, vbi hac de re, contra Platonē, & Stoicos, diſputauit. Exiſtimauit Plato, ſeparatas ſpecies generationis cauſas exiſtere, actionemque omnem ab incorporea virtute pendere. Stoici verò putarunt, ipſamet corpora quatenus corpora ſunt agere, & pati. Ariſt. mediam quandam ſniam defendit: ſtatuit. n. ea, quæ inuicem agunt, & patiuntur, corpora quidem eſſe, attamen non quatenus, corpora ſunt, ſed quatenus contrarijs qualitatibus afficiuntur, agere inuicem, atque pati. Ex quo loco liceat nobis hanc argumētationem elicere, corpus, vt corpus eſt, ex materia, & forma ſubſtantiali conſtat: ſic autem conſtitutum, Ariſt. autore, non agit; ſed quatenus qualitatibus præditum eſt; igitur forma non eſt ei proximè ratio agēdi, alioquin abſq;

Ariſt. loci, vnde prædicta Latinorū propoſitio ſumpta eſt.

Forma materialis ex Ariſt. ſola non proximè agit, ſed inſtrumētis ad operādum vtitur.

Hic habes quod quæris.

qua-

qualitatibus agere poſſet, ac porpterea qualitates, quæ proximè agunt, quæquẽ actionũ inſtrumenta ſunt, formæ ſubſtantiales elementorum eſſe non poſſunt. Dubitandum igitur nullo pacto eſt, quin prædicta propoſitio Ariſt. fuerit. Quod verò ad duos præcipuos ſenſus attinet, quos ei Nouus Autor aſcripſit, prior quidem, modo aliquo, admitti poſſet, vt. ſ. materialis forma ideo proximè agere dicatur, quia eſt præcipuum agendi principium, ſicut ipſe etiã exiſtimauit: ſed ſi propriè loqui velimus, hoc nõ eſt proximè agere, ſed præcipuè agere. Quo

Verior ſẽſus prædictæ propoſitionis. Nubilus à nouo Auto. excitatus, diſcutitur.

fit, vt prædictæ propoſitioni poſterior ſenſus aptari magis videatur, videlicet, forma nõ agit proximè, ſed inſtrumento ad agendum vtitur: hic. n. verus eſt ſenſus, quem eidem etiam ipſemet Ariſt. attribuit, vt explicatum eſt. Cùm verò Nouus Autor argumentatur, inſtrumẽtum non mouet, niſi ſit motum; ergo ſi caliditas ex. gratia calefaciat, opus eſt, vt illa à forma ignis mota ſit, ſi formam aliã in igne, præter caliditatem, ſtatuamus. Hęc omnia concedenda ſunt.

Perpẽde hoc diligenter, actionẽ à forma ſubſtãtiali, & actionẽ ab inſtrũ manantem.

Dum verò quærit, quænam ſit actio formæ, qua efficit, vt caliditas calefaciat? Reſpondendum eſt, actionem illam nequaquam calefactionem eſse, vt ipſe innuit, ſed eſſe quandam virtutis eius exhibitionem: ideo. n. caliditas calefacere dicitur, quia calefaciendi virtutem à forma ignis accepit. Forma itaque ignis præcipuum eſt agendi principiũ: & in hoc ſenſu proximè agere dicitur, quatenus proximè inſtrumento virtutem agendi, & operandi largitur. Sed huiuſmodi actio in exterius obiectum non tranſit, ſed manet intra ignem: at verò inſtrumentum, vt caliditas, proximè agere dicitur, quia eius actio exterius obiectum, quod calefacit, proximè attingit: cùm igitur verè inſtrumentum ſit ſubſtantialis forma eſſe non poteſt.

*Quæ pro ſolutione duodecimæ Latinorum rationis à Nouo Autore tradita ſunt, exploduntur; primoque oſtenditur, Latinos philoſophos rectiùs, quam ipſum Ariſtotelem intellexiſſe, dum ſubſtantiam per ſe ſenſibilem non eſſe, ex eodem elicuerunt. Cap. XXXVI.*

Duodecima Latinorũ rõ validiſſima, quæ magnũ nouo Auto. negotium faceſſit,

DVodecima ratio erat huiuſmodi; ſubſtantia non eſt per ſe ſenſibilis, vt elicitur ex contextibus 63. & 65. ſecundi libri de Anima, eſtque communis interpretum expoſitio: ſed quatuor primæ qualitates ſunt per ſe ſenſibiles; ergo quatuor primæ qualitates non poſſunt eſſe formæ ſubſtantiales elementorum. Validiſſima eſt hæc ratio omnium, quæ hactenus propoſitæ ſunt: cuius quidem firmitatem, & robur ambiguum eſt, an rectè Nouus Autor perceperit: nam ſect. 3. cap. 12. in eius explicatione eſſe magnopere implicauit, nunc reſpondendo, nunc arguendo, modò hoc, modò illud aſſerendo; vt haud certo ſcire poſſis, quid poſt multa concludere velit. Poterit, qui voluerit integram, & continuatam ſolutionem apud ipſum legere: nobis placet, facilioris doctrinæ cauſa, totam reſponſionem minutatim concidere, & omnes eius partes ſingillatim penſitare. Ait igitur primò, Latinos philoſophos non

Nouus autor in rñdendo, Latinos ea carpit.

conſideraſſe, vbicunque Ariſt. ſenſibiles ſubſtantias dixit, ita eas ſemper, ad differentiam intellectualium, & mathematicarum ſubſtantiarum, appellaſſe. Neque rurſum cõſideraſſe Latinos, Ariſtotelem 2. de Generatione tex. 7. naturalia corpora ſenſibilia nuncupaſſe, & ea quidem tangibilibus qualitatibus conſtituta. Neque tertio conſideraſſe, Ariſtotelem materiam ſenſibilem vocaſſe, ad differentiam materiæ intelligibilis. Neque demum conſideraſſe, Ariſt. 2. de Anima, tex. 28. docuiſſe, nos calidis, frigidis, humidis, & ſiccis nutriri: ſubſtantijs autem nutrimur; ergo effici, vt ea ipſa ſubſtantiæ ſint. Immò ibidem Ariſt. inquit, eorum, quæ nutrimur, nos per ſe tactus ſenſum habere; ergo ſubſtantia per ſe ſenſu percipitur. Nec dicant Latini, ſubſtantiam his qualitatibus, tanquam accidentibus, percipi: nam tũc ſequeretur, vt per accidens nutrimenti ſenſum haberemus, atque adeo magis propriè guſtus, quàm tactus nutrimenti ſenſus diceretur. Priuſquàm ad vlteriora progrediamur, examinemus hæc. Opti-

Optimè cognouerũt Latini dfiam inter ſubſtãtiã ſenſibilẽ, & ſubſtãtiã intelligilem.

me quidem ſciuerunt, & conſiderauerunt Latini Philoſophi, Ariſtotelem materiam, & ſubſtantiam ſenſibilem ita ad differentiam materiæ, & ſubſtantiæ intelligibilis, appellaſſe. Optime etiam cognouerunt, ſenſibilia corpora tangibilibus qualitatibus prædita eſſe: neminem enim adhuc legi, qui oppoſitum aſſeruerit. Sed quid hæc ad rem noſtram? Sẽſibilis ſubſtãtia à ſubſtantia intelligibili hoc diſcrimine diſſidet, quia ſubſtantia ſenſibilis accidentium ſenſibilium ſubiectum eſt, ſubſtantia intelligibilis non item: quare ſi ſenſibilem ſubſtantiam cum ſubſtantia intelligibili conferamus; dicere vtiq; poſſumus, illã per ſe, hoc eſt, ratione alicuius rei, cuius ipſa ſubiectum exiſtit, ſenſibilem eſſe, hanc verò ſenſibilem eſſe per accidens, puta

ratio-

ratione alicuius ſenſibilis affectus,ab ipſa manantis. Hæc optime intellexerunt Latini. Sed Nouus Autor nõ planè eorum rationem aſſecutus eſt:ideo paulò dilucidiùs nos illam explicabimus,quò faciliùs intelligi poſſit. Ratio itaque videtur eſſe huiuſmodi:ſubſtantia non eſt per ſe ſenſibilis, hoc eſt,ratione ſui,& quatenus ſubſtantia eſt,ſed alicuius accidentis interuẽtu,hoc certè neque Nouus Autor,nec alius quiſpiam negare vnquam poterit. Addamus minorem propoſitionem:ſed quatuor primæ qualitates per ſe,& proximè, nulliuſque alterius interuentu,ſenſibiles ſunt;ergo quatuor primæ qualitates neutiquam ſubſtantiæ, ſed accidẽtia dicuntur. Ne autem maior propoſitio,tametſi vera eſt,probatione deſtituta maneat, ſolida hac,vt opinor,ratione firmari poteſt. Etenim ſi ſubſtantia per ſe, & nullius alterius interuentu,ſenſibilis eſſet;tunc quatenus ſubſtantia ſenſibilis eſſet:ſi quatenus ſubſtantia;ergo per regulam poſterioriſticam,à quatenus ipſum ad omne,omnis ſubſtantia ſenſibilis eſſet;atque adeo inter ſenſibilem,& intelligibilem ſubſtantiam, nullum prorſus diſcrimen reperiretur.

Nõ planè nouus Autor Latinorum, rõnem aſſecutus eſt.

Duodecima Latinorũ rõ ab Autore dilucidius explicatur.

Hæc igitur,ſic explicata,eſt Latinorum ratio,quam certè tota Græcia nunquam ſoluet. Dũ verò ait Nouus Autor,non conſideraſſe Latinos, Ariſtotelem 2.de Anima text.28.dixiſſe, nos nutriri calidis,frigidis,humidis,& ſiccis,atque adeo ſubſtantijs,quia ſubſtantię ſunt,quęcunque nobis in alimentum cedunt;audire mihi videor reſpondentes Latinos,ipſummet nõ conſideraſſe, Ariſtotelem dixiſſe,nos nutriri calidis, frigidis,humidis, & ſiccis,non autem caliditate,frigiditate,humiditate,& ſiccitate. Cùm aũt dicimus calidũ,frigidum,humidũ, & ſiccũ,per hęc ipſa,nõ nudas qualitates:ſed ſubſtãtias qualitatib. affectas intelligimus:nutrimur .n.ſubſtãtijs,quę vel calidę,vel frigidę, vel humidę,vel ſiccę ſunt. Cùm verò probare nititur, ſubſtãtiã per ſe ſenſu percipi,quia citato loco Ariſ.ait,eorũ,quib.nutrimur, nos per ſe tactus ſenſum habere: attendat,eam particulam *per ſe*, maioris liberalitatis gratia ab ſe poſitam eſſe;illa.n.in Ariſtotelis contex.minimè reperitur. Sed hoc parui refert: demus etiam reperiri:nam facilè ſubintelligi poteſt:nihilominus neque illa particula,neq; totus contextus quicquam facit,ad rem,quam cupit oſtendendam. Etenim Ariſtoteles poſtquam ibi docuit,nos, immò viuentia omnia,calidis,frigidis,humidis,& ſiccis nutriri;ſtatim ait,horum ſenſibilium dignotionem ad ſenſum tactus pertinere:(addamus etiam per ſe,in Noui Autoris gratiam) aliorum autem ſenſibilium,ex accidenti tantùm,ſenſum tactus iudicem eſſe. Nanque ſi alimentum calidum,frigidum,humidum,aut ſiccum ſit,id quidem tactus per ſe percipit; quia eſt ſenſus alimenti: at verò ſi ſit albũ,nigrum,dulce,amarum,graueolens, aut ſuauiter olens, vel huiuſmodi;hæc ſenſus tactus ex accidenti dignoſcit;quatenus & ipſa alimento accidunt. Hæc eſt vera illius contextus explanatio:ex qua certè elici non poteſt;ſubſtantiam per ſe ſenſibilem eſſe:non enim valet hęc conſecutio;tactus per ſe alimentum percipit, quod ſubſtãtia eſt;ergo ſubſtantia per ſe ſenſibilis eſt;quia tactus non ſubſtantiam percipit, ſed qualitatem in ſubſtantia. Sicut nec validum eſt hoc argumentum;viſus parietem videt: ergo ſubſtantia parietis viſibilis eſt:non enim viſus parietis ſubſtantiam,ſed inhærentem parieti albedinem videt:non igitur ſubſtantia per ſe,ſed per accidens ſenſibilis eſt. Cæterùm Nouus Autor hãc Latinorum reſponſionem redarguit,huiuſmodique rationem proponit, ſi ſubſtantia per accidens ſenſibilis eſt,vel per accidens percipitur; ergo per accidens haberemus ſenſum nutrimenti; tuncque magis propriè guſtus,quàm tactus nutrimenti ſenſus diceretur. Iocatur hic vir iſte cum Latinis Philoſophis;experirique vult,an æquiuocationem detegere ſciant, quæ in eius ratiocinatione continetur. Etenim illa particula *per accidens*, quæ in hac propoſitione poſita eſt, per accidens habemus ſenſum nutrimenti, duobus modis intelligi poteſt; primo modo ſic,vt ſenſus nutrimenti nobis accidat,hoc eſt,vt dum nutrimur,accidat nobis, *vt alimenta* perſentiamus,vel etiam,vt interdum illa perſentiamus,interdum verò minimè, & omnes iſti ſenſus ſunt falſi,nec ex illa propoſitione, ſubſtantia eſt per accidens ſenſibilis, elici poſſunt. Altero modo illa particula, *Per accidens*,ſic intelligi poteſt, vt per qualitatẽ aliquam,quæ eſt accidens,nutrimenti ſenſum habeamus,& hoc modo propoſitio veriſſima cùm nam ſenſus tactus nutrimentum,quod ſubſtantia eſt,per accidẽs percipit,hoc eſt,per qualitatem,ſubſtantiæ inhærentem,quæ accidens eſt:ſi enim alimenti ſubſtantia quocunque accidente nudata eſſet,dubio procul nec alimentum ſenſibile eſſet, nec ſenſus tactus illud vnquam percipere poſſet:illud igitur per accidens percipit,hoc eſt caliditatis, frigiditatis,humiditatis, & ſiccitatis interuentu,quæ accidentia ſunt.

Malè cõſiderauit nouus Autor 28. cont. lib. 2. de Anima,dũ putauit,eundẽ Latinos haud rectè conſideraſſe.

Perperam elicit nouus Autor ex citato Ariſto. loco, ſubſtantiam per ſe ſenſibilem eſſe.

Vera explanatio tex. 28. lib 2. de Ani. Noui Autor. argũ contra Latinorũ reſponſionem.

Aequiocatio latens in argumento noui Autoris.

Particula per accidẽs, duobus modis intelligi põt.

Quõ tactus per accidens nutrimẽtum percipiat.

Subſtantia accidẽtibus nudata ſenſibus non ſubijcit.

*Velex Simplicio oſtenditur, ſubſtantiam per ſe ſenſibilem non eſſe: Noui que Autoris inconſtantia notatur.* *Cap. XXXVII.*

NOn poteſt autem Nouus Autor huiuſcemodi reſponſionibus acquieſcere, nec vlla eò ratione adduci, vt affirmet, ſubſtantiam non per ſe quidem, ſed per accidens ſolùm ſenſibilem eſſe: ideo ex Simplicio oſtẽdere nititur, quonam pacto ea propoſitio intelligenda ſit; qua ſubſtantia per accidens ſenſibilis dicebatur.

Simplicius.

Etenim Simplicius in comm. 65. libri 2. de Anima, hac de re loquens, docuit, ſubſtantiam non eo modo, quo communia accidentia, ſenſibilem eſſe: nanque communia accidentia ideo ſenſibilia ſunt, quia ſenſum excitant: ſubſtantia verò ideo ſenſibilis dicitur, quia dum illa cum ſenſibili exiſtit; ratio excitatur ad cognitionem operatiuam de ipſa.

Nouus Aut. ex Simplicio elicit, ſubſtantiam compoſitam per accidens ſenſibilẽ eſſe; ſubſtãtialem verò dr̃iam ſenſibilem eſſe per ſe.

Ex quibus verbis elicit Nouus Autor, prædictam propoſitionem non de omni ſubſtantia, ſed de ea ſolùm, quæ accidentibus ſubiacet, cuiuſmodi eſt ſubſtantia compoſita, intelligendam eſſe: hæc enim eſt, quæ per accidẽs ſenſibilis dicitur. Nunc aũt nos non loquimur, ait ipſe, de ſubſtantia cõpoſita; ſed de differẽtia ſubſtantiali, quæ vt nullibi dictum eſt; ita nullibi dici poteſt, quin ſenſu percipiatur.

Simplicij autoritas hac in re ſuſpecta.

Tametſi autoritas Simplicij hac in re valdè ſuſpecta ſit, quippe cui, vnà cum cæteris Græcis, falſa hæc, quam modò reijcimus, de formis elementorum ſententia communiter tribuatur; tamen ex eódemmet Simplicio oſtendere libet, ſubſtantiam per ſe, & quatenus ſubſtantia eſt, ſenſibilem non eſſe. quòd idem erit, ac ſi probauerimus, nullam ſubſtantiam per ſe ſenſibilem eſſe. Attulit tantùm Nouus Autor quædam Simplicij verba, vt frequẽter facere ſolet, quò faciliùs id, quod in animo habet, ſuadere poſſit. Ego vero integram, & dilucidiorem quidem, ex iam citato commẽtario; Simplicij explanationem afferam: aliorum poſtea iudicium erit, quid nam ex illius verbis elici poſſit.

Autoritas Simplicij, qua oſtenditur ſubſtãtia abſolutè quatenus ſubſtãtia eſt, per ſe ſenſibilem non eſſe.

Ait ergo Simplicius, quemadmodum homo eſt dominus per accidens, aut ſtatuas efficit per accidens; quia hæc ipſa eidem, quatenus homo eſt, non conueniunt, ita (& hęc ſunt eius verba) *Subſtantia ſenſibus ſubiecta ſecundum accidens; quoniam non quatenus ſubſtãtia.*

Argũ Autoris, quo ꝓbat ſubſtantialẽ dr̃iam per ſe ſenſibilẽ non eſſe.

Ex hiſce verbis ita contra Nouum Autorem argumentor; Differentia ſubſtantialis, vt caliditas, ſubſtantia ne, an accidens eſt? Si accidens; non igitur poteſt eſſe forma ſubſtantialis alicuius elementi. Si ſubſtantia; ergo ne ſenſu quidem, quanuis eſt differentia ſubſtantialis, percipi poteſt; quoniam, vt Simplicius ait, ſubſtantia, quatenus ſubſtantia eſt, ſenſibus non ſubijcitur: ergo nulla ſubſtantia, quæcũque illa ſit, ſiue ſimplex, ſiue compoſita, ſenſibus ſubijci poteſt:

Cõfirmatio.

Præterea oſtendo, hanc Noui Autoris reſponſionem apertiſſimum eſſe effugium; quãdoquidem illam elementorum tantùm qualitatibus, quas eorum ſubſtantiales formas eſſe defendit, non etiam alijs formis, aut differentijs ſubſtantialibus accommodare poteſt. Quæram enim ex eo, ſubſtantialis forma, aut differentia bouis, equi, aut alterius cuiuſpiam rei; ſit ne calida, an frigida, alba, an nigra, dura, an mollis, aſpera, an lenis, grauis, an leuis? Si enim per ſe ſenſibilis eſt, opus eſt ſanè, vt aliquo ſenſu percipiatur, atq; adeo vt ſenſus cognoſcat; illam vel eo modo, quo diximus, vel alio quopiam modo affectam eſſe: ſenſus enim nihil aliud dignoſcere queunt: ſed falſum eſt dicere, bouis, equi, aut alterius cuiuſpiam rei formam, vel differentiam ſubſtantialem, per ſe aliquo modo affectam eſſe: ergò falſum eſt dicere, alicuius rei formam, aut differentiam ſubſtantialem per ſe ſenſibilem eſſe.

Idem apertiſſima Simplicij autoritate roboratur.

Quod vt Nouus Autor faciliùs intelligat, ipſius etiam Simplicij autoritate firmabo; qui in prædicamentis, c. de qualitate, in expoſitione tertiæ ſpeciei, apertiſſimè negauit, ſubſtantiales differentias per ſe ſenſibiles eſſe; ita enim ſcribit, *cuius rei maximum indicium eſt, quia ſpecies ſubſtantiarum non coniunguntur ſenſui: neque illum attingunt, & mouent; quandoquidem ſenſus non ſit ſubſtantiarum perceptiuus: nam ipſas vix intellectus recipit, ſed ſenſus eſt receptiuus qualitatũ; quæ à ſpeciebus, & rationibus fiunt, quas qualitates etiam corpus natum eſt recipere, & hæ qualitates mouent ſenſum.* Potuit ne Simplicius rem hanc apertius edocere, oſtendereque nullã ſubſtantiam ſenſu attingi poſſe, cùm, eam vix intellectu percipi, aſseruerit? Animaduertit Nouus Autor hunc Simplicij locum, & propterea aliam effinxit ſolutionem; quam ex eodem etiam Simplicio aſserit accepiſse.

Alia noui Autoris reſponſio ad duodecimam Latinorum rationem.

Dicendum itaque putat, pro ſolutione rationis Latinorum, caliditatem ignis ſenſu quidem nõ percipi, vt ſubſtantia eſt, prout ſcilicet eſt in tali eſse, cum tali coniunctione, & nexu aliarũ qualitatũ; ſed tantummodo caliditatem percipi ſenſu, quatenus ſui generis qualitas eſt. Miranda hìc certè eſt huius viri inconſtan-

tia, in reſponſione ad duodecimam hanc Latinorum rationem. Primò abſolutè negauit, ſubſtantiam per ſe ſenſu percipi non poſſe: dixit. n. ſubſtantiam per ſe ſenſibilem eſſe, quod etiã & ratione, & autoritate firmare conatus eſt. Deinde, veritate coactus, famoſam illam, atque vulgarem propoſitionem ad ſolas ſubſtantias compoſitas contraxit, dixitque, ſolam ſubſtantiam compoſitam, quæ ſenſibus ſubijcitur, eam eſse, quæ non per ſe, ſed per accidens ſenſibilis eſt: differentiam verò ſubſtantialem per ſe quidem ſenſu percipi poſse. Demum, autoritate Simplicij adductus, qui ſubſtantiales etiam differentias ſenſibus ſubijci negauit, ſomnium illud finxit, nimirum caliditatem ignis, vel cuiuſuis elemẽti qualitatẽ ſenſu nullo pacto percipi poſſe, quatenus ſubſtantia eſt (in quo Latinorum propoſitionem, & rationem ſimul approbare cogitur) ſed ſi percipiatur, hoc ea ratione fieri, qua qualitas eſt. Inauditũ profectò à ſeculo eſt, rem eandem, & ſubſtantiam, & accidens eſſe, vel, vt clarius eloquar, eandem rẽ ad ſubſtantiæ, & qualitatis prædicamentũ attinere. Qua de re tametſi ſatis luculenter ſupra locuti ſumus: id ipſum tamen validiore nunc etiam argumento refellere libet. Quicquid percipit ſenſus, non eſt ſubſtantia, vt ipſemet tandem Nouus Autor conceſſit: ſed ſenſus caliditatem, & omnem qualitatem percipit; ergo nec caliditas, nec quælibet alia qualitas poteſt eſſe ſubſtantia. Itaque quod in coniunctis qualitatibus reperitur, & illud quidem ſenſu non percipitur, illud ipſum, ſecundum Nouum Autorem, ſubſtantia erit, & elementi forma: hoc autẽ nil aliud eſt, quàm ille nexus, & copulatio; ergo ille nexus, & copulatio erit ſubſtantia, & elementi forma, quod ipſemet tandem abſurdum maximum exiſtimabit, ſi ſemetipſum aliquãdo ad calculos vocauerit. Sed illud præterea abſurdum videtur, qualitatem, quoad aliquem gradum, ſenſu percipi, & accidens eſſe: quo verò ad alium gradum, vel rei alicuius coniunctionis ſubſtantiam eſſe, nec ſenſibus ſubijci. Qui fieri. n. poteſt, vt tactus, qui per ſe caliditatem percipit, atque dignoſcit, eandem auctam, vel imminutam, vel cum humiditate, aut ſiccitate quouis modo coniunctam, non percipiat? Id certè haud ſcio, an admitteret Philoſophus imi ſubſellij.

Noui Auto. inconſtãtia.

Noui Auto. ris reſponſionis cõfutatio

Alia rõ contra eãdem reſponſionem.

*D. Thomas à Noui Autoris reprehenſione vindicatur.* *Cap. XXXVIII.*

SEd carpit etiam Nouus Autor in eodem cap. D. Thomam, qui primo de Generatione comm. 18. abſolutè negauit, vllam formam ſubſtãtialem ſenſu percipi poſſe; cùm ſolùm percipiatur intellectu, cuius adæquatum obiectum eſt rei ſenſibilis quidditas. Hoc, ait Nouus Autor, multa reprobatione non eget: nam ſenſus non percipit, quid ſit ſubſtantia, ſed qđ ſit; immò nec qualitatem, vt albedinem, percipit quid ſit, ſed quòd ſit. At verò hæc reiectio reprobatione maxima digna eſt: nam percipere quòd aliquid eſt, nihil eſt aliud, quàm eius exiſtentiam percipere: Si autem ſubſtantia omnibus accidentibus nudata eſſet, quanam obſecro ratione, ſenſus percipere poſſet, quòd ſubſtantia eſt? Nũc percipit quidem ſenſus, quòd ſubſtantia ſenſibilis eſt, quia aliquibus eſt accidentibus affecta; & propterea, dum per ſe, & proximè accidentia attingit, ſtatim, vt Simplicius ait, virtus perfectior, vt intellectus excitatur ad cognoſcendum, aliquid præterea exiſtere, quod ipſis accidentibus ſubſternatur. Si aũt accidentia remoueas, nihil profectò remanebit, quod ſenſus percipere queat; cùm nihil vltra proprium obiectum ferri, aut agere poſſit: proprium autẽ ſenſus obiectum eſt qualitas, vel accidens ſenſibile; igitur, omni qualitate ſenſibili à ſubſtantia remota, ſenſus per ſe ſubſtãtiam percipere non poterit. Ex quo apertè elicimus, dum ſenſus ſubſtantiam, accidentibus præditam, percipit, eam tantùm ratione accidẽtium percipere; hincque fieri, vt per ſe, & proxime accidentia tantum, non etiam ſubſtantiam ipſam attingat.

Nouus Aut. carpit D. Th.

Autor Diuũ Tho. defendit.

Propriũ ſenſus obiectũ quidnã ſit.

*Noui Autoris ratio, qua probare contendit, ſubſtantiam per ſe ſenſibilem eſſe atque eiuſdem ſolutio* *Cap. XXXIX.*

CÆterùm tametſi Nouus Autor hanc veritatem ſuperiùs agnouerit. ſ. ſubſtantiam per ſe ſenſibilem non eſſe: aſſerueritque, dum elemẽtorum qualitates percipiũtur, illas quidem non vt ſubſtantias, ſed vt accidentia percipi: quoniam ſenſus nexum illum, in quo ſubſtantialis elemẽti forma conſiſtit, percipere nequit, nihilominus in fine eiuſdem capitis, aliquot rurſum medijs probare contendit, ſubſtantiam per ſe ſenſibilem eſſe. Primò in mediũ affert alterationis definitionem, lib. 1. de Ortu, & interitu, tex. 23. ab Ariſt. traditam, vbi do-

Rõ noui Autoris ex definitione alterationis; deſumpta.

cuit, alterationem eam eſſe, cùm abſoluta mutatione, idem ſubiectum ſenſibile manet, & in contrarijs tantummodò, aut medijs qualitatibus mutatio facta eſt. Ex hac definitione ſic argumentatur; ſubiectum alterationis eſt ſubſtantia compoſita: ſed ſubiectum alterationis eſt per ſe ſenſibile; ergo ſubſtantia compoſita eſt per ſe ſenſibilis: quod dictum eſt ad differentiã ſubiecti generationis, nimirum materiæ primæ, quæ non eſt ſenſibilis: quare concludit, ſubſtã-

Modus inueſtigandi, an ſubſtãtia per ſe ſenſibilis ſit.

tiam compoſitam, ratione formæ, ſenſibilem eſſe. Antequam huic rationi reſpondeamus, velim, vt ipſam rei veritatem, attento animo, perſcrutemur: nam poſtea facilè nobis erit, Ariſt. mentem 23. illo contextu expiſcari, ac deinceps rationem, à Nouo Autore propoſitam, expedire. Vt igitur videamus, an ſubſtantia cõpoſita per ſe ſenſibilis ſit, neceſſe eſt, vt accidentiã omniũ ab eadem, cogitatione noſtra, remoueamus: tunc.n. ſi ſubſtantia, ſic conſiderata, aliquo ſenſu percipi poterit, veriſſimè dictum erit, eam per ſe ſenſibilem eſſe. Iam verò ſubſtan

Rõ demõſtratiua, qua oſtẽditur ſubſtãtiã per ſe ſenſibilem non eſſe.

tia illa compoſita; quam nunc accidentibus omnibus nudatam eſſe poſuimus; nullo colore prædita eſt; nõ ergo ſenſu viſus percipiet. Non eſt calida, aut frigida, humida, aut ſicca, aut dura, aut mollis, aſpera, aut lenis, grauis, aut leuis, aut id genus alijs tãgibilib. qualitatib. affecta; non ergo percipietur tactu. Non eſt dulcis, aut amara, nec vllum prorſus ſaporem habet; igitur non percipietur guſtatu. Et cùm calida non ſit, nullũ odorem ſpirare poterit, quia quæcunque odorem habent, calida ſunt, & cùm duritiem non habeat, nullum ſonum edere poterit: quare nec olfactu, nec auditu percipietur. Si igitur hæc ſubſtantia, omnibus accidentibus

Noui Auto. reſponſio.

deſtituta, nullo ſenſu percipi poteſt, quomodo per ſe ſenſibilis erit? Scio, Nouum Autorem reſpondere facilè poſſe, falſum eſſe dicere, ſubſtantiam compoſitam omnibus accidentib. deſtitutam, calidam, aut frigidam, humidam, aut ſiccam non eſſe: quoniam ipſe iam poſuit, huiuſmodi, qualitates eſſe formas ſubſtantiales elementorum. Sed debet etiam memoria tene-

Refutatio.

re, ſe paulò ante aſſeruiſſe, has qualitates, non vt ſubſtantiæ, ſed vt qualitates ſunt, ſenſu percipi: propterea adhuc firma, & inconcuſſa manet propoſitio noſtra, ſi ſubſtantia omnibus accidentibus nudata ſit, illam quidem nullo ſenſu percipi poſſe, atque adeo per ſe ſenſibilẽ nõ

Solut. rõnis noui Autoris vera interpretatio tex. 23. li. 1. de Gen.

eſſe. Rei veritate iam reperta, nunc Noui Autoris rationem diluamus, atque verborũ Ariſtotelis ſenſum, in citato contextu, aperiamus; dum in alterationis definitione perhibuit, abſoluta alteratione, ſenſibile ſubiectum manere, quod ſubſtãtia compoſita eſt. Res ipſa loquitur, vt certè nulla ſit opus declaratione. Non intellexit Ariſt. ſubſtantiam compoſitam, quatenus ſubſtantia eſt, ſenſibilem eſſe, hoc eſt, ſenſu percipi poſſe: ſed intellexit, manere ſubſtantiam compoſitam, quæ ideo ſenſibilis dicitur, quia ſenſibilium accidentium proximum ſub-

Subſtãtia cõpoſita eſt proximum ſubiectum accidẽtium ſenſibilium; prima verò materia eſt proximũ ſubiectũ formarum ſubſtantialium.

iectum exiſtit. Et in hoc differt a ſubiecto generationis. ſ. à materia prima, quę non eſt proximum ſubiectum accidentium ſenſibilium, vt in alia diſputatione patefecimus, ſed formarũ ſubſtantialium. Quare in alteratione fit mutatio tantummodò accidentium, puta qualitatũ in ſubiecto ſenſibili: in generatione verò fit mutatio formarum ſubſtantialiũ in materia prima; & hæc eſt vera illius contextus interpretatio. Quod ſi contendat Nouus Autor, ſubſtãtiam compoſitam, per ſe, & quatenus ſubſtantia eſt, non item ratione accidentium, ſenſibilẽ

Ratio cõtra nouũ Auto.

eſſe; Dicat obſecro, cur non ẽt materia prima, quæ ſubſtantia eſt, ſenſibilis erit? Ad hæc, ſi, vt ipſe vult, ſubſtantia compoſita, ratione formæ ſubſtantialis, ſenſibilis eſt; ergo multò magis ipſa ſubſtantialis forma ſenſibilis erit: hìc.n. locum habet regula illa ex 1. lib. Poſter. de-

Alia ratio.

ſumpta, propter quod vnum quodque tale, & illud magis: ſi.n. calor in ferro calefacto eſt ra-

Limitatio illius famoſæ propoſitiõis, ꝓpter quod vnũquodque tale, & illud magis.

tio, cur ferrum calidũ percipiatur ſenſu; ergo multò magis ipſe calor ſenſu percipietur, & idẽ de alijs qualitatibus dicendum eſt: res.n. eſt in vniuocis, & prædicatum ſuſcipit magis, & minus, vt paſſim illa propoſitio limitari ſolet. Verùm non ſatisfacit hæc reſponſio. Nouo Autori, nec putat, Ariſtotelem, per ſubiectum ſenſibile, ſubſtantiã compoſitam intellexiſſe quatenus aliqua accidentia ſenſibilia acceptura eſt: debuit.n. Ariſt. ait ipſe, ſi rectè alterationem

Noui Auto. pertinacia in Ariſt. verbis.

definire voluit, rei naturam, non euentum reſpicere: cùm igitur dixit, manere ſubiectum ſenſibile, nòn intellexit propter euentum aliquorum accidentium in ipſo, ſed quia ſubſtantia cõpoſita per ſe ſenſibilis eſt. Sed pertinacia eſt hæc eorum, qui ſpeculationibus carẽt, Ariſtotel. verbis, dimiſſa ſnĩa, obſtinatiùs adhærere. Iam verum, vt opinor, verborũ Ariſtotelis ſenſum explicauimus, ſubſtãtiam quoque, accidentibus nudatam, nullo ſenſu percipi poſſe demonſtrauimus; nunc quomodo res ſe habeat, viderint alij. Poſſem hìc Nouum Autorem leuitatis in ſimulare, cùm idem 1 2. capite circa initium aſſeruerit, ſubſtantiam compoſitam per acci-

dens,

dens tantùm ſenſibilem eſſe, idque ad differentiam formæ, vel differentiæ ſubſtantialis, quam putat per ſe ſenſibilem dici: nunc autem, paucis interiectus verbis, probare nitatur, ſubſtantiã compoſitam per ſe ſenſu percipi poſſe: ſed in re parui momenti nolo videri longior.

*Tres aliæ Noui Autoris rationes, idem probantes diluuntur. Cap. X L.*

Secũda rõ noui Auto. qua probat, ſubſtantiam per ſe ſenſibilem eſſe.

SEcundò, ad idem probandum, vtitur Nouus Autor hac ratione. Prædicatum in propoſitionibus formalibus vel eſt de eſſentia ſubiecti, vel eſt accidens ſubiecto, & illud quidem aut proprium, aut commune: hæc propoſitio, ſubſtantia materialis eſt ſenſibilis, eſt propoſitio formalis; igitur vel prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti, vel eius proprium, aut commune accidens: ſed non eſt accidens proprium ſubſtantiæ; quia etiam accidenti conuenit, ſenſibile eſſe: neque eſt accidens commune; quia, ex Latinorum ſententia, ſenſibile eſſe accidenti tantummodo conuenit: erit igitur prædicatum eſſentiale; atque adeo ſubſtantia materialis eſt per ſe ſenſibilis.

Reſponſio.

Ad hoc argumentum negandum eſt id, quod vir iſte tanquam verum poſuit, dicendumque propoſitionem hanc, *ſubſtantia materialis eſt ſenſibilis*, nõ eſſe formalẽ; ſed denominatiuam, & accidentalem. Nam ſicut accidit, vt materialis ſubſtantia hoc, vel illo accidente prædita ſit; ita illi accidit, vt ſenſibilis eſſe dicatur; quia ratione illius accidentis ſenſibilis eſt.

Nota diſcrimen inter ꝑpoſitionẽ formalem, & denominatiuã.

Pro huius rei maiore declaratione, non erit ab re, differentiam inter formalem, & denominatiuam propoſitionem in medium afferre. Hæc propoſitio, homo eſt animal, vel homo eſt rationalis, eſt propoſitio formalis, & eſſentialis; quia prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti: hæc autem propoſitio, lignum eſt album, eſt propoſitio denominatiuã; non autem formalis: nam albedo non eſt de eſſentia ligni, ſed eſt accidens, illi additum: ac propterea lignũ non dicitur formaliter album, ſicut homo dicitur formaliter animal, ſed denominatur album. Tãdem hæc propoſitio, albedo eſt viſibilis, vel accidens eſt ſenſibile, formalis, quidem propoſitio eſt; non ita tamen, vt prædicatum ſit de eſſentia ſubiecti, atque de ipſo in primo modo dicendi per ſe prædicetur: ſed ideo formalis dicitur, quia prædicatum eſt eſsentiale, vel ſubſtantiale ſubiecto; atque de ipſo in ſecundo modo dicendi per ſe, vt riſibile de homine, enũciatur.

Sicut intelligibilitas eſt ꝓpria affectio entis; ita ſenſibilitas eſt ꝓpria affectio accidentis.

Quemadmodum igitur intelligibilitas, vt ita dicam, ſiue eſse intelligibile, eſt propria affectio entis: ita ſenſibilitas, ſiue ſenſibile eſse, eſt propria affectio accidentis: tamen non valet hæc cõſecutio, accidens eſt per ſe ſenſibile, ſupple in ſecundo modo, ergo ſubſtantia materialis, cui aduenit accidens, eſt per ſe ſenſibilis: illa enim, vt iam diximus, eſt tantùm ſenſibilis, ſecundũ denominationem: ſicut etiam eſt alba, vel nigra, calida, vel frigida, vel huiuſmodi, ſecundum denominationem.

Duo rio. Autoris errores

At verò Nouus Autor tuetur, quemadmodum animal commune eſt homini, & equo, eſtque de eſsentia vtriuſque; ita ipſum, quod eſt ſenſibile, ſubſtantię, & accidenti commune eſse, atque ad vtriuſque eſsentiam ita pertinere, vt de illis in primo modo dicendi per ſe prædicetur. Qua quidem in re duplici errore ducitur. Alter eſt, ſenſibile eſse de eſsentia accidentis: nam priùs natura accidens eſt, quàm ſit ſenſibile, & propterea ſenſibile accidẽti quidem eſsentiale eſt, non tamen de eius eſsentia. Alter eſt, ſenſibile eſse de eſsentia ſubſtantiæ: nam ſi hoc eſset, tunc omnis ſubſtantia, quatenus ſubſtantia eſt, ſenſibilis diceretur.

Tertia ratio noui Autor

Confirmat tertiò hanc ſuam ſententiam, autoritate Platonis, veterumque philoſophorum, qui ſubſtantiam percipi aſseuerarunt.

Solutio.

Sed facilis eſt reſponſio: veteres philoſophi, præter materiam primam, nullam aliam ſubſtantiam agnouerunt, & quicquid illi aduenit, id omne accidens eſse dixerunt: propterea cùm ſubſtantia materialis accidentibus affecta ſit, mirum non eſt, ſi dixerint, materialem ſubſtantiam ſenſu percipi, quia ſcilicet accidentia continet, quæ per ſe ſenſu percipiunt.

Quarta ratio noui Auto.

Demum hanc rõnem propoſuit, ſenſibile, & intelligibile diuidũt ens: hoc ens abſtractũ cõſtituit, illud verò ens materiale: ergo ſicut ens intelligibile, per ſe, & natura ꝓpria intelligibile eſt, ita etiã ens ſenſibile, per ſe, & natura ꝓpria ſenſibile dicitur, ſed ſubſtãtia materialis eſt ens ſenſibile: igitur per ſe; & natura propria, nõ itẽ per aliquod accidens, ſenſibilis eſt.

Solutio. Senſibile dupliciter accipitur.

Rñſio eſt in prõptu: cũ dr̃, ſenſibile, & intelligibile diuidũt ens; illud ſenſibile dupliciter accipi poteſt, vno modo pro eo, quod proximè ſenſu percipitur, & ſic diuiſio intelligenda non eſt; altero, pro eo, quod ſenſibilibus accidentibus ſubijcitur, & ſic diuiſio intelligi debet. Quare omne ens aut eſt intelligibile, hoc eſt, omni prorſus accidente ſenſibili carens, omnique Phyſica materia deſtitutum, & hoc appellatur ens abſtractum: aut eſt ſenſibile, hoc eſt, ſenſibilibus accidẽtibus ſubſtractum; & hoc conſtituit ens materiale. Admitto igitur, ma-

*Subſtãtia materialis quò per ſe ſenſibilis ſit.*

terialem ſubſtantiam per ſe ſenſibilem eſſe, ideſt natura ſua ſenſibilibus accidentibus ſubiectam; non tamen inde ſequitur, vt per ſe, & quatenus ſubſtantia eſt, ſenſu aliquo percipi poſſit. Hæc ſunt, quæ nobis cum Nouo Autore agenda erant, circa ea, quæ pro ſolutione duodecimæ Latinorum rationis in medium adduxit.

### *Multiplex Noui Autoris reſponſio ad poſtremam Latinorum rationem, atque eiuſdem confutatio. Cap. XLI.*

POſtrema ratio ſumpta erat ex autoritate Ariſtotelis lib. 3. Metaph, tex. 17. vbi apertiſſimè docuit, caliditatem, frigiditatem, & cæteras qualitates non eſſe ſubſtantias, ſed affectiones elementorum. Nouus Autor ſect. 3. cap. 13. pro huius autoritatis explicatione multa dixit, quæ recenſere non eſt operepretium: ſed tamẽ vt inceptum iam ordinem ſeruemus,
*Prima rñſio noui Autor.* ea breuiter in medium afferemus, & refutabimus. Primò itaque dicit, à grauiſſimis viris nõ æſtimari quæcunq; ab Ariſt. lib. 3. Metaph. ſcripta ſunt; propterea qđ in eo libro in dubitationib. eſt totus.
*Secunda reſponſio.* Secundò rñdet, Ariſt. ibi accepiſſe qualitates, vt qualitates ſunt, abſq; eo nexu, & coniunctione, quæ neceſſaria eſt, vt formæ ſubſtantiales fiant: ideo mirum non eſt, ſi dixerit, non eſſe ſubſtantias.
*Tertia rñſio.* Tertiò aſſerit, Ariſt. locutum eſſe, ſecundum mentem veterum Philoſophorum, qui præter primam materiam, cætera omnia accidentia eſſe putabant, vt patet 2. Phyſ.
*Quarta rñſio.* Quartò ait Ariſtotelẽ ibi locutum eſſe de ſubſtantia, quæ per ſe ſubſiſtit, & propterea quia caliditas, frigiditas, & cæteræ qualitates non per ſe ſubſiſtunt, ſed in alio exiſtunt;
*Quinta rñſio.* ideo dixit, illas non eſſe ſubſtantias. Demũ ita illã Ariſt. autoritatem interpretatur, vt cũ Ariſ. quatuor primas qualitates affectiones appellauerit, id ad corpus ter dimẽſum referri debeat, quẽadmodũ, & ipſemet ſupra in declaratione propriæ opinionis affirmauit. Quod
*Confutatio primæ reſpõſionis.* ad has reſponſiones attinet, eas omnes refellere haud difficile eſt. Prima quidem ex eo reijcitur, quoniam quicunque Ariſt. magnifaciunt, magni etiam eſtimant, quæ Ariſtotelis ſunt; & propterea cùm nemo dubitet, tertium Metaph. librum Ariſtotelis eſſe; non erit ab re, ſi ex eo libro, ad aliquid probandum, autoritates excipientur. Et quanuis Ariſtot. in eo libro multa in dubium vocarit, non tamen de rebus omnibus dubiè locutus eſt: dubitauit quidem, an numeri ſuperficies, & id genus reliqua, ſubſtantiæ dici debeant, vt veteres putabant; tamen, ſecundum ſententiam propriam, ratiocinãdo, dixit, elementorum qualitates illorum affectiones, non etiam ſubſtantias eſse. Et certè ea verba hac in re magni æſtimanda ſunt; cùm præſertim veluti quoddam teſtimonium ſint, ipſius Ariſtotelis mentis, quam, vt ſupra vidi-
*Cõfutatio ſecundæ.* mus alijs locis expreſſit. Secunda reſponſio iam ſatis commodè ſupra reiecta eſt: ſatis eſse debuerat Nouo Autori, illam effinxiſse, nec præterea opus erat, ſomnium illud Ariſt. aſcribe-
*Confutatio tertiæ.* re. Tertia pariter reſponſio facilè refellitur: quia, vt iam diximus, dubium quidem ab Ariſtot. propoſitum eſt, ad veterum Philoſophorum ſententiam examinandam; ſed nihilominus ratiocinatio non eſt veterum philoſophorum, ſed ipſius Ariſt.
*Confutatio quartæ.* Quarta reſponſio ab ipſomet Ariſt. reprobatur, qui non ſolùm negauit, primas qualitates eſse ſubſtantias, quæ per ſe ſubſiſtant; ſed negauit abſolutè, ſubſtãtias eſse, dixitque, illas eſse affectiones, ſeu paſſiones
*Confutatio quintæ.* hiſce verbis, *Et huiuſcemodi paſſiones non ſubſtantia ſunt*. Poſtrema etiam reſponſio ipſius Ariſt. verbis confutari poteſt: vbi enim aſseruit, huiuſmodi qualitates non eſse ſubſtantias, ſed paſſiones elementorum; ſtatim dixit, corpus, quod hæc patitur, exiſtentem ſubſtantiam eſſe. Iam verò ſi qualitates ſunt paſſiones elementorum; ergo corpus, quod illas patitur, ſeu ſuſtinet, eſt ipſum elementum, non autem corpus, ter dimenſum, vt Nouus Autor exiſtimauit.

# P A R S   Q V A R T A.

## IN QVA AVTORITATIBVS, ET RATIONIBVS, PRO Græcorum ſententia propoſitis, ſatisfit.

### *Reſponſio ad primam autoritatem.* *Caput Primum.*

REiectis iam omnibus reſponſionibus, quibus Nouus Autor Latinorum argumenta diluere nitebatur, proximum eſt nunc, vt autoritatibus, & rationibus, quas pro Græcorum ſententiæ confirmatione propoſuit, ſatisfaciamus. In ijs autem explicandis, non laborabo, quid alij dixerint; ſed in medium afferam, quid mihi ſentiẽdum videatur. Prima igitur autoritas ſumpta erat ex 2. lib. de Partibus animalium c. 1. vbi quatuor primas qualitates, compoſitorum corporum materiam Ariſtoteles appellauit. Ad eam autoritatem reſpondeo, conſilium Ariſtotelis ibi eſſe, tres compoſitiones ſtatuere, quæ animali competunt, quatenus miſtum quoddam corpus eſt: nam vt primò, & abſolutè compoſitum eſt, aliam antecedentem ex materia, & forma compoſitionem includit, de qua ibi non loquitur. Explicans autem primam compoſitionem, eam eſſe ait ex primordijs ijs, quæ à nonnullis elementa vocantur, hoc eſt ex terra, aqua, aere, & igne. Poſtea verò non ſe corrigit Ariſtoteles, vt nonnulli putarunt; ſed ſemetipſum dilucidiùs explicat, dum ait, melius fortaſſe dici, primam hanc compoſitionem ex elementorum virtutibus confici. Ratio ea eſt, quàm etiam in alia diſputatione tetigimus, quia ſcilicet tametſi elementa re ipſa in miſto ſeruantur; tamen ibi non ſunt ſui iuris, ſed ſuas vires, & facultates in vnam miſti formam contribuunt; & propterea vnà cum eorum virtutibus, ſeu facultatibus, in ratione materiæ, ad miſtum conſtituendum concurrunt. Non enim dixit Ariſtoteles, ſolas qualitates eſſe materiam miſti: ſed priùs dixit, primam hanc compoſitionem ex elementis, tanquam ex ſubſtantijs fieri poſtea verò, ne qualitates excluſiſſe videretur, quæ manifeſtiùs, quàm ſubſtantiæ, ad miſtũ conſtituendum accedunt; dixit, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem materiã eſſe corporum compoſitorum, hoc eſt, miſtorum.

Solutio primæ autoritatis.

Quære diſp. de miſtione, cap. 21 in extremo.

Explicata hac Ariſtotelis autoritate, facile duæ illæ rationes tolluntur, quas Nouus Autor ex eadem elicuit: nam vnuſquiſque vel obtuſo ingenio præditus, aduertere poteſt, eas ad rem noſtrã minime pertinere. Ipſe enim probaturus eſt, quatuor primas qualitates eſſe formas ſubſtantiales elementorum, duę autem illæ rationes nihil aliud probant, niſi quatuor primas qualitates eſſe ſubſtantiales miſto, quod libenter concedimus. Immò etiam admittimus, eaſdem vnà cum elementis, miſtum conſtituentibus, eſſe de eſſentia, & de ſubſtantia miſti: quia quæcunque aliquid conſtituunt, de illius eſſentia eſſe dicuntur. Veriſſimum igitur eſt, quatuor primas qualitates eſſe ſubſtantiales, vel de ſubſtantia miſti, in eo ſenſu, quem iam explicauimus. Dum verò Nouus Autor eã conſecutionem elicit, qua infert, eas accidentia non eſſe; cùm non appareat, vnde deducatur, prorſus neganda eſt; ſunt enim per ſe accidentia; cùm ſint qualitates: atque etiam ad elementa relatæ; cum ſint propriæ affectiones, ab eiſdem fluentes, & propterea eandem accidentis naturam retinent, vbicunque reperiantur. Quanuis enim in miſto ſint de eſſentia temperamenti; ſubſtantiæ nihilominus non fiunt: nam cùm temperamentum qualitas, & accidẽs ſit; illæ quoque qualitates, ex quibus temperamentum conſtituitur, accidentia pariter erunt.

Solutio duarum rationũ noui Autor. quæ poſitæ ſunt ſup. par. 4. cap. 3.

Qualitates elemẽtorum vnà cum elementis ſunt de ſubſtãtia miſti, nihilominus accidentia ſunt

### *Reſponſio ad ſecundam autoritatem.* *Cap. II.*

SEcunda autoritas ſumpta erat ex 2. lib. de Anima text. 28. vbi docet Ariſtoteles, tactum eſſe ſenſum alimenti, quia calidis, frigidis, humidis, & ſiccis omnia viuentia aluntur. Pro huius autoritatis explicatione, id tantum noto, quod etiam paulò ſuperiùs animaduerti, Ariſtotelem. ſ. non dixiſſe, viuentia omnia caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate nutriri, ſed calidis, frigidis, humidis, & ſiccis: & hæc ſola explicatio ſatis eſſet, ad ſoluendam rationẽ illam, quam Nouus Autor ex hac autoritate deſumpſit. Nihilominus, vt ipſemet ſolutionem inueniat, ſumpta eius maiore propoſitione, contra ipſum, argumentum ita retorqueo: Si tactus eſt ſenſus nutrimenti; ergo quæ tactus ſenſit, per ſe, & propriè ad nutriendum ſe habent: addo nunc minorem: ſed tactus per ſe has qualitates ſentit, nimirum grauitatem, leuita

Vid. ſup. par. 3. cap. 36.

Argũ in nouum Autorẽ retorquetur.

tem,

tem,duritiem,mollitiem,lenitatem, aſperitatem, & id genus alias:ergo huiuſmodi qualitates per ſe,& propriè ad nutriendum ſe habent;ſed nutrimentum eſt ſubſtantia;ergo iſtę qualitates ſunt ſubſtantiæ. Si vllam vim habet argumentum, ab eo propoſitum;eandem procul dubio habebit & meum,cùm in eadem forma, & figura conſtructum ſit. Quod tamen non puto ab eo abſque vlla reſponſione dimitti: Sed ita fortaſſe reſponſurum cenſeo,primam illã conſecutionem non valere:ſi tactus eſt ſenſus alimenti; ergo quæcunque tactus ſentit,per ſe ad nutriendum ſe habent:multa.n.ſunt,quæ tactu percipiuntur, quæ tamen nutritioni inepta ſunt. Veram autem conſecutionem debere eſſe huiuſmodi:ſi tactus eſt ſenſus nutrimenti; ergo quæcunque ad nutriendum ſe habent,per ſe tactu percipiuntur;atque adeo,cùm ea omnia quæ ad nutriendũ ſe habẽt, aut calida,aut frigida,aut humida, aut ſicca ſint;neceſſe eſt, vt quæcunque ad nutriendũ ſe habent,per ſe tactu percipiantur, quatenus.ſ.in ſe has qualitates continent,quarum tactus eſt iudex. Quare non ſequitur, qualitates vllas per ſe ad nutriendum ſe habere:neque qualitates vllas eſſe ſubſtantias: ſed quæ per ſe ad nutriendum ſe habent,ſubſtantias eſſe,qualitatibus præditas. Hæc deberet eſſe reſponſio, qua optimè argumentum illius,& meum item dilueretur. Sed nihilominus ſect.2.cap.11.hanc reſponſionem reprobat: nam oportebit, inquit, alimentum alia ratione ſenſibile eſſe, & alia ratione alimentum. Sed hoc, quod ipſe abſurdum exiſtimat, arbitror ego & verum, & neceſſarium eſse:nam alimentum,quatenus ſubſtantia eſt,alimentum dicitur:quatenus verò qualitatibus præditum,ſenſibile nuncupatur. Quòd autem alimentum,quatenus ſubſtantia eſt,alimentum dicatur,ex eo facilè patet;quia vera nutritio, ex primo de Generatione, eſt conuerſio alimenti in ſubſtantiam nutriti:nunc verò ſubſtantia in ſubſtantiam quidem, mutata forma,tranſmutari poteſt;at verò accidens in ſubſtantiam non item. Sed contra argumetatur Nouus Autor:nam ſi alimentum alia ratione eſt ſenſibile,& alia ratione alimentum;ſequitur,vt non habeamus ſenſum,qui per ſe alimentum percipiat,quatenus alimentum eſt. Ad hoc diſtinguendum eſt conſequens:etenim hæc propoſitio,alimentũm,quatenus alimentum eſt,duos intellectus habere poteſt:alter eſt,alimentum,quatenus alimentum, hoc eſt,cũ omnibus,ad ipſum quo quomodo pertinentibus, conſideratum:alter eſt alimentum, quatenus alimẽtum.i.ea potiſſimũ rõne.qua alit. Hac poſita diſtinctione,cõcedo, nos non habere ſenſum,qui percipiat alimentum,quatenus alimentum eſt,ſecundo modo:hoc enim non eſt neceſſarium:ſed ſat eſt,ſi habeamus ſenſum,qui percipiat alimentum,quatenus alimẽtum eſt, primo modo. Sed vrget præterea Nouus Autor; hoc enim,inqnit, eſt contra illud primum principium,naturam.ſ.in neceſsarijs non deficere, & contra totam diſputationem, quæ habetur tertio de Anima, vbi docuit Ariſt.ſenſus datos eſse animalibus ad ſalutem: oportet igitur,alimentum ea ratione alimentum eſse,qua ſenſibile eſt; atque adeo cùm ſit ſenſibile per qualitates,eſse etiam alimentum per qualitates. Ad hoc reſpondeo, cùm alimentum animalibus,ad eorum conſeruationem,datum ſit;niſi ſenſum quoque alimenti animalibus natura dediſset,fore interdum, vt illud ipſum alimentum, quod ad eorum conſeruationem datũ eſt,eorundem diſsolutionis, & interitus cauſa exiſteret: ſi enim aliqua excellenti qualitate, præſertim caliditate,aut frigiditate præditum eſset; & huiuſmodi excellentia ſenſu nõ perciperetur; tunc animal ab hac excellenti qualitate mirum in modum pateretur,ac deinceps deſtrueretur. Ideo natura in neceſſarijs non deficit,quia cũ alimenta omnia aliquibus qualitatibus prædita ſint;animalibus ſenſum donauit,quo iſtas qualitates perciperent, atque iucunda,ſibique familiaria alimenta amplecti,iniucunda verò, atq; moleſta declinare poſsẽt. Aliud ergo eſt,ſenſum tactus alimenti qualitates percipere;aliud, eundem percipere alimẽtum,quatenus alimẽtum eſt,hoc eſt ſubſtantiam alimenti:nam primum admittitur,alterum verò negatur: ac propterea hæc conſecutio non valet;alimentũ per qualitates ſenſibile eſt;ergo per eaſdem eſt alimentum, vt falsò Nouus Autor exiſtimauit.

Solutio argumenti qualis eſſe deberet.

Nouus Aut. contra hanc ſolutionem.

Reſponſio.

Noui Auto. replica.

Solutio.

Alia replica noui Auto.

Solutio.

Cur natura animalib. ſenſum donauerit.

Nota.

*Reſponſio ad tertiam, & quartam autoritatẽm.* *Cap. III.*

Explicatio 3. autoritatis. Rñſio ad rõnem noui Autoris.

TErtia autoritas,quæ ducta erat ex tertio de Anima tex.10.ſic explicanda eſt, vt nimirũ anima,ſentiente facultate,calidum,& frigidum percipiat, in quarum qualitatum temperamento, & ſymmetria,carnis eſſentia conſiſtit. Nunc ad Noui Autoris rationem reſpõdeo,cuius,maior propoſitio erat huiuſmodi:id,in cuius temperamento,carnis eſsentia conſiſtit,

ſtit, eſt ſubſtantiale. Niſi in hac propoſitione illud addatur, cui id ſubſtantiale ſit, profectò argumentum nullam habebit concludendi vim: oportet ergo dicere, illud idem eſse ſubſtantiale carni: & tunc argumentum aliquid concludere poterit. Hanc igitur maiorem propoſitionem, ita conſtructam, libenter admitto. Subdit minorem: ſed in harum qualitatum temperamẽto carnis eſsentia conſiſtit. Detur & hęc minor, quã mox explicabo. Ergo iſtę qualitates ſunt ſubſtantiales, ſupple carni. Concedo, in hoc ſenſu, id eſt, ſunt ad carnis ſubſtantiam maximè pertinentes. Sed quid hoc totum ad nos? cùm debeat Nouus Autor probare, quatuor primas qualitates eſse formas ſubſtantiales elementorum? Cæterum quod ad minorem illam propoſitionem attinet, aduertendum eſt, eſſentiam carnis non ita in earum qualitatum temperamento conſiſtere, vt nihil omninò aliud ipſa ſit, quàm primarum qualitatum temperamentum: tunc enim caro non eſſet ſubſtantia, ſed accidens: quoniam temperamentũ eſt accidens, cùm ſit temperata quædam qualitas, ex primarum qualitatum permiſtione coagmentata. Sed ita intelligendum eſt, eſſentiam carnis in earum qualitatum temperamento cõſiſtere; quia forma, atque ſubſtantia carnis determinatam qualitatum proportionem poſcit: qua poſita, conſiſtit caro: eadem verò remota, ſubſtantia quoque carnis neceſſariò perit, atq; in aliud quippiam commigrat.

**Quo intelligendum ſit, eſſentiam carnis in primarum qualitatum temperamento conſiſtere.**

Adducebatur quarta autoritas ex 4. Metheor. in principio, cuius intellectus eſt huiuſmodi. Cùm quatuor tantùm, & non plures primarum qualitatum coniugationes reperiantur, & elementa hiſce qualitatibus prædita ſint; neceſſariò elicimus, quatuor tm̃, & non plura in vniuerſo elementa reperiri: ſimul. n. iunguntur calidũ, & ſiccũ, calidũ, & humidum, frigidum, & humidum, frigidum, & ſiccũ: atq; harum coniugationũ prima competit igni, ſecunda aeri, tertia aquæ, quarta terræ. Simul autem iungi non poſſunt calidum, & frigidum, neque etiam humidum, & ſiccum; quia hæ qualitates cõtrariæ ſunt; hincque fit, vt plura elementa, quàm quatuor enumerata, eſſe non poſſint. Quatuor itaque iam dictæ coniugationes ſunt cauſæ, cur in cognitionem certi, atque determinati elementorũ numeri veniamus. Hæc eſt eius loci interpretatio.

**Explicatio 4. autoritatis.**

Nunc Noui Autoris rationem, inde erutã, expediamus. Ratio erat huiuſmodi; Iſtæ cauſæ tales profectò eſſe debent, quales requirũtur, vt ex earum numero elementorum numerus conſtituatur. Concedo. Elementorum autem numerus non eſt indiuidualis, ſed ſpecificus, & eſſentialis. Hoc etiam admitto. Ergo iſtæ qualitates ſunt differentiæ ſpecificæ elementorum. Nego hanc conſequentiam, tanquam ex præmiſſis minus rectè deductam: in argumento enim ea fallacia committitur, quæ ſecundum nõ cauſam, vt cauſam, à logicis appellatur. Concluſio autem debet eſſe huiuſmodi: ergo iſtę qualitates ſunt tales, ex quibus eſſentialis, & ſpecificus elementorum numerus eliciatur: tũc enim argumentum debitam formam haberet, & totum concedi poſset: nihil enim Latinorum ſententiæ obeſt. Aliud enim eſt dicere, quatuor primas qualitates eſse cauſas, conſtituentes illa ſimplicia corpora, quæ elementa dicuntur, quod falſum eſt; neque ex citato Ariſtotelis loco deduci poteſt: aliud verò eſt dicere, primas qualitates, variè coniugatas, eſse cauſas, cur certũ elementorum numerum habeamus, quod & verum eſt, & Ariſtoteli conſentaneum.

**Reſpõſio ad rationem noui Autoris.**

Ad cõfirmationem, ſumptam ex 2. capite primi eiuſdem operis libri, Reſpondeo, perperam Nouũ Autorem, ſicut etiam autores alios, per elementorum principia, qualitates primas, eo loco, interpretatos eſſe. Alij fortaſse minus receſserunt à vero, qui per elementorum principia, eo loco, grauitatem, & leuitatem, & eam quidem maiorem, aut minorem, intellexerunt. Sed qualeſcunque ſint huiuſmodi expoſitiones, veram eius loci interpretationem eam eſse arbitror, vt. ſ. principiorum nomine, non eſsendi quidem, nec agendi, ſed cognoſcendi tantũ principia ibi Ariſtoteles intellexerit.

**Ad confirmationem.**

**Explicatur locus Ariſt. in 2. cap. lib 3. Metheor.**

Etenim cùm quinque ſimplicia corpora in vniuerſo reperiantur, nimirum cælum, & quatuor elementa; adeſt vnum principium, quod in cęleſtis naturæ cognitionem nos ducit: adſunt etiam quatuor principia, ex quibus facilè in cognitionem quatuor elementorũ deuenire poſsumus. Principiũ, quod ducit nos in cognitionẽ naturæ cæleſtis, eſt motus in orbẽ, qui dr̃ circa mediũ: cùm. n. huiuſmodi motus ſimplex ſit, & motus ſimplex, ex primo de cælo, alicui ſimplici corpori neceſsariò tribuatur; neceſse eſt, ſi in rerum natura reperitur motus ſimplex circa medium, vt pariter in rerum natura ſimplex corpus reperiatur, quod eo motu voluatur, & illud quidem eſt cælum, grauitatis, & leuitatis expers.

**Principiũ ducẽs nos in cognitionẽ naturæ cęleſtis.**

Quatuor verò principia, quibus in elementorum cognitionem ducimur, ſunt motus à medio, & ad medium; & ij, quidem vel ſimpliciter, vel ſecundum quid. Nanque motus ad mediũ ſim-

**Pricipia, quæ ducũt nos in cognitionẽ elementorũ.**

pliciter competit terrę, quæ grauiſſima eſt: motus ad medium ſecũdum quid competit aquæ, quæ minus grauis eſt, quàm terra: motus à medio ſimpliciter competit leuiſſimo igni: motus denique à medio ſecundum quid competit aeri, qui igni leuitate cedit. Hæc igitur ſunt principia tùm cæli, tùm aliorum ſimplicium corporum, de quibus eo loco aſſerit Ariſtoteles, ſe iã ſuperiùs, hoc eſt, in libris de cælo diſputaſſe, quemadmodum vnicuique, locum illum perlegenti, ſatis perſpicuum fiet; ac propterea minimè conſentaneum eſt, ex eo loco elicere, quatuor primas qualitates eſſe principia, ſeu formas ſubſtantiales elementorum.

### *Reſponſio ad quintam autoritatem.* *Cap. IV.*

Cur Ariſ. quatuor primas qualitates vitæ, & mortis cauſas appellarit.

AD quintam autoritatem, ſumptam ex 2. lib. de Partibus animalium, c. 2. reſpondeo, Ariſtotelem ibi quatuor primas qualitates vitæ, & mortis cauſas appellaſſe; quia ab earum ſymmetria vita, ab earum autem ammetria mors pendere dicitur: ſubſtantia enim, & vita animalis determinatam qualitatum proportionem requirit: quòd ſi, alicuius excellentis qualitatis occurſu, illa proportio tollatur, diſſipari ſubſtantiam, atque tãdem ipſum animal interire neceſſe eſt.

Quatuor primæ qualitates ſunt accidentia.

Neque verò, quia quatuor principes qualitates hoc modo vitæ, & mortis cauſæ dicuntur, idcirco eas ipſas ſubſtantias appelles: accidentia enim ſunt, non tamẽ pura, ſed ſubſtantijs annexa. Etenim Medici, nomine calidi, frigidi, humidi, & ſicci, non qualitates puras; ſed eaſdem cum ſubſtantijs coniunctas intelligunt, hoc eſt, cum illis ſubſtantijs, quę paſſim humores appellantur: calidum enim, & humidum, apud eos, ſanguinem; calidum & ſiccum bilem; frigidum, & humidum pituitam; frigidum, & ſiccum melancholicum ſuccum ſignificant. Similiter per calorem innatum, non ſimplicem quidem calorem; ſed eundem, in ſpirituoſa ſubſtantia inhærentem, intelligunt. Natiuum etiam humidum non ſimplicem humorem indicat, ſed eum ipſum, cum tenui quadam ſubſtantia coniunctum.

Quatuor primæ qualitates cur elemẽtorum principia dicantur.

Appellat deinde Ariſtoteles quatuor primas qualitates elementorum principia, non quòd ex qualitatibus tanquam ex principijs, elementa conſtituantur; ſed quia elementa quatuor primis qualitatibus, tanquam principijs, & ijs quidem inſtrumentalibus, ad agendum vtuntur.

Prima rõ noui Auto. contra hanc reſponſionem.

Redarguit Nouus Autor ſect. 2. c. 11. hanc reſponſionem multipliciter. Primò quia id, quod eſt principium generandi, eſt rei ſubſtantia: ſed hæ qualitates ſunt principium generandi; igitur ſunt ſubſtantia, vel de ſubſtantia rei.

Solutio.

Reſpondeo, principium generandi duplex eſſe, alterum principale, cuiuſmodi eſt forma; & hoc vtique ſubſtantia eſt: alterum, quod vim habet afficiendi, & præparandi; & hoc quidem non ſubſtantia, ſed accidens eſt: primæ autem qualitates ſunt principium generandi, non principale, ſed quod afficiendi, ſeu præparandi vim habet. Nouus Autor multis medijs hanc reſponſionem tollere nititur, ſed hac de re loquimur inferiùs.

Secunda rõ.

Arguit ſecundò, quoniam vt habetur 2. de Anima tex. 34. vel potius 36. anima eſt forma, finis, & efficiens operationum; ergo ſi quatuor primæ qualitates ſunt principia operandi, nil aliud erunt, quàm forma.

Solutio.

Miror hinc non elicuiſſe, quatuor primas qualitates, quoniam ſunt principia operandi, iccirco aĩam eſſe: nam ita illius argm̃ concludere debuiſſet. Non inficior, quatuor primas qualitates, propterea quòd ſunt principia operãdi, idcirco eſſe formas: tñ principium operãdi duplex eſt, alterũ principale, alterũ proximũ. Principiũ operãdi principale eſt forma, & ea quidẽ ſubſtantialis. Principiũ aũt operandi proximũ eſt forma accidentalis, & huiuſmodi ſunt quatuor primæ qualitates.

Tertia ratio.

Arguit tertio, quia agẽs agit, vt patiẽs ſibi ſimile reddat: ſed ſimilitudo eſt ratione formæ; ergo quod eſt principium agendi nil aliud eſt, quàm forma.

Solutio.

Reſpondeo, ſimilitudinem, ſiue actum ipſum aſſimilandi, quem aſſimilationem appellant, eſſe vtique ratione formæ, & illius quidem, vel ſubſtantialis, vel accidentalis. Dum homo generat hominem, vel planta plantam, aſſimilatio fit in forma ſubſtantiali: dum etiam ignis generat ignem; aſſimilatio pariter fit in forma ſubſtantiali: dum verò calidum id, quod frigidum eſt, calefacit; aſſimilatio fit tantùm in forma accidentali.

Quarta ratio

Arguit quartò, nam actio non ſeparatur à forma, ergo ſi qualitates ſunt principia agendi, erunt etiam formæ.

Solutio.

Sed iã reſponſum eſt, eſſe formas accidentales.

Quinta ratio

Arguit quintò, quoniam ex 2. Phyſ. text. 7. vel potius 70. forma, & efficiens veniunt in idem ſpecie; ergo hæ qualitates non poſſunt eſſe cauſæ agendi actionem eſſentialem, quin ſint etiam formæ.

Solutio.

Eſt reſponſio communis, propoſitionem illam ſecundi Phyſ. præter multas interpretationes, quas recipit, de agente principali intelligendam eſſe, non autem de agente, ſeu efficiente inſtrumentali, cuiuſmodi ſunt qualita-

tes.

tes. Sed contra arguit dupliciter Nouus Autor. Primò, id, quod agit, vt inſtrumentum, mouet motum ex 3. de Anima, tractatu de potentia motiua: ſed iſtæ qualitates mouẽt, & agunt, tanquam primo mouentes; ergo non agunt vt inſtrumenta. Ad hoc neganda eſt minor: primæ enim qualitates agunt vt proximè mouentes, non vt primò, hoc eſt, vt præcipuè mouentes: quod enim primò, & præcipuè mouet, eſt forma ſubſtantialis: quod autem proximè tangit obiectum, in quod agitur, eſt forma accidentalis, vt qualitas. Arguit ſecundò: ſi enim forma, & ratio agendi in his qualitatibus reperitur; ergo hæ qualitates prima agentia ſunt. Ad hoc negatur antecedens: non enim omnis, & præcipua ratio agendi in his qualitatibus repetitur, ſed in forma ſubſtantiali; in ijs autem repetitur ratio agendi, quæ eſt illis propria, quæque illis competit, vt inſtrumẽta ſunt: immò hanc eandem agendi vim à forma ſubſtantiali recipiũt. Denique inde Nouus Autor elicit, quatuor primas qualitates nõ eſſe cauſas inſtrumẽtales; quia Ariſt. dum miſti generationem per qualitates definiuit, aliquam diſtinctionem, aut admonitionem adhibuiſſet, ſi qualitates inſtrumẽtales cauſas eſſe exiſtimaſſet. Ego verò ex eo vtique oppoſitum elicio: cùm enim inſtrumẽtum non niſi virtute principalis agẽtis, agere poſſit; dum Ariſt. miſti generationem per qualitates definiuit, ſignificauit, aliud quippiam ſub qualitatibus deliteſcere, à quo qualitates vim agendi recipiant: illud autem nil aliud eſt, quàm cuiuſlibet elementi ſubſtantialis forma.

Prima rõ noui Auto contra hanc ſolutionem.

Reſpõſio.

Secunda rõ.

Reſpõſio.

Malè nouus Autor ex Ariſto. elicuit, quatuor primas qualitates non eſſe cauſas inſtrumentales.

*Reſponſio ad ſextam, & ſeptimam autoritatem.* *Cap. V.*

SExta autoritas ſumpta erat ex 8. Metaph. tex. 5. in cuius fine ait Ariſt. id, quod eſt cauſa vni, cur in rerum natura conſiſtat, eſſe eius formam: locus eſt apertiſſimus, nec indiget explicatione. Huic autem propoſitioni, loco maioris aſſumptæ, addebat Nouus Autor hanc minorem: ſed caliditas eſt cauſa igni, cur in rerum natura cõſiſtat. Quæ quidem propoſitio admittenda non eſt: nam ignis in aliquo priori naturæ ſigno eſt ignis, per ſuam formam ſubſtãtialem, à qua poſtea caliditas, veluti propria quædam affectio proficiſcitur. Dum verò aiebat Nouus Autor, generationem ignis eſſe per caliditatem: illa propoſitio diſtinguenda eſt: ſi enim intelligatur, vt generatio ignis, ſupple ex igne, ſit per caliditatem, tanquam per cauſam efficiẽtem, & præparantem; in hoc ſenſu eſt vera; ſi verò intelligatur, vt ſit per caliditatem, tãquam per cauſam formalem conſtituentem; in hoc ſenſu eſt falſa. Septima autoritas ſumpta erat ex 4. Metheo. tex. vel potius c. 2. vbi miſti generationem Ariſt. affert. Explicãda ſunt verba; nam ex eorum explicatione facilè patebit, quid poſtea Noui Autoris rationibus reſpondendum ſit. Loquitur ibi Ariſt. de animalium, atque plantarum generatione, atque etiã de naturali eorundem interitu; quatenus à violẽto diſtinguitur. Deſcribens autem generationem, ait, eſſe tranſmutationem, factam ab elemẽtorum virtutibus, hoc eſt, qualitatibus: nam vt ex eorum temperata permiſtione miſti ſubſtantia oritur; ita ex illius temperiei diſſolutione ſequitur naturalis interitus, qui per marcorem, ſeu putredinem fit. Nunc ad Noui Autoris rõnes. Ad primã cùm ait, generationẽ miſti, quæ ibi definita eſt, ſubſtantialẽ eſſe; & propterea cõtrarietates, ſeu qualitates, quib. definita eſt, nõ eſſe accidẽtales; ſed ſubſtãtiales. Reſpondeo, eã non eſſe verã miſti definitionẽ, ſed deſcriptionem quãdam: in qua, abſurdum non eſt, ponere accidẽtia illa, quæ miſtum, vt ad generationem, ita ad interitum præparant. Ad ſecundam, cùm ait, generatio, eſt effectus ſubſtantialis: dimittatur nunc hæc propoſitio, quamuis diſtinctione egerit: ergo definiri dẽt per cauſas ſubſtantiales, cùm verè definitur, concedo: at verò ſi deſcribatur, accidẽtales quoque cauſas, cuiuſmodi ſunt qualitates, in ſui deſcriptione continere põt. Ad tertiam, admiſſa maiore, cùm generatio miſti verè definitur, reſpondeo ad minorem, eò potiſſimùm, quia accidentia non ſunt de eſſe ſubſtantiale miſti; nos rectè colligere, miſti generationem ibi ab Ariſt. verè definitam non eſſe, ſed deſcriptam, atque adeo qualitates, quæ eius deſcriptionem ingrediuntur, vt in miſtis, ita in elementis accidentia eſſe.

Ad ſextã autoritatem.

Quo intelligendum ſit, generationẽ ignis eſſe per caliditatem.

Ad ſeptimã autoritatem.

Deſcriptio generationis miſti.

Ad primam rationem noui Autoris.

Ad ſecundam.

Ad tertiam.

*Reſponſio ad octauam autoritatem.* *Cap. VI.*

OCtaua autoritas deducebatur ex 1. de Generatione, & interitu tex. 55. vbi hæc Ariſt. docet (vt locum illum breuiter explicemus) Quærit, ad quodnam genus cauſæ agens

Explanatio tex. 55 1. lib. de Generat. & inte.

ipſum

ipſum referri poſſit? concluditque, ad nullum aliud cauſæ genus, quàm ad efficiẽtis referendum eſſe: id quod, cæterarum cauſarum remotione, oſtẽdere nititur. Non poteſt primò, ait Ariſt. ad finem referri: quoniam agens, re ipſa, agit; finis verò metaphoricè. Nõ ad formam; quia, agẽte præſente, res fit; præſente autem forma, res non amplius fit, ſed iam eſt. Neque tertiò referri poteſt ad materiam, quia materia, quatenus materia, eſt patiens: agens verò, quatenus agens, non eſt patiens. Refertur ergo ad genus cauſæ efficientis, quæ eſt principium, vnde motus.

**Dubium.**

Quoniam verò quiſpiam dubitare poſſet, num materia ſolum, an ipſa quoque forma patiatur; nam calor ignis ab aquæ frigore pati, extinguique poteſt.

**Solutio**

Soluit hoc dubium Ariſtoteles, aitque, ignem habere calidum, hoc eſt, caliditatem in materia, & propterea ſi quid caliditas patiatur, hoc non eſt, ea ratione, qua forma eſt, ſed ea ratione, qua in materia recipitur. Nam ſi caliditas à materia ſeparata eſſet, atque ita ſeparata exiſtere poſſet, à nulla re vtique pateretur, quemadmodum ſubſtantiæ abſtractæ, vt ſunt Intelligẽtiæ, nihil patiuntur. Hæc eſt vera illius loci interpretatio: ex qua nunc patebit, quantum à veritate aberrauerit Nouus Autor, qui inde elicuit, caliditatem eſſe formam ſubſtantialẽ ignis.

**Reſpõſio ad primam rõnem noui Autoris.**

Statuit autoritatem illam, tanquam multarum rationum ſolidiſſimum fundamẽtum, & primò ita argumentatur; per formam, eo loco, dubio procul Ariſt. intelligit formam ſubſtantialem. Antequam vlterius progrediamur, hæc propoſitio neganda eſt: nam per formam eo loco totum genus cauſæ formalis Ariſt. intellexit, quod tàm ſubſtantialibus, quàm accidentalibus formis commune eſt. Dum autem probat Nouus Autor, affertque rationem, quoniam ſcilicet forma ſubſtantialis eſt finis: concedo, eam eſſe finem generationis; ſed forma accidẽtalis eſt finis alterationis, vel alterius mutationis. Dum ait, ſubſtantialem formam reſpicere materiam: admitto, eam reſpicere materiam primam, quæ eſt altera pars compoſiti: ſed & forma accidẽtalis totum compoſitum reſpicit, quod, ad accidẽs, habet rationem materiæ. Dum tandem ait, ex forma ſubſtantiali rei ſubſtantiam conſtitui. Reſpondeo, ex forma accidentali accidẽtale compoſitum effici. Non valet ergo quod dicitur; concludit Ariſt. ignem habere calidum in materia; ergo caliditatem, vt formam ſubſtantialem, concepit: concepit enim vt accidẽtalem; immò quia accidẽtia ſubſtantijs manifeſtiora ſunt, vt quæ ſenſibus obuia fiant, ideo, ad rem facilius explicandam, exemplum in accidentali forma afferre voluit.

**Verba Ariſt. haud rectè à nouo Auto. explicata.**

Ponderat ſecundò Nouus Autor verba illa, *Si autem aliqua eſſet ſeparata caliditas, hæc nihil vtique pateretur.* Comparuit Ariſt. hiſce verbis, ait ipſe, caliditatẽ, quam habet ignis in materia, Ideis, & Intelligentijs. Sed longè hoc abeſt ab Ariſt. mẽte: non. n. Ariſ[illegible]ram caliditatẽ, quam habet ignis in materia, Ideis, & Intelligentijs comparauit, ſed caliditatem illam, quæ à materia ſeparata eſſet, ſi ita ſeparata, ſeorſum conſiſtere poſſet. Ea. n. caliditas, inquit, nihil pateretur, ſicut Intelligentiæ, quę ſunt formę à materia abiunctæ, nihil patiuntur: quod argumento eſt, ſi quid patitur, dum eſt in materia, id pati, non vt forma eſt, ſed ratione materiæ.

**Ad ſecũdam rationem.**

Ad eius autem argumentum, dum arguit, ignis idealis eſt ſubſtantia. Hanc propoſitionem modò dimittamus. Sed Ariſt. ponit caliditatem pro igne ideali. Hìc eſt ęquiuocatio: aliud. n. eſt, loqui de igne, & aliud eſt, loqui de caliditate. Ariſt. non poſuit caliditatem pro igne ideali: ſed dixit, ſi caliditas à materia abiuncta eſſet; tunc illa veluti abſtracta quædam Intelligẽtia, vel etiam Idea iudicaretur. Iam verò ſicut ignis idealis eſt ſubſtantia, ita caliditas idealis eſt accidens: quare non licet concludere, ergo caliditas eſt ſubſtantia ignis.

**Ad tertiam.**

Ad tertium, dum ait, Intelligentiæ ſunt formæ ſubſtantiales ſeparatæ: Concedo. Sed caliditas comparatur Intelligentijs, à quibus hoc ſolo differt, quia eſt in materia. Hic hallucinatur: nam caliditas non comparatur Intelligentijs, quatenus eſt in materia; ſed quatenus quis cogitatione fingere poſſet, eam eſſe à materia ſeiunctam. Et comparatio in hoc conſiſtit; quia ſicut Intelligentiæ nihil patiuntur; ita caliditas, ſi ſeparata eſſet, nihil pateretur: non ideo tamen inferre licet, Intelligentiæ ſunt formæ ſubſtantiales; ergo caliditas eſt forma ſubſtantialis.

**Ad quartam.**

Ponderat quarto illa verba Ariſt. *materia autem, ſecundum quod materia paſſiuum.* loquitur ibi, ait ipſe, de materia prima, per ſe, & abſque vlla forma conſiderata; alioquin ſi haberet coniunctã formã, haberet coniunctũ aliquod actiuũ. Hic ẽt Nouus Autor oſcitans hallucinatus eſt, quin potius ex ijs verbis elicimus, Ariſt. locutũ eſſe de materia, quatenus formã coniunctã hẽt; ideo. n. dixit, *ſecundũ quod materia.* vt ſignificaret, ſi quid eſt in coniũcto ex materia, & forma, quod patiatur, id habere non à forma, ſed à materia, quatenus materia eſt. Dum ergo concludit Ari-

ſtot.

ſtot. ignem habere calidum in materia, per ignem, intellexit totum compoſitum ſubſtantiale, ex prima materia, & forma ignis ſubſtantiali conſtitutum, à quo poſtea caliditas, tanquam affectio fluit: quæ quidem caliditas non patitur in igne, ratione formæ, à qua fluit, ſed ratione materiæ, quatenus materia eſt. Ad quintum, dum arguit, paſſio eſt propter materiam, & actio propter formam; Concedo, ſi ad hæc addat, vel ſubſtantialem, vel accidentalē. Sed igni tribuuntur actio, & paſſio, quia habet caliditatem in materia; Id etiam concedo. Ergo caliditas eſt forma in materia: Veriſſima propoſitio, ſi formæ nomine, accidētalis intelligatur. Ad poſtremum neganda eſt conſecutio. Ad probationem reſpondendum, ignem habere caliditatem in compoſito, quod, vt diximus, ad accidens habet rationem materiæ: illam autem caliditatem, dum aliquid à contrario patitur, pati quidem, non ratione formæ, ſed ratione materiæ, de qua ibi Ariſt. loquitur. Ad quintam. Ad ſextam.

*Reſponſio ad nonam, & decimam autoritatem. Cap. VII.*

AFferebatur nona autoritas ex 1. Phyſ. text. 54. vbi Ariſt. ex veterum philoſophorum opinionibus illam minus fallacem exiſtimauit, quæ ſtatuit, materiale principium non eſſe aliquod ex elementis, ſed medium quiddam, quoniam elementa contrarietatibus prędita ſunt. Ex hoc loco Nouus Autor argumētum elicuit, quo quatuor primas qualitates, quæ ſunt primæ contrarietates, nequaquā elementis accidētales, ſed omninò ſubſtantiales eſſe cōcluſit. Hoc argumētum, ſi prorſus illi cōceſſerimus, nihil planè erit, quod ſnīæ noſtræ officiat: iam. n. ſupra ſatis commodè explicatum eſt, quatuor primas qualitates elemētis ſubſtantiales eſſe, hoc eſt, ad eorum naturas, atque ſubſtantias maximè pertinentes, eo modo, quo propria cuiuſque rei affectio ſuo ſubiecto ſubſtantialis dicitur: inde tñ inferre non licet, ſunt ſubſtantiales; ergo ſunt de eſſentia, vel de ſubſtantia, vel etiam formæ ſubſtantiales, ob'eam rationem, quam ſupra tetigimus. Addebatur decima autoritas ex 1. de Generatione tex. 18. vbi ait Ariſt. ignem, & terram calido, & frigido, tanquam differentijs differre: tunc arguebat Nouus Autor, ſi ignis, & terra calido, & frigido differunt; ergo caliditas, & frigiditas ſunt eorum ſubſtantiales formæ. Huic autoritati ſimul, & rationi reſpondeo cum D. Thoma, in illius contex. cōmentario, qui ait, cùm ſubſtantiales rerum differentię nobis ignotæ ſint, & manifeſtari debeant; nullam vnquam ipſarum cognitionem habituros nos eſſe, niſi eædem accidentalibus differentijs notæ fierent: ideo quàm ſæpiſſimè accidentalibus differentijs loco ſubſtantialiū, vti cogimur, vt in eo textu Ariſt. fecit: qui calorem, & frigus ſubſtantiales ignis, & terræ differentias appellauit: non quòd tales reuera ſint, ſed quia ſunt proximi effectus, à formis ſubſtantialibus emanantes, atque etiam propriùs ſubſtantiales differentias explicantes. In hoc autem quàm plurimos ratio fefellit, qui cùm vidiſſent, Ariſt. interdū primas qualitates elemētorum differentias appellaſſe, exiſtimarunt, eas ipſas qualitates re vera ſubſtantiales elemētorum differentias eſſe, cùm tamen potius earundem notæ quædam, atque indicia dicantur. Sed reſponſioni S. Thomæ addi illud poſſet, conſecutionem hanc minimè valere, elemēta qualitatibus differunt; ergo qualitates ſunt differētiæ eſſentiales, vel formæ ſubſtantiales elemētorum: in antecedente. n. hæc eſſet particula adijcienda. ſ. *Primò*, & tunc argumentum rectè concluderet. Nunc autem elemēta non differunt qualitatibus primo, ſed ſubſtantialibus differentijs, quæ nobis ignotæ ſunt, innoteſcunt autem per qualitates, ab illis emanantes. Sic etiam fel, & mel quanuis amaritudine, atque dulcedine differunt; tamen quia hiſce qualitatibus non differunt primò, ideo has qualitates eorum ſubſtantiales formas, vel differentias non appellabimus. Qui autem, præter qualitates, quæ differentiæ ſunt, ſenſibus *manifeſtæ*, alias differentias aut in elemētis, aut in miſtis, quæ ſenſibus incompertæ ſunt, intellectu aſſequi non poſſunt, ad philoſophandum ineptiſſimi iudicantur.

Ad nonā autoritatem. Addecimam autoritatem. Reſpōſio S. Thomæ. Multorū hallucinatio. Rñſio Autoris. Elemēta nō differūt qualitatibus primò, ſed ſubſtantialib formis.

*Reſponſio ad vndecimam, & duodecimam autoritatem. Cap. VIII.*

VNdecima autoritas ſumpta erat ex 1. Metheor. ca. 4. vbi Ariſt. docet, totam molē ſublunarium corporum eſſe veluti materiam, quæ aut motu, aut quiete interueniēte, qualitates à Cælo recipit. Ex hoc loco ſic arguebat Nouus Autor, materia per ſuam potētiam, ſe habet ad formam ſubſtantialem, & illam proximè reſpicit. Admittatur hæc propoſitio. Addebat minorem, ſed materia ſe habet ad iſtas qualitates, per ſuam potentiam. Deeſt in Ad vndecimam autoritatem.

hac propoſitione particula, maximè neceſſaria, quæ in maiore poſita eſt; alioquin argumentum nihil concluderet: ea autem eſt, *& illam proximè reſpicit*, ſuppreſſit autem Nouus Autor hæc verba; quia cognouit, propoſitionem eſſe falſam: nam materia proxime reſpicit formam ſubſtantialem, non tamen proximè reſpicit illas qualitates; quanuis illæ inſint, ſeu recipiantur in toto ſubſtantiali compoſito, ratione materiæ.

Ad duodecimam autoritatem.

Duodecima autoritas eliciebatur ex 2. de Gen. tex. 24. vbi docet Ariſtoteles, elementa eſſe apta inuicem tranſmutari; quia generatio eſt ex contrarijs, & in contraria: & elementa inter ſe contraria ſunt; quoniam contrarias differentias habent. Arguebat Nouus Autor; mutatio ſecundum differentias non ſpecificas non facit mutationem ſubſtantiæ. Veriſſima eſt hæc propoſitio. Sed mutatio ſecundum differentias, quas dicit philoſophus, facit mutationē ſubſtantię. Hæc propoſitio eſt falſa, in quo ipſo tota difficultas poſita eſt: non. n. ait philoſophus ſubſtātialē elementorū mutationē fieri ſm qualitates, quibus differunt: ſed docet, in elementis ſubſtantialē mutationem fieri poſſe; quoniam contraria ſunt: inde autem elicuit, contraria eſſe; quoniam qualitatibus, tanquam manifeſtis differentijs differunt. Non igitur qualitates cenſendæ ſunt differentiæ ſubſtantiales; ſed eæ ipſæ, quæ contrariæ ſunt, indicant, ſubſtantiales differentias, formaſque diuerſas.

Speculare hic diligenter.

Ad cōfirmationem.

Confirmabat ſuam rationem ex tex. 25. eiuſdem libri, vbi, poſtquam Ariſtoteles docuit, elementa inuicem tranſmutabilia eſſe, cùm vellet oſtendere, quæ nam procliuiùs, atque faciliùs inuicem tranſmutentur, illa, ait, eſſe, quæ in vna qualitate conueniunt, vt aer, & ignis: ſi enim ſiccitas ab humiditate vincatur, ex igne aer fiet. Arguit Nouus Autor, ſi aer eſt per humiditatem; ergo humiditas eſt forma ſubſtantialis aeris. Explicabimus primùm autoritatem Ariſtotelis, mox eius rationem diluemus. Autoritas Ariſtotelis non eget longa explicatione, cùm ipſa per ſe clara ſit; cùm enim omnem ſubſtantialem generationem alteratio aliqua neceſſariò antecedat; ſi aer ex igne fieri debeat, neceſſe eſt, vt materia certis quibuſdam affectionibus, ad formam ignis abijciendam, & ad formam aeris accipiendam, præparetur. Quia verò ſiccitas qualitas eſt, aeri contraria; idcirco opus eſt, vt cum humiditate pugnet, à qua ſi ſuperabitur, facilè ignis in aerem conuertetur. Cùm autem ignis caliditate quoque præditus ſit, qua etiam qualitate, quanuis ſpecie diuerſa, gaudet aer; non ita difficile erit, caliditatem ignis in aeris caliditatem commutare, ſicut frigiditatem terræ, aut aquæ: ideo dixit Ariſtoteles, in elementis, ſymbolum habentibus faciliorem tranſitum eſſe. Nunc ad rationem Noui Autoris admittimus, aerem eſſe quidem per humiditatem; non tamen primò, &, vt Scholæ inquiunt, formaliter: eſt enim primò per ſuam formam ſubſtantialem, quam poſtea humiditas, tanquam eius propria affectio, conſequitur: ideo rectè concludi non poteſt, humiditatem eſſe formam ſubſtantialem aeris.

Cur in elemētis ſymbolū habentib facilior ſit tranſitus.

Nota.

*Reſponſio ad decimamtertiam autoritatem* *Cap. IX.*

DEcimatertia autoritas eliciebatur ex eodem 2. lib. de Gener. & interitu, text. 49. vbi ait Ariſtoteles, ignem, & terram contraria eſſe, vt contingit, ſubſtantiam ſubſtantiæ eſſe cōtrariam. Loquitur ibi, ait Nouus Autor, de contrarietate ſubſtantiali, quod ita probat. Contrarietas in elementis requiritur, quatenus ſimul miſcentur. Hæc propoſitio ſine aliqua explicatione admittenda non eſt: ſi enim illa particula, quatenus, ſit nota alicuius conduplicationis, propoſitio eſt falſa; nam etiamſi elementa non miſceantur, habent nihilominus qualitates contrarias: Sin autem illa particula, quatenus, deſignet qualitates contrarias, quibus elementa, quæ miſcentur, prædita ſunt; in hoc ſenſu propoſitio veriſſima eſt. Minor erat hæc; ſed elementa ſimul miſcentur, quatenus ſubſtantiæ ſunt. Hæc etiam propoſitio vera eſt, ſi illa particula, quatenus, elementorum ſubſtantias exprimat, vel, vt aiunt, ſpecificet: at verò ſi ita ſpecificet, vt eas à qualitatibus abſcindat, quaſi qualitates inuicem, vnà cum ſubſtātijs non miſceantur; in hoc ſenſu propoſitio eſt falſa: nam elementa ſimul miſcentur, quatenus ſubſtantiæ, qualitatibus præditæ; propterea non ſequitur, contrarietatem inter elementa requiri, quatenus ſubſtantiæ ſunt, reduplicatiuè, vt dicūt Scholæ, ſed quatenus ſubſtantiæ ſunt, qualitatibus affectæ. Neque verò illa Ariſtotelis verba, *Vt contingit, ſubſtantiam ſubſtantiæ contrariam eſſe*, quicquam roboris habent, ad Noui Autoris rationem firmandam, ſi rectè intelligantur: verus enim eorum ſenſus non ille eſt, quem eis ipſe aſcripſit, vt ſcilicet Ariſtoteles docere voluerit, ſubſtantiam eſſe cōtrariam ſubſtantiæ, non ſecūdum materiam, ſed

Expende hāc propoſitionem.

Elementa ſimul miſcent nō quatenus ſiplicitet ſubſtantiæ ſunt; ſed quatenus ſunt ſubſtantiæ qualitatibus prædię.

Explanat lócus Ariſto. in 2. de Gener. & int. tex. 49

ſecundum formam;ſed ab eo longè diuerſus. Dixit Ariſtoteles, inter elementa contrarietatẽ eſſe,cùm tamen optimè nouerit,elementa ſubſtantias eſſe:& quoniam in prædicamentis abſolutè aſſeruit,ſubſtantiæ nihil eſſe contrarium ;ita vt huiuſmodi proprietas toti ſubſtantiæ generi conueniat,prout potiſſimum à qualitate diſtinguitur, ut ſupra à nobis cumulatè demonſtratum eſt;idcirco attendens Ariſtoteles hanc quaſi contradictionem , ea verba protulit, *Vt contingit, ſubſtantiam ſubſtantia contrariam eſſe*,ac ſi dixiſſet,elementa, quæ ſubſtantiæ ſunt,non ſimpliciter quidem;& abſolutè, quatenus ſubſtantiæ ſunt , contraria dicuntur; quia certum eſt,ſubſtantiæ nihil contrarium eſſe:ſed eo modo contraria ſunt, quo ſubſtantiã ſubſtantiæ contrariam eſſe contingit. Nunc autem vna ſubſtantia non eſt alteri ſubſtantiæ contraria,ratione ſubſtantiæ,ſed ratione qualitatis. Elementa itaque inter ſe contraria ſunt, non ratione ſubſtantiæ,ſed quatenus qualitatibus afficiuntur , quemadmodum etiam ſupra ex Simplicio,atque Ammonio pateſecimus.

Quõ contingat, ſubſtantiam ſubſtantiæ contrariã eſſe.

*Reſponſio ad decimamquartam autoritatem.* *Cap. X.*

DEcimaquarta autoritas deducebatur ex 2.de Gener.& inter.tex.6.quæ magni à Nouo Autore æſtimatur . Nos autem primùm paucis textum illum explicabimus: mox,quid ad difficultatem reſpondendum ſit , dilucidè patebit . Loquitur ibi Ariſtoteles de primo principio, ex quo res ſenſibiles conſtituuntur . Cùm autem aliorum philoſophorum opiniones reiecißet,ſuo,vt dicitur,Marte; hoc primum principium primam eſſe materiam ſtatuit; quæ tamen à contrarietate ſeiuncta nõ eſt,vt in Phyſicis pateſecit:vbi,eam ſemper aliquam formam coniunctam habere,atque rurſus eidem ſemper alicuius formæ priuationem annexam eſſe,apertiſſimè docuit. Ex hac igitur materia ipſa quoque elementa conſtituũtur; vt intelligamus,elementa abſolutè pro principijs accipienda non eſſe,cùm ipſa etiam principijs conſtent . Porrò materia prima,quamuis ſemper cum contrarietate eſt ; tertium tamen quippiam,à contrarijs diſtinctum,appellatur,atque eorum ſubiectum exiſtit:neque enim album ex nigro fit,neque calori ſubijcitur frigus; ſed aliquod tertium eſt , quod ea ipſa ſucceſſione recipit. Sic materia,quamuis ſemper tùm formam,tùm priuationem annexam habeat, nihilominus ab illis diſtincta eſt,cùm ſit ſubiectum,à quo illa principia contraria mutuò ſe expellunt. Hæc cum ita ſe habeant,haud difficile eſt,ordinem inuenire,quo res ſenſibiles procreantur,vel à principijs pendent. Omnium origine primum eſt materia:hanc ſequuntur primæ contrarietates,hoc eſt formę ſubſtantiales elementorum,contrarietatibus deſignatę: ex quibus poſtea,vnà cum materia,elementa conſtituuntur , ex quorum denique permiſtione miſta corpora generantur. Inuicem enim elementa,contrarijs qualitatibus prędita, tranſmutantur:quoniam niſi eorum qualitates inuicem mutarentur, vt Empedocles exiſtimabat;nulla eſſet alteratio,atque adeo ne generatio quidem,ad quam alteratio ipſa , vt ad finem dirigitur. Hæc breuis eſt illius contextus explanatio. Nouus autem Autor ex prioribus verbis eiuſdem contextus elicuit,ſermonem ibi Ariſtoteli eſſe de contrarietate,dante exiſtentiã materiæ,quæ eſt contrarietas generans,& ſubſtantialis,poſitiua,& formæ ad formam;atque adeò,cùm ex ipſa contrarietate elementa generentur,ipſaſmet qualitates contrarias ſubſtantiales eſſe elementorum formas. At verò ex ijs verbis nihil profectò elicere poteſt , quod ad id,quod vult,quadret:etenim contrarietas,de qua ibi Ariſtoteles loquitur, ſubſtantialis quidem eſt;non tamen poſitiua,ſed priuatiua:non formæ ad formam, ſed priuationis ad formã. Cum enim illa eadem contrarietas ſit,de qua tùm 1. Phyſ.tùm etiam 3.& 4.lib.de Cęlo diſputauit,vnicuique,eos libros perlegenti,manifeſtum eſt, ibi Ariſtotelem de ea contrarietate locutum eſſe,quę eſt inter priuationem,& formam , cuius quidem contrarietatis ſubiectũ materia prima ſtatuitur. Si quę igitur ſunt,quę in eo textu difficultatem pariãt,ſunt ea verba,*ſecundum autem primæ contrarietates*. Si enim id,quod proximè,ante elementorum conſtitutionem,materiam ſequitur,ſunt quatuor primę qualitates;ergo eę ipſę ſubſtantiales elementorum formę eſſe videntur. Cui quidem loco, abſque vlla contorſione,aut effugio,reſpõdent Latini, Ariſtotelem,per contrarietates,ſubſtantiales elementorum formas intellexiſſe; & eas quidem latentes,atque occultas:quas,quoniam nomine carent,idcirco primis qualitãtibus,tanquam propriis affectionibus,deſignauit. Neque verò id mirum cuiquam videri debet,qui in Ariſtotelis ſenſis percipiendis exercitatus eſt. Etenim vt 4.lib.de Cęlo,vbi de quã

Explanatio text.6. lib 2. de Gener. & inter.

Elementa nõ ſunt prima principia, cũ ipſa quoque principijs cõſtent.

Materia prima eſt ſubiectum principiorum contrariorum

Ordo , quo res ſenſibiles à pricipijs perficiuntur.

Error Empedoclis.

Noui Autoris ratio.

Solutio.

Verba , quæ in prædicto textu difficultatem faciũt.

Difficultatis explicatio

Nota hoc diligenter.

tuor elementis, in ordine ad Mundi conſtitutionem, diſputauit, eorum formas grauitate, & leuitate circunſcripſit, quatenus qualitates quædam ſunt, quibus ea ipſa ad propria loca in vniuerſo mouentur, ita 2. lib. de Gener. & inter. vbi de elemẽtis, in ordine ad miſta, diſſeruit, eorum formas alteratricibus qualitatibus ſignificauit, quibus ipſa alterationem inuicem patiũtur, atque tandem varia eorum permiſtione, miſta corpora procreantur. Hæc cuicunq; intellectui, non proteruo quidem, ſed ad veritatem capeſſendam prompto, atque parato, pro illius loci, atque difficultatis explicatione, ſatis eſſe debebunt.

### *Reſponſio ad tres poſtremas autoritates.* *Cap. XI.*

Ad decimam quintam autoritatem.

Explanatio text. 7. lib. 2. de Generat.

DEcima quinta autoritas ſumpta erat ex 2. de Generat. tex. 7. cuius quidem intellectus huiuſmodi eſt. Cùm iam ſuperius materiale elementorum principium Ariſt. inueniſſet; atq; ea inſuper oſtendiſſet, quæ ad elemẽta, quatenus prima corpora ſunt, cõſtituẽda concurrunt, quæ quidem ſunt materia, & ſubſtantialis forma, quam qualitatis nomine deſignauit; cùm occulta, & innominata illa ſit, in eo textu de eorundem formali principio diſſerit, quod ipſa quidem non in eſſe ſimplicium, ſed in eſſe ſenſibilium corporũ conſtituit: ideo ait, *Quoniam igitur quærimus ſenſibilis corporis principia.* Hæc autem principia dicit eſſe contrarietates, non quidem omnes, ſed eas tantùm, quæ ſub tactum cadunt: quoniam neque albedo, neq; nigredo, neque dulcedo, neq; amaritudo, neque aliud contrarietatis genus elemẽtum facit, hoc eſt ſimplex corpus primò ſenſibile reddit; ſed eæ tantum contrarietates, quæ tactu percipiũtur. Explicata iam Ariſt. autoritate, manifeſtum eſt, Noui Autoris rationes inde ſumptas, nihil concludere.

Ad rationes noui Auto.

Primò concedendum eſt, Ariſt. ibi de poſitiua contrarietate, quæ eſt formæ ad formam, locutum eſſe; quoniam locutus eſt de contrarietate, quæ eſt inter qualitates. Cùm verò ait; ergo illæ contrarietates tanquam formæ ſtatuuntur. Si accidentales intelligat, concedimus; ſi ſubſtantiales, negamus. Vel etiam dicendum eſt, cõtrarietates, ſeu potius qualitates ibi tanquam formas ab Ariſt. ſtatui, quibus elemẽta conſtituuntur, non quidem quo ad eſſe ſubſtantiale: (nam de ijs formis iam in præcedente contex. locutus eſt) ſed quoad eſſe sẽſibile.

Elemẽta qualitatibus cõſtituũtur, nõ vt ſimplicia corpora, ſed vt ſenſibilia ſunt.

Sicut. n. alia ſunt principia hominis, & hominis albi, ita alia ſunt principia ignis, & ignis calidi. Ignis, vt ignis, conſtituitur ex materia, & forma ſubſtantiali innominata: ignis verò, vt calidus, conſtituitur ex toto compoſito ſubſtantiali ignis, & caliditate, ab eius forma fluente. Et in hoc ſenſu qualitates primæ non ſolùm ſunt eſſentiales elemẽtis, verùm etiam de eorum eſſentia: quòd ſi Nouus Autor nil aliud contendat, id ei libentiſſimè concedatur.

Ad decimam ſextam autoritatem.

Decima ſexta autoritas, ſumpta ex eodem lib. tex. 6. iam paulò antè explicata eſt: nam nomine ſecundi principij, non intellexit re vera Ariſt. qualitates primas, ſed formas ſubſtantiales, qualitatibus deſignatas. Cùm verò ex eodem contex. & ex 1. de Generatio. elicit, materiam nunquam eſſe ſine contrarietatibus, quibus tranſmutatio fit. Concedo, materiã habere ſemper ſubſtantialem formam coniunctam, ac deinceps qualitates, ex quarum mutua actione, & paſſione, elemẽtis primùm alteratio accidit, ac demum vnius in alterum ſubſtantialis mutatio.

Ad decimam ſeptimam autoritatem.

Poſtrema autoritas elicicbatur ex 2. de Generat. tex. 16. quæ certè parui momenti eſt: non. n. ibi Ariſt. primas qualitates elemẽta vocauit, vt Nouus Autor exiſtimauit, ſed ex quadruplici vera primarum qualitatum combinatione, quatuor tantùm, nec plura, nec pauciora eſſe elementa, elicuit. Nũc ad eius rationem veniamus. Elementum, inquit, eſt id, ex quo res primò fit, & in quod vltimum abit. Dimittatur hæc propoſitio. Ergo ex his qualitatibus ſimplicia corpora fiunt, & in eaſdem tandem diſſoluuntur. Hæc conſecutio nulla eſt: peccat enim ex falſa poſitione: nam ponit, qualitates eſſe elementa, ex quibus quatuor ſimplicia corpora, terra, aqua, aer, & ignis conſtituuntur, quod tamen falſum eſt.

### *Reſponſio ad primam rationem Noui Autoris.* *Cap. XII.*

EXplicatis iam omnibus Ariſtot. autoritatibus, ſoluendæ ſunt modò duæ illæ rationes; quas Nouus Autor, demonſtrationes eſſe, exiſtimauit. Prima erat, quia cùm elemẽtorum formæ diſſolubiles ſint; neceſſe eſt, eas inuicem contrarias eſſe, vt patet per tex. 47. primi Phyſ. & 50. primi libri de Generatione: & propterea quatuor primæ qualitates, quæ contrariæ ſunt, ſubſtantiales elemẽtorum formæ dicentur. Pro huius rationis ſolutione, Ariſtot. primùm locos explicabo, deinde verò ad formam argumentationis reſpondebo. Quod attinet

net ad tex.50.primi libri de Generat.loquitur ibi Ariſt.de ea contrarietate, quæ inter agẽs, & patiens neceſſariò requiritur: cùm enim agens,dum agit, eò tendat, vt patiens ſibi ſimile reddat;opus eſt ſanè,vt illud initio ei diſſimile,atque contrarium ſit; alioquin agentis actionem recipere non poſſet:non enim calidum ab æquè calido, neque frigidum, ab æquè frigido patitur. Quare locus ille ad rem noſtram nihil omninò pertinere videtur. In textu verò 47.primi libri Phyſicorum,de ea contrarietate Ariſt.loquitur,quæ inter rerum naturalium principia reperitur,quam quidem contrarietatem,nemo eſt, qui neſciat, priuatiuam eſſe:nã ſuperiùs,omnium philoſophorũ ſnĩa,ſtatuerat,principia debere eſſe contraria. Per principia verò contraria,ipſemet,ſecundum propriam ſententiam,formam,& priuationem intellexit; quæ certè priuatiua, non item poſitiua contrarietate opponuntur: ideo dixit, ex immuſico muſicum fieri:& per immuſicum,intellexit ſubiectum,habens priuationem muſicæ,cum habilitate ad illam recipiendam,vt hoc exemplo,in accidentibus,tanquam in manifeſtioribus rebus adducto,id ipſum quoque in ſubſtantijs fieri intelligeremus. Nam & carnem ex non carne fieri dicimus,& per non carnem,intelligimus ſubiectum,carens forma carnis,cũ proxima affectione,& habilitate ad illam recipiendam,quale ſubiectum eſt ſanguis:propterea dixit Ariſt.generationem ex contrarijs fieri. Id,quod etiam in primo de Gener.tex.51.affirmauit:cùm enim alterationem ex contrarijs,contrarietate poſitiua,fieri docuiſſet: intulit etiam generationem,quæ exterior alterationis terminus eſt ex contrarijs fieri,ſupple contrarietate priuatiua. Declaratis hiſce Ariſt.locis,ad primam Noui Autoris rationem dupliciter reſpondeo. Primam reſponſionem elicio ex eodem 47.contex.primi libri Phyſ.quem ipſe pro ſemetipſo citauit. Dum itaque arguit,ſi formæ elementorum non ſunt contrariæ; tunc illæ ſunt indiſſolubiles. Reſpondeo,ſi elemẽtorum formæ nullam omnino nec poſitiuam,nec priuatiuam contrarietatem habeant;tunc verè ſequi,illas eſſe indiſſolubiles. At verò omni penitus contrarietate non carent:& ſi enim careant contrarietate poſitiua;habent tamen contrarietatem priuatiuam,atque iſta ad earum interitum ſatis eſt. Alteram reſponſionem elicio ex contex.51.libri primi de Ortu,& interitu:& vt ad formam argumenti reſpondeamus, dũ arguit,ſi formæ elemẽtorum non ſunt contrariæ;tunc illæ ſunt indiſſolubiles. Admitto hanc totam propoſitionem,& reddo etiam rationem: quoniam cùm interitus abſque alteratione præcedente fieri nequeat, niſi elemẽtorum formæ contrariæ ſint, tunc nullam alterationem perpeti,atque adeo nec interire, hoc eſt, à materia recedere poſſe. quia interitus (vt aliàs docuimus)propriè compoſito competit:forma verò propriè dicitur deſinere eſſe in materia, vel ab eadem recedere. Iam verò contrariæ ſunt elemẽtorum formæ, & contrarietate quidẽ poſitiua:non ea tamẽ ratione,qua formæ atque ſubſtantiæ ſunt,ſed ea ratione,qua ſunt qualitatibus prædítæ:hoc enim modo inuicem agunt,& patiuntur:propterea ignis non vt ignis, ſed vt calidus agit,vt ſupra ex Ariſtotele lib.de Senſu,& ſenſibili,capite de odore,& ſapore, docuimus. Elemẽta itaque alterationem primùm patiuntur, quatenus hac poſitiua contrarietate,ratione qualitatum,prædita ſunt:deinde verò in vltimo alterationis termino,quatenùs ſubſtantiæ ſunt, & quatenus priuatiuam contrarietatem habent, abolentur tandem,& diſſoluuntur.

Tex.50. 1.li. de Gen.à nouo Autore citatus nihil ad rem facit.

Explanatio tex.47.lib.1. Phyſic.

Soluitur 1ò noui Auto. Prima reſpõſio.

Reſpõſio altera.

Compoſitũ verò interit, & diſſoluitur forma verò propriè deſinit eſſe in materia.

## *Reſponſio ad alteram Noui Autoris rationem.* *Cap. XIII.*

AD alteram rationem facilis eſt reſponſio. dum arguebat, ſi forma, & priuatio ſunt principia rerum naturalium;oportet,primas formas ſubſtantiales, quæ ſunt in natura,eſſe contrarias. Si de priuatiua contrarietate id intelligat, concedo: ſi verò de poſitiua, vt intelligere videtur,nego. Ad primam probationem, patet vnicuique argumẽtum illud concludere de contrarietate priuatiua,quoniam illa eſt contrarietas,quam in rerum naturalium principijs Ariſt.ſtatuit. Ad alteram probationem,dum primò ponit,priuationem exiſtere debere. De hoc modò nihil. Non poteſt vi propria exiſtere. Verum hoc eſt. Debet igitur aut à materia,aut à forma exiſtentiam accipere. Hoc pariter admittatur. Non accipit exiſtentiã à materia, quia materia, per ſe,caret exiſtentia. Id tanquam falſum reijcimus,vt aliàs probauimus. Hoc autem fundamẽto ſublato,totum eius ædificium ruit,quo ponit,priuationem à forma exiſtentiam accipere:nos enim dicimus, accipere exiſtentiam à materia, cum qua vnum numero,ſiue ſubiecto eſt. Sed nihilominus ad formam eius argumenti reſpondeamus.

In formis ſubſtãtialib[9] reperiri põt contrarietas priuatiua,nõ aũt poſitiua.

Priuatio accipit exiſtẽtiã à materia cũ qua vnum numero eſt.

Reſpõſio ad formã argumenti.

Argumentum erat huiuſmodi. Quæcunque verè extremè in eodem genere diſtant, illa contraria ſunt. Concedo. Sed formæ elementorum verè extremè in eodem genere diſtant. Hæc minor diſtingui poſſet; ſed tamen ipſa quoque dimittatur. Ergo elementorum formæ inter ſe contrariæ ſunt. Hæc concluſio ex præmiſſis minus rectè deducitur; particulam enim continet, quæ in maiori propoſitione non reperitur, nimirum, *Inter ſe*. Debet autem eſſe huiuſmodi; ergo formæ elementorum ſunt contrariæ, ſuis nimirum priuationib. contrarietate videlicet priuatiua; & tunc concluſio veriſſima erit: forma enim vnius elementi, & eius priuatio ea ſunt, quæ verè extremè in genere ſubſtantiæ diſtant; non autem formæ elementorum inter ſe. Dum verò probat, quia priuatio in ſui conceptu carentiam includit, quæ non niſi cum altero extremorum, hoc eſt cum oppoſita forma reperitur; quia ſecundum Ariſtotelem 2. Phyſ. tex. 15. priuatio eſt quodammodo forma. Reſpondeo, priuationem eſſe quodammodo formam, quia ſemper eſt cum aliqua forma, ratione cuius materia habilitatem ad oppoſitam formam recipiendam habere dicitur. Exempli gratia, cùm materia formã ſanguinis habet, illi formæ priuatio formę carnis annexa eſt: & materia, forma ſanguinis prędita, facilè formam carnis recipere poteſt. Iam verò forma ſanguinis, & forma carnis oppoſitæ, atque contrariæ formæ dicuntur, non contrarietate quidem poſitiua, ſed priuatiua; quia ſi forma carnis in materia recipi debeat, opus eſt, vt materia forma ſanguinis deſtituta maneat: non enim ſimul duæ formæ ſubſtantiales in eadem portione materiæ reperiri poſſunt, ſecus in eodem compoſito viuente, de quo aliàs. Denique ad locum Auerrois 2. Phyſ. text. 15. vbi dicebat, priuationem, quæ eſt in materia, à primis contrarietatibus, quæ ſunt quatuor qualitates non ſeparari, reſpondendum eſt, ibi Auerroem docere voluiſſe, materiam primã, quæ eſt ſubiectum rerum generabilium, & diſſolubilium, ſemper in ſe aliquam primam contrarietatem continere; quia nunquam primis qualitatibus deſtituta eſt: nanque ſi ab ea remoueatur frigiditas, in eandem introducetur caliditas, atque contra: ſi etiam remoueatur ſiccitas, introducetur humiditas, & item contra: ideò materia nunquam primis qualitatibus nudata eſt. Hoc autem dixit Auerroes ad differentiam contrarietatum, quæ in cæteris qualitatibus reperiuntur: non enim neceſſe eſt, vt in materia ſint odores, ſapores, aut aliæ qualitates huiuſmodi. Sed quid hæc ad rem noſtram? Sunt qualitates in materia, non tanquam in ſubiecto proximo: (id enim eſt totum compoſitum ſubſtantiale) ſed tanquam in ſubiecto præcipuo: nam materia eſt id, ratione cuius totum ſubſtantiale compoſitum qualitates in ſe recipit: erunt ne igitur qualitates, eam ob rem, formæ ſubſtantiales elementorum?

Ad cõfirmationẽ ex Ariſtot.

Priuatio cur dicatur quodàmodo forma.

Ad cõfirmationẽ ex Auerroe.

Qualitates ſunt in materia, non tanquam in ſubiecto pximo, ſed tanquam in ſubſtantia præcipua.

## PARS QVINTA,

### IN QVA NONNVLLA LATINORVM DICTA AD HANC diſputationem attinentia, à Noui Autoris obiectionibus vindicantur.

*Noui Autoris argumenta, quibus accidentales affectiones, ſubſtantialem formam in materia præcedentes, tollere nititur.* *Caput Primum.*

LAtinorum ſententia de ſubſtantialibus elementorum formis iam ſatis commode confirmata, ſingulíſque autoritatibus, & rationibus, pro Græcorum opinione propoſitis, omnino explicatis, ac diſſolutis; vnum adhuc ſupereſt, quod eonſtructo à nobis ædificio detrimentum vel maximum afferre; immò illud ipſum demoliri facilè poſſet, niſi è medio penitus tolleretur. Illud autem eſt, vt Noui Autoris obiectionibus, contra nonnullas Latinorum aſſertiones, quibus paſſim eorum ſententia munitur, pro virib. occurramus. Inter cæteras autem aſſertiones ea præcipua videtur, quæ ſæpè in aduerſariorũ rationibus diluendis vſu venit, nimirum ſubſtantiales elementorum formas natura quidem ſua diſſolubiles eſſe; non tamen quia contrarietatem patiantur; cùm ſubſtantiæ nihil contrarium ſit; ſed propter affectiones, vel, vt aiunt, diſpoſitiones, quæ ipſas in materia neceſſariò antecedunt. Perſpicua autem res eſt, affectiones illas à qualitatibus pẽdere, quibus variè pſima rerum materies afficitur, atque modò ad hanc, modò ad illam formam recipiẽdam apta, idoneaque redditur; cùm, per ſe, ad omnes formas indifferens, ac indeterminata ſit. Doctrinã hanc de accidentalibus affectionibus, ſubſtantialem formam in materia præcedentibus, ſatis

Celebris Latinorũ aſſertio de accidẽtalibus affectionib. ſubſtantialẽ formam in materia præcedentibus.

apud Latinos celebrem, Ariſtotelis autoritate munitam, atque vſu comprobatã, Nouus Autor ſect. 2. c. 6. multis rationibus refellere conatus eſt: eo potiſſimùm conſilio, vt ſuam illam rationem, quam demonſtratiuam eſse putauit, validiùs firmaret, nimirum niſi elementorum formæ contrariæ eſſent, inde ſequi, vt illæ neceſſariò indiſſolubiles ſint; vt tandem quatuor primas qualitates, quæ contrariæ ſunt, ſubſtantiales elementorum formas eſſe concluderet.

Prima rõ noui Autoris.

Primò itaque ad tollendam accidentalium affectionum neceſſitatem, in medium affert Ariſtotelis autoritatem, ſumptam ex 1. Phyſ. text. 65. vbi de materia, & forma loquens, ita ſcribit, *Manifeſtum igitur eſt, quòd, ſi quidem ſunt cauſæ, & principia eorum, quæ natura ſunt, ex quibus primis ſunt, & facta ſunt: omne, quod fit, ex ſubiecto, & forma fit.* Vult ibi Ariſtoteles, naturalia compoſita proximè ex materia, & forma conſtitui; ergo accidentales affectiones, quæ tempore, materiæ, & formæ coniunctionem antecedant, ad elementorum generationẽ neceſſariæ non ſunt.

Secunda.

Secundò affert Ariſtotelis autoritatem ex 2. de Anima text. 7. vbi ait, non eſſe quærendum, quomodo ex materia, & forma vnum fiat: ſi nihil de hoc quęrendum, eſt, quorſum igitur accidentarias illas affectiones medium, aut rationem vocabimus, quamobrem ſubſtantialis forma cum materia copuletur?

Tertia.

Tertiò ita argumentatur: Si materia, antequam ſubſtantialem formam accipiat, per antecedentes affectiones neceſſariò ad illam recipiendam præparatur; quomodo quęſo ad illas affectionęs determinatur? Aut enim ipſa per ſe, aut per alia affectionum interuentu: ſi alia affectionum interuentu; tunc quæretur etiam de illis, atque ita res in infinitum abibit. Si verò ipſa per ſe; ergo multo magis ad formam ſubſtantialem determinari poterit, cuius proximum ſubiectum exiſtit: accidentium verò non niſi remotum; cùm accidentia proximè in ſubſtantiali cõpoſito inhæreant.

Quarta

Quartò (& eſt ferè argumentum idem) ſi agens non niſi in materiam affectam ſubſtantialem formam introducere poteſt; neceſſe eſt igitur, vt affectiones in materia iam ponat. Nunc quærit, quid nam illas in materiam inducit? Certè vel idem, vel aliud agens, qualecunque ſit. Si idem, quomodo igitur idem agens materiam afficiet, & formam inducet? Si aliud, tunc rurſum quęrit, aut materia eſt præparata ad illas recipiendas, aut non: ſi non; ergo illud agens aget in materiam rudem, & impolitam: Si verò eſt præparata; ergo per alias affectiones, & ſic procedetur in infinitum.

Quinta

Quintò, affectio eſt in eodem genere cum forma, vt elicitur ex Ariſt. 5. Metaph. text. 24. vbi diſpoſitionem definiens, ait, eſſe ordinem partes habentis; igitur affectiones accidentales non poſſunt eſſe præuiæ ad formas ſubſtantiales.

Sexta.

Sextò ponit, diſputationis gratia, materiam ab omni forma ſeparatam eſſe, & cælum ſuo motu caliditatem in eandem; tanquam affectionem introducere: deinde verò eam affectionem ſubſtantialis formę introductionem cõſequi. Tunc quærit, caliditas illa præparans, & afficiens, quæ ſubſtantialem formam antecedit, à quo nam exiſtentiam habeat? Ab agente quidem habere non poteſt; quia agens nõ dat exiſtentiam illis rebus, quæ ſunt in ſubiecto, niſi ratione ſubiecti, in quo cõſeruantur. Neque etiam à materia, quia, cùm materia per ſe non exiſtat, multò minus alteri exiſtentiam tribuere poterit. Neceſſe eſt igitur, vt illa caliditas per ſe exiſtat, atque adeo accidens ſeparabile ſit.

Cõfirmatio.

Confirmat hanc rationem, argumento ſimili, quod fecit Ariſtoteles 1. de Gener. text. 11. vbi conſiderans rerum generationes ex ente potentia, ita argumentabatur; Si iſtud ens potentia actu ſubſtantia non ſit, & aliquod aliorum prędicamentorum in ſe reapſe contineat; Sequitur, vt accidentia per ſe exiſtere poſſint: quia idem eſt dicere, accidentia in materia prima exiſtere, ac accidentia exiſtere per ſe. Sic ait Nouus Autor, ſi, ante formam ignis, ineſt in materia caliditas, quæ eſt accidens, tanquam pręparatio ad formam ſubſtantialem ignis, cuius in ea nihil adhuc reperitur; idem erit, ac ſi dicamus, caliditatem exiſtere per ſe.

Latinorum obiectio.

Quòd ſi quis obijciat, materiam ab omni temporum æternitate formam aliquam ſibi coniunctam, habuiſſe; atque adeo poſitionem ab eo factam, abſurdam eſſe:

Noui Auto. reſponſio.

Reſpondet, ſe Ariſtotelem imitari, qui & 1. de Gener. tex. 11. & 1. Metheor. c. 4. ſimiliter philoſophatus eſt. Et rõnem etiam adiungit; quia nos ponere non debemus, res factas eſſe, niſi prout fieri potuerunt, licet ab æterno factæ ſint: & cùm in contemplatione verſamur, opus eſt, vt intellectu ad rei exiſtentis principia perueniamus, atque de illius generatione diſputemus, ſicut illorum principiorum conditio, pro eius generatione, requirit.

Septima.

Verùm eſto etiam materia aliquam ſemper formam coniunctam habuerit, addit nihilominus ſeptimam rationem, qua probare contendit, affectionẽ illam accidentalem exiſtentiam nullam habere poſſe. Iam etiam paulò ante probauerat, exiſten-

ſtentiam nullam à materia habere, prout materia eſt: non habere autem à materia, prout forma prędita eſt, ita oſtendit. Nam forma illi affectioni contraria eſt, cùm ad ipſam deſtruendam, & oppoſitam introducendam, in materiam inducatur: vnum autem contrarium ſuo cõtrario exiſtentiam præbere non poteſt, alioquin ſuum contrarium conſeruaret proprijq; interitus cauſa exiſteret. Octauò quærit, quis nam ſit ille motus, qui fit ab agente, huiuſmodi accidentales affectiones inducẽte, quatenus illas inducit? Profectò non eſt generatio, erit igitur alteratio, atque adeo alteratio erit circa ſubiectum poteſtate, quod eſt contra Ariſt. 1. de Generat. tex. 1. 23. & 24. Nonò, iſtæ affectiones ſunt proximè in materia prima; ergo accidens terminatum conſeruabitur in materia prima. Decimò, illa tranſmutatio, quæ dicitur alteratio, circa vtrunque principium fit, materiam ſcilicet, atque formam, vt habet Ariſt. 1. de Generat. tex. 10. hic verò ponitur alteratio circa ſolam materiam. Vndecimò, ponamus, induci caliditatem in materiam, tanquam accidentalem affectionem ad formam ſubſtantialem ignis; quærit, quonam huiuſmodi motus terminetur? Num calido eſſe, quod eſt accidẽs, an potius forma ſubſtantiali ipſius ignis? Si calido eſſe, quid igitur affectiones ad formã ignis ſubſtantialem, cùm, neque in via, neque in termino, aliquid formę ſubſtantialis habeatur? Si verò forma ſubſtantiali ipſius ignis; ergo motus in accidente deſinit in ſubſtantiam, eritque generatio, cùm motus à termino ſpeciem, atque denominationem ſumat, 5. Phyſ. tex. 4. Rurſus accidentalis affectio euadet habitus ſubſtantialis, cùm ex prædicamentis habeatur, affectionem habitum euadere poſſe. Duodecimò, quærit, an dicant forſan Latini, affectionem accidentalem terminari tranſitu de non eſſe ad eſſe formæ ſubſtantialis, qui eſt generatio. Quòd ſi hoc dicant, iterum quærit, intelligant ne huiuſmodi tranſitum eſſe mutationem, & tunc infert, ergo motus eſt ad motum per ſe, vt ad terminum, contra Ariſtotelem 5. Phyſ. An potius intelligant, huiuſmodi tranſitum eſſe, mutatum eſſe; & tunc mutatum eſſe ſubſtantiale erit terminus mutationis accidentalis. An tandem intelligant, huiuſmodi tranſitum eſſe motum cum alteratione compoſitum; & tunc quantum fit de mutatione accidentali, tantum fieri oportebit de forma ſubſtantiali: quod non reprehendit, niſi quatenus malè intelligatur. Decimo tertiò ita argumentatur; ſi ad interitum harum affectionum intereunt formę ſubſtantiales; eæ igitur ex accidente interibunt: quare hæc propoſitio, ſubſtantia materialis eſt diſſolubilis, vera erit ex accidenti. Conſecutionem probat ex Ariſt. libro de Longitudine, & breuitate vitæ, vbi ait, *Quæ contrarijs inſunt, ex accidenti pereunt, eo quòd illa pereant; interimunt autem contraria ſe mutuo.* Ad extremum, ita argumentatur, Cùm in materia introducitur caliditas, quæ ipſam præparet ad formam ſubſtantialem ignis, caliditas præparãs aut eadem eſt cum caliditate, à forma ignis fluente, aut diuerſa: ſi eadem, cùm caliditas præparans ſit materialis, caliditas verò fluens formalis, tunc materiale, & formale idem erunt, atque id ante formam exigetur, quod à forma fluit: ſi diuerſa, duæ igitur in materia caliditates erunt. Quòd ſi quis dicat, vt Thomiſtæ dicere videntur, adueniente forma, priorem caliditatem aboleri; quærit, à quo nam aboleatur? Deinde forma remanet, & affectio iam interijt; ergo illa forma indiſſolubilis eſt. Probat conſequentiam; quia illa forma neque alteri formæ contraria ſimpliciter eſt, neque contrarietatem vllam præparantem habet; quomodo igitur aliquando diſſoluetur? His igitur rationibus putauit Nouus Autor, ſuam illam primam, quam vocauit demonſtrationem, iam ſatis conſolidaſſe, nimirum, ſi elementorum formæ cõtrariæ non ſunt, eas neceſſariò indiſſolubiles eſſe.

Octaua.

Nona.

Decima.

Vndecima.

Duodecima.

Decima tertia.

Decimaquarta.

Occupatio.

## *Quinque priores Noui Autoris rationes diluuntur.* Cap. II.

Reſpõſio ad primam rationem.

AD omnes autem huiuſmodi rationes facilis eſt reſponſio. Ad primam, veriſſimum eſt id, quod in 65. illo contextu primi libri Phyſ. Ariſt. docuit, omnia. ſ. naturalia compoſita ex materia, & forma proximè coaleſcere. Verùm quoniam vnius rei generatio abſque alterius interitu fieri nequit; & vtraque mutatio alterationem comitem habet, vt ipſemet libro 1. de Generat. & interitu affirmauit; alteratio autem motus eſt ad qualitatem, vt patet 5. Phyſ. hinc fit, vt priuſquam materia, & forma ad alicuius naturalis compoſiti conſtitutionem inuicem copulentur, affectio aliqua neceſſariò antecedat, qua vetus forma à materia remoueatur, & noua in eandem introducatur. Nunc ad formam argumenti: naturalia compoſita fiunt proximè ex materia, & forma. Concedo. Ergo nulla eſt neceſſitas affectionum. Ne-

go hanc conſequentiam:& ſi enim naturalia compoſita proximè ex affectionibus non fiunt; eæ tamen, antequam illa fiant, neceſſariò requiruntur. Ad ſecundam, ſi quodlibet ex quolibet fieret, vt Anaxagoræ decretum fuit; vbi res aliqua facta eſſet, quæ per ſe vna verè diceretur, profectò, cùm ſciremus, eam ex materia, & forma conſtare, nulla alia cauſa quærenda eſſet, cur à duobus illis principijs ſuam conſiſtentiam, & vnitatem acceperit: conſtat.n.ex materia, quæ eſt potentia, & forma, quæ eſt actus, id, quod eſt per ſe vnum, conſtitui. Verũ quoniam non ex quolibet quodlibet fit, ſed determinatum ex determinato, vt textu 58. 1. libri Phyſ.& alibi ſæpè, contra Anaxagoram, Ariſt. aſſeruit, ideo vbi res aliqua iam facta eſt, tametſi non eſt quærẽda cauſa, cur ex materia, & forma illa res, quę eſt per ſe vna, facta ſit; quęri tamen poteſt, cur hoc determinatum ens ex vno potius, quàm ex alio ſubiecto, aut ex eodẽ ſubiecto, hoc potius, vel illo modo affecto, factum ſit.. Exempli grat. ſi carnem cõſideremus, vt naturale quoddam compoſitum eſt, ex materia, & forma coagmentatum, fruſtra quidem quæremus, quomodo ex materia, & forma factum ſit, & hoc eſt, quod docuit Ariſt. 2. de Anima tex. 7. Si verò carnem, vt caro eſt, contemplemur, an non quærere poterimus, cur ex ſanguine potius, quàm ex lapide, aut ex ligno facta ſit; Huius autẽ rei ratio in promptu eſt; quoniam materia, forma ſanguinis prædita, ſatis affecta, & accommodata eſt, ad formam carnis recipiendam. Neceſſariæ itaque ſunt accidentariæ affectiones, non propriè tanquam medium, quo ſubſtantialis forma cum materia copuletur, vt Nouus Autor innuit; ſed potius tãquam cauſæ, ſine quibus materiæ, & formæ copulatio fieri nunquam poſſet. Ad tertiam reſpondendum eſt, materiam æquè ad formas ſubſtantiales, ac ad affectiones accidentales indeterminatam eſſe; immò ideo natura ſua ad quancunque formam indifferentem eſſe, quia natura ſua cuiuſcunque affectionis eſt capax: eius autem naturæ ordo id exigit, vt nunquam formam ſine antecedente affectione recipiat. Rem aperiamus exemplo. Conſideremus nunc materiam, aeris forma præditam; ea ſic ſpectata, tàm ad formam ignis, quàm ad formã aquę atque adeo ad qualitates, ad vtranque formam præparantes, indifferens, atque indeterminata eſt. Poteſt itaque tàm calore, & ſiccitate, quàm frigore, & humore affici: ſi calore, & ſiccitate afficiatur; incaleſcet, aer rareſiet, atq; in ignẽ vertetur. Si verò frigore, & humore; frigeſcet, condenſabitur, & vertetur in aquam. Igitur materia, antequàm ſubſtantialem formam recipiat, neceſſariò quidem per antecedentes affectiones ad illam recipiendam præparatur, ad illas verò affectiones recipiendas alijs præterea affectionibus non eget, cùm per ſe, ipſa ad illas recipiendas determinata ſit. Et cùm arguit Nouus Autor, ergo multò magis ipſa per ſe ad formam ſubſtantialem determinari poterit, cuius proximum ſubiectum exiſtit, accidentium verò non niſi remotum. Reſpondendum eſt, ad nobiliorem formam recipiendam, maiorem præparationem requiri, quàm ad ignobiliorem; proprerea, cùm ſubſtantialis forma longè accidentali nobilior ſit, mirum non eſt, ſi hęc abſque vlla præparatione in materia recipiatur, illa verò aliquam præparationem neceſſariò depoſcat. Ad quartã dicimus, agens, ſubſtantialem formam in materiam introducens, quodcunque tandem illud ſit, non niſi in eandem affectam agere, atque adeo affectiones in materia neceſſariò ponere. Cùm verò quæritur, quid nam illas in materiam inducat. Sunt qui reſpondeant eſſe idem agens, quod ſubſtantialem formam in eandem introducere intendit. Valde autem miror, Nouum Autorem mirari, quomodo idem agens materiam afficiat, & formam inducat, quaſi hoc ſi non apud omnes, ſaltem apud multos philoſophos ſatis tritum, & peruulgatum non ſit, idem agens, dummodò vniuocum ſit, materiam præparare, & cum eadem ſubſtantialem formam communicare. Quod oſtendunt exemplo. Si lignum inquiunt admoueatur igni, tùc ſtatim ignis in ligni materiam propriam ſubſtantialem formam inducere; hoc eſt, lignum in ſui naturam, atque ſubſtantiam conuertere intendit: idem autem ignis non ne primùm ſuo calore lignum afficit, ſenſimque eius humiditatem abſumit, atque materiam præparat, vt ligni formam abijciat, propriamque formam recipiat? En igitur, quomodo abſurdum nõ eſt, ab eodem agente materiam affici, atque formam in eandem induci. Sed de hoc fuſius ſequenti diſputatione. Ad quintam reſpondendum eſt, diſpoſitionem illam, quam Ariſto. 5. Metaphyſ. tex. 24. definiuit, ab ea, de qua modo differimus longè diuerſam eſſe: illa enim propriè diſpoſitio dicitur, quam rectè Ariſt. definiuit, dum dixit, eam eſſe ordinem alicuius rei, partes habentis. Aut enim dicit ordinem partium in loco, & tunc ſpectat ad prædicamentum ſitus:

Ad ſecũdam.

Exemplũ aperiens.

Neceſſitas accidentium affectionum in materia.

Ad tertiam.

Exemplum.

Materia præparatur ad formam per affectiones accidẽtales, eas autem abſq; vlla præparatione recipit.

Ad quartam.

Idem agens materiã præparat, & in eãdem formam inducit. lege Autor. 7. Met. com. 31. Exemplum.

Ad quintam. Vera, & communis explanatio tex. 24. li. 5 Metaph.

Propriè dicta diſpoſitio quid ſit.

vt diſpoſita domus, aut diſpoſitus exercitus dicitur, cùm omnes partes ſuis quæque locis accommodatæ ſunt. Aut dicit ordinem partium in virtute: & tunc ſpectat ad prædicamentum qualitatis: vt corpus diſpoſitum, hoc eſt, optimo temperamento præditum dicitur, quotieſcũque in eius partibus, vel humorib. debita proportio, & ſymmetria ſeruatur, adeo vt vnius virtus in agendo, alterius virtutem in patiendo non excedat. Aut dicit ordinem partium in toto; & tunc ſpectat, ad prædicamentum quantitatis: vt figura, vel ſtatua diſpoſita dicitur, quotieſcunque eius partes debitam cum toto proportionem conſeruant. Ad alia prædicamenta propriè dicta diſpoſitio non pertinet: neque enim ordinem partium temporis dicit, nec orationis, nec naturæ, aut ſubſtantiæ; vt, à materia, & forma, genere, & differentia, & alijs huiuſmodi, veram, & propriè dictam diſpoſitionem excluſam eſſe, intelligamus. Hinc apparet, Nouum Autorem hallucinatum eſſe, qui violenta quadam expoſitione, quæ neque apud Latinos, neque apud Arabes, neque apud Græcos expoſitores reperitur, Ariſtotelis definitionem ad propriam ſententiam detorſerit. Putauit ipſe, formas ſubſtãtiales habere partes, quas gradus appellauit; ac propterea hiſce formarũ gradibus materiã ſenſim affici, ad formam ſubſtãtialẽ recipiendã, hincque elicuit, affectionem eſſe in eodẽ genere cum forma, ad quam afficit, & in hanc ſnĩam falsò aſſerit, aliquando deueniſſe Iandunũ 7. Phyſ. q. 8. Sed lõgè à veritate, atque et ab Ariſtot. mente aberrauit. Primò, quia formæ non habent gradus, neque partes, ſed in indiuiſibili conſiſtunt, vt alias docuimus. Deinde verò, quia citatus Ariſtotelis contextus longè diuerſa continet ab iis, quæ ipſe probare contendit: nunc enim de diſpoſitione diſſerimus, quæ verè, & propriè diſpoſitio non eſt, & barbarè à Scholaſticis diſpoſitio vocatur; cùm Latinè potius affectio; vel præparatio quædam appellanda ſit, qua ſubiectum, ad aliquid recipiendum, aptum, idoneumque redditur. Non ergo abſonum eſt, in genere, vel ordine eſſe diuerſo ab eo, in quo eſt forma, quam affectio illa, præparatioque reſpicit. Cùm itaq; dicimus, materiam diſponi ad formam recipiendam; non intelligimus, materiæ partes acquirere ordinẽ aut in loco, aut in virtute, aut in toto, quẽadmodũ diſpoſitionis nomẽ ſonare vr. ſed intelligimus, materiam, alicuius qualitatis acceſſu, exteriùs affici, aut etiam, alicuius ſubſtantialis formæ coniunctione, interius, ad aliam formam recipiendam præparari. Vt cùm ex aere fit aqua, acceſſione frigoris, & humoris, materia exteriùs afficitur, vt promptè formã aquæ recipere poſſit. Vel cùm materia miſtionis formam iam in ſeſe recepit; tunc dicere cõſueuimus, illam eſſe diſpoſitam, ad vegetalem, vel ſentientem animam recipiendam; cùm verius præparatam dicere deberemus: hanc enim præparationem rei viuentis forma in materia depoſcit, qua probè ſuas functiones obire queat.

Diſpoſitio ad eria ſolũ prædicamẽta pertinet. ſ ſitus, qualitatis, & quantitatis.

Nou. Autor diſpoſitionis definitionẽ, ab Ariſt. traditam violenta interpretatione turbauit.

Iandunus ibi tuetur, in eodem compoſito plures dari poſſe ſubſtantiales formas, quæ altera ad alterã materiã præparat; vt nos infra; non tñ vult, formas ſubſtantiales habere grad⁹ vt perperam Nouus Autor.

Exterior materiæ habilitas ad formã recipiendam barbarè diſpoſitio, Latinè verò affectio, præparatioque dicitur.

## *Reſponſio ad ſextam, & ſeptimam rationem.* *Cap. III.*

AD ſextam rationem rectè reſponderunt Latini, dum dixerunt, falſam eſſe poſitionem illam, qua ſtatuitur, aliquando materiam ab omni forma penitus ſeiunctam eſſe: cùm enim ex Ariſtotelis ſententia, Mundus æternus ſit; neceſſe eſt; vt materia ſemper cum aliqua forma copulata fuerit. Minus autem rectè Nouus Autor hac in re Ariſtotelem imitatus eſt: nam ſi loca, ab eo citata, diligenter legantur, palàm fiet, Ariſtotelem & de alijs rebus locutũ, & ſecus, ac ipſe putauit, philoſopharum eſſe. Inanis etiam eſt ratio, quam ad prædictam poſitionem confirmandam adiunxit, qua dicebat, nos ponere non debere, factas eſſe res, niſi prout fieri potuerunt, licet ab æterno factæ ſint: ſi enim res æternæ ſunt; ſemper igitur fuerunt, atque adeo nunquam fieri potuerunt; contradictionem ſiquidem inuoluit; aliquid ab æterno fieri potuiſſe, vt alia diſputatione ſatis luculenter probauimus. Sed philoſophãdi gratia, eius etiam poſitionem admittamus: ponamuſque, materiam ab omni forma ſeparatam eſſe; tunc id, quod primò in ea introduceretur, profectò caliditas à cælo orta, aut alia quæuis accidentalis forma eſſe non poſſet; ſed forma aliqua ſubſtantialis: illud enim naturæ decretum eſt, vt ſubſtantiale compoſitum accidentale compoſitum antecedat. Porrò prima illa ſubſtantialis forma, quoniam prima eſſet, abſque vlla affectione in materiam introduceretur: eſſet enim tunc materia nuda, & ad quancunque formam recipiendam indifferens, & verè indeterminata: omnes autem aliæ formæ, quæ poſt primam, in materiam introducerentur, præcurrentes affectiones neceſſariò requirerent. Sed ſtatim dicet Nouus Autor, quæ nam eſt maior ratio, cur prima forma abſque vlla affectione in materiam introducatur; poſteriores verò for-

Ad ſextam rationem.

Cõtradictionem inuoluit aliquid ab æterno fieri potuiſſe. lege diſput. de mun æternit.

Obiectio.

mę affectionem requirant? 

Solutio.

Ratio euidentiſſima eſt:etenim prima forma inuenit materiã nudam,ab omnique contrarietate,aut impedimento remotam; ideo facilè cum illa affinitatem contrahere poteſt;poſteriores verò formæ nunquam in materiam introduci poſſent,niſi forma prior à materia remoueatur;remoueri autem non poteſt,niſi qualitates, quę ſubſtantialium formarum inſtrumenta ſunt,inuicem agant,& patiantur; ex mutua autem qualitatum actione,& paſſione,in eadem materia affectio quędam inducitur, qua ad priorem formam abijciendam,poſteriorem verò recipiendam pręparatur. Sed fac etiam,materiam, ab omni forma ſeiunctam,caliditatem à motu cęli editam,tanquam affectionem ad formam ſubſtantialem,recipere poſſe:dum quęrit Nouus Autor,à quonam illa caliditas exiſtentiam habere t? Reſpondeo,à propria natura,idque in genere cauſę formalis: in genere autem cauſę efficientis,à cęlo. Tametſi enim illa caliditas accidens eſt;eorum nihilominus ſententiã tueor, qui accidentia propriam exiſtentiam habere ſtatuerunt:quę tamẽ,quia imperfecta eſt,ideo conſeruante ſubiecto indiget,quale ſubiectum eſt ſubſtantia. Hinc Ariſtoteles 7. Metaph. docuit,accidentia non eſſe entia,niſi quia entis.i.niſi quia ſunt in ente. Itaque caliditas illa in aliquo priori naturę ſigno exiſtens,antequam in materia reciperetur,ab ipſamet materia,pariter exiſtente,conſeruaretur:iam enim aliàs,materiam propriam exiſtentiam habere,docuimus.

Accidẽtia habent pprium exiſtentiam; indigẽt tñ cõſeruãte ſubiecto propter eius imperfectionem.

Obiectio.

Et ſi quis dicat,materiam eſſe minimum ens,& prope nihil;propterea nullius accidentis exiſtentiam conſeruare poſſe.

Solutio.

Reſpondendum eſt,minimam quanuis ſubſtantiam quocunque accidente perfectiorem eſſe; ac propterea,ſi admitteret natura,vt ante formam ſubſtantialem,accidentalis forma in materia recipi poſſet;tunc optimè à materia, quę ſubſtãtia eſt,illius accidentalis formę exiſtentia conſeruaretur.

Ad cõfirmationem.

Quod ex confirmatione, quam Nouus Autor à ſe eſſe cenſuit,elici poteſt;quanuis enim non ſit omninò argumentum idẽ, quod fecit Ariſtoteles 1. de Gen. tex. 41. vbi ſimplicem dari generationem probare contendit;tamẽ ex eo loco elicimus,materiam re ipſa ſubſtantiam eſſe:alioquin res ex non ſubſtantia immò ex nihilo fierent. Vel,vt in argumẽto,à Nouo Autore propoſito,perſiſtamus, ſi iſtud ens potentia,quod eſt materia,actu ſubſtantia non eſſet,& aliquid aliorum prędicamentorum in ſe actu contineret;tunc accidentia per ſe exiſtere poſſent:per ſe autem non exiſtunt, ſed in materia,quę eſt actu ſubſtantia;ab eadem igitur conſeruantur,aut exiſtentiam accipiunt, cuius tamen oppoſitum hac ſua confirmatione probare contendebat.

Ad ſeptimã.

Ad ſeptimam rationem reſpondendum eſt,proximum, & adęquatum ſubiectum accidentium eſſe totum compoſitum ſubſtantiale;materiam verò eſſe id,quo ipſummet compoſitum accidentia in ſeſe recipit,vt alia diſputatione oſtendemus.

Accidentia, quæ in cõpoſito inſunt, ſunt duplicis generis.

Iam verò accidentia ſunt duplicis generis,alia ipſi compoſito iucunda,& familiaria,atque hęc compoſitum abſque vlla repugnantia recipit; immò eadem fouet,atque conſeruat. Alia moleſta,eiuſque naturæ aduerſantia;& hæc ingratis, & repugnanter recipit,non autem foret,ſed omni conatu à ſeſe illa depellere nititur,atque tandẽ expellit,ſi vires habeat illis accidentibus præſtantiores:ſin minus, accidentia propria ab extrarijs accidentibus primò ſuperantur,ac mox totius compoſiti diſſolutio ſequitur.

Quo interdum vnũ cõtrarium à ſuo contrario cõſeruatur. Exemplum.

Abſurdum igitur non eſt id,quod abſonum Nouus Autor putauit,nimirum,vnum contrarium ſuũ contrarium conſeruare;id enim non ſpontè,ſed,vt diximus,inuitè,& repugnanter facit. Febrilis calor,vt rem facilem reddamus exemplo,corpori noſtro infeſtus valdè,& inimicus eſt; nihilominus tanquàm accidens,quod ſeorſum conſiſtere nequit, ab eodem conſeruatur, ita vt ſæpe etiam interitum inferat:conſeruatur autem,non propriæ naturæ impulſu; ſed quia neque eum non recipiendi,neque eundem à ſeſe depellendi liberam poteſtatem habet. Quid mirum igitur erit,ſi affectio,alicuius ſubſtantialis formæ interitum petens, à toto compoſito ex materia,& eadem ſubſtantiali forma conſtante,conſeruetur?

## *Cæterarum rationum ſolutio. Cap. IV.*

Ad octauam nonam,& decimam.

AD octauam reſpondendum eſt,motum illum, quo ab agente accidentales affectiones inducantur,nõ eſſe generationem, ſed alterationem:eam verò non fieri circa ſubiectũ, poteſtate,ſed circa totum compoſitum,quod dum proximè accidentia recipit, neceſſariò ẽt materia,quæ eius eſt ſubſtantialis pars,iiſdem accidentibus afficitur, atque ad veterem formam abijciendam,& nouam accipiendam præparatur. Et hac eadem ſolutione duabus ẽt ſequentibus rationibus ſatisfit.

Ad vndecimam.

Ad vndecimam reſpondetur,eum motum, quo caliditas in

totum

totum compoſitum, ac deinceps affectio in materiam inducitur terminari calido eſſe, quòd eſt accidens. Et cũ arguitur, quid igitur faciẽt affectiones pro forma ſubſtãtiali ignis, cũ neq; in via, neq; in termino aliquid formę ſubſtãtialis habeatur? Rñdendũ eſt, affectiones impedimenta omnia remouere; atque ad formam illam ſubſtantialem accipiendam materiam pręparare. Forma verò ſubſtantialis, cùm indiuiſibilis ſit, non habet partes, quibus ſenſim materia perficiatur: neque temporis lapſu cum materia coniungitur, ſed ſtatim ac materia vltimũ gradum affectionis obtinuit, momento temporis in eandem inducitur. Ad duodecimam nõ eſt, quòd reſpondeamus: non enim Latini aſſerunt, accidẽtalem affectionem terminari tranſitu de non eſſe ad eſſe formæ ſubſtantialis, ſed qualitate afficiente, quæcunque tandem illa ſit. Ad decimam tertiam reſpondendum eſt, ſubſtantiales formas, accidentalium affectionũ interitu, non interire, ſed potius, earundem acceſſu, materiam affici ad nouam formam accipiendam, hincque veteris interitum exoriri, eo modo, quo aliàs, formam interire, docuimus. Cùm verò infertur, ergò ſubſtantiales formæ ex accidẽti interibunt, atque adeò hæc propoſitio, ſubſtantia materialis eſt diſſolubilis, vera erit ex accidenti. Reſpondendum eſt, abſurdũ non eſſe, ſubſtantiam materialem, alicuius accidẽtis occurſu, intercidere: immò hoc perneceſſarium eſt, cùm omnem interitum aliqua alteratio neceſſariò antecedat: non tamen inde ſequitur, propoſitionem hanc. ſ. ſubſtantia materialis eſt diſſolubilis, eſſe veram ex accidenti: ſubſtãtia enim materialis per ſe, hoc eſt, natura, ſua diſſolubilis eſt, tametſi, non niſi alicuius accidentis occurſu, eius diſſolutio contingat. Ad poſtremam reſpondetur, caliditatem præparantem diuerſam eſſe à caliditate, à forma ignis fluente; non eam tamen ob rem fore in materia duas caliditates: rectè enim reſpondent Thomiſtæ, adueniente forma, priorem caliditatem aboleri. Cùm verò quæritur, à quonam aboleatur? Reſpondendum eſt, ab eodẽ agẽte, quod formam ignis ſubſtantialem in materiam inducit: ſi. n. ex aqua ignis fieri debeat, naturale agens, quod eſt ignis, ſuo calore aquam afficit, ſenſimque materiam præparat, ad formam aquæ relinquendum: in vltimo autem affectionis termino, forma aquæ à materia recedit, ſimulque caliditas, qua affecta erat, aboletur: eodem autem momẽto, quo forma aquæ à materia abſcedit, cum eadem forma ignis copulatur, à qua poſteà caliditas tanquàm affectio proficiſcitur. Vna igitur tãtùm caliditas in materia manet. Et cùm arguitur, ſi manet forma, & affectio iam interijt; ergo illa forma indiſſolubilis eſt: Inepta certè eſt huiuſmodi conſecutio, & inanis etiam eiuſdem probatio: nam tametſi affectio ad illam formam iã interijt; alia tamen affectio, contraria agentis actione, in materiam induci poteſt, qua ea ipſa ſubſtantialis forma à materia recedere cogatur. Sicut enim ex aqua, factus eſt ignis, nonne viciſſim ex igne aqua fieri poteſt? Iacet igitur etiam num Noui Autoris demonſtratio, quam hiſce rationibus, iam à nobis ſolutis, ſatis ſe corroboraſſe putauit.

Ad duodecimam. | Ad decimam tertiam. | Ad decimam quartam.

## *Vulgatiſſimum eſſe apud Peripateticos axioma, vltimas differentias nomine carere.* Caput V.

Fũdamẽtum pręcipuũ opinionis Latinorũ de formis elementorum.

Latini Philoſophi dum ſuam de elementorum formis ſñiam tuentur, præter quatuor principes qualitates, quæ ſenſibus obuiæ fiunt, in elemẽtis, aiunt, ſubſtantiales formas latere, quæ prorſus nomine carent, ſenſum omnem effugiunt, ſola que poſſunt ratione comprehendi. Hinc factum eſſe, vt Ariſt. elementorum cognitionem nobis traditurus, ſubſtantialium formarum, vel differentiarum loco, qualitates, ab ipſis fluentes, acceperit, eiſdemque nobis elementorum naturam, atque ſubſtantiam circunſcripſerit. Etenim cùm vltimæ rerum differentiæ lateant nos: nullius vnquam rei cognitionem haberemus, niſi qualitates, & accidentia reliqua, ad notitiam adipiſcendam nobis ſuppetias ferrẽt, atque ad intimas rerum naturas, & ſubſtantias, nobis aditum patefacerent. Præcipuum hoc Latinorum fundamentum Nouus Autor ſectio. 2. cap. 8. euertere nititur, pro cuius euerſione multa tela iecit, quæ nunc nobis reijcienda ſunt. Ait primò, dictare Latinos, vltimas rerum differentias nobis incognitas eſſe: vix tamen locum vllum in Ariſt. ab eiſdem afferri, vbi id ſcriptum ſit: quaſi propoſitio illa adeo per ſe nota non ſit, vt Ariſt. etiam autoritas, ad eam confirmandam, deſideretur. Fac, nihil hac de re Ariſt. ſcripſiſſe; falſa ne igitur ideo erit eiuſmodi propoſitio? Ecquis enim mortalium eſt, qui ſcire poſſit, quonam præcipuè ferrum à Chalybe differat, Adamas à Saphiro, Ficus, à Nuce, Bos à Leone? Auerroes, qui Ariſtotelis operum diligentiſſimus extitit

Nou. Autor euertere nititur hoc fundamentũ Latinorum.

titit commentator,& 8.Metaph.com.5.& 4.de Cælo com.6.& alijs pluribus locis prædictæ propoſitionis veritatem optimè nouit,docuitque,in rerum definitionibus accidentia poni licere,cùm ſubſtantiales differentiæ lateant nos,& nomine careant. Id ipſum Ariſtoteles ſæpè monuit,cùm frequenter proprietates, & accidentia pro ſubſtantialibus differẽtijs acceperit. Et ſi proxima rerum genera nomine carẽt,vt ipſemet ſcripſit 7.Metaph.tex.28.vbi ait, proximum genus,equo,& aſino commune, nominatum non eſſe; nonne multò magis de eiuſdẽ ſnīa,intimæ, atque præcipuæ differentiæ nomine carebunt? An autem omnes ſubſtantiales differentiæ nomine careant,non eſt modò,cur in dubium vocemus: pauciſſimas enim nomẽ habere arbitror:& fortaſſe,vbi dixerimus,ſubſtantialem differentiam,qua homo diſcriminatur à beluis, rationalitatem eſſe; nulla reperietur alia cui proprium nomen aſſignatum ſit. Non ideo tamen cenſuerim,nihil à nobis ſciri poſſe,quòd vltimæ rerum differentiæ incognitæ ſint:cum enim proprietates veluti earum partus exiſtant, ad demonſtrationes conficiendas ſatis erit,ſi cognoſcamus, hanc proprietatem ita ab hac ſubſtantiali forma proficiſci, vt huius,& non alterius indicium cenſeatur: mentis igitur acie ſubſtantialem illam differẽtiam attingimus,quamuis nullum eidem nomen impoſitum ſit. Vt enim latrabilitas in ſubſtantialem differentiam canis;ita hinnibilitas in ſubſtãtialem differentiam equi nos ducit, ſcimuſq; eam differentiam,quæ canem conſtituit,& à qua latrabilitas fluit,ab ea diſtare, quæ conſtituit equum,& à qua hinnibilitas proficiſcitur. Illud tamen perpetuò verum erit, vltimas rerum differentias,& nobis ignotas,& proſus etiam innominatas eſſe.

Cùm vltimæ rerũ differentię lateãt nostrũ loco in definitionib. proprietatib. vtimur. Aues 8.Met. com. 5.& 4. de Cęlo,com.6.

Proxima rerum genera noīe carent, Vide Ariſt. 7. Met.text.28.

Pauciſſimæ ſunt ſubſtantiales differẽtiæ, quib. nomen impoſitum ſit.

Subſtãtialiũ differentiarũ ignoratio demõſtrationẽ non tollit.

## *Subſtantiales elementorum formas prorſus innominatas eſſe rectèque ab Ariſtotele qualitatibus circunſcriptas. Cap. VI.*

CÆterùm ſi vltimæ differentiæ, ſubſtãtialeſque miſtorum corporum formæ nobis ignotæ ſunt, prorſuſque nomine carent; quantò magis,ſubſtantiales ſimplicium corporum formas,& differentias latentes,& innominatas eſſe,dicemus? Illud ſatis tritum eſt,atque ab Ariſt.in procemio librorum de Phyſico auditu pronunciatũ,ea nobis notiora eſſe,quæ magis compoſita,quæque ſenſibus viciniora ſunt:quæ verò à ſenſibus diſtant,ſuapte quidẽ natura nota,nobis verò incognita eſſe. Ideò materia,quæ à ſenſibus longiſſimè abeſt,ac deinceps ſubſtantialis forma,quæ nullo ſenſu percipi poteſt,natura notæ,nobis autem ignotæ dicuntur. Elementa itidem quanuis ſuis ſe qualitatibus prodant; nihilominus quatenus ſubſtantiæ ſunt,quę proximè ex materia, & forma coaleſcunt, & eorum numero dici poſſunt, quæ per ſe quidem nota, nobis autem incognita ſunt, cùm præſertim materiæ primæ valde proxima ſint;immò etiam,cùm ad miſta corpora referuntur,materię nomen ſubeant. Id cũ ita ſe habeat,mirum non eſt,ſi frequenter Ariſt.ſubſtantiales elementorum formas qualitatibus circunſcripſerit:nullam enim meliorem rationem inuenit, qua nos in eorum cognitionem tanquam manu duceret. Multa nunc afferre poſſem Ariſtotelis loca, vbi ſubſtantiales elementorum formas qualitatibus circunſcripſit,atque adeò,eas innominatas eſſe,tacite pronũciauit: Sed hac in re nec longior eſſe,nec actum agere libet: qui enim & rationes, ſuperiùs pro Latinis adductas,& reſponſiones, Græcorum rationibus adhibitas,diligenter conſiderauerint,ſæpè inuenient, Ariſt.qualitates loco formarum ſubſtantialium accepiſſe, eiſdemque tanquam proprietatibus,ab intimis formis fluentibus,elementorũ naturas deſignaſſe. Vnũ tantùm hic addam,quod ea,quæ ſuperiùs dicta ſunt,ſatis commodè confirmabit:cùm enim vnius rei vna duntaxat ſubſtantialis forma ſit,qua præcipuè conſtituitur; profectò ſi qualitates,quibus Ariſt.elementorum naturas adumbrauit,eorundem ſubſtantiales formę dicerẽtur,vnius rei, & illius quidem ſimplicis, animaque carentis, plures ſubſtantiales formæ ſtatuerentur. Nanque Ariſt.elemẽta,& grauitate,& leuitate,& caliditate,& frigiditate,& alijs etiam qualitatibus circunſcripſit:ſi igitur huiuſmodi qualitates ſubſtantiales formę dicũtur, iam erunt in eodẽ elemento duæ formę ſubſtantiales,vt in igne caliditas, & leuitas,in aqua frigiditas,& grauitas; atque aliæ in alijs, prout eorum natura fert. Hoc igitur abſurdum vt Ariſt.euitaret, ſecundum variam elementorum conſiderationem, varijs etiam qualitatibus eorundem ſubſtantias deſignauit. Aut enim elementa,vt proximæ vniuerſi partes conſiderantur;& tunc,ad illa definienda, Ariſt.lib.4.de Cælo grauitatem,& leuitatem adhibuit: eæ enim qualitates veluti inſtrumenta quædam ſunt, quibus ipſa ad ea loca in vniuerſo feruntur,

Nota nobis, & nota naturæ, quænã dicantur.

Materiã, & forma vt naturę nota,ita nobis ignota dicuntur.

Elemẽta ſuis qualitatibus nota ſiunt.

Cur Ariſ.ſubſtantiales elementorũ formas qualitatibus circũſcripſerit.

Quære ſup. Latinorũ rõnes,& reſp. ad argumẽta Græcorum.

Ratio euidẽs qua oſtenditur Ariſt.ſubſtantiales elementorũ formas qualitatibus circunſcripſiſſe.

Iuxta duplicem elemẽtorum conſiderationẽ Ariſ.

duplicib. qualitatibus eorum naturas deſignauit. — tur, quæ à natura illis aſſignata ſunt. Aut verò eadem vt ſubiecta miſtis corporibus materies
attenduntur; tuncque illa Ariſt. quatuor primis qualitatibus lib. 2. de Ortu, & interitu circũ
ſcripſit, tanquam ijs, quæ inuicem agunt, & patiuntur, quæque in cauſa ſunt, cur elementorũ
particulæ inuicem miſceantur, ac deinceps miſta corpora procreentur. Scio, Nouum Autorẽ
hanc diſtinctionem ægrè ferre, ſed de ea loquemur paulò infra. Explicat etiam idem Autor
aliquot Ariſt. loca, quibus nonnulli ex recentioribus philoſophis probare conati ſunt, elemẽ
torum formas innominatas eſſe. Illę autem explicationes, aut etiam Ariſt. loca, a recentiori-
bus adducta, ad rem faciant, nec ne, nihil nunc laboro: nõ enim inſtitutum meum eſt, Latino-
rum dicta, ſed eorum tm̃ ſnĩam de formis elemẽtorũ tueri. Neq; verò me fugit, rationes mul
tas à quibuſdam propoſitas eſſe, quæ leuiſſimæ ſunt, & multas etiam reſponſiones, quę à ve-
ritatis norma prorſus declinare videntur. His igitur omiſſis, illud tantùm expendemus, quod
Nouus Autor in fine eiuſdem octaui capitis, ſect. 2. protulit, vt quandam Latinorum ratio-
Latinorũ rõ. — nem, à nobis paulò ante propoſitam, dilueret. Dicebamus. n. elemẽtorum formas incogni-
tas, & innominatas eſſe, quia ſunt proximæ materiæ primæ, quę pariter incognita eſt. Admo
Noui Auto. ſolutio. — net ipſe Latinos philoſophos, & ſatis quidem humaniter, vt conſiderent, materiam primam
per ſe quidem ignotam eſſe: at verò à nobis facilè cognoſci; quia quod per analogiam cogno
ſcitur, haud difficulter cognoſcitur. Addit præterea, elemẽtorũ formas, vel eò præcipuè, quia
materiæ primæ proximæ ſunt, ideo notiſſimas eſſe debere: non enim in ſe multos actus con-
fundunt, ratione cuius confuſionis, propriæ, vt ipſe ait, actualitatis ratio latere debeat: ſed cũ
ſimplices actus ſint, iuxta materiam poſiti, quæ potentia eſt, faciliùs cognoſci debent; oppoſi
Refulatio. — ta enim iuxta ſe poſita magis patent. Neſcirem certè, quanam alia re tantæ boni huius vi-
ri, erga Latinos philoſophos, humanitati aptiùs reſpondere, quàm mutua admonitione. Pri
mum igitur Autorem hunc admonitum velim, materiam primam per ſe ignotam non eſſe;
immò ſuapte natura manifeſtam, vt omnia clamitant Peripatetica dogmata. Etenim Ariſt.
in 2. contex. primi libri Phyſ. docuit, ad acquirendam principiorum notitiam, optimam eſſe
illam viam, quę à natura nobis inſita eſt, vt ſcilicet à notioribus nobis ad notiora naturæ pro
grediamur. In tertio autem contextu declarauit, notiora nobis ea eſſe, quæ magis compoſita
ſunt, atque adeò, quæ magis ſenſibus patent. Vt hinc eliciamus, nota naturæ ea eſſe, quæ ſim
plicia ſunt, quæque à ſenſibus longè abſunt, cuiuſmodi ſunt cauſæ, atque principia, in quo-
rum etiam numero materia prima collocatur, ea igitur ſuapte natura nota eſt; cùm in entiũ
Materia prima duob. modis à nobis cognoſci poteſt, aut per analogiã, aut per negationem. — numero poſita ſit. A nobis verò difficillimè cognoſcitur, & duobus tantùm modis eam perci
pi poſſe Ariſt. docuit, aut per analogiam, vt patet 1. Phyſ. tex. 69. aut per negationem, vt ha-
betur 7. Metaph. tex. 8. Quòd ſi à nobis facilè cognoſceretur, vt Nouus Autor exiſtimauit;
tot profectò de ipſa difficultates, & controuerſiæ nunquam apud philoſophos ortæ fuiſſent.
Sed illud præterea aduertere debet, tametſi elementorum formæ ſimplices actus ſunt; id ta-
Nõ ſatis eſt, elemẽtorum formas ſimplices actus eſſe, vt nobis cognitæ ſint. — men non ſufficere, vt nobis notæ, manifeſtæque fiant: vt enim paulò ante diximus, ea tãtùm
nobis nota dicuntur, quæ ſenſibus percipi queunt: propterea cùm ſubſtantiales elementorũ
formæ à ſenſibus longè diſtent; nobis ſemper incognitæ erũt: & quemadmodum materia per
tranſmutationem cognoſcitur; ita ſubſtantiales formæ ſuis ſe tantùm operationibus manife
ſtabunt. Etenim quia plantam videmus generare plantam, & ignem lignum in ſemetipſum
Vt materia p trãſmutationem; ita forma per operationem nota ſit. — conuertere, & ignem pariter procreare; ideo arguimus, ſubſtantiales aliquas formas latere,
quæ huiuſmodi operationum principia dicantur; ad eaque munia obeunda proprijs quali-
tatibus, tanquam inſtrumentis, vtantur. Itaque forma quælibet ſubſtãtialis, eò quòd ſimplex
actus eſt, ideo per ſe, & natura ſua notiſſima dicitur; quia verò ſenſum fugit, ideo nobis pror-
Notabilis obiectio contra nouũ Autorem. — ſus ignota cenſetur. Cùm verò ait Nouus Autor, ideo ſubſtantialem formam notam eſſe de
bere, quia eſt ſimplex actus, iuxta materiam poſitus, quæ potentia eſt: dicat obſecro, cur non
etiam eadem ratione, materia, quæ iuxta formam poſita eſt, notiſſima nobis dicetur, ſi oppo
ſita iuxta ſe poſita magis illuceſcunt? Quid igitur opus eſt analogia? Cur, quid nõ eſt potius,
quàm quid eſt materia, nos ſcire Ariſtoteles affirmauit?

***Nonnulla Noui Autoris argumenta, quibus probare contendit, elementorum formas apud Ariſtotelem innominatas non eſſe. Cap. XII.***

Arg. primũ. — SEd & eodem capite nonnullis rationibus probare nititur, abſurdum eſſe dicere, innomi-
natas elementorum formas Ariſtot. ſtatuiſſe. Primò, cùm res plures, quàm nomina ſint,

vt habetur 1. Elenc. c. 1. docuit Ariſtoteles in prædicamentis, c. de relatione, fingendā eſſe no-
mina: vbi non adſint: quod ſæpè quidem fecit: vbi autem nomina non finxit; admonuit ſaltē,
aliqua minus propria eſſe, quæ iam rebus poſita ſunt, vt patet in 4. Metheor. in moralibus,
in libris de Animalibus, & alibi ſæpè. Sed cùm de elementis locutus eſt, de re quidem maxi-
mi momenti locutus eſt; & tamen nec nomina finxit vlla, nec vllam etiam admonitionem
adhibuit; igitur nomina illa, quibus elementa ſignificauit, propriè nobis eorundem ſubſtan-
tiales formas aperiunt, adeo vt, præter illas nullæ aliæ latentes, aut innominatæ formæ quæ-
rendæ ſint. Deinde, vſus eſt Ariſtoteles in generatione ſubſtantiali quatuor primis quali- **Secundum.**
tatibus: ſi autem illę accidentia ſunt, cum iam vulgatiſſimum ſit Ariſtotelis placitum, ex non
ſubſtantijs ſubſtantiam fieri non poſſe; tuncgrauiter Ariſtoteles erraſſet, niſi hāc cōtradictio
nem animaduertiſſet; atq; eam inſuper ab addiſcentium mentibus remouiſſet. Præterea, ſi **Tertium.**
quatuor primæ qualitates accidētia ſunt, iam hæc noīa, calidum, frigidū, & cætera huiuſmo
di, de eorum numero erunt, quæ multipliciter dicuntur: nam & propriè dictas qualitates in-
dicabunt, quæ ſunt accidentia, & elementorum formas, quæ ſunt ſubſtantiæ. Cùm autem A-
riſtoteles & in tota ſubſtantiali tranſmutatione, & in definitione generationis miſti, & in ip-
ſiuſmet miſti definitione, hiſce qualitatibus vſus fuerit; iam ab eo præcepto defeciſſet, quod
ipſe 1. de Cælo, tex. 110. contra veteres poſuit, niſi prius nomina diſtinxiſſet, quibus notum
fieret, quonā pacto illis vteretur, nū vt accidētia, an potius vt ſubſtantiales formas ſignificāt.
Rurſus, Ariſtoteles 1. Phyſ. tex. 45. in ſimplicibus corporibus affectiones oppoſitas nomina- **Quartum.**
tas eſſe, perhibuit: hæ autem oppoſitæ affectiones ad formam, & priuationem attinent: igi-
tur in ſimplicibus tàm formæ, quàm illarum priuationes nominatæ ſunt. Ad hæc, fieri quidē **Quintum.**
poteſt, vt notis exiſtentibus principijs, operationes lateant, vt patet quarto de Cælo text. 1.
vbi tamen operationes notiſſimæ ſunt, fieri nullo modo poteſt, vt formæ lateant; præſertim
in ſimplicibus, vbi forma in miſtione non conſiſtit: ſed ſubſtantiales elementorum operatio
nes notiſſimæ ſunt; qui igitur fieri poteſt, vt eorum ſubſtantiales formæ lateant, atque inno-
minatæ ſint? Inſuper, Ariſtoteles contra Platonem oſtendit, plantas non habere ſenſum; **Sextum**
quia nulla eſt operatio, quæ id declaret: ſed nulla eſt operatio, quæ ſignificet, elementorum
formas innominatas eſſe; igitur huiuſmodi formas in elementis ſtatuere, vanum eſt. Addit, **Septimum.**
ſi qua eſſet operatio, quæ has latentes, & innominatas formas oſtenderet, ea maximè eſſet,
vt Latini aiunt, generare ſibi ſimile: ſed elementa nulla alia ratione ſibi ſimilia generant, niſi
quia qualitatibus prædita ſunt: ignis enim non generat ſibi ſimile, niſi quia calidus eſt, nec a-
liud generat, quàm corpus ſimiliter calidum; quid ergo latentia inquirunt Latini, vbi totum
compertiſſimum eſt? Denique Ariſtoteles. 2. de Gener. tex. 6. dixit, elemēta ex materia pri **Octauum.**
ma, & contrarietatibus conſtare: hæc autem contrarietas eſt contrarietas in ſubſtantia; cuius
meminit 1. Phyſ. quamque, aſſeuerantiæ verbo, qualitatibus ſignificauit. nulla igitur in ſim-
plicibus ſubſtantijs innominata contrarietas ponenda eſt.

### *Quatuor argumenta priora diluuntur.* *Cap. VIII.*

SAtis quidem multa iſta argumenta; quorum tamen facilis eſt explicatio. Ad primū di- **Ad primum.**
cimus, docuiſſe Ariſtotelem, fingenda eſſe nomina, vbi non adſint, quotieſcunque nominā
dę res in aperto poſitæ ſunt: ſic ipſe fecit & in Metheoris, & in Moralib. & præcipuè in libris
de Animalib. vbi varias corporis partes explicaturus, nonnullas proprijs nominibus appel-
lauit; aliquibus nomen impoſuit; & interdum etiam admonuit, impoſita quibuſdam partib.
nomina nequaquam propria, ſed mutuata eſſe, vt videre licet lib. 1. de Hiſtoria animalium
c. 13. à Nouo Autore citato. Cùm verò nominandæ res omninò latent, nec vllo ſenſu com- **Ad res laten**
prehendi poſſunt; tunc, ad eas ſignificandas, nomina fingere non eſt neceſſē; ſed ſat eſt, ſi res **tes ſignificā**
nobis notiores, ac pręſertim proprietates, ab illis fluentes, ad eaſdem indicādas, adhibeamus. **das n õeſt ne**
Iam verò ſubſtantiales elementorum formæ prorſus abditæ ſunt, nec vlla ſenſuum vis illas **ceſſe noīa fin**
attingere poteſt: propterea nomina non habemus, immò nec habere poſſumus; quibus illas **gere, ſed ſat**
aptè ſignificemus: ideo Ariſtoteles, vt illas indicaret, primis qualitatibus frequenter vſus eſt: **eſt ſi proprie**
tùm quia eæ nobis notiſſimæ ſunt; tùm etiam quia ſunt proprietates, à ſubſtantialibus ele- **tatibus expli**
mentorum formis proficiſcentes: atque adeo ab effectibus, nobis manifeſtis, in latentium cau **centur.**
ſarum cognitionem nos duxit. Quòd autem Ariſtoteles inter primas qualitates, & ſubſtan- **Ariſto. inter quatuor pri-**

mas qualitates, & formas ſubſtantiales elementorum diſcrimen ſtatuit.

tiales elementorum formas, diſcrimen ſtatuerit, manifeſtum erit, vnicuique caput de odore, & ſapore, in libro de Senſu, & ſenſili, & 54. & 55. textum libri ſecundi de Gener. & inter. perlegenti: vbi docuit, ignem, non quatenus ignis eſt, ſed quatenus calidus, agere: atque rurſus materialem formam non proxime agere, ſed qualitate, vt inſtrumento, ad operandũ vti. Qua de re cùm ſatis ſuperque in confutatione reſponſionum Noui Autoris, ad decimam, & vndecimam Latinorum rationem, dictum ſit; non eſt, quòd fruſtra eadem repetamus.

Ad ſecundũ.

Ad ſecundum, nullam video in dictis Ariſtotelis pugnantiam, nec vllam tollendæ contradictionis neceſſitatem. Id ſemper firmum, & ratum in Ariſtotele manet, ex non ſubſtantijs ſubſtantiam fieri non poſſe: cùm autem quatuor primis qualitatibus in ſubſtantiali mutatione vſus eſt; non ideo, id fecit, quia ſubſtantiale compoſitum ex primis qualitatibus, tanquam formis, proximè conſtituatur; ſed quia quatuor primæ qualitates ad ſubſtantialem mutationem neceſſariò concurrunt, tanquam eæ, quibus materia afficitur, & ad veterem formam reijciendam, atque ad nouam recipiendam præparatur: ſæpius enim antè dictum eſt, neque generationẽ, neque interitum abſque præcedente alteratione fieri poſſe.

Ad tertium.

Ad tertium reſpondendum eſt, quatuor primas qualitates verè accidentia eſſe: nec propterea calidum frigidum, & id genus alia de eorum numero eſſe, quæ multipliciter dicuntur; nunquam enim ſubſtãtiales, ſed ſemper accidentales formas ſignificant. Et quanuis Ariſtoteles ijs interdum in ſubſtantialium formarum notitiam nos duxerit, illaſque nobis eiſdem circunſcripſerit; non ideo tamen ſequitur, vt tàm accidentia, quam ſubſtantias ſignificẽt, nanque caliditas ſolam qualitatem ſignificat, quæ eſt accidens, & ſi frequenter, tanquam indicium ſumatur alicuius ſubſtantialis formæ latentis, quæ eius principium exiſtit. Non errauit igitur Ariſtoteles ſi nomina non diſtinxit, quia nulla fuit neceſſitas diſtinguendi.

Ad quartum.

Explanatio tex. 45. lib. 1. Phyſic.

Ad quartum, cogor primùm in citato contex. Ariſt. mentem aperire, mox quanti roboris argumentum ſit, facilè vnicuique patebit. Ariſtotelis igitur in eo tex. conſilium eſt, oſtendere propoſitionem hanc, vnumquodq; quod fit, ex ſuo contrario fieri, abſolutè, hoc eſt, tàm in ſimplici, quàm in compoſita mutatione veram eſſe, vt tandem recte, non quodlibet ex quolibet fieri, contra Anaxagoram, concluderet. Cùm autem eius veritatem in ſimplicibus mutationibus oſtendiſſet, eandem in compoſitis oſtendere vult, ſiue illæ in ordine vt exercitus, ſiue in partium coniunctione, & ſtructura conſiſtant, vt ſtatua, vel domus. In his igitur, quicquid fit, ex ſuo contrario fit, quicquid diſſoluitur, in ſuum contrarium diſſoluitur. Id ſolum inter ſimplices, & compoſitas mutationes diſcriminis intercedere, Ariſtoteles aſſerit; quia nimirum in ſimplicibus appoſita nomina habemus, quibus illa contraria ſignificemus, ex quibus ſua contraria fiunt (calidũ. n. ex frigido; & album ex nigro fieri dicimus) in compoſitis verò non item, ſed infinitis nominibus vti cogimur. Cùm enim exercitus, vel domus fiunt, dubio procul ex ſuis contrarijs fiunt: quonam autem nomine, id quod exercitui, aut domui contrarium eſt, appellabimus? Nomen profectò non habemus, propterea nomine vtimur infinito, dicimuſque, exercitum ex non exercitu, & domum ex non domo, tanquàm ex ſuo contrario fieri. Hæc habet Ariſtoteles in 45. illo contextu 1. libri Phyſ. à Nouo Autore citato. Quid autem momenti habeant, ad ſuam opinionẽ tuendam, nunc videamus.

Noui Autor. arg. diluitur.

Ait ipſe, nominatas eſſe in ſimplicibus oppoſitas affectiones. Si rectè legantur omnes interpretes, patet, Ariſtotelis mentem eſſe, oſtendere, propoſitionem illam, quicquid fit, ex ſuo contrario fit, tàm in ſubſtantijs, quàm in accidẽtibus veram eſſe; quoniam verò ſubſtantiæ latent nos: idcircò, illam viam in procemio Phyſ. tex. 2. nos docuit, qua eius veritatem in accidentibus, tanquam in manifeſtioribus, nobis aperuit, vt inde poſtea, eãdem quoque in ſubſtantijs veram eſſe, eliceremus. Abſurdum autem non eſt, oppoſitas affectiones in accidentibus nominatas eſſe; liquidoque conſtat, album, & nigrum, quemadmodũ calidum, & frigidum, & id genus alia, tanquam exempla accidentium Ariſtotelem attuliſſe.

Inanis Noui Auto. obiect.

Nouus Autor id, quod à Latinis de exemplis dicitur, ridiculum putat: rationem verò, cur id ridiculum ſit, non adducit; ait ſolùm, quomodo Latini Ariſtotelem tuebuntur, qui muſicum, & immuſicum, vt actiua poſuit, cum tamen actiua nõ ſint? Quibus verbis, quid ſibi velit, haud planè ſcio: illud tamen non me fugit, Ariſtotelem in tex. 43. eiuſdem libri aſſeruiſſe, muſicum ex immuſico fieri; immuſicum autem paſſiuum quoddam eſt; cùm materiæ, vel ſubiecti rationem ſubeat.

Falſa Noui Autoris expoſitio.

Ait præterea Nouus Autor, Ariſtotelem poſuiſſe conſonans, & inconſonans, pro forma, & priuatione in miſtis: calidum, & frigidum, pro forma ſubſtãtiali in ſimplicibus: mu

ſicum

ſicum, & immuſicum pro forma, & priuatione in accidentibus. Sed attendat, Ariſtotelem, ijs nominibus, non propriè ſormam, & priuationem, ſed ipſamet compoſita accidentalia denotaſſe: cùm enim vnum contrarium ex ſuo contrario fiat, planum eſt, non dici formam ex priuatione fieri; ſed rem vnam ex altera, cui contraria dicatur: cùm enim ait Ariſtoteles, muſicum ex immuſico fieri; non intelligit, muſicam, quæ eſt forma, ex ſui priuatione fieri; ſed ex homine, carente muſica, & aliqua prædito opportunitate, & habilitate ad illam, muſicum fieri. Itidem ex non aere fit aer, hoc eſt ex ſubiecto, carente forma aeris, & aliquam habilitatem habente, ad illam recipiendam. Non ergo video, quam nam vim habeat hoc Noui Autoris argumentum, ad probandum, ſubſtantiales elementorum formas nominatas eſſe.

### *Cæterorum argumentorum ſolutio.* Cap. IX.

AD quintum neganda eſt maior propoſitio, quo ad omnes partes. Primò falſum eſt, notis exiſtentibus principijs, nos operationes latere: cùm enim ex operationib. in principiorum cognitionem deueniamus, nunquam certè principia nobis manifeſta eſſent, ſi eorū operationes ignoraremus. Quod adducitur ex 4. de Cælo, textu 1. vel potius ſecundo, male intelligitur: non enim ait ibi Ariſtoteles, grauis, & leuis operationes latere, ſed nomina deeſſe, quibus aptè operationes illas ſignificemus: niſi fortaſſe ad ſuperum, & inferum locum propenſiones, eas eſſe dicamus. Sed falſa præterea eſt illa pars eiuſdem maioris, nimirum, formas latere non poſſe, vbi operationes notiſſimæ ſunt: quot enim lapidum, plantarum, & animalium operationes patent, quorum tamen principia proxima penitus ignoramus? Ducunt quidem nos operationes notiſſimæ in ſuum principium, adeo vt principium illud neceſſariò conſiſtere, certò ſciamus: at verò quid nam illud principium ſit, aut quo nomine vocetur, penitus ignoramus: vt enim principium illud per ſe notum; ita nobis immanifeſtum eſt. Ad minorem autem propoſitionem, qua dicebatur, ſubſtantiales elementorum operationes notiſſimas eſſe; ſi, per ſubſtantiales operationes, eæ intelligantur, quas Nouus Autor intellexit, propoſitio veriſſima eſt: nam, vt ipſe exiſtimat, ſubſtantiales elementorum operationes ſunt calefacere, frigefacere, & id genus aliæ, quæ omnibus patent: ſunt enim operationes, proximè à qualitatibus orientes. Si verò per ſubſtantiales operationes, eæ intelligantur, quæ à veris, & proprijs ſubſtantialibus elementorum formis proficiſcuntur; profectò non adeo omnib. manifeſtæ ſunt, cùm multi ſint, qui illas ignorent, è quorum numero fuit Nouus Autor, qui nullas alias elementorum operationes agnouit, quam eas, quæ à qualitatibus pendent. Sed fac etiam, ſubſtantiales elementorum operationes notiſſimas eſſe: illæ quidem, vt nuper dictum eſt, in ſuum principium nos ducent: ſciemus enim, eas neceſſariò ab aliquo principio proficiſci: quidnam autem illud principium ſit, aut quo nomine vocetur ignorabimus. Ad ſextum, niſi me ratio fallit, maior propoſitio ijs aduerſari videtur, quæ in præcedente argumento Nouus Autor aſſeruit: ſi enim Ariſtoteles contra Platonem oſtendit, plantas nō habere ſenſum; quia nulla eſt operatio, quæ id declaret; ſatis hoc eſt igitur ſigni, ab operationum notitia nos in principiorum cognitionem deuenire: ac propterea falſum erit id, quod ipſe paulò ante dicebat, ſcilicet notis exiſtentibus principijs, operationes latere nos poſſe: nanque Plato reſpōdere poſſet, plantas ſenſum quidem habere, eius autem operationes occultas eſſe. Ad minorem, cum ait, nullam eſſe operationem, quæ ſignificet, elementorum formas innominatas eſſe: iam reſponſum eſt, præter operationes, à qualitatibus ortas, dari ſubſtantiales elementorū operationes, non ita omnibus manifeſtas, quæ in occultas, & innominatas formas nos ducunt. Ad ſeptimum, rectè dicunt Latini, operationem, quæ occultas, & innominatas elementorum formas oſtendit, eſſe generare ſibi ſimile. Cùm verò ait Nouus Autor, elementa nulla alia ratione ſibi ſimilia generare, niſi quia qualitatibus prædita ſunt; ſi ita intelligat, vt abſq; qualitatibus, quæ eorum inſtrumenta ſunt, ſibi ſimilia generare non poſſint; admittenda eſt vtique propoſitio. Si verò ita intelligat vt ſolis qualitatibus, omnibus alijs formis ſeclusis, elementa ſibi ſimilia procreent; tunc propoſitio prorſus neganda eſt: ſiquidem elementum omne, ſua forma ſubſtantiali, latente, & innominata, ſibi ſimile generat; quanuis etiam qualitates, tanquam miniſtras, ad id munus obeundum, adhibeat. Neque verò ignis eò præcipuè ſibi ſimile generat, quia calidus, ſed quia ignis eſt: & corpus quidem calidum ſibi ſimile generat; attamen priùs natura corpus, quàm corpus calidum edit

Ad quintum.

Abſurdū nō eſt, formas latere, & operationes notiſſimas eſſe.

Subſtantiales elemētorum formæ quænam ſint.

Ad ſextum.

Ad ſeptimū.

vt hinc etiam intelligamus, ſubſtantiale compoſitum, ſaltem naturæ ordine, accidentale cõpoſitum antecedere. Ad octauum iam reſponſum eſt aliàs, elementa ex materia prima, & primis contrarietatibus conſtituta eſſe;per primas autem contrarietates Ariſt.qualitates intellexiſſe,quibus ſubſtantiales elementorum formas circunſcripſit.

Ad octauum lege quæ dicta ſunt ſup. par.4. c.10.

*Tres Noui Autoris rationes diſſoluuntur, quibus oſtendere nititur, ſubſtantiales elementorum formas non fuiſſe ab Ariſtotele qualitatibus circunſcriptas.* Cap. X.

PRæter hæc argumenta, tres alias rationes, propè finem eiuſdem capitis, Nouus Autor adiecit, quibus ſibi ipſi perſuaſit; Ariſt.cùm de elementis locutus eſt, eorum ſubſtantiales formas qualitatibus non circunſcripſiſſe.

Prima ratio.

Prima ratio ea eſt; Ariſt.in elementorum cognitione tradenda,calidum,frigidum,humidum,& ſiccum non accepit,niſi prout ſuis definitionibus explicantur: ſed prout ſuis definitionibus explicantur, nullas ſubſtantiales formas circunſcribunt,ſed proprias tantum naturas repræſentant; ergo Ariſt. cùm de elementis locutus eſt,nullas formas latẽtes qualitatibus circunſcripſit. Minorem propoſitionem probat: definitur enim calidum, vt ſit illud,quod homogenea congregat,& heterogenea ſegregat:cõſtat autem,non cõuenire calido homogenea congregare, & heterogenea ſegregare, prout aliquid circunſcribit, ſed per naturam, atque eſſentiam ſuam.

Secunda rõ.

Secunda; Ariſt.in explicandis elementis,calidum,frigidum,humidum,& ſiccum accepit,eo modo,quo eadem veteres philoſophi accipiebant: Sed veteres philoſophi nihil ijs nominibus circunſcribebant; vanum eſt igitur ad circũſcriptionem confugere.

Tertia.

Tertia; Ariſt.2.de Generat.tex.6.poſuit,quatuor primas qualitates eſſe ſecundum in ordine,quod elementa conſtituit:ſi autem ante illas ſunt formæ,quæ ijs circunſcribantur;iam qualitates non erunt ſecundum, ſed tertium in elementorum conſtitutione. Leues profectò ſunt huiuſmodi rationes.

Rñſio ad primam rõnem.

Ad primam negãda eſt maior: non.n. Ariſt.cùm de elemẽtis locutus eſt,qualitates accepit,prout illas definiuit; ſed ea potiſſimùm ratione, qua formarum ſubſtantialium proximi effectus dicuntur:cùm autem formæ ſubſtantiales occultæ ſint,& nomine careant;ideo placuit Ariſt.eas primis qualitatibus circunſcribere.

Ad ſecundã.

Secunda ratio valida quidem iudicaretur,ſi minor propoſitio aliqua probatione munita eſſet:veteres nanque philoſophi, qui optimè de rebus naturalibus diſſeruerũt,per calidum,frigidum,humidum,& ſiccum,non puras qualitates, aut eaſdem proximè in materia inhærentes,ſed elementa ipſa, hoc eſt ſubſtantialia compoſita, qualitatibus prædita, intellexerunt.

Hippocrates philoſophiæ parens.

Hippocrates,qui fuit philoſophiæ parens,à quo etiam nõ pauca Ariſt.accepit, nomine natiui humidi,aut caloris innati,nõ ſimplicem humorem, atque calorem intellexit, ſed has qualitates,in ſpiritali, latenteque ſubſtantia inhærẽtes: vetus enim conſuetudo fuit, latentes,nobiſque ignotas ſubſtantias manifeſtis qualitatibus ſignificare. Rectè igitur & Ariſtot. veteres imitatus,occultas elementorum formas manifeſtis earum proprietatibus circunſcripſit.

Ad tertiam.

Ad tertiam reſpondendum eſt,elementorum qualitates dupliciter conſiderari poſſe, vno modo, vt qualitates ſunt, altero, vt ſubſtantiales formas circunſcribunt. Vt qualitates ſunt, tertium dicuntur in conſtitutione elementorum: vt verò ſubſtantiales formas circunſcribunt,dicuntur ſecundum:idem autẽ eſt dicere qualitates,ſic conſideratas,eſſe ſecundum in cõſtitutione elementorum,ac ipſaſmet ſubſtantiales formas. Nulla igitur ratione dubitandum eſt,quin ſubſtantiales elementorum formæ occultæ ſint, eaſque nobis Ariſt. cùm elementa definiuit,qualitatibus circunſcripſerit.

*Elementorum diſtinctionem, qua & vt elementa, & vt tales ſubſtantia ſunt, conſiderantur, rectè à Latinis traditam,malè à Nouo Autore impugnatam fuiſſe.* Cap. XI.

Diſtincta elemẽtorũ cõſideratio apud Latinos.

FAmoſa eſt apud Latinos elementorum illa diſtinctio,qua & vt elementa,& vt tales ſubſtantiæ ſunt,conſiderantur:aiunt enim, elementa, vt tales ſubſtantiæ, hoc eſt ſimplicia corpora ſunt,proximè ex materia,& forma concreta, in libris de cælo ab Ariſt.conſiderari, vbi naturam omnium ſimplicium corporum,quæ proximè vniuerſum conſtituunt,diligentiſſimè explorauit. Eadem vero, vt elemẽta,hoc eſt, vt alteratricibus qualitatibus prædita ſunt, in libris de Generatione, & interitu pertractari: vbi eorum tractatio non amplius abſoluta, ſed relatiua eſt:cùm ad miſtum,tanquam ad id,quod mutua tranſmutatione conſtituunt, dirigatur. Diſtinctionem hanc Nouus Autor ſectio.2.cap.9.ſpiritu potius contradictionis du-

ctus,

ctus, quam vlla neceſſitate compulſus, refellere voluit, nonnullaſque rationes propoſuit, quas nunc ſingillatim afferemus, & diluemus. Primò igitur ſic argumentatur; elementa non conſiderantur in libris de Generatione, niſi quatenus miſcentur: non miſcentur autem, niſi quatenus ſunt ſubſtantiæ, vt patet per textum 83, & 84. primi eiuſdem operis libri: ergo non conſiderantur, niſi quatenus ſunt ſubſtantiæ; atque adeo inanis eſt ea elementorum diſtinctio, qua & vt elementa, & vt tales ſubſtantiæ ſunt, conſiderari dicuntur.

Prima rõ noui Auto. aduerſus Latinorum diſtinctionem.

Ad hoc argumentum reſpondendum eſt, cùm dicunt Latini, elementa, quatenus elementa ſunt, in libris de Generat. & interitu conſiderari; illam particulam, quatenus, nullam habere vim elementorũ ſubſtantiam minuendi; ſed potius aliquid ſupra ſubſtantiæ conſiderationem addendi. Conſiderare igitur elementa, quatenus elementa ſunt, eſt quidem conſiderare elementa, quæ ſubſtantiæ ſunt: tamen non eſt conſiderare ſubſtantias elementorum, prout abſolutè ex materia, & ſubſtantiali forma coaleſcunt; ſed eaſdem, ſenſibilibus qualitatibus ſubiectas, quibus inuicem agunt, & patiuntur, atque ad miſtum corpus procreandum præparantur. Totum igitur argumentum concedi poteſt: nihil enim aliud concludere videtur, niſi elementorum ſubſtantias, qualitatibus affectas, & miſtioni accommodatas, in libris de generatione, & interitu conſiderari.

Solutio.

Secundam rationem elicit ex textu 7. ſecundi libri de Genera. vbi philoſophus ita ſcribit, *Quoniam igitur quærimus ſenſibilis corporis principia.* & ſubiungit, *Corporis formas, & principia faciunt.* ibi igitur elementa conſiderat, vt talia corpora, non autẽ vt elementa ſunt.

Secunda rõ.

Verùm hic locus interpretatione non eget: ſatis enim Ariſt. in eodem contextu ſemetipſum explicauit, dum dixit, quærenda eſſe principia corporis ſenſibilis: non igitur ibi elementa, vt abſolutè corpora ſunt, ſed ea potiſſimùm ratione, qua ſenſibilia ſunt, conſiderauit.

Solutio.

Etenim in libris de Cælo elementorũ principia quæſiuit, quę ipſa in eſſe corporis conſtituũt, ea autẽ ſunt materia, & forma: in lib. aũt de Gener. eorundẽ principia perueſtigauit, quib. ipſa nõ amplius in eſſe corporis, ſed in eſſe elemẽti, hoc eſt, ĩ eſſe corporis ſenſibilis ſtatuũtur, & huiuſmodi principia ſunt alteratrices qualitates, eæ potiſſimũ, quæ ſenſu tactus percipiuntur.

Diſtincta elemẽtorũ principia, quæ in lib. de Cælo, & in lib. de Gener. & interr. perueſtigantur.

Sed ait Nouus Autor, ibi corpus ſenſibile, ad differentiã corporis Mathematici, ab Ariſt. dictũ eſſe, idẽque ac naturale corpus ſignificare; ꝑpterea ibi Ariſt. elemẽta cõſideraſſe, vt abſolutè naturalia corpora ſunt, non aũt cũ hac relatione, quatenus ſcilicet à nobis ſentiũtur.

Inſtantia noui Autoris.

Sed audiat Ariſt. in eodem contextu dicentem, ſe quærere principia corporis ſenſibilis, & illius quidem tactu perceptibilis: igitur non conſiderauit elemẽta, vt abſolutè corpora naturalia ſunt, ſed vt ſunt corpora naturalia, ſenſibilibus qualitatibus affecta: dixit ergo ſenſibile corpus, non vt illud à mathematico, ſed vt ab inaffecto (ſi ita loqui liceat) diſtingueret.

Solutio ex Ariſt.

Audiat etiam Ioan. Grammaticum in com. eiuſdem textus ita ſcribẽtem. *Corporis ergo principia affecti quærimus, hoc autem ſenſibile eſt.* & paulò infra, *Quare quoniam apparuit, nos corporis principia quærere naturalis, & ſenſibilis.* explicauit Io. Grammaticus quodnam ſit illud corpus naturale, cuius principia ibi quæruntur, dixitque, eſſe corpus ſenſibile; igitur corpus ſenſibile non ibi accipitur, vt à mathematico, ſed vt ab inaffecto diſtinguitur.

Solut. ex Io. Grammat.

Sed ait rurſum Nouus Autor, Ariſt. dixiſſe textu 3. eiuſdem libri, corpus ſenſibile, ideſt naturale, ſine contrarietate eſſe non poſſe.

Alia inſtantia noui Autoris.

At illa gloſſa, *ideſt naturale*, addita eſt ex nimia eius liberalitate.

Solutio.

Rogat præterea, vt conſiderẽtur verba Ariſt. in fine tex. 6. vbi ait, *Sed non minus & vt corporis, qualia, & quot dicendum principia.* Dicit, vt corporis; ergo elementa, vt corpora abſolutè ſunt, non autem vt ſenſibilia, conſideranda proponit.

Tertia inſtantia eiuſdem.

Sed rogo Nouũ Autorẽ, vt diligenter legat verba, quæ paulò antè in eodẽ contextu Ariſt. ſcripſit, ſunt aũt huiuſmodi, *Quapropter primum quidẽ potentia corpus ſenſibile principiũ eſt*, proponit igĩ diſputandũ de corpore ſenſibili, nõ de corpore vt corpus eſt. Et quãuis interdum dixerit de corpore, vt corpus, ſicut ſcripſit 2. de Aĩa tex. 117. ſemper tamen ſenſibile intelligendum eſt. Sic etiam intellexit Auerroes in com. ſecundi libri de Generatione, & interitu, dum propoſuit diſputandum eſſe de elementis corporum compoſitorum ſenſibilium, ſecundum quod corpora, ſupple, ſenſibilia ſunt.

Solutio.

Ne autem vim faciamus in verbis (proterui enim, & peruicacis hominis eſt, verbis tantùm inſiſtere, ſententia dimiſſa) perpendamus, quænam ſint ea principia, quæ elementa conſtituunt. Si Ariſt. diligenter legamus, inueniemus, ea eſſe qualitates ſenſibiles, ac præcipuè (vt ita dicam) tangibiles: conſtat autem, huiuſmodi qualitates elementa quidem in eſſe corporis ſenſibilis, non autem in eſſe corporis, abſolutè ſpectati, conſtituere; corpora n. iam ſunt, cùm illis eiuſmodi qualita-

Hinc elice, qualiſnã ſit elemẽtorum conſideratio in l. b. de Gener. & inter.

tos aduenīunt; igitur de elementis, nōn prout abſolutè corpora, ſed prout ſenſibilia ſunt, ibi Ariſtoteles diſputauit. Argumentatur tertiò Nouus Autor; quoniam in libris de Generatione, & interitu, elementorum conſtitutio, & numerus conſideratur; ergo eorum conſideratio abſoluta, non autem relatiua eſt. Ad hoc argumentum reſpondetur primò in libris de Generatione, & interitu conſiderari elementorum conſtitutionem, non quidem in eſſe ſimplicium corporum, vt ipſe fortaſſe exiſtimauit; ſed in eſſe tantummodò elementorum. Reſpondetur ſecundò, in eiſdem libris, non indagari numerum elementorum; iam enim ille in libris de Cælo ab Ariſtotele perueſtigatus eſt, dum inuenit, aliqua eſſe ſimplicia corpora, quæ à medio, aliqua verò, quæ ad medium feruntur: iſtorum autem vnum eſſe grauiſſimum, aliud leuiſſimum, tertium ſecundum quid graue, quartum ſecundum quid leue: in libris verò de generatione, & interitu, quatuor qualitatum numero, & combinatione, elementorum numerum, non inuentum quidem, ſed confirmatum eſſe. Ait enim Ariſtoteles libro 2. tex. 16. *Quoniam autem quatuor elementa ſunt.* ponit igitur, quatuor iam eſſe elementa, eundemque numerũ, primarum qualitatum coniugatione, confirmat. Tandem probat, elementorum conſiderationem in libris de Generatione, & interitu abſolutam eſſe: quoniam ibi elementa particulatim in ordine ad miſtum nōn ſpectantur, vt Latini volunt; ſed eorum etiam tranſmutatio, viciſſim facta, perpenditur: abſolutè igitur cōſiderantur: hæc enim eſt eorum natura, per quam à Cælo diſtinguuntur. Sicubi autem elementa in ordine ad miſtum conſiderantur, eſt in 4. Metheor. vbi Ariſtoteles miſti generationem, & interitum definiuit. Multa pro huius argumenti ſolutione dicenda eſſent; ſed ne aliò diuertamus, illud ſaltem animaduertam, quatuor ſimplicia corpora, elementa vocata, generationem quidem, & interitum perpeti, non tamen in tota eorum ſubſtantia, (ſemper enim integra, ſaltem per æquiualentiam ſeruantur; alioquin vniuerſum diſſolueretur) ſed in partibus tantùm. Quid ita? vt ex eorum tranſmutatione, mutuaque particularum coniunctione, miſta corpora coagmentētur: ſi enim integra ſemper, & illæſa, tam in tota ſubſtantia, quàm in partibus elementa manerent; nunquam profectò miſti corporis procreatio fieret. Itaque conſiderare elementa, quatenus etiā viciſſim trāſmutantur, & generationem, atque interitum in eorum partibus perpetiuntur, eſt illa conſiderare in ordine ad miſtum, & eorum conſideratio propria eſt librorum de Generatione, & interitu, vbi de miſto corpore, generatim accepto, diſſeritur, & miſtionis etiam definitio traditur. In alijs autem libris hæc, aut illa miſta corpora particulatim traduntur, & miſti corporis generatio, & interitus non definitur primò, ſed potius iam tradita definitio repetitur, & facilioris doctrinæ gratia declaratur.

Tertia rō noui Autoris.

Solutio prima.

Solutio ſecūda.

Quarta ratio

Solutio

Elemēta cur tantum in eorum partib. gener. & int. perpetiatur.

Miſtionis definitio traditur lib. 1. de Gen. tex. 90.

### *Elementorum conſiderationem in libris de Cælo, quicquid Nouus Autor aſſerat, abſolutiſſimam eſſe.* Cap. XII.

DEcimo quoque capite eiuſdem ſectionis ſecundæ, multa Nouus Autor conſiderat, & paſſim reijcit, quæ ab Aegidio, Zimara, Sueſſano, & alijs, pro eorum ſententiæ defenſione, dicta ſunt. Ea verò nunc omnia dimittentur à nobis: iam enim antè diximus. Latinorum quidem ſententiam de ſubſtantialibus elementorum formis; non item ſingula eorum dicta defenſuros eſse. Nonnullas autem aſsertiones in eod. c. propoſuit, quæ profectò abſque animaduerſione aliqua dimittendæ non ſunt. Prima eſt, aliquam philoſophiæ partem neceſſariò dari, in qua elementa, vt talia corpora ſunt, abſolutè conſiderentur. Secunda, elementorum conſiderationem in libris de Celo nequaquam abſolutam, ſed relatiuam eſse. Tertia, eorundem abſolutam conſiderationem optimè haberi in libris de Generatione, & interitu. In prima aſsertione vſquequaque conuenimus. De tertia iam ſatis in præcedente cap. dictum eſt. In ſecunda tantummodò verſabimur, quam duabus rationibus ſe probaſse, putauit. Primò, vbi elementa ſecundum potentias ſimpliciter conſiderantur; ibi relatiuè conſiderantur (potentia enim refertur ad actum): ſed elementa ſecundum potentias ſimpliciter, ideſt ſecūdum grauitatem, & leuitatem in libris de Cælo conſiderantur, quę libro 4. tex. 1. potentię ab Ariſtotele appellantur; ergo eorum conſideratio in ijs libris non abſoluta, ſed relatiua eſt. Deinde, elementa in libris de Cælo conſiderantur, vt mundum conſtituunt, ſunt enim partes ipſius, quemadmodum aſserit Ariſtoteles lib. 1. tex. 5. *De ijs autem, quæ ſecundum ſpeciem ipſius partes ſunt, nunc dicamus*; eorum igitur cōſideratio in ijs libris relatiua eſt. Hic, obſecro, hu-

Tres no. Autoris aſſertiones.

Prima rō noui Auto. qua probare contendit, elemētorum conſiderationē in lib. de Cælo, relatiuā eſſe.

Secunda rō.

humaniſſime lector, conſidera, quantum interſit initio opinionibus, à communi intelligentia remotis, immò ab ipſamet veritate alienis, adhærere: qui enim illas amplexantur, eaſdem poſtea nouis ineptijs defendere coguntur. Quid enim in philoſophia abſurdius audiri poteſt, quàm elementorum conſiderationem in libris de Generatione, & interitu abſolutam, in libris autem de Cælo relatiuam eſſe? Id profectò omnem perturbat Ariſtotelis philoſophiã, & quaſi noctem quandam rebus naturalibus offundit: quod ne fortè vſpiam radices agat, tribus potiſſimùm rationibus refellere conatur. Quarum prima hæc erit. Cuiuſlibet rei abſoluta conſideratio relatiuam eiuſdem rei conſiderationem præcedere debet: vt enim res ſe habet ad eſſe, ita & ad cognoſci, quemadmodum lib. 2. Metaph. Ariſtoteles docuit: ſed priùs Ariſtoteles in libris de Cælo, quàm in libris de Generatione, de Elementis diſſeruit; grauiter igitur erraſſet, ſi relatiuam elementorum conſiderationem eorundem abſolutæ conſiderationi antepoſuiſſet. Secunda, eadem eſt in libris de Cælo elementorum, ac ipſius cæli conſideratio: omnia enim ſub vno, & eodem ſubiecto, quod eſt corpus ſimplex, continentur, vt aliàs probauimus: ſed in ijs libris conſideratio cæli abſolutiſſima eſt, talis igitur erit elementorum quoque conſideratio. Tertia, conſiderare aliquid, ſecundum eius ſubſtantialia generationis principia, & ſecundum intimam proprietatem, ab ipſo fluentem, profectò eſt illud abſolute conſiderare: ſed Ariſtoteles, in tertio, & quarto libro de Cælo conſiderauit elementa, ſecundum ſubſtantialia eorum generationis principia: atque rurſus ſecundum eorum ad diuerſa loca mobilitatem, quæ eſt intima proprietas, ab eorum formis proficiſcens; ergo abſolutè Ariſtoteles in ijs libris elementa conſiderauit. Minor ex ſe perſpicua eſt. Maior autem probari poteſt, ex conſideratione corporis naturalis, in libris de Phyſico auditu, ab Ariſtotele habita. Nemini enim dubium eſt, quin in ijs libris conſideratio corporis naturalis abſoluta, & vniuerſalis ſit: illud autem conſiderauit, quatenus eſt totum quoddam ex materia, & forma, tanquàm ex ſubſtantialibus principijs, conſurgens; atque rurſus quatenus ab eo mobilitas, tanquàm præcipua affectio fluit. Nunc Noui Autoris rationes, his oppoſitas, diluamus. Ad primam neganda eſt minor; non enim elementa in libris de Cælo conſiderantur, ſecundum potentias ſimpliciter, ſed primò ſecundum eorum naturas, atque ſubſtantias; poſtea verò ſecũdum proprietates, in quibus potentiæ includuntur; eiuſdem enim artificis eſt, ſubiectum, & eius affectiones explorare. Ad ſecundam negamus, elementa in libris de Cælo ad eam potiſſimum rationem, quatenus ſcilicet vniuerſi partes ſunt, conſiderari: alibi enim docuimus, cælum, & elementa proximas quidem eſſe vniuerſi partes; nihilominus in libris de Cælo vniuerſum præcipuè ab Ariſtotele non ſpectari, ſed corpus ſimplex, quod illorum librorum adæquatum ſubiectum ſtatuitur: propterea tam cælum, quàm elementa in ijs libris præcipuè vt ſimplicia corpora ſunt, conſiderari. Neque verò conſiderare aliquid, quod aliquam ad aliud relationem obtineat, abſolutam eiuſdem conſiderationem tollit: nam corpus etiam naturale, vt totum quoddam eſt, relationem habet ad ſuas partes, & quatenus mobile eſt, ad motorẽ refertur; nihilominus eius conſideratio, vt nuper diximus in libris de Phyſico auditu, abſolutiſſima eſt. Rurſus conſideratio animæ in libris de Anima abſoluta eſt: adæquatum enim illorum librorum ſubiectum ſtatuitur; & quatenus talis ſubſtantia eſt, ibi ab Ariſtotele expenditur; fieri tamen non poteſt, quin relationem habeat ad corpus, cuius eſt forma. Relatiua autem animæ conſideratio habetur in libris paruorum naturalium, vbi potiſſimùm anima, vt diuerſarum operationum principium conſideratur. Huc accedit, quòd ſi, propter relationẽ illam, quam ad vniuerſum elementa habent, eorum conſideratio relatiua eſſet; cùm eadem relatione ad ipſum quoque vniuerſum referatur cælum, eiuſdem pariter conſideratio in libris de Cælo relatiua eſſet: illius igitur abſoluta conſideratio in alia philoſophiæ parte deſideraretur, quæ tamen nullibi apud Ariſtotelem reperitur. Sed alia rurſus Noui Autoris obiectio remouenda eſt: ait enim, elementorum generationem in 3. li. de Cælo ex accidẽti ab Ariſtotele conſiderari quatenus ſcilicet à Cælo diſcriminantur; quod vt indiſſolubile, ita ingenerabile eſt; in ſecundo verò libro de Ortu, & interitu per ſe, & propriè de elementorum generatione Ariſtotelem diſſeruiſſe, ac propterea hic abſolutam, ibi relatiuam elementorum conſiderationem habuiſſe. Sed nemo eſt, qui non videat, obiectionem hanc ſanè futilem, atque inanem eſſe: cùm enim Ariſtoteles totum tertium librum de Cælo, in explicanda elemẽtorum conſideratione, conſumpſerit, ibique veterum philoſophorum ſententias propoſuerit,

Autor reijcit noui Autor. ſententiam.

Prima ratio.

Secunda rõ

Tertia ratio

Reſpõſio ad primã rõnẽ noui Auto.

Ad ſecũdam

Quare d[illegible] de ſubiecto lib. de Cælo.

Abſoluta alicuius reſ conſideratio nõ impedit propter aliquam relationem quã ad aliud obtineat.

Nota hãc rationem.

Putauit noui Autor Ariſ. in lib. de Cælo ex accidenti, in lib. verò de Ortu, & interitu p ſe de elementorum generatione diſſeruiſſe.

Reijcitur noui Autor. ſententia.

Hinc elice, qualisnã fuerit elementorũ tractatio, in lib. de Gener. & inter.

& confutarit, propriam verò attulerit, & confirmarit; quis iure vnqua m affirmare audebit ibi Ariſtot. de elementorum generatione tantummodo ex accidenti diſputaſſe? Cùm verò ait Nouus Autor, per ſe, & propriè in ſecũdo lib. de Ortu, & interitu elementorum generationẽ Ariſt. tradidiſſe: vellem, vt diligenter legeret initium textus 24. eiuſdem ſecũdi libri, vbi Ariſt. ita ſcribit, *Quoniam autem determinatum eſt prius, quòd eſt ſimplicibus corporibus ex ſe inuicem generatio*, videbit, ibi Ariſt. apertiſſimè affirmare, ſe iã priùs, hoc eſt in libris de Cælo, de elementorum generatione diſſeruiſſe, nouamque rurſus eorundem generationis tractationem propoſuiſſe. Etenim cũ generatio abſque præcedente alteratione fieri nequeat, & aliqua elementa ſint, quæ faciliùs alterationem inuicem, aliqua verò, quæ difficiliùs perpetiuntur; ideo in 2. libro de Ortu, & interitu, non fuit Ariſt. conſilium, principia, & cauſas generationis elementorum docere: ſed oſtendere, quę nam ſint illa elementa, quę faciliùs in alia tranſmutari poſſint. Et quoniam, vt diximus, mutua elemẽtorum tranſmutatio eò dirigitur, vt ſcilicet miſtum aliquod procreetur; hinc fit, vt tota elementorum conſideratio in libris de Generatione, & interitu, relatiua, in libris autem de Cælo, abſolutiſſima ſit. Hęc ſunt, quę nobis cum Nouo Autore in hac diſputatione agenda erant: ijs enim inſtantijs, quas ipſe 11. capite, contra veras præcipuè Latinorum reſponſiones, ad argumenta Græcorum, adduxit, iã planè, parte quarta diſputationis noſtræ, ſatisfactum erat.

# PARS SEXTA,

## IN QVA OPINIO AVERROIS EXAMINATVR.

### *Auerrois opinionis varietas.* *Cap. Primum.*

IN referenda Auerrois ſententia de formis elementorum; non eſt, cur multum temporis conteramus: varius enim vbique fuit; neque inter eius interpretes, & ſectatores, quid tandem docuerit, planè conſtat. Idcirco locos nõnullos, vbi hac de re diſſeruit, obiter percurremus, atque ſententiam illam, quæ ei communiter aſcribitur, diligenti, quoad eius fieri poterit, examine perpendemus. Igitur lib. 4. de Cælo com. 1. tanquam certum, & manifeſtum reliquit, elementorum formas eas eſſe, quæ oppoſitorum motuum principia dicuntur, nimirum grauitatem, & leuitatem. Tamen in eodem com. paucis interiectis verbis, grauitatem, & leuitatem, quas priùs formas appellauerat, elementorum virtutes, ac proprietates nuncupauit. Rurſus, cùm iam ex Ariſt. oſtendiſſet, grauitatem, & leuitatem ſubſtantiales elementorum formas dici debere, ait grauium, & leuium corporũ naturas latere nos, & eaſdem ab Ariſt. conſiderandas proponi: quibus verbis nonne apertiſſimè Latinorum ſententiam comprobauit? Etenim, ſi elementorum formæ ſunt grauitas, & leuitas, quid eſt, quod in ipſis latere poſſit, niſi materia prima? De materia autem prima Ariſtot. lib. 4. de Cælo diſputandum nõ propoſuit; cùm iam de ea lib. 1. Phyſ. cumulatiſſimè diſſeruiſſet. Quare, per latentes naturas in elementis, nihil profectò aliud intelligere potuit, niſi veras eorum ſubſtantiales formas, & illas quidem innominatas, quæ grauitatẽ, & leuitate, tã quam manifeſtioribus qualitatibus circunſcribuntur: cùm eæ præſertim aptiſſimè inſtrumẽta ſint, quibus elementa in proprias regiones concedunt, & ſedem in vniuerſo eorum conſeruationi accommodatam, nanciſcuntur. Præterea in paraphraſi 2. lib. de Gener. & inter. circa initium docuit, elementorum formas, eſſe prima oppoſita, quæ in eiſdem reperiuntur; atque in ijs, pręter grauitatẽ, & leuitatem, caliditatem quoq; & frigiditatem, humiditatem pariter, & ſiccitatem numerauit: quæ ſanè ſnĩa ea ipſa eſſe videtur, quam Græci interpretes defenderunt. Nihilominus 3. lib. de Celo com. 77. aſſeruit, elemẽtorum operationes non eſſe propter ſuas figuras, ſed propter ſuas formas, & qualitates contrarias. Diſcrimen igitur inter elemẽtorum formas, & eorum qualitates conſtituit, dilucidèque patefecit, elemẽtorum qualitates contrarias, eſſe calorem, frigus, humiditatem, & ſiccitatem. Ad hæc, lib. 2. de Anima, com. 118. abſolutè pronunciauit, graue, & leue in ſubſtantiæ prædicamento collocari: ait. n. quale, prout de calido, & frigido, graui, & leui dicitur, non niſi purè æquiuocè dici: nam hæc nomina ſunt in prædicamento qualitatis, graue autem, & leue in prædicamento ſubſtantiæ. At lib. 3. de Celo com. 67. contra Auicennam diſputans, propriamque ſnĩam aperiens, elementorum

Grauitas, & leuitas Auer. ſunt formæ ſubſtantiales elementorũ.

Appellauit Auer. grauitatẽ, & leuitatem virtutes, ac proprietates elementorum.

Apud Auer. elemẽtorum formæ sũt innominatæ.

Inter elemẽtorũ formas enumerauit Auer. quatuor primas qualitates.

Diſcrimẽ ſtatuit Auer. inter elementorum formas, & eorũ qualitates cõtrarias.

Exiſtimauit Auer. elemẽtorũ formas eſſe in genere ſubſtantiæ.

Elemẽtorum formæ apud

torum

torum formas accipitis cuiuſdam eſſe naturæ, ac veluti medium quiddam inter ſubſtantiam, & accidens, affirmauit. Denique lib. de ſubſtantia Orbis cap. 1. apertiſſimè docuit, elementorum formas inuicem contrarias eſſe, ſeſeque mutuò ab eodem ſubiecto expellere. Oppoſitum verò lib. 5. Phyſ. com. 10. & lib. 8. Metaph. com. 5. contra Alexãdrum defendit, videlicet ſubſtantias ſimplices, cuiuſmodi ſunt elementa, non eſſe contrarias, niſi ſecundum ſuas qualitates: quæ quidem nullo modo ſubſtantiæ nuncupari poſſunt. Qui. n. fieri poteſt, inquit, vt res aliqua, cum hac copulata, ad vnum, cum illa verò, ad aliud prædicamentum attineat? Vel vt vna res, ad rem aliquam comparata, ſit ſubſtantia; per ſe verò, & abſolutè ſpectata, qualitas eſſe dicatur? Atque ibi tandem contra Alexandrũ concludit, quatuor primas qualitates ſubſtantiales elementorum formas eſſe non poſſe; quod quidem opinionis eius varietatis euidẽtiſſimum argumentum exiſtit.

Auer. ſibi ac cipitis naturæ. Elemẽtorum formæ apud Auer. ſunt inter ſe contrariæ. Idem cẽſuit, eaſdẽ nõ eſſe contrarias.

*Opinio Auerroi communiter aſcripta, quatuor rationibus comprobatur.* Cap. II.

IN tanta autem locorum Auerrois diuerſitate, qui ad intima eius ſenſa penetrarunt, hanc eſſe eius opinionem de formis elementorum, ſtatuerunt; nimirum elementa, per grauitatẽ, & leuitatem propriam rationem adipiſci, atque in elemẽtorum eſſe conſtitui: quam quidem ſñiam quatuor præcipuis rationibus comprobarunt. Primam ſumunt ex ordine Ariſtotelicæ tractationis: Ariſt. nanque priùs lib. 4. de Cælo de grauitate, & leuitate, poſtea verò in lib. de Generat. & interitu, de quatuor primis qualitatibus diſputauit: grauiſſimè autem reprehendendus eſſet, niſi grauitatem, & leuitatem tanquam formas ſubſtantiales elementorũ accepiſſet: quoniam qualitates ſecundas priùs, quàm primas explicaſſet. Ducunt ſecundam rationem ex definitione naturæ, quam lib. 2. de Phyſico auditu, tex. 3. Ariſt. tradidit; vbi naturam internũ motus principium appellauit: ſed grauitas, & leuitas, eodem autore, ſunt interna principia motus elementorum: graue enim illud eſſe dixit, quod natum eſt ferri ad medium: leue autem, quod à medio; igitur grauitas; & leuitas ſunt propriæ naturæ, & formæ ſubſtantiales elementorum. Tertiò ſic argumentantur; ſimplicia corpora priùs dicuntur elemẽta vniuerſi, quàm elementa miſti: ſed dicuntur elementa vniuerſi, per grauitatem, & leuitatẽ; miſti verò, per calorem, frigus, humorem, & ſiccitatem: ergo grauitas, & leuitas, ſunt priores calore, frigore, & cęteris qualitatibus: quod autem eſt prius qualitatibus, non poteſt eſſe niſi ſubſtantia; ergo grauitas, & leuitas ſunt formæ ſubſtantiales elementorum. Poſtremò ita ratiocinantur; grauitas, & leuitas aut ſunt qualitates, aut ſubſtantiæ: non qualitates; quia tũc ad tertiam prædicamenti qualitatis ſpeciem pertinerent, atque adeo ſenſu tactus percipi poſſent, ſicut caliditas, frigiditas, cæteraque tertiæ ſpeciei qualitates: ſed grauitas, & leuitas non poſſunt percipi, niſi per motum, ab illis prodeuntem; non igitur ſunt qualitates, ſed formæ ſubſtantiales elementorum.

Prima ratio. Secunda. Tertia. Quarta.

*Prædictæ opinionis confutatio.* Cap. III.

VErùm hæc opinio quàm facillimè reijcitur. Primò, quia nulla ſubſtantia ſenſu per ſe percipi poteſt, vt docet Ariſt. 2. de Anima tex. 63. Sed grauitas, & leuitas percipiũtur ſenſu, nimirum tactu, vt docet idem Ariſt. 2. de Generat. tex. 8. ergo grauitas, & leuitas non poſsunt eſse formæ ſubſtantiales elementorum. Præterea, ſi quæ qualitates poſsent eſse formæ ſubſtantiales elementorum, quatuor illæ principes maximè eſsent; calor, frigus, humor, & ſiccitas: ſed eæ eſse non poſſunt, vt ipſemet Auerroes 8. Metaph. com. 5. contra Alexandrũ probauit: ergo multò minus poſsunt eſse grauitas, & leuitas, quæ ſunt qualitates ſecundę, à primis exortę, vt ſcribit Ariſt. 2. de Gener. tex. 15. vbi vult, eas ſolas quatuor qualitates, quas nuper recenſuimus, primas eſse, atque ab illis cæteras proficiſci. Denique ſi grauitas, & leuitas eſsent formæ ſubſtantiales elementorum, pari ratione ſubſtantiales miſtorum corporũ formæ dici deberẽt: nam æquè in his ac in illis ſunt principia oppoſitorum motuum: ſed manifeſtum eſt, in miſtis corporibus eſse accidentia; ergo non poſsunt eſse formæ ſubſtantiales elementorum. Confugiunt Auerroiſtæ ad diſtinctionem quandam; aiuntque, grauitatem, & leuitatem dupliciter conſiderari poſse; vno modo, quatenus ſunt principia oppoſitorũ motuum; altero, quatenus corpora comprimunt, inducuntque in illis propenſionem quandã ad oppoſita loca: primo modo dicunt eſse formas ſubſtantiales: ſecundo, qualitates. Sed vana

Arg. primũ. Secundum. Tertium. Familiaris Auerroiſtarũ diſtinctio.

eſt

Reijcitur hęc diſtinctio. eſt huiuſmodi diſtinctio,nec ſolido vllo fundamento nititur;ſimiliſque eſt illi Græcorum diſtinctioni,qua dicebant,caliditatem,pro certo gradu acceptam,qualitatem eſſe:pro alio verò gradu,& coniunctione quadam cum cæteris qualitatibus,ſubſtantiam. Commentitia inquā eſt hæc Auerroiſtarū diſtinctio. Prima ratio. Primò,quia Ariſtoteles valdè diminutus fuiſſet, cùm has formas ſubſtantiales,quas dicunt eſſe grauitatē,& leuitatē,nobis nunq̃ aperuiſſet: vbicumq; .n.de grauitate,& leuitate locutus eſt,eas ſp in qualitatū numero poſuit,vt patet in locis antè citatis:ſed potiſſimum lib.2.de Partibus animalium, c.1.vbi apertiſſimis verbis aſſeruit, grauitatem,& leuitatem,ſicut etiam dēſitatem,raritatem,aſperitatem,lenitatem,& reliquas Secunda ratio. id genus affectiones,eſſe differentias,quæ quatuor primas qualitates conſequuntur. Deinde, cùm dicunt Auerroiſtæ,grauitatem,& leuitatem eſſe formas ſubſtantiales elementorum,aut intelligunt,ipſas eſſe,re vera,qualitates,& ſolo noīe ſubſtantias;quia.ſ.formarum ſubſtantialiū officio funguntur:aut ipſas eſſe ſubſtantias,& qualitates ſimul:aut ēt ſubſtantias tm̄,re ipſa, & ſolo noīe qualitates. Si qualitates re ipſa,& ſolo noīe ſubſtantias,tunc ex hoc multa incōmoda neceſſariò ſequent̄. Primò,vt ex materia prima,& qualitatib.quæ ſunt accidentia, ſubſtantiale cōpoſitū conſtituatur:quod fieri non pōt; quia ex non ſubſtantijs non fit ſubſtātia,teſte Ariſt 1.Phyſ.multis in locis. Secundò,vt materia prima,naturæ viribus, ſolis qualitatibus affecta,abſque forma ſubſtantiali conſiſtere poſſit;quod philoſophi non admitterēt. Tertiò,vt nulla detur ſubſtantialis generatio,ſed alteratio tantùm, & alia huius generis abſurda,quæ breuitatis cauſa omitto. Si verò intelligant,grauitatē,& leuitatē aut ſimul eſſe ſubſtantias,& qualitates,aut re vera ſubſtantias tantùm, & ſolo nomine qualitates; in grauius abſurdum incidunt,quoniam grauitati,& leuitati nullo pacto eæ proprietates cōpetere poſſunt,quæ ſubſtantiæ conueniunt. Etenim ſubſtantiæ neque contrarium admittunt,neque intenſionem,aut remiſſionem ferunt,vt oſtendimus antè:grauitas autem,& leuitas tùm cōtra Auerroiſtarū hallucinatio. rium,tùm magis,& minus recipiunt:non igitur re vera ſubſtantiæ dici poſſunt. Puto igitur, quēadmodum calor,frigus,humor,& ſiccitas ſunt inſtrumenta,quibus elementa ad miſtorū conſtitutionem præparantur,vt docet Ariſtoteles lib.2.de Gener.tex.54.ponuntque latentes formas,à quibus proximè actio proficiſcitur;&,ob hanc formarum obſcuritatis latebrā, exiſtimarunt Græci,iſtaſmet qualitates eſſe formas ſubſtantiales elementorum: ita grauitatem,& leuitatē cēſendas eſſe qualitates inſtrumentarias, quibus elementa in vniuerſo proprium locum capeſſunt;cùm tamen principium illius motus, quo ad propria loca feruntur, ſit forma ſubſtantialis:quæ cùm intus lateat,ſenſumque noſtrum effugiat; idcirco putarunt Auerroiſtæ,grauitatē,& leuitatē,quæ nobis manifeſtæ ſunt, eſſe formas ſubſtantiales elemētorum;cùm tamen res ſecus habeat,vt ſatis demonſtratum eſt.

### *Quatuor rationes ſuperiùs poſita diluuntur.* Cap. IV.

Ad primam. RAtiones autem,quæ pro Auerrois ſententia propoſitæ ſunt,facilè ſolui poſſunt. Ad primam admittimus,grauitatem,& leuitatem eſſe qualitates,& illas quidem calore,frigore,humore,& ſiccitate poſteriores:negamus tamen, Ariſtotelem erraſſe,quia priùs de grauitate,& leuitate,quàm de cæteris qualitatibus diſputauerit. Etenim ſi de elementorum qualitatibus differere potiſſimùm inſtituiſſet,vtique priùs qualitates priores,deinde verò poſteriores explicare debuiſſet. At eius conſilium non fuit,de qualitatibus elementorum potiſſimùm differere,ſed de elementis,qualitates habentibus:& quia elementa priùs,vt vniuerſi partes, quàm vt miſti materia,conſiderantur;fiuntque partes vniuerſi,per grauitatem,& leuitatem, vt explicatum eſt antè; ideo priùs de grauitate,& leuitate,quàm de cæteris qualitatibus diſ- Ad ſecundā. putauit. Ad ſecundam neganda eſt minor:non enim grauitas,& leuitas ſunt interna principia,à quibus præcipuè elementorum motus oriantur;ſed ſunt inſtrumenta, internis principijs inſeruientia,quæ quidem ſunt aut eorum ſubſtantiales formæ,aut facultates quædā motrices,proximè à formis emanantes,vt alibi docuimus. Ad tertiam dicimus,ſimplicia corpo- Ad tertiam. ra eſſe elementa vniuerſi,per grauitatem,& leuitatem,miſtorum verò,per quatuor illas principes qualitates. Sed præterea in aliquo priori ſigno naturæ, antequam ſint elementa vniuerſi,ſunt per ſeſimplicia corpora,& illa quidem non grauitate,aut leuitate; ſed eorum ſubſtantialibus formis latentibus,atque innominatis,conſtituta. Iam verò quia, vt dictum eſt, priùs ſunt elementa vniuerſi,quàm miſtorum corporum;hinc factum eſt, vt priùs grauitas,

& le-

& leuitas, quibus elementa proprias ſedes in vniuerſo obtinent, conſiderentur, quàm quatuor principes qualitates, quibus ad miſtorum conſtitutionem præparantur: grauitas igitur, & leuitas ſunt priores quidem quatuor primis qualitatibus, ſecundum conſiderationem; non tamen re ipſa, cùm ab illis ortum ducant. Ad quartam reſpondemus, grauitatem, & leuitatẽ non eſſe ſubſtantias, ſed qualitates tertiæ ſpeciei, eaſque percipi ſenſu tactus; non quidem per ſe, ſed per ſuas actiones, hoc eſt per varias propenſiones ad motum. Non enim abſurdũ eſt, ſenſibilia propria interdum ſentiri per ſenſibilia communia; quando præſertim ſenſibilia communia eorum actiones dicuntur, ſicuti eſt motus, ad grauitatem, & leuitatem relatus.

Ad quartam.

# DE FORMARVM ORIGINE

## Diſputatio Decimaſexta.

*Diſputationis Typus.* *Caput Primum.*

EX omnibus diſputationibus, quas Ariſtoteles cum veteribus philoſophis habuit, nulla, mea quidem ſententia, magis litigioſa fuit, aut in quam ipſe maiorem operam contulerit, quàm ea, qua de ſimplici rerũ generatione diſſeritur: hanc enim & 1. libro de Phyſico auditu, & 3. de Cælo, & 1. de Generatione, & interitu, & vbicunque vel leuis occaſio data eſt, libentiſſimè propoſuit: nec iniuria quidem, propterea quòd in ea totius Peripateticæ philoſophiæ vertitur cardo. Vetuſtiſſimi philoſophiæ proceres, dum res occultas, atque naturæ arcanis inuolutas contemplabantur, primam illam, quam appellabant materiam, totam rerum ſubſtantiam, quicquid autem illi aduenit, accidens eſſe exiſtimabant; atque adeò veram, & propriè dictã generationem, quæ ad ſubſtantiam pertinet, omnino negabant: res tamen tunc fieri dicebãt, cùm materia aliquibus affectionibus obnoxia redderetur. Quicunque vnum tantùm rerum naturalium principium ſtatuebant, vt aerem, aquam, vel huiuſmodi; aliquid tunc recens fieri aſſeuerabant, cùm hoc vnum principium, aut conſtipationem, aut raritatem patiebatur. Empedocles, qui quatuor elementa rerum naturalium principia ſtatuit, tunc res oriri dicebat, cùm elementa iure amicitiæ, inter ſe coibant: occidere verò, cùm eadem, aduentante diſcordia, diſpertiebantur. Democritus, Leucippus, & Epicurus ex temerario, & fortuito indiuiſibilium corpuſculorum concurſu, quæ atomos appellabant, gigni omnia fatebantur: quę quidem corpuſcula inuariabilem naturam, atque eſſentiam habebant; diuerſitatem autẽ in ordine, ſitu, & figura accipiebant. Anaxagoras in quolibet elemento infinitas conſimilium miſtorum partes contineri perhibuit, atque, eodem autore, generatio nihil aliud erat, quàm rei prius latentis in lucem editio, atque exorſus. Ad ſummam nulla ſubſtantia, præter primã materiam, veteribus iſtis philoſophis cognita fuit: ſed ſicut figulus ex eodem luto, variè trãſmutato, multa vaſorum genera, vnum poſt aliud, arbitratu ſuo effingit; ita ex prima rerum materia, quæ naturali agenti obſequentiſſima eſt, multa fieri ab eodem exiſtimabant; cùm tamen nihil nouum ſubſtantiale fieret, ſed ſolùm accidentale. Pythagoras, Socrates, & Plato non eò adduci potuerunt, vt ex vna tantùm ſubſtantia tàm multæ res diuerſi generis gigni putarent: ſed aliam ſubſtantiam, materia tamen inferiorem, inuenerunt, quam Ideæ vmbrã, ſeu participationem appellarunt. Finxerunt vniuerſalem quandam Mundi animam, & illã quidẽ innumeris quodammodo formis, ſeu idearum vmbris grauidatam eſſe, quas ipſamet, vectore ſpiritu, in hæc inferiora immittit, quotieſcunque materia ad illas recipiendas aptè, congruenterque parata eſt: ſicq; ex materia, eiuſcemodi eſſentijs, vel idearum vmbris, quaſi formis adumbrata, res omnes fieri ſtatuebant. Ariſtoteles autem acriùs paulò philoſophatus, præter primam rerum omnium materiem, quæ ſubſtantia eſt, ſubſtantiam aliam, & eam quidem materia longè perfectiorem, atque nobiliorem adinuenit: quas duas ſubſtãtias coactas ſimul, arctiſſimoque vinculo copulatas, ad ſimplicem rerum generationem concurrere,

Grauiſſima controuerſia inter veteres philoſophos & Ariſtotel. de ſimplici rerum generatione.

Veteres Philoſophi putarunt materiã eſſe totã ſubſtantiam rei.

Generatio, & interitus apud Empedoclem, quò fiant.

Opin. Democriti, Leucippi & Epicuri de rerũ ortu.

Rei generatio Anaxagoræ quid ſit.

Pythagoræ Socratis, atque Platonis ſententia de rerum generatione.

Simplex rei generatio apud Ariſtot. quò fiat.

Propoſitę diſputationis origo.

arbitratus eſt. Profectò hęc Ariſt. opinio de ſimplici ſubſtantia, ad rerum generationem concurrente, magis cùm veritate conſentire videtur; cùm præſertim ea ipſa diſcrimen aliquod inter accidẽtalem, & ſubſtantialem mutationem facilè ſtatuat: veruntamen vndenam oriatur, aut ex quo fiat ſubſtantia illa, quam appellauit formam, & cuius interuentu nouum ſubſtantiale compoſitum generari perhibuit, difficillimum certè eſt inueſtigare. Etenim forma ex materia fieri nulla ratione poteſt; quandoquidem vnum principium ex altero non fit: neque rurſus ex aliquo alio, quia ſi ex aliquo fieret, tunc non eſſet principium: neque ex nihilo, quia ex communi Philoſophorum ſententia, ex nihilo nihil fit. Hinc fortaſſe factum eſt, vt, cũ veteres philoſophi maximam hanc difficultatem de formarum origine ſubodorati eſſent, ne in varios ſcopulos inciderent, formas omnes ſubſtantiales penitus negauerint, atq; ex ſola materia, varijs accidentibus affecta, res omnes confici exiſtimauerint. Cæterùm, qui doctrinam Peripateticam profitentur, cùm præter primam materiam, formas quoque ſubſtantiales paſſim admittant, de ipſis quoque diſſerere, atque earum originem explicare, neceſſariò tenentur. Si enim forma, dum materię adueniens, ſubſtantiale compoſitum conſtituit, opus eſt ſane, vt vel recens orta ſit, cùm antè in rerum natura non exiſteret; vel vt priùs alicubi abdita delituerit, nec vllam tunc materiæ perfectionem tribuerit. Conati ſunt quidem multi difficillimam hanc de formarum origine quęſtionem euoluere: verum nonnulli breuitate nimia; alij confuſa quadam prolixitate, rem ita dubiam reliquerunt, vt non ſatis conſtet, voti ne ſat cõpotes facti fuerint. Quocirca, cum de Ariſt. ſententia varię philoſophorum opiniones extiterint; non alienum duximus, quid tanta de re ſentiremus, pronunciare: nouum quidem omninò non erit quod allaturi ſumus, huic tamen graui, ac perdifficili quęſtioni, cùm ordine, tũ ſermonis facilitate, non parùm lucis afferemus. Ordo autem is erit. Primùm, ad faciliorem diſputationis cognitionem, nonnulla paucis declarabimus. Deinde opiniones præcipuas, aliquo modo huc pertinentes, proponemus. Mox in Ariſt. ſententia verſabimur, & multorum autorum placita examinabimus. Præterea veram de formarum origine ſententiam, quã Ariſtot. eſſe arbitramur, probare, & explicare conabimur. Poſtremò obiectiones quę huic ſententię officere videbuntur, ſingillatim propulſabimus.

Principia rerum naturalium nõ fiũt ex alijs, neq; alterutris, ſed omnia ex ipſis 1. Phyſ.

Diſputatiõis difficultas.

Ordo in diſputatiõe ſeruandus

## *Obſeruationes nonnullæ ante diſputationis examen. Cap. II.*

Obſeruatio prima.

ANtequàm diſputationem aggrediamur, nonnulla breuiter obſeruanda ſunt, quæ faciliorem diſputationem reddant. Primò igitur obſeruãdum eſt, formas duplicis eſſe generis: alias .n. artificioſas eſſe dicimus: naturales alias. Artificioſæ ſunt, quæ artificis ingenio, in materiam imprimuntur, quatenus illam varijs tranſmutationibus præparat; & formę recipiendæ accommodat. Naturales verò eæ dicuntur, quæ à naturali agente per generationẽ educuntur, & ad quas primò ſimplices generationes terminantur. De formis artificioſis non ſumus in præſentia diſputaturi: illæ .n. ſunt accidentia, ad quartam qualitatis ſpeciem attinentia; ſtatimque in conſpectum ſe dant, atque artificioſa materia, quemadmodum ferrum, lapis, aut lignum, perfectam præparationem obtinuit. Diſputabimus ergo tantũmodo de formis naturalibus, quæ a naturali agente producuntur, atque vt ſimplices quædam ſubſtantiæ ad rerum generationem concurrunt. Obſeruandum ſecundò eſt, formas naturales ex Ariſt. 12. Metaph. tex. 14. eſſe in duplici diſcrimine: alias mouentes: alias dantes eſſe, quæ informãtes appellantur. De formis mouentibus nulla erit diſputatio: conſtat .n. illas eſſe intelligẽtias, cęlorum motrices, quas Ariſt. cum æternas, tùm neceſſarias eſſe exiſtimauit; ac propterea nõ eſt, cur modò earum originẽ inquiramus. Diſputabimus ergo de formis informãtibus, quæ, vt potè non antea ortæ, non exiſtunt, ſed ſimul cum rebus ipſis compoſitis oriuntur, vt loco nuper citato Ariſt. ſcribit: propterea, iure optimo, quæ, aut qualiſnam ſit earum origo, inueſtigare poſſumus. Obſeruandum eſt tertiò, formas informantes duplices eſſe: alias omninò materiales: alias partim materiales, partim immateriales. Prioris generis ſunt omnes illę formæ, quæ in eſſe, & conſeruari, vt aiunt, à materia pendent; quæque abſque materia conſiſtere nullo modo queunt. Poſterioris generis ſunt formæ illæ, quę in materia quidem producuntur; tamen in eſſe, & conſeruari, à materia non pendent, immò abſque materia aliquando cõſiſtere poſſunt; & eiuſmodi formę ſunt animæ rationis participes: quæ in humanis quidẽ corporibus producuntur; non tamen organorum, aut vllius affectionis vi, vt alias docuimus: pro-

Obſeruatio ſecunda

Obſeruatio tertia.

ptetea

ptereà à corporibus non pendent; ſed ab eiſdem ſolutæ, per ſe ipſa conſiſtere poſſunt. De huiuſmodi formis diſputatio hęc noſtra futura non eſt: ſi .n. rei naturam, & veritatem attendamus, illarum origo à Deo eſt, qui eas ex nihilo procreat: ſi etiam Ariſt. mentem, dicendũ omninò eſt, illas ex nulla materia confici, neque ex vllis eiuſdem affectionibus proficiſci; quãdoquidem ipſemet lib. 2. de Generat. animalium cap. 3. quodammodo ſe illarum procreationẽ ignorare confeſſus eſt, dum illas ex ſpumoſo, & craſſo ſemine, aut ex alia quauis materia, ſicut ſentientem, & vegetalem non oriri perhibuit; ſed extrinſecùs accedere, diuinitusque produci: quaſi earum productio ab ea productione diuerſa penitus ſit, qua cæteræ naturales formæ procreantur. Diſputabimus ergo de ijs tãtùm naturalibus formis, quæ omninò materiales ſunt, quæque materialium affectionum vi, naturalis agentis ope, in lucem eduntur. Obſeruandum eſt quartò, huiuſmodi materiales formas in duplici gradu, vel ordine poſitas eſſe. Obſeruatio. quarta. Quædam .n. ſunt formæ ſimplicium corporum, hoc eſt elementorum, quas ſuperiore diſputatione cum Ariſt. probauimus, non eſſe accidentia, ſed veras ſubſtantias, materiam informãtes, atque elementa conſtituentes. Aliæ ſunt formę miſtorum corporum, & illorum quidem anima carentium, vt forma lapidis, ferri, ligni, aut id genus aliæ. Alię ſunt formę corporum viuentium, vt anima vegetalis, & ſentiens. De omnibus his formarum gradibus hac quęſtione diſputaturi ſumus, quęrendo, antequam huiuſmodi formæ cum materia copulentur, obtinuerint ne in ipſa materia, aut extra materiam, vllum eſſe reale, an cùm anteà omnino nihil eſſent, recens in lucem emerſerint ex nihilo procreatæ?

*De re propoſita opiniones variæ.* *Cap. III.*

CVm iam conſtet, qualiſnam noſtra hęc diſputatio futura ſit, paucis nunc opiniones pręcipuas, quę de re propoſita hactenus editæ ſunt, hoc capite concludamus, vt, illis cognitis, ſaltem rudem quandam, confuſam, & imperfectam notitiam intellectus acquirat, qua poſtea ad veram ſñiam intelligendam facilem ſibi aditum patefaciat. Omiſſis igitur veterum Philoſophorum opinionibus, qui ſubſtantialem generationem omninò negarunt, illorum tãtùm ſñias recenſeamus, qui cum Ariſt. ſubſtantiales formas admiſerunt, eaſque, vel è materia deduci, vel in eandem induci, exiſtimarũt. Diſputatio à nobis propoſita ea eſt; forma ſubſtantialis, antequam ad energiæ actum deducta ſit, & cum prima materia copuletur, habeat ne re vera in ipſa materia vllum eſſe, an nullum? Hac de re duplex inuenitur opinio: nonnulli .n. negatiuam; alij affirmatiuam partem tuentur. Qui tuentur partem negatiuam, putant, ſubſtantialem formam extrinſecùs omnino produci, cęlituſque emitti. Inter hos tamen nõnihil intercedit diſcriminis. Quidam .n. exiſtimant, formas omnes à quodam peculiari numi- Prima opin. ne fingi, ſiue à quadam Intelligentia, rerum omnium ſublunarium gubernatrice, ad quam ex officio pertineat, formas procreare. Alij verò arbitrati ſunt, formas omnes non à priuato Secunda opi quodam numine, ſed à toto aggregato ex omnibus cęleſtibus orbibus, atque etiam intelligentijs mouentibus effici: ita tamen, vt inferiora agentia materiam pręparent, & ad formas recipiendas accommodent. Qui verò ad euitandam formarum creationem, affirmatiuam partẽ defendunt, in tres claſſes diſtributi ſunt. Nonnulli dixerunt, formam, antequam cum mate- Tertia opin. ria neceſſitudinem contrahat, & cum eadem copuletur, habere in ipſa eſſe reale potentiale, vel eſſe quoddam eſſentię: quatenus ſcilicet materia vniuerſalem habet poteſtatem, qua formas omnes, nullo delectu, reſpicit: aut etiam priuatam quandam affectionem, qua, ad aliquã determinatam formam recipiendam, apta, idoneaque redditur. Alij dixerunt, formam, an- Quarta opi. tequam de materię poteſtate educatur, habere in ipſa aliquod eſſe reale, nõ quidem poteſtate, ſed actu, & re ipſa. Hi poſteà in plures ordines diuiſi ſunt. Quidam .n. poſuerunt, in mate- Quinta opi. ria virtutem quandam actiuam reperiri, quę, in genere cauſę efficientis, ad educendam formam, eo modo concurrat, quo principium illud actiuum, quod in ſemine reperitur, videlicet ſpiritus, concurrit, ad educendam animam: hic .n. materiam, hoc eſt ſeminalem illam ſubſtantiam pręparat, & ſua virtute vegetalem, vel ſentientem animam auocat, & accerſit: idque ſatis eſſe dixerunt, ne materiales formæ ex nihilo producantur. Alij putarunt, formam quan- Sexta opin. dam communem, quam appellant corporeitatis, in materia latere, dixeruntque hanc formã eſſe quoddam veluti vniuerſale ſemen omnium formarum particularium; eſſeque materiæ coæuam, & naturali agenti opem ferre, vt particularem formam de materia educat. Alij, vt Septima opi

ſubſtantia,& corpus ex corpore fieri tuerentur,dixerunt,in materia non ſolùm vnam genericam corporeitatis formam reperiri,ſed quot ſubſtātiales formę in materia produci poſſunt, tot earundem inchoationes & quaſi ſemina dari: quas quidem inchoationes incompletam formam,vel partem formæ nuncuparunt;eamque à generante perfici aſſeruerunt. Alij arbitrati ſunt,quancunque formam in materia propriam inchoationem habere,quam tamē negant,aut partem eſſe formę,aut formam imperfectam; ſed dicunt, eſſe totam formam, quæ tunc cum materia cōiuncta non eſt,nec ipſam informat;ſed cum illa copulatur,eamque perficit,tantummodo poſt generationem. Alij dixerunt,totam formam in materia præexiſtere, ac pręterea cum ipſa copulatam eſſe:non tamen ſecundum eſſe perfectum,ſed duntaxat ſecūdum eſſe diminutum. Alij cenſuerunt,in materia totam formam nequaquam præexiſtere: ſed tantummodo entitatem quandam potentialem, aliquo modo à materia diſtinctam: ex qua quidem entitate putarunt,formam fieri,dùm res generatur,atque in eandem entitatem formam abire,dum res interit,ne,in nihilum formam diſſolui, dicere cogerentur.

Octaua opi. Nona opi. Decima opi.

*Argumenta præcipua eorum, qui tuentur formam habere aliquod eſſe reale, in materia, antequam de eius poteſtate educatur.* Cap. IV.

OMnes aūt iā relatę ſnīæ ad duas pręcipuas reuocari facilè poſſunt: quarū altera ſtatuit, aliquid formę in materia præeſſe,anteq̄ ipſa verò cū materia copuletur,eāq; perficiat, & informet: altera decernit,formā anteq̄ de materiæ ptāte educatur,nullū oīno eſſe in materiæ ſubſtātia obtinere. Primū igitur vtriuſque ſnīæ firmiora argumenta afferemus: deinde verò opinionē illā,quæ magis cum Ariſt.& cum veritate conſentire videbitur, defendendam ſuſcipiemus. Multa ſunt argumenta,quæ ad priorem ſententiam confirmandam communiter adducuntur,in quibus ea,quæ nunc afferam, maioris ponderis eſſe videntur. Primū eſt huiuſmodi;niſi forma,antequam de materiæ poteſtate educatur, aliquod eſſe reale in materia obtineret,tunc ea ex nihilo produceretur:ſed quicquid ex nihilo producitur,propriè creatur;ergo naturalis formæ productio,facta ab agente naturali,eſſet vera creatio. Conſecutio perſpicua eſt:quoniam,cùm forma ex materia non fiat,(quia principia non fiunt ex alteruis 1. Phyſ.)neque ex aliquo ſui,in materia præexiſtente;ſequitur, ipſam ex nihilo fieri, atque adeo creari. Falſitas autem conſequentis probatur: ſi enim naturalis formæ productio eſſet creatio,tunc naturale agens haberet facultatem creandi,& aliquid in nihilum redigendi: nā, ſi forma,cùm producitur,ex nihilo fit,eadem pariter,cùm interierit, in nihilum abibit: hoc autem abſurdum eſt: quoniam creatio infinitam creantis virtutem neceſſariò exigit,qua quidem naturale agens deſtitutum eſt. Secundùm,niſi forma haberet aliquod eſſe reale in materia,ſequeretur, vt eius productio eſſet violenta:ſed conſequens eſt falſum, cùm productio formæ naturalis ſit;ergo & antecedens. Probatur conſequentia ex definitione violenti,quam 3. Ethic.c.1. Ariſtoteles tradit: vbi ait, violentum illud eſſe,cuius principium eſt extra, paſſo non conferente vim. Iam verò naturale agens formam producens,externum eſt,materia autem rationem habet patientis;ergo,ſi in ea nulla reperitur actiua vis, qua naturale agens ad formam educendam coadiuuetur, formæ productio non erit naturalis, ſed violenta. Tertiū, Ariſtoteles initio 2. libri Phyſ. hoc potiſſimū res naturales ab artificioſis diſtare aſſerit, quòd res naturales internum habent ſui motus principium,artificioſæ non item: hoc autem internum principium,dubio procul,non eſt materia; quia eadem quoque ſit internum principiū rerum artificioſarum,& manet in illis,iam conſtitutis: erit igitur forma, non quidem materiam informans,quia nondum educta eſt;ſed forma quædam imperfecta, vel pars, aut gradus eius;aut ſemen,aut inchoatio,& ad ſummam eſt aliquid formæ, quocunque id tandem nomine nuncupetur. Quartum, ſemen plantæ, aut animalis eſt materia, ex qua forma plantæ,aut animalis educitur: ſed in ſemine eſt aliqua virtus actiua, ad formæ productionē coadiuuās;ergo huiuſmodi virtus actiua in quacunque materia reperiri debet,ex qua forma educenda ſit: hæc autem virtus coadiuuans non eſt niſi illius formæ inchoatio, quæ debet educi; alioquin generans ſibi ſimile non generaret,& leo ex.ca. non minus ex leonis, quàm ex aſini ſemine oriri poſſet. Quintum, nihil denominationem accipere poteſt ab eo, quod nullo modo participat: non enim calidum dicetur id, quod omnino caloris ſit expers: ſed motus materiæ ad formam ex.gra. ignis, dicitur generatio ignis; ergo in materia aliquid formæ ignis neceſſa-

Arg. primū. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum.

neceſſariò præexiſtat, oportet: id autem, quod præexiſtit, inchoatio formæ, vel eius quaſi ſe-
men nuncupatur. Sextum, certum eſt, rationalis animæ productionem à cæterarum forma- Sextum.
rum productionibus, quæ in materia recipiuntur, vſquequaque differre: eæ enim de materiæ
poteſtate educuntur, illa verò nequaquam: ſed cùm rationalis anima procreatur, nullum om
ninò eſſe habet in materia; ergo, ſi ab ea differunt cæteræ formæ, neceſſe eſt, vt aliquod eſſe
habeant in materia, antequam de eius poteſtate educantur. Septimum, illud, quod re vera Septimum.
generabile eſt, re ipſa diſtinguitur ab eo, quod re vera non eſt generabile: ſed forma, ante ſui
generationem re vera generabilis eſt; ergo ante ſui generationem re ipſa diſtinguitur à ma-
teria, quæ re vera non eſt generabilis: ſed omne, quod ab aliquo re ipſa diſtinguitur, habet
aliquod eſſe reale, ab illo diſtinctum; ergo forma, antequam de potentia materiæ ſit edu-
cta, habet aliquod eſſe reale, à materia re ipſa diſtinctum. Octauum, nemini dubium eſt, for Octauum.
mam omnem materialem de materię poteſtate deduci: id enim apertiſſimis verbis lib. 2. de
Ortu animalium c. 3. Ariſtoteles docuit, vbi ait, vegetalem, & ſentientem animam de mate-
riæ poteſtate deduci, ad differentiam intelligentis, quę extrinſecùs accedit: quòd ſi vegetalis,
& ſentiens anima de materiæ poteſtate deducitur, multò magis inferiores formæ, quales
ſunt ſimplicium corporum, & miſtorum, anima carentium, educi videntur: ſed nihil educi
poteſt de eo, in quo non eſt; ergo, ſi formæ de materia educuntur, neceſſe eſt, vt, antequam e-
ducantur, aliquod eſſe habeant in materia, alioquin ex ipſa non educerentur, ſed in ean-
dem potius inducerentur. Poſtremò hæc opinio confirmatur apertiſſima Ariſtotelis auto- Autoritas Ariſto. pro hac
ritate, lib. 7. Metaph. tex. 29. vbi ait, aliqua fieri à natura, quæ ab arte fieri nequeunt; propte ſentētia ſatis
reà quòd aliqua pars eius, quod fit à natura, præexiſtit in ſubiecto: quibus verbis apertè do- apparens.
cuit, aliquam formæ partem in materia præexiſtere, antequam ex eius poteſtate educatur.

*Argumenta præcipua aſſerentium, formam nullum habere eſſe reale in materia, antequam de eius poteſtate educatur.* *Cap. V.*

QVi verò defendunt, formam, antequam de materiæ poteſtate educatur, nullum omni-
no eſſe reale in materia obtinere, hiſce potiſſimùm argumentis id probare nituntur. Pri Arg. primũ.
mò, ſi aliquod eſſe formæ, ante eius eductionem, in materia præexiſteret; ſequeretur, formam
non eſſe ſimplicem ſubſtantiam: ſed conſequens eſt falſum, vt perſpicuum eſt: ergo, & antece
dens. Conſecutionem probant; quia tunc forma eſſet concretum quippiam ex illo præexiſtē
te, & ex eo, quod recens generatione educitur. Secundò, hoc præexiſtens aut eſt quid pertinēs Secundum.
ad ſubſtantiam materiæ, & omnino idem cum ipſa: aut quid pertinens ad ſubſtantiam for-
mæ, atque à materia diſtinctum. Si detur primum; ergo nihil formæ præeſt in materia, cùm
illud præexiſtens ſit aliquid materiæ. Si detur alterum; ergo cùm illud præexiſtens ſit actus,
& materia potentia, ex illo, & materia aliquod vnum neceſſariò fieret: hoc autem eſſe nō po
teſt; quia vel eſſet vnum per ſe, vel vnum ex accidenti: non ex accidenti; quia illud eſt eo po-
ſterius, quod eſt vnum per ſe; nec per ſe; quia illud eſt terminus generationis; ergo ante gene-
rationem exiſtere non poteſt. Tertiò, ſi quid formæ, ante eius eductionem, in materia præ- Tertium.
exiſteret; tunc duæ formæ non ſubordinatæ in eadem materiæ portione reperiri poſſent: ſed
conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Falſitas conſequentis eſt nota. Conſequentiā pro
bant: nam cùm ex aere fit ignis, iam in materia adeſt forma aeris; ergo ſi in materia præeſt e-
tiam forma ignis, tunc in eadem erunt duæ formę non ſubordinatæ. Quartò, illud formæ,
quod in materia præexiſtit, aut eſt idem numero cum forma producenda, aut non: ſi eſt idē: Quartum.
ergo nihil generatione producitur, quia iam præfuit, alioquin idē numero bis produceretur;
ſi verò non eſt idem: tunc aut hoc ipſum in formæ ſubſtantiam, motu generationis, conuerti-
tur, aut ex eo fit forma producenda: primum dari non poteſt; quia nullum agens naturale to
tam ſubſtantiam valet in alteram tranſmutare: ſi verò detur ſecundum; ergo præter illud prę
exiſtens, neceſſe eſt, aliquod aliud reperiri, ex quo forma fiat; cùm notum iam, perſpectum-
que ſit, illam ex materia non fieri. At verò nunc ſi quæratur, ſit ne illud ex aliquo, an ex nihi
lo factum? res ita in infinitum abibit. Quintò, aut hoc eſſe formæ, quod ante eius eductionē Quintum.
in materia præeſt, habet eſſe, generatione, aut creatione: non creatione, quia hæc à philoſo-
phis non admittitur; nam eadem ratione dicere poſſent, ipſammet formam creatione editā
eſſe: neque generatione; quia totalis (vt aiūt) generationis terminus eſt totum compoſitum,

formalis verò eſt ipſamet forma, quę eſt pars præcipua compoſiti: commentitium igitur eſt hoc eſſe formæ, & inanis eſt hęc eius inchoatio, cùm neque creatione, neque generatione produci nulla ratione poſſit.

Sextum.

Sextò, aut generatione quicquam producitur, aut nihil: ſi nihil; ergo iam omnia ſemper fuerũt, nec vlla eſt opus generatione: ſi aũt nouum quippiam; hoc certè aliud eſſe non pôt, quàm ipſa forma, cuius interuentu compoſitum exiſtit: non ergo in materia pręeſse potuit, ſi recens generatione producitur.

Septimum.

Septimò, forma, vt eſt diſtincta à materia, & actus eſt, & actu, non.n. à materia diſtingueretur, niſi eſset actu ens: ſed nõ poteſt eſse actu ens, niſi id, quod generatione editum eſt, præſertim ſi ſit aptum generatione edi, ergo forma, ante generationem, nec actu, nec actus eſse pôt; atque adeò non eſt tunc à materia ita diſtincta, vt in ipſa aliquod eſse reale obtineat.

Octauum.

Octauò, forma non pôt eſſe iuncta cũ materia, niſi ipſam informet, atque perficiat; ergo ſi antequam de materia educatur, habet in ipſa aliquod eſſe, tunc materiam informabit, atque ita compoſitum ante generationem cõſtituetur.

Duæ Ariſto. autoritates, hanc ſniam optimè cõfirmantes.

Poſtremò confirmatur hęc ſnĩa duabus Ariſt. autoritatibus, quarum altera ſumitur ex 7. Metaph. tex. 29. vbi ait, ſicut domus tantùm ab extra fit, ita & ignis: ſed in materia, ex qua fit domus, non præexiſtit actu forma domus; ergo nec forma ignis vllo modo eſt actu in materia, ex qua fit ignis. Altera ſumitur ex poſtprædicamentis, vbi Ariſt. generationem definiens, ait, eſſe mutationem de non eſse ad eſse: non mutatur autem de non eſse ad eſse, niſi forma, quæ tùm primum compoſitum conſtituit, cùm primum exiſtentiam in rerum natura adepta eſt: quare ſi in materia præexiſteret, tunc nihil eſset, quod generatione de non eſse ad eſse mutaretur.

## *Opinio ſtatuens, formam habere actu aliquod eſſe reale in materia, diligentiùs perpenditur, & fundamentis denuò roboratur.* *Cap. VI.*

HActenus propoſitam diſputationem generatim tantummodo examinauimus, atque eiuſdem quandam veluti adumbrationem ob oculos ſtatuimus: nunc autem paulò accuratius tractanda res eſt, ac diligentiùs quæſtio diſcutienda. Argumenta, quę pro vtraq; parte in duobus antecedentibus capitibus attulimus, tametſi communia ſunt; nihilominus ijs ipſis longè probabilior reddi videtur poſterior ſententia, quæ ſtatuit, formam, cuiuſuis generis illa ſit, nullum omninò habere eſſe reale in materia, antequã de eius poteſtate educatur; ideò, vt hęc ſnĩa defendenda, ita quæ appoſita nobis prorſus reijcienda eſt. Et quoniam illa, vt iã diximus, bimembris eſt; altera, quæ decernit, formã, ante ſui eductionem, habere actu in materia aliquod eſſe reale: altera, quæ tuetur; habere quidem formam in materia aliquod eſſe reale, non tamen actu, ſed poteſtate ſolùm; ideo vtranque ſnĩam particulatim expẽdemus, atque ordine reijciemus. Qui igitur priorem ſnĩam defendunt, hiſce potiſſimùm fundamentis nituntur.

Fũdamẽtum primum.

Cùm.n. forma de materię potentia educi dicatur, & illa quidẽ ſubſtantia ſit; rationi putant conſentaneum eſſe, vt ipſamet materiæ potentia, non qualitas cẽſeatur, ſed in ſubſtantię genere collocetur; atque adeò educendę formæ quippiam ſit, non perfectũ illud quidem, ſed rude imperfectum, & adumbratum. Quoniam verò cuipiam fortaſſe videri poſſet, ex hac ſnĩa abſurdum illud ſequi, videlicet ſubſtantiam ſuſcipere magis, & minus; ideo dixerunt, potentiam illam verè, & abſolutè ſubſtantiam non eſſe, ſed mediæ, & ancipitis cuiuſdã naturæ, inter ſubſtantiam, & accidens, eo modo, quo Auerroes, elementorũ formas eſſe exiſtimauit. Porrò, cùm id, quod gignitur, duplex ſit: alterum, quod ex ſemine, vt ex ſubiecto proficiſcitur: alterum, quod ſine ſemine naſcitur, cuiuſmodi ſunt lapides, metalla, ſtirpes, ſeminis expertes, & animalia, ex putri materia orta, vtrũque iſtorum in ſemine, vel in eo, ex quo fit, poteſtate aſſerunt reperiri. Nanque in glande eſt poteſtate quercus, in bacca olea, in ouo auis, & in quouis animalis ſemine, animal ipſum. Hæc cùm ita ſe habeant, planum eſſe inquiunt, in viuentis corporis, aut animalis ſemine latere animam, ſecundum aliquod ſui eſſe imperfectum, & itidem in materia inanimati corporis latere quoddam quaſi formę ſeminarium. Hinc eliciunt formam, ante ſui eductionem, eſſe in materia poteſtate, non quia aliquid formæ in materia reperiatur, iam.n. ponunt, formam, ante ſui eductionem, habere actu aliquod eſſe reale in materia, ſed quia ſuis ſeſe viribus non prodit, ac manifeſtat.

Fũdamẽtum ſecundum.

Sicut igitur, qui habet habitum ſcientiæ, non tamen actu contemplatur, dicitur ſcire poteſtate: cũ verò actu contemplatur, dicitur actu ſciens; ita forma, organorum inopia, aut materiæ acer-

bitate,

bitate,otioſa quaſi manens,nec vllum opus manifeſtum edens,dicitur eſſe forma tantummodo poteſtate:cùm verò,paratis iam organis, & materia rectè affecta,opus aliquod edit, tùm primū actu in materia reperiri dr. Itaq; anima aut vegetalis,aut ſentiens in corpore ſeminis, vt in materia, tametſi actu tota inſideat; nihilominus potentia ſolùm reperiri dicitur: quia vbi ſemen,aut vtero, aut terra conceptum eſt,illud tantummodo minutatim,atque mēbratim adumbrat,perficit,& exornat:cùm autem corpus ſeminis perfectè elaboratum eſt,& requiſita organa obtinuit,iam tùm euadit animal,tuncque anima ſuis ſe viribus,ac facultatibus prodit,variaſq; operatiōnes edit:& tunc verè actu in materia eſſe dicitur. Idem prorſus de forma rei inanimatæ dicendum eſt:ea.n.eſt quidem in materia,ſecundum aliquod ſui eſſe imperfectum, & hoc ipſo eſſe materiam præparat,& efficit;cùmque materia perfectè elaborata eſt,ſtatim apparet forma,opus aliquod editura. Sed redeamus ad animam, quę manifeſtior forma eſt. Hanc eſſe poteſtate in ſemine,eo modo,quo explicatum eſt,fatetur Ariſtoteles lib.2.de Generat.animalium cap.3.vbi ait, in ſeminibus,& vtero conceptis,altricē, & naturalem animam priùs haberi potentia,quàm actu;idque dixit Ariſt. non quia ibi anima actu non contineatur;ſed quia,organorum defectu nihil operatur. Niſi.n.actu in ſeminis corpore eſſet,quomodo illi extrinſecùs accederet? Siquidem eius actio corporea eſt; ergo ipſa ſine corpore eſſe non poteſt:ſicut non poteſt quis ſine pedibus ambulare,vt citato iā loco Ariſt.fatetur. Præterea in trimeſtri, aut quadrimeſtri fętu, nonne anima actu continetur? & tamen nec ſurſum, aut deorſum ille moueri, nec vocem edere, nec quicquam viſione percipere poteſt. Quid ita? Quia illic anima ſecūdum eſſe quoddam imperfectum reperitur; vbi autem animal planè abſolutum erit,cunctas illi functiones abſolutè pręſtabit. Igitur & in ſemine,quanuis anima non operatur,dicitur nihilominus actu contineri,ſed ſecundum eſſe adhuc imperfectiùs,quàm illud,quod habet in trimeſtri,vel quadrimeſtri fętu.

Fūdamētum tertium.

Fūdamētum quartum.

Fūdamētum quintum.

## *Prædictæ opinionis confutatio.* Cap. VII.

HÆc ſententia, quanuis ſpeciem aliquam veritatis obtineat, omninò tamen falſa, & à ratione penitus aliena cuique apparebit,qui illam diligentiùs conſiderauerit. Primò falſum eſt,potentiam materiæ quicquam eſſe formæ,atque ad ſubſtantiæ genus pertinere. Quid.n.obſecro,huius ſnīæ autores per materiæ potentiam intelligunt? Sanè aut potentiam remotam, aut potentiam proximam. Si remotam,ſubſtantia illa quidem eſt;ſed tamen nihil eſt formæ:illa.n.potentia eſt affectio quædam materię,& ad omnes formas nullo diſcrimine recipiendas propenſio;quippe quæ, vnum & idem re ipſa eſt cum ſubſtantia materiæ, & ab ea tantummodo formali ratione diſtinguitur, vt alibi docuimus. Iam verò,ſi hęc potentia eſt ipſamet ſubſtantia materiæ,ſequitur,vt non poſſit eſſe ſubſtantia formæ;cùm materia,& forma ſint duæ ſubſtantiæ,re ipſa diſtinctæ. Si verò per potentiam materiæ intelligant potentiam proximam;tunc illa non eſt aliud,quàm determinata quædam affectio, à qualitatibus orta, quæ determinatam formam ſubſtantialem in materia conſequuntur. Itaque aut potentia proxima eſt ipſamet forma ſubſtantialis;iam cum materia coniuncta,aut eſt qualitas aliqua,conſequens illam formam;non igitur poteſt eſſe aliquid formæ educendæ. Etenim,antequam noua forma in materiam inducatur,vel ſaltem eo ipſo, temporis momento,quo inducitur, perit forma præcedens,ac deinceps qualitates ipſam conſequentes: priùs igitur forma educenda, ſecundum aliquid ſui periret, quàm educeretur, priùs occideret, quàm oriretur,quod videtur abſurdum. Dicunt præterea, formam educendam habere in materia aliquod eſſe imperfectum,& diminutum. Haud ſatis capio,quid ſit hoc eſſe formæ imperfectum,& diminutum. Profectò in grauius abſurdū incidere iſti vidētur: vt.n.paulò antè,qualitatem ad ſubſtantiæ genus reuocarunt; ita nunc ſubſtantiam reuocāt ad genus qualitatis; nam ſi forma,quæ verè ſubſtantia eſt, ante ſui eductionem,habet eſſe imperfectum,poſtquā verò educta eſt,obtinuit eſſe perfectum;ergo ſuſcipit magis, & minus, atque adeò in naturā qualitatis commigrat. Sed vt hoc incommodum euitarent, dixerunt, formam eſſe cuiuſdam ancipitis naturæ mediæ inter ſubſtantiam, & accidens. Hoc ſanè nouum eſt monſtrum in philoſophia,vt nimirùm detur aliquod ens,quod neque ſubſtantia,neque accidens ſit,quod neque per ſe ſubſiſtat, neque alteri inhæreat, quod ad nullum prædicamentum attineat:aut ergo nihil proſus erit huiuſmodi ens,cùm nullo genere concludatur : aut rerum genera multipli-

Potentia materiæ non eſt aliquid educēdæ formę.

Quære diſp. de poten.materię.

Rō euidens.

Forma ſubſtantialis nō pōt intendi, neq; remitti; cùm eius eſſe indiuiſibile cōſiſtat

Inter ſubſtātiam,& accidens nō datā mediū. Quære diſpu. quo man.elem.in miſto cap. 8.

tiplicanda ſunt; nouumque genus entis addendum, in quo ea includantur, quæ neque ſubſtã-
tiæ, neque accidẽtia dicuntur. Sed mirũ & eſt illud, quod aſſerunt, animam videlicet in ſemi-
*Anima in ſemine actu nõ continetur.* ne actu contineri: ſed tamen ſecundum quoddam eſſe imperfectum. Quid? fortaſſe adultus,
vt Fernelius ait, eſt magis homo, quàm puer, aut homo magis animal, quàm aſinus, quia ſci-
licet perfectiorem animæ gradum obtineat? Id certè nunquam puto, iſtos ſic opinantes ad-
miſſuros eſſe: quia, vt iam diximus, forma ſubſtantialis non ſuſcipit magis, nec minus; igitur
in adulto non eſt magis anima, quàm in puero, nec in puero magis anima, quàm in ſemine,
ſi in ſemine anima re ipſa contineatur. Prætereà, eſt ne in ſemine aliqua tantùm animæ por-
*Arg. efficax.* tio, quia ſcilicet habet in ipſo eſſe quoddam imperfectum, an tota anima? Non portio, quia
anima indiuiſibilis eſt, atque ita in plures portiones diuidi nequit. Si tota, cur ergo ibi manet
otioſa, nec operationes edit, ſicut in puero, vel adulto? Reſpondebunt, organorũ inopia. Sed
hæc reſponſio eos planè conuincit: nam eo ipſo, quod in ſemine organa nulla adſunt, conijci-
mus, nullam ibi animam eſſe. Quoniam perfectiſſima forma, ſicuti eſt anima, non niſi in con-
gruenti domicilio recipi poteſt, aut debet: ſemen autem organorum expers, non eſt congruẽs
animæ domicilium; ergo anima in ſemine reperiri nullo modo poteſt. Concludẽdum igitur
eſt, formam, antequam, de materiæ potentia educatur, nullum eſſe reale actu in eadem obti-
nere.

### *Eiuſdem opinionis fundamenta euertuntur.* Cap. VIII.

REiecta iam penitus huiuſmodi ſententia, reliquum eſt nunc, vt fundamenta illa, quib.
*Euerſio primi fundamẽti.* potiſſimùm nitebatur, funditus euertamus. Et primò quidem conſecutio illa nullo pa-
cto admittenda eſt, quia huius ſententiæ autores inferebant, materiæ potentiam ſubſtantiã
eſſe debere, propterea quòd forma, quæ de materiæ poteſtate deducitur, ſubſtantia eſt. Id qui-
dem verum eſſet, ſi forma ex materiæ potentia, tanquàm ex ſubiecto fieret: cùm enim ex non
ſubſtantia, ſubſtantia fieri nequeat: ſequeretur vtique, vt potentia, ſubſtantia eſſet; nunc au-
tem forma non fit ex potentia materiæ; ſed formam deduci de potẽtia materiæ, nil aliud eſt,
quàm materiam habere procliuitatem ad formam recipiẽdam: vel materiam ita eſſe affectã,
vt huius determinatæ formæ, & non alterius ſit capax. Multò minus ſimilitudo illa admittẽ-
*Euerſio ſecũdi fundamẽ.* da eſt, qua ſcientię habitu præditus ſubſtantiali formæ comparatur. Nanque qui ſcientiæ ha-
bitum tenet, eſt quidem poteſtate ſciens, cùm re ipſa non contemplatur. tamen non eſt in po-
tẽtia ad ſcientiã recipiendam, quia iam illam obtinuit, & conſtitutus in actu primo, dicitur
ſolùm in potentia ad actum ſecundum, ſcilicet ad contemplationem. At verò, antequam for-
ma de potentia materiæ educta ſit, non eſt ibi potentia ad operandum: cùm forma nondum
edita ſit: ſed ineſt tantùm potentia in materia ad formam recipiendam. Autoritas autẽ Ari-
*Euerſio tertij fundamẽ.* ſtotelis, ab illis allata, eorum potius ſententiam deſtruit, quàm confirmet. Vult quidem Ari-
ſtoteles, in ſeminibus, & vtero conceptis, altricem, & naturalem animam priùs haberi poten-
tia, quàm actu, non quòd actu in illis contineatur, ſed quòd in ſeminibus ineſt potentia ad il-
las recipiendas: non enim anima in ſemẽ ſimplex, ſed in corpus, organis præditum, recipitur.
*Euerſio quarti fundamẽti* Neque verò vllam id affert admirationem, animam videlicet cum craſſo, terrenoque corpo-
re copulari, quamuis re ipſa in ſemine non contineatur: quoniam cùm anima extrinſecùs cor-
pori accedit, non illa quidem per ſe, & proximè, nulliuſque alterius corporis interiectu, cum
illo coniungitur, ſed medio quodam tenuiſſimo, ac ſubtiliſſimo corpore, quod ſpiritus nuncu-
patur: in quo quidem ſpiritu calor ineſt, qui genituram perficit, recipiẽdæque animæ aptam
reddit: idque totum in ſemine latens genitura ſimpliciter; ſubſtantia verò ſeminis, per quam
ſpiritus diffuſus eſt, genituræ corpus ab Ariſtot. paſſim appellatur. Hic igitur vitalis ſpiritus,
in ſemine incluſus, ſenſim illud perficit, fœcundumqne reddit, & corpus eſt magis diuinum,
quàm ſint illa, quæ elemẽta vocantur: eſtque origine cæleſtis, aut ſaltem, vt Ariſtot. ſcribit,
proportione reſpondet elemẽto ſtellarum. Falſum eſt tandem quod dicunt, in trimeſtri, vel
quadrimeſtri fætu, animam, ſecundum eſſe imperfectum contineri: cùm primùm enim corpo-
ris inſtrumenta parata ſunt, eò illico anima tota, ſecundum eſſe perfectiſſimum, appellit. Si
autem tunc non omnes functiones edat; hoc ideo eſt, vel quia organa, adhuc debilia ſunt, vel
quia locus, vbi fætus reperitur, impedimentum affert. Inde tamen concludere non licet, in ſe-
mine animam re ipſa, ſecundùm eſſe quoddam imperfectius, contineri: quoniam cùm in ſe-

mine

mine organa nulla adſint, in eo certè anima reipſa contineri non poteſt.

*Opinio Bacconi, ſtatuentis, formam, ante ſui eductionem, habere in materia aliquod eſſe reale, quod appellauit potentiale. Cap. IX.*

Opinio Bacconi de formarum origine.

Expendamus nunc alterum membrum propoſitæ dubitationis, an ſcilicet forma, ante ſui eductionem, cùm nullum habeat in materia eſſe reale actu, habeat ſaltem aliquod eſſe reale præ̃te. Affirmatiuã partem inter cæteros acerrimè defendit Io. Bacconus 2. Sent. diſt. 18. q. vnica, art. 2. & quodlib. 1. q. 6. art. 2. qui arbitratus eſt, formã, antequã de materię præ̃te educatur, habere in materia quoddã eſſe reale, tũ ab ipſa materia, tùm à quacunq; forma diſtinctum, quæ ex ipſa educi pôt. Hoc autem eſſe appellauit potentiale, non quidẽ quatenus potentia operationem tantummodò reſpicit, vt præcedens opinio ſtatuebat; neque etiã quatenus potẽtia excludit actum eſſentiæ, ſed ſolùm quatenus excludit actum exiſtentiæ. Sic. n. forma, inquit, habet in materia propriam realitatem, eſtque in potentia, vt ſit terminus formalis generationis; atque etiam vt materiam perficiat, & informet; ſiquidem forma materiã non perficit, ſecùndum eſſentiæ realitatem ſpectata, ſed ſolùm ſecundum realitatem exiſtentiæ; cùm ſcilicet iam de potentia ad actum exijt, factaque eſt actu terminus generationis.

Explicatio huius ſententiæ ſecũdum Theologos.

Hanc ſñiam Reſolutus iſte Doctor primùm explicat, deinde verò autoritatibus, & rationibus confirmat. Ait igitur primò, ſi ſecundum Theologos loqui velimus, Deum in temporis initio materiam primam, non per ſe ſolam, ſed ſub confuſa quadam forma procreaſſe; eodẽ verò temporis articulo, quo materia creata eſt, formas omnes, quæ ex ipſa educi poſſunt, eſſe quoddam reale in materia obtinuiſſe; non exiſtentiæ quidem, ſed eſſentiæ, & quidditatiuum, quodque potentiale nuncupatur, quatenus eſſe exiſtentię reſpicit, cuius proprium munus eſt materiam perficere, & informare, atque ex hoc eſſe potentiali formas omnes aſſeuerat, contipenter educi.

Explicatio eiuſdem ſentẽtiæ ſecũdum Philoſophos.

Loquendo verò ſecundum Philoſophos, præſertim Peripateticos, cùm Mundus ab omni temporum æternitate editus ſit, materia pariter ab æterno edita eſt, in qua aſſerit, realitates potentiales omnium formarum ab æterno reperiri: poſteà verò, decurſu temporis, putant, vnamquanque formam de illo eſſe reali potentiali ad actum exiſtentiæ deducis, tuncque potentiam propriam, & proximam perficere, quatenus ſcilicet cum materia, determinatis affectionibus prædita coniungitur.

Materia dupliciter conſiderari pôt.

Ait. n. materiã dupliciter conſiderari poſſe; vno modo, vt eſt ſubiectum commune formarum; altero, vt eſt diſtincta per diſtinctas habilitates ad diſtinctas formas. Primo modo dicitur potentia remota; altero verò potentia proxima rei naturalis; non. n. quodlibet fit ex quolibet, vt putabat Anaxagoras, ſed determinatum ex determinato. Itaque exiſtimauit Bacconus, formas omnes eſſe in prima materia, tanquam in ſubiecto remoto, ſecundum eſſe reale, quod appellauit potentiale: eſſe verò in eadem, tanquã in ſubiecto proximo, ſecundum eſse reale, quod vocauit actuale. Hac ſñia ſic explicata, putauit, difficultates omnes, ex hac re emergentes, ſolui facilè poſſe, ſiue illæ ad materiam, ſiue ad formam, ſiue etiam ad totum compoſitum ſpectent.

Quo forma poſſit eſſe in materia, & ipſam nõ informare.

Solutio Bacconi.

Si. n. quæratur, qui fieri poteſt, vt forma ſit in materia, & tamen ipſam non perficiat, aut informet? Reſpondet, hoc ideo eſse, quia non eſt in ea, ſicut in potentia propria, ſed ſicut in potentia communi: non ſicut in potentia proxima, ſed ſicut in potentia remota: non ſecundum eſse actuale, ſed ſecundum eſse potẽtiale: non ſecundum eſse exiſtentiæ, ſed ſecundum eſse eſsentiæ. Etenim materia, vt eſt ſubiectum commune, non eſt nata perfici ab aliqua forma determinatæ ſpeciei; quia tũc inter perficiens, & perfectibile nulla daretur proportio, ſi id, quod natum eſt perfici, eſset commune, & indeterminatum; quod verò natum eſt perficere, eſset proprium, atque determinatum. Nata eſt igitur materia perfici ab aliqua forma communi, quæ quidem forma non eſt forma illa, vt aiunt corporeitatis, quam nonnulli in materia ſtatuerunt; ſed eſt eſse reale potẽtiale omnium formarum, quod proportione reſpondet illi habilitati, quam habet materia, vt eſt ſubiectum commune, conſiderata. Cùm verò materia ad determinatam formam recipiendam parata iam eſt, tunc forma de propria potentia extrahitur, cum materia coniungitur, & illã perficit, atque informat.

Bacconi ſententia ſeruatur diſcrimẽ inter generationem, & alterationem.

Tuetur etiam hęc ſñia verum diſcrimen, quod inter generationem, & alterationem intercedit; aliqui. n. fortaſse ſuſpicari poſsent, ex hac opinione ſequi, generationem eſse ipſammet alterationem; quoniam materia nihil noui accipit, ſed eſse formę, quã prius habebat, alterationem quandam perpetitur, cùm de potentiali fiat actuale. Reſpõdet

Bacco-

Bacconus, productionem formæ ſubſtantialis in materia, alterationem vtique fore, ſi materia aliquam propriam, & peculiarem formam ſibi aſciſceret: tunc enim cæteræ formæ aduenientes eſſent accidētia, atque adeò generatio eſſet alteratio. Ponendo autem formam, quæ de materia educi poteſt, habere tantummodo in ipſa eſſe reale potētiale, non ſequitur, vt generatio ſit alteratio: quoniam cùm agens naturale formam extrahit de ſubiecto communi, & de potentia remota; tunc illa forma iungitur potentiæ propriæ, & acquirit eſse actualis exiſtētiæ: hanc autem tranſmutationem nemo non videt, non eſse alterationem, ſed veram generationem.

Seruatur verũ generans, vt differt à remouente, phibens.

Seruatur etiam hac opinione, generans non eſse remouēs prohibēs: hoc enim ſequeretur ſecundum opinionem Anaxagoræ, qui ponebat, formas omnes re ipſa in materia latitare: hic autem Doctor, ponit, formas habere in materia eſse reale potentiale. Quare nulla forma hoc pacto materiam informat; quia eſt in potentia remota: poſt amotionē aũt præcedētis formæ, extrahit ipſa ex illo eſse potētiali, & iungitur potētiæ proximæ, tuncq; fit generatio.

Seruatur ordo eſſentialis in receptione formarum.

Seruatur quartò eſsētialis ordo in receptione formarũ, qui quidē ordo eſt inter ipſas vt reſpiciũt potentias proximas, in quas ſ'm ordinem propriorum agentium introducuntur: qui tamen ordo nullus eſt, vt formæ ipſæ ſunt in potentia materiæ remota. Soluit etiam, hac ſententia, difficultates omnes, circa formas, & compoſitum contingentes, vt apud ipſum videre licet, qui hac in re ſatis multus fuit.

### *Bacconi argumenta, ſuam ſententiam confirmantia.* *Cap. X.*

Arg. primum

HAnc autem ſententiam Bacconus, locis citatis, innumeris propemodùm Ariſtotelis autoritatibus, atque etiam rationibus confirmauit, quarum præcipuæ eæ ſunt. Primam ſumit ex Ariſtotele 1. Phyſ. tex. 71. vbi docet, quicquid fit, ex ente poteſtate fieri, cùm ex ente actu nihil fieri poſſit; alioquin eſſet antequam fieret: animal igitur non fit ex animali, ſed ex non animali, id eſt ex animali poteſtate. Tūc ſic argumētatur Bacconus; animal poteſtate non dicit ſimplicem eſſentiam, ſicut nec animal actu; ergo dicit eſſentiam compoſitam, ſcilicet eſſentiam materiæ, & eſſentiam formæ, in eſſe potentiali.

Secundum.

Secundam elicit ex 7. Metaph. tex. 27. vbi oſtendit Ariſtoteles, in naturali generatione neque materiam; neque formam generari, ſed ſolùm compoſitum; quia generatio ex aliquo eſt, & oportet diuiſibile eſſe id, quod fit. Tunc argumentatur Bacconus; aut accipit ibi Ariſtoteles id, quod fit pro eo, quod generatione factum eſt, aut pro eo, quod eſt in fieri, generationis motu: ſi detur primum, tunc malè dixiſſet, generationem ex aliquo eſſe, cùm potius ipſum genitum ex aliquo eſſe dicere debuiſſet: ſi detur alterum, tunc habetur quod quęritur, videlicet in rei generatione dari materiam, & formam, tanquam diuerſa principia, ex quibus generatio fit: quod certè non niſi ſecundũ eſſe potentiale intelligi poteſt. Etenim eſſentia formæ quocunque inſtanti ponatur, alia eſt, re ipſa ab eſſentia materiæ: ſed, vt dicit philoſophus, eſſentia materiæ, & eſſentia formę ſunt ante generationem; cùm ex ipſis generatio fiat; ergo ante generationem habent aliquod eſſe reale, non actu, ergo poteſtate.

Tertium.

Tertiam ſumit ex 8. Metaph. vbi quærit philoſophus, quomodo compoſitum, quod eſt terminus, & obiectum generationis, fiat vnum, cùm plures habeat partes? Reſpondet, ſicut artifex ex ſphæra poteſtate facit ſphæram actu, ſine vllius nouæ rei adiectione; ita agens naturale facit compoſitum actu ex compoſito poteſtate, nulla re noua prorſus adiecta: ſed compoſitum poteſtate non poteſt eſſe ſine materia, & forma; ergo materia, & forma in termino à quo generationis, habent eſſe reale poteſtate, ſicut in termino ad quem habent eſſe reale actu. Confirmat hanc rationem; quia agens non poteſt agere

Cõfirmatio.

abſque eo, quod ante actionem ponitur: ſed materia, & forma ante actionem ponuntur; cũ ex illis per ſe vnum fieri debeat: ergo in illo priori ſigno, quo ante generationem ponuntur, habent aliquod eſſe reale, non actu; ergo poteſtate.

Quartum.

Quartam elicit ex 11. Metaph. contex. 11. vbi Philoſophus, & Commentator dicunt, Ens fieri ex non ente actu, & ex ente poteſtate; non tamen ex quauis poteſtate, ſed ex poteſtate propria: nam vnumquodque entium fit ex eo, quod eſt poteſtate illud, quod fit. Tunc ſic argumentatur Bacconus; vnumquodq; ens fit ex poteſtate propria: ſed propria poteſtas, ex qua fit forma, non eſt materia; quia principia non fiunt ex alterutris; neque etiam eſt poteſtas alterius generis à ſubſtantia, quia ex nō ſubſtantijs non fit ſubſtantia; ergo fit ex ipſamet forma poteſtate, atque adeò forma fuit ante in materia, ſecundum eſſe reale potentiale.

Quintum.

Quintam rationem ſic conſtruit; forma, cũ de ma-

materiæ poteſtate deducitur, aut incipit eſſe actu de nihilo, aut de aliquo: non de nihilo, quia ex nihilo nihil fit: ſi de aliquo, tunc aut illud eſt poteſtas aliqua, à formæ poteſtate diſtincta, aut eſt ipſiuſmet formæ poteſtas; non primum, quia tunc forma ex alio fieret, & ſic non eſſet principium: dandum eſt igitur alterum, dicendumque, formam incipere eſſe actu ex ſe ipſa poteſtate; eſſeque rem, à qualibet alia, ante generationem, ſe ipſa differentem.

*Prædicta opinionis confutatio.* Cap. XI.

HÆc Bacconi ſententia ſubtiliſſima quidem eſt omniũ, quas antè attulimus, & eius ingenio digna: veruntamen ipſa quoque difficultates quàm plurimas continet, & obiectionib. innumeris fit obnoxia: cùm in materia nulla entitas potentialis formæ dari poſſit, quæ realis dicenda ſit. Primò, ſi eo temporis momento, quo materia à Deo edita eſt, forma quoque in materia, ſecundum eſſe reale potentiale, producta fuit; certum eſt, illam entitatem realem potentialem fuiſſe, vt ita dicam producibilem, antequàm producta eſſet: aut igitur illa entitas fuit antè, ſecundum aliam entitatem realem potentialem, aut non: ſi non fuit antè; ergo nec forma, de materię poteſtate educibilis, ante ſui eductionem, vllum eſſe reale potentiale in materia obtinuit: ſi fuit antè, quærendum etiam erit de illa entitate reali potentiali: nam ipſa quoque antequam produceretur, producibilis fuit; igitur, præter illam, alia entitas realis potentialis danda erit; ſicque in infinitum procedetur. Secundò, ſi forma, ſecundum eſſe eſſentiale, & quidditatiuum, eſt entitas realis potentialis; ergo inter ipſam, & materiam nullum ſtatuetur diſcrimẽ. Probatur conſequentia, quoniam ipſa quoque materia, ſecundum eſſe quidditatiuum conſiderata, ex Bacconi ſententia, eſt entitas realis potentialis: tuetur enim cum S. Tho. materiam non exiſtere ſine forma, & potentiam eſſe de eius eſſentia. Tertiò, ſi Scotiſtarum opinionem ſequamur, quam, alia diſputatione, veram eſſe probauimus, materiam ſcilicet habere propriam exiſtentiam, ab exiſtentia formæ diſtinctam, eſſeque actu ens: tunc, ſi forma, ſecundum eſſe reale potentiale, in materia reperiretur, ſequeretur, vt ante compoſiti generationem, & formæ de potẽtia materiæ eductionem, vnum aliquid per ſe fieret, quod eſt apertè falſum. Probatur conſequentia; quia daretur ſubſtantia formæ, quæ eſſet potentia, & ſubſtantia materiæ, quæ eſſet actus: reſque oppoſito modo contingeret, vt. ſ. ex forma, tanquàm ex potentia, & materia, tanquam ex actu, aliquid per ſe vnum conſtitueretur. Quartò, hoc eſſe reale potentiale formæ dubio procul eſt ſubſtantiale, quia ex non ſubſtantia non fit ſubſtantia: eſſe pariter actuale eiuſdem formæ, poſtquàm ipſa de potẽtia materiæ educta eſt, dicitur ſubſtantiale; alioquin eductio formæ non eſſet generatio, ſi ad aliquod accidẽs terminaretur: ergo dum iſtæ duę entitates formæ, ſcilicet actualis, & potentialis ſimul vniuntur, fieret vnum compoſitum ſubſtantiale; atque adeò forma non eſſet ſimplex, ſed ex duabus illis entitatibus conſtituta. Quintò, dùm forma obtinet eſſe reale actuale, aboletur ne eſſe eiuſdẽ reale potentiale, an non? non poteſt dici, ipſum aboleri; quia illud eſſe, autore Baccone, eſt eſſentiale, & quidditatiuum, quod, cùm æternum, & neceſſarium ſit, aboleri nequaquã poteſt: ſi non aboletur; igitur ex ipſo, & eſſe reali actuali eiuſdem formæ compoſitio fiet. Poſtremò, ſi forma haberet eſſe reale potentiale, tunc non diceretur educi de potentia materiæ, ſed de potentia ſui ipſius; atque ita, dum Bacconus euitare illud vult, formam neque ex materia, neque ex alio, neque ex nihilo fieri, in alium incidit errorem: quia fateri cogitur, formam fieri ex ſemetipſa, quod eſſe nullo modo poteſt. Conſecutio eſt perſpicua: quoniam ſi forma de potentia educitur, & illa potentia ad materiæ ſubſtantiam non pertinet, ſed eſt ſubſtantia educibilis formæ, diſtincta à ſubſtantia materiæ: iam planè ſequitur, vbi forma educta eſt, ipſam non ex materiæ potentia, ſed ex potentia propria, vel ex ſuimet ſubſtantia eductam eſſe. His igitur rationibus falſum omninò mihi videtur, formam, ante ſui eductionem de potẽtia materiæ, habere in ipſa aliquod eſſe potentiale, quod quidem reale, atque ſubſtantiale ſit, vt putauit Bacconus.

Arg. primum | Secundum. | Tertium. | Quartum. | Quintum. | Sextum

*Reſponſio ad argumenta Bacconi.* Cap. XII.

REiecta iam ſatis ſententia Bacconi, reliquum eſt, vt argumenta, ad illam confirmandã, ab eodem adductã, diluamus. Ad primum concedimus, quicquid fit, ex ente poteſtate fieri; atque adeò animal actu fieri ex animali poteſtate. Cùm verò ita argumentatur Bacconus; Ad primum.

nus;animal poteſtate non dicit ſimplicem eſsentiam, ſed eſsentiam compoſitam ex materia,
& forma,ſicut animal áctu,hoc argumentum æquiuocatione peccat. Nam per animal pote-
ſtate duo intelligere poſſumus: vel ſubiectum ipſum,ſeu materiam,quæ eſt in proxima affe-
ctione ad animalis formam recipiendam: & ex hoc animali poteſtate verum eſt dicere, fieri
animal actu:hoc autem animal poteſtate non eſt eſsentia compoſita,ſed, vt nuper diximus,
eſt ipſamet materia, cum proxima affectione ad animalis formam recipiendam. Poſsumus
deinde per animal poteſtate intelligere animal,ſecundum eſse eſsentiæ, & quidditatiuũ, cui
annexum eſt eſse,vt ita dicam, poſſibile, vel potentiale, quatenus ei non repugnat produci;
& tunc,ſicut animal actu eſt quid concretũ ex corpore, & aĩa, tanquam ex materia,& for-
ma, ita animal poteſtate includit corpus, & animam, ſeu materiam, & formam poteſtate.
Tamen hoc eſse potentiale non eſt eſse reale; quia primus modus interior,qui eſsentiæ ad-
uenit,eſt exiſtentia,quam poſtea,naturæ quodam ordine, realitas,contingentia, finitudo,&
alij huiuſmodi conſequuntur,vt alibi docuimus. Iam verò hoc animal poteſtate ſic conſide-
ratum,vt dicit eſse eſsentiæ,non eſt quid reale in materia prima,ex quo animal actu fieri de
beat;vt poſuit Bacconus,ſed quid à materia penitus ſeiunctum,vt cuilibet,rectè ratiocinãti,
Ad ſecũdum. patere poteſt. Ad ſecundum admittimus pariter, in naturali generatione, neque materiam
neque formam,ſed ſolùm compoſitum generari;illudque in eas partes diuiſibile eſse,ex qui-
bus conſtitutum eſt,ſcilicet in materiam,& formam. Cùm quærit Bacconus, quid intelligat
Ariſt. per illud,quod fit? Reſpondeo,ipſum compoſitum,quod tunc fieri dicitur, cùm mate-
ria ad eius formam recipiendam paratur. Cùm verò Bacconus, quoniam compoſitum dici-
tur eſſe in fieri,generationis motu,elicit,dandam eſſe materiam, & formam, ſecundum eſſe
potẽtiale,ex quibus generatio fiat,hoc prorſus negãdum eſt. Et quanuis dicat Philoſophus,
eſſentiam materiæ,& eſſentiam formæ eſſe ante generationẽ,quia ſunt æternæ;tamẽ falſum
eſt,ex ipſis eſſentijs generationem fieri; fit.n.generatio ex exiſtẽtia materiæ, & ex exiſtẽtia
formæ:cùmque materia eſſe reale ſemper habuerit,forma pariter in vltimò generationis ter
mino,ſaltem in priori naturæ ſigno, antequàm compoſitum conſtitutum ſit, actu eſſe reale
obtinet;nec quicquam ex forma fit,habẽte eſſe reale potẽtiale, cùm eiuſmodi eſſe habere nõ
poſſit:habet ſiquidem eſſe potẽtiale,antequam educta ſit;tamen,vt diximus,illud eſſe nõ eſt
Ad tertium. reale,ſed quidditatiuum,quod neque eſt reale,nec rationis, de quo aliàs. Ad tertium dici-
mus,rectè Philoſophum reſpondere,artificem ex ſphera poteſtate facere ſphæram actu,ſine
vllius nouæ rei adiectione;quia parat æs,aut ferrum,quod eſt ſphæra poteſtate; atque tan-
dem vbi perfectè paratum, & accommodatum eſt,ſphæra actu ſtatim apparet. Ita agẽs natu
rale ex compoſito poteſtate facit compoſitum actu, ſine vllius nouę rei adiectione: nanque
materiam,quæ appellatur compoſitum ptãte,quatenus eſt in proxima potentia,ad recipiẽ-
dam formam illius rei,quæ gigni debet,ſenſim parat,& ad illam formam recipiẽdam accom
modat:cùm autem materia perfectè parata eſt,tunc,nulla re alia adiecta,apparet forma,fit-
que compoſitum actu. Cùm verò argumẽtatur Bacconus, additque hanc minorem propoſi-
tionem;ſed compoſitum poteſtate non põt eſſe ſine materia, & forma, hic etiam æquiuoca-
tione laborat:facit.n.tranſitum à compoſito poteſtate,quod eſt materia prima, ad compoſi-
tum ptãte,quod eſt ipſummet compoſitum,ſm eſſe eſſentiæ conſideratũ:quod fatemur qui-
dem,materiam,& formam eo modo,quo ſupra docuimus,includere; vllum tñ habere eſſe rea
le,negamus. Ad confirmationem reſpondemus,materiam,& formam poni quidem ante ge
Ad cõfirmationem. nerationem,cùm ex ipſis generatio fiat,& concedimus, in illo priori naturæ ſigno habere eſ-
ſe reale;negamus tamen,illud eſſe reale dici potentiale;cùm re vera ſit actuale: niſi.n.mate-
ria,& forma in aliquo priori naturæ ſigno,ſm verum eſse actualis exiſtentiæ,prçexiſterent;
Ad quartum nunquam profectò ex ipſis compoſitum generari poſset. Ad quartum admittimus, vnum-
quodq;,quod fit,ex propria poteſtate fieri, hoc eſt ex materia habẽte determinatã poteſtatẽ
ad recipiendã formã eius,quod fit:negamus tamen,formam ex propria poteſtate fieri,immò
negamus abſolute, formam fieri,quia verè forma non fit,niſi, vt quo, vt dicunt Scholæ; ſed
de poteſtate educitur,non ſui ipſius,ſed materię,quàtenus ipſa varijs affectionibus proximã
Ad quintum poteſtatem acquirere dicitur, ad formam recipiẽdam. Ad quintum reſpondetur, formam,
cùm de materiæ poteſtate deducitur,incipere eſse actu, & ex nihilo, & ex aliquo. Ex nihilo,
hoc eſt ex nullo ſubiecto componẽte;ſimplex.n.eſt forma, propterea ex re nulla conficitur.

Ex aliquo verò, hoc eſt ex ſubiecto, ad illam a ccipiēdam accommodato: antequam.n. forma obtineat eſse actu, ſubiectum ponitur ad illam recipiēdam paratum, atq; ab affectionibus, in ſubiecto repertis, quodammodo accerſitur: quę ſi non eſsent, nunquam forma conſiſteret, aut produceretur: & in hoc ſenſu dicitur forma incipere eſse actu, ex aliquo, hoc eſt ex affectionib. in materia repertis. Cùm dicitur, ex nihilo nihil fit, vera eſt propoſitio, tanquam ex ſubiecto componēte. Cùm additur, ſi forma ex aliquo fieret fore, vt ex ſemetipſa poteſtate fieret, negā dum hoc eſt: fit.n. ex poteſtate materiæ, nec eam ob rem ſequitur, formam ex materia fieri, quia, vt diximus, non fit ex ipſa, tanquam ex parte componēte, ſed educitur ex ipſa, tanquam ex ſubiecto ad illam recipiendam præparato, atq; ita non eſt neceſse, vt antequam de materiæ poteſtate educatur, vllam in ipſa realem entitatem obtineat.

*Vera ſententia de re propoſita ſenſim introducitur; primoque forma, cuius originem quærimus ſubſtantia eſſe oſtenditur. Cap. XIII.*

REiectis iam ſentētijs illis, quæ à veritate abhorrere videntur, omnibuſque rationibus, quæ ad eas probandas in medium allatæ ſunt, iam planè diſſolutis; tp̄s nunc eſt, vt verā quā arbitramur, de re propoſita ſn̄iam, dilucidè, quoad eius fieri poteſt, aperiamus: quod, vt commodiùs à nobis fiat, nonnullis concluſionibus præſtare operæprecium duximus. Prima igitur concluſio ſit hæc; forma, cuius originem præſenti diſputatione inuēſtigamus, nullo pacto eſt accidens, ſed vera ſubſtantia. Hæc concluſio demonſtrari non ita facile poteſt, proptereà quod mēs noſtra, dum in hoc craſſo, terrenoque corpore, velut in quodam carcere incluſa manet, ad intimam materiæ, formæque naturam peruenire non pōt: dùmque ſimplicia corpora, quæ ſunt elemēta, contemplamur, quia ſenſibus nihil, præter eorum qualitates, attingimus, ideo qualitates ipſas eorum formas, & rationes eſſe putamus: qua in re multi ſanè hallucinati ſunt. Alij verò formam, quæ compoſitum conſtituit, non ſubſtantiam, ſed accidens eſſe cenſuerunt; eamque ex quadam qualitatum harmonia exoriri putarunt. Veteres Philoſophi, vt antè dictum eſt, in eodem etiam errore fuerunt: quoniam materiam eſſe totā ſubſtantiam rei, & quicquid illi adiungitur accidēs eſſe, exiſtimarunt. Alij, abſurdum putantes, ſimplicium corporum formas accidentia eſſe, media quadam inceſſerunt via, eaſque ancipitis cuiuſdam naturæ, inter ſubſtantias, & accidētia medias, cēſuerunt. Nam proptereà qđ dant eſſe rei. materiam perficiunt, & compoſitum conſtituunt; ſubſtantiæ nomine decorarūt: quia verò intenduntur, & remittuntur, ideo eaſdem accidētia nuncuparūt. Alij in eam ſn̄iam venerunt, vt ſtatuerint, huiuſmodi formas accidētia primùm eſſe: deinde verò, temporis decurſu, perfici, atque tandem ſubſtantias euadere. Portēta opinionum ſunt hæc, quæ non eſt opus modò refellere, cùm iam alijs diſputationibus ſatis commodè reiecta ſint. ſufficiet nūc, per veræ ſn̄iæ introductionē, paucis oſtēdere, formam, quæ dat eſſe rei, & cuius interuentu cōpoſitum ſimpliciter conſiſtit, verè ſubſtantiam eſſe. Quemadmodum.n. ex non quanto, quātum, ex non quali, quale, & ex non ente, ens fieri non pōt; ita ſanè videtur, ex non ſubſtantia, ſubſtantiam fieri non poſſe: at compoſitum, cuiuſmodi eſt elemētum, ſubſtantia eſt, per ſe.n. ſubſiſtit; igitur ex ſubſtantijs fieri dēt: ex ſola autem materia fieri non pōt; quoniam ſi ea ſola ponatur, nihil inde, niſi ipſamet materia exoriet: debet igitur dari pars alia, quę itidē ſubſtantia ſit, ex cuius vnione cum materia compoſitum conſtituatur: illa aūt ſubſtantia alia nulla profectò eſt, quàm ipſa forma. Prætereà, cùm qualitas, aut quoduis accidēs ſubiecto adiungitur, nulla fit mutatio, ſecundum ſubſtantiam, ſed ipſum ſubiectum ſenſibile manet: vt cùm ferrum rotundum, aut calidum fit, quemadmodum ait Ariſt. 1. de Generat. tex. 23. hæc autem mutatio, quòd ad accidens terminetur, alteratio proprio nomine nuncupatur. Cùm verò aut aqua, aut aer, aut quoduis elemētum generatur, tunc, abſoluta generatione, nullum ſubiectum ſenſibile manet: Si.n. ex aere fiat aqua, cùm aqua iam genita eſt, aer amplius non conſpicitur, ſed iam perijt; igitur facta eſt hic mutatio, ſecundum ſubſtantiam, atque adeò neceſse eſt, vt huius mutationis terminus, qui eſt forma, in materiam introducta ſubſtantia ſit. Neque verò difficultatem aliquam parere illud videtur, quia ſcilicet forma per ſe nō ſubſiſtit: nam neq; materia, naturæ viribus, per ſe ſubſiſtit, & nihilominus materiam omnes ſubſtantiam eſſe fatētur. Sunt igitur tàm materia, quàm forma veræ ſubſtantiæ: & quia à natura ad compoſitum conſtituendum ordinatæ ſunt, ideo ſemper altera ad alteram propenſio-

Prima cōcluſio pro vera ſententia aperienda.

Errores varij de natura formæ.

Prima rō probās formam eſſe ſubſtantiam.

Secunda rō

Obiectio, & ſolutio.

Speculare hic diligēter materiæ, formęque naturam

nem habet,hęc ſcilicet vt perficiat;illa verò,vt perficiatur. Sin autẽ per ſe ambæ ſubſiſterẽt, & huiuſmodi procliuitatem non haberent, tunc ſeorſum ſemper manerẽt , nunquam inuicẽ copularentur,ac deinceps nullum vnquam compoſitum procrearẽt.Quęmadmodum igitur id,quod ex ijs concretum eſt,ſubſtantia dicitur,& materia ab omnibus ſubſtantia nuncupatur;ita etiam forma,quæ eſt præcipua compoſiti pars,verè ſubſtantia vocanda eſt,immò magis ſubſtantia,quàm materia,vt docet Ariſt.2.Phyſ.

### *Subſtantialem cuiuſque corporis formam ſimpliciſſimam eſſe,* Cap. XIV.

Secunda concluſio.

CVm iam ſatis probatum ſit,formam non eſſe accidens,ſed ſubſtantiam, nunc ad verã ſnĩam aperiendam,addamus hanc ſecundam concluſionem. Forma ſubſtantialis cuiuſcunque corporis naturalis,ſiue ſimplicis, ſiue miſti, tàm inanimati, quàm animati neutiquam compoſita,ſed ſimplex omnino eſt. Probatur hæc concluſio,& 1.de Elemẽtari forma.

Forma elemẽti ſimplex ẽ.

etenim elemẽtum ſubſtantia quædam perfecta eſt,reipſa exiſtens,in qua duę tantùm ſubſtãtiales partes,videlicet materia,& forma,continentur. Si materiam cogitatione ſecludas,forma tantùm remanet , quæ dubio procul ſimplex eſt, cùm ex nulla re alia conflata ſit. Id ipsũ

Forma miſti inanimati ſimplex eſt.

ſecundò,probatur de forma miſti corporis inanimati;quæ fortè aliquo pacto compoſita videri poſſet:nanque in huiuſmodi miſto re ipſa quidem manent elemẽtorum formæ,eæ tamẽ minutatim conciſæ, & inuicem omninò permiſtæ, atque confuſæ ſunt, vt , quanuis ibi maneant,ſui tñ iuris non ſit,ſed vires cohibitas,& quaſi ligatas habeant ; cùm omne ius ad formam miſti,tanquã ad perfectiorem delatum ſit . Caro ex.gra.miſtum quoddam corpus eſt, ex quatuor elemẽtis coagmentatum,in quo ignis,aer,aqua, & terra reipſa continentur,caro tamen nullum elemẽtorum eſt,ſed caro.Quid ita? Quia elemẽtorum formis iam forma miſti acceſſit,quæ ex illis quidem compoſita non eſt, ſicut forma domus ex vnius partibus;ſed omninò ſimplex,& aliunde potius,quàm ex elemẽtis profecta. Neque.n.forma miſti ex eiuſdem temperamento naſcitur;nam temperamentum qualitas eſt,forma verò miſti ſubſtãtia: ex qualitate autem ſubſtantia oriri non poteſt.Quare ipſamet elemẽta, ſimul iuncta, materiæ vicem ſubeunt,& certis quibuſdam affectionibus ad ſimplicem formam miſti recipiendam accommodantur. Tertiò hoc idem faciliùs probatur,de forma miſti corporis animati,

Forma miſti animati ſimplex eſt.

quæ eſt anima ipſa . Etenim in miſto corpore animato plures quidem formæ, vt ſanguinis, carnis,oſſis,nerui,membranæ,cartilàginis,& aliorum huiuſmodi continentur, quę res tamẽ omnes in viuente miſto poteſtate tantùm contineri dicuntur : non quia re ipſa in miſto non ſint,ſed quia,præſente anima,tanquam forma præſtantiore, formæ officio non funguntur. Quò fit,vt totum ex illis partibus cõſtitutum,ſubiecti,atque materiæ vicem gerat,ad ipſam animam recipiendam,quæ tùm primùm cum hoc ſubiecto iungitur,cùm primùm illud,vitalis,ſeu cæleſtis caloris ope,iam perfectè organis inſtructum eſt:recedente autem anima, tũc forma totius miſti priſtinum ius recuperat,& verè forma nuncupatur. Sic etiam,vbi anima, quæ partes omnes miſti corporis priùs iunctas continebat,iam receſſit;& corporea illa moles ſenſim diſſoluitur;tunc vnaquæque pars propria forma incipit gaudere, quæ itidem verè forma eſt,& appellatur:dũ.n.neruus à carne,& os à neruo ſeparatur;ſingulæ iſtę partes proprias per ſe formas habere dicuntur. Porrò formam totius aliam eſſe à ſingularium partiũ

Forma totius alia eſt à formis ſingularium partiũ, nec ab illis exoritur.

formis,hinc elici facilè poteſt:quoniam forma totius virtute aliqua prædita eſt,quam ſingulæ partes non habent;ideò Medici dicere ſolent, hanc, vel illam virtutem huic , vel illi rei à tota ſubſtantia competere,ideſt à totius forma proficiſci. Euidentiſſimum igitur argumentũ hoc eſt,formam totius à ſingularium partium formis non exoriri;ſed tantummodo ſingularum partium formas ſimul iunctas, eſſe quaſdam veluti præparationes ad formam totius recipiendam,quæ ſimpliciſſima eſt,& extrinſecùs orta,vt ſenſim videbimus.

### *Formam educi de poteſtate materiæ ſicut actus perfectus educitur de habitu.* Cap. XV.

HActenus probatum eſt,formam neque accidens, neque ex vllis rebus compoſitam,ſed ſimplicem ſubſtantiam eſſe:nunc videndum eſt, quonam pacto eadem de materiæ poteſtate educatur. Ioannes Fernelius,vir eruditiſſimus, lib.1.de Abditis rerum cauſis,cap.5.

Vide Fernelium li.1. de abditis rerũ cauſis,cap 5.

id ipſum pulcherrimè huiuſmodi concluſione declarauit. Forma,inquit, educitur de potentia materiæ, ſicut perfectus actus educitur de habitu. Pro huius concluſionis explicatione,

Tertia cõcluſio.

Potentia duplex.

Potentia actiua quid ſit.

Potentiæ paſſiuæ definitio.

conſideratione dignum videtur, quid nam ſit hæc materiæ potentia, de qua forma paſſim educi dicitur; huius enim rei conſideratio nos ſenſim ad id, quod quærimus, manu ducet. Potentia igitur, de qua Ariſtoteles lib. 9. Metaph. c. 1. diſſeruit, duplex ſtatuitur; altera actiua; paſſiua altera, quarum vtraque ab eodem, loco nuper citato, definita eſt. Potentia, inquit actiua eſt principium tranſmutandi aliud, quatenus aliud: paſſiua verò eſt principiũ tranſmutandi ab alio. De actiua potentia nulla nunc nobis diſputatio eſt, ſed ſolùm de paſſiua; qua materia ad formam recipiendam apta, idoneaque redditur.

Potentia materię duplex.

Potentia materiæ vniuerſalis quid ſit,

Quære diſp. de poten. materiæ.

Potentia materiæ particularis qd ſit.

Porrò paſſiua hæc materiæ potẽtia duplex eſt, ſcilicet vniuerſalis, & particularis. Vniuerſalis, vt alibi docuimus, eſt quædam intima primæ materiæ affectio, quæ re ipſa à materiæ ſubſtantia non differt, ſed ſolũ cõceptu, atque formali diſtinctione, cùm de eius eſſentia non ſit; quamuis eidem eſſentialis dicatur. Itaque huiuſmodi potentia, eſt ſubſtantia, ſicuti materia: eadem, qua ipſa, duratione deſcribitur, nimirum æternitate, vt Ariſtoteli placuit: non ſuſcipit magis, nec minus, ſed ſemper eadem manet, & ſibi ſimilis. Potentia verò particularis, non ſubſtantia, ſed qualitas eſt; quæ materiæ adiuncta, ipſam præparat, & ad hanc, vel illam formam recipiendam accommodat. Cùm ergo huiuſmodi potentia qualitas ſit; nullo pacto in ſubſtantiam commutari poteſt, vt putarunt Alexandræi, ſed qualitatis officio fungens, continuò materiam afficit, ſemperque illam ad formam recipiendam promptiorem reddit. Hæc itaque particularis potentia, quæ qualitas eſt, intenſionem recipit, & ſenſim quodammodo adoleſcens, ad perfectionẽ properat: vbi autem conſumatam perfectionem obtinuit, repentè apparet forma, extrinſecùs in materiam introducta: quippe quæ forma endelechia, hoc eſt actus, ſiue rei perfectio ab Ariſtotele nuncupatur.

Quo intelligendum ſit, formam rei perfectionẽ eſſe.

Cæterùm notandum eſt hic, formam non ideo perfectionem appellari, quia formaliter, vt ſic loquar, ipſamet perfectio ſit, ad quam ſenſim potentia properauit: ſed ideò perfectionem appellari, quia perfectæ potentiæ comes eſt, vel quia totum compoſitum complet, ac perficit. Nam eo temporis momento, quo potentia perfectionem obtinuit, idest, quo materia perfectè ad formam recipiendam parata eſt; eodem forma, extrinſecùs orta, cum materia copulatur.

Forma ſubſtantialis educi de potentia materiæ particulari.

Exemplũ rẽ planè aperiens.

Ex hac igitur particulari potentia, quæ qualitas eſt, forma ſubſtantialis educi dicitur, eo modo, quo perfectus actus educitur de habitu. Hoc, vt optimè intelligamus, cogitatione fingamus, aliquem, poſt multos imperfectos, canendi, aut pulſandi actus, ſibi tandem habitum comparaſſe: profectò is nunquam perfectum pulſandi actum edere poterit, niſi priùs habitum conquiſiuerit: habitum verò non ſtatim acquirere poteſt, ſed ſenſim ex multis imperfectis actibus continuò magis, magiſque paratur ad habitum acquirẽdum, ac deinceps ad perfectum actum edendum: poſito enim habitu, quotieſcunque voluntas imperet, perfectum pulſandi actum edere poteſt.

Applicatio.

Sic igitur in re noſtra de forma dicendum eſt: ea enim eſt actus perfectus, qui in materiam induci non põt, niſi illius potentia conſumatam perfectionem conſecuta ſit. Quemadmodum autem pulſandi habitus non tranſmutatur in actum, ſed manente habitu, ex eodem perfectus actus elicitur; ita potentia materiæ non tranſmutatur in formam; ſed ex eadem iam perfecta, elicitur forma. Quemadmodũ etiam ſola pulſatoris voluntas, ad perfectum pulſandi actum eliciẽdum, non ſatis eſt, ſed prætereà requiritur habitus: nec ſolus etiam habitus perfectum pulſandi actum edere poteſt, ſed præterea requiritur pulſatoris voluntas; ita ſola exterior cauſa non ſatis eſt, ad educendam formam, ſed prætereà deſideratur potentia, perfectionem iam planè conſecuta: neque rurſus ſatis eſt perfecta potẽtia, ſed cauſa etiam exterior neceſſariò requiritur.

Nota.

Forma igitur, ait Fernelius, educitur de potentia materiæ, ſicut actus de habitu: & ſicut actus non deſtruit habitũ; ſed illum potius ſeruat, immò excolit magis, ac perficit, vt patet de eo, qui habet habitũ ſcientiæ, & actu contemplatur; ita forma adueniens materiæ, qualitatem potentiæ non excutit, ſed ornamẽtum illi potius, atque perfectionem addit.

Quamuis forma educatur de potentia materiæ, non ideò tñ potẽtia formã parere dicitur.

Exemplum.

Hinc ſatis commodè elicere poſſumus, potentiam materiæ, tametſi ad formam recipiendam materiam præparet; propriè tamẽ formam non parere, neque à ſe ipſa quodammodò excutere: id quod exemplo ſeminis oſtẽdere facilè poſſumus. Semẽ enim in animalium procreatione iam conceptum, vteri vi, ac benigno quodam tempore, ad agendum impellitur; non quidem ad animal procreandum, aut ad animalis formam de ſe excitandam, & edendam, (id enim virium non habet) ſed tantummodo in id eius facultas excitatur, vt materiam ſeminis præparet, atque perfectè inſtruat; ad animalis formam, quæ anima eſt, recipiendam: & quod de anima dicitur, idem de quacunque

materiali forma intelligendum eſt. Patet igitur, quomodo forma de materiæ potentiâ èduci dicatur.

*Naturalis corporis ſubſtantialem formam à genitore minimè produci.* Cap. XVI.

VErùm non ſatis eſt oſtendiſſe, formam educi de potẽtia materiæ, ſicut perfectus actus educitur de habitu; ſed prætereà opus eſt inueſtigare, à quonam tandem fiat hæc formarum eductio, vel quiſnam ille ſit, qui formam in materiam imprimit, ac inducit. Hoc vt faciliùs intelligamus, accipiemus materiam, non ſimplicem illam quidem, & nudam; ſed formatam, & ſenſibilibus qualitatibus affectam: ea enim, quæ ſenſibus magis patent, nobis nótiora ſunt, vt in proœmio librorum de Phyſico auditu Ariſtoteles ſcribit. Accipiemus igitur pro materia ex. gra. ſemen animalis, & inquiremus, à quonam illud formam, hoc eſt animã, accipiat? excipiendo ſemper rationalẽ animam, quæ de materiæ potentia non educitur; & cuius origo proximè à Deo eſt, vt alia diſputatione docturi ſumus. Erit ergo hęc quarta cõclu-

Quarta conclusio.

ſio. Naturalis corporis ſubſtantialis forma à genitore minimè producitur, vt forma equi nõ

Semen poteſtate animatum eſt.

producitur ab equo. Pro huius cõcluſionis explicatione notandũ eſt, ſemẽ p̃tãte tantummodo animatũ dici, vt 2. de Ortu animalium c. 3. Ariſt. docet; id tñ non ita intelligendũ eſt, vt animã in ſe ipſo ocioſam, & quaſi feriantẽ cõtineat; ideoq; ibi anima p̃tãte eſſe dicatur, vt placuit Themiſtio; ſed dr̃ animatũ p̃tãte, quia animam actu non habet, (alioquin animal diceretur) ſed procliuitatem tñ ad animã recipiendam: vt ſuperficies p̃tãte colorata dicitur; quia natura ſua nullum habet actu colorem, ſed quenlibet habere poteſt. Iam verò, ſi ſemen, quã non habet, animam recipit, opus eſt ſanè, vt ab aliquo illam recipiat: à progenitore autẽ, hoc

Generãs nõ ducit formã, ſed vi ſua potentiam perficit, & materiã præparat ad formã recipiendam.

eſt ab eo, qui ſemen emiſit, recipere nequit. Cùm enim equus in equæ vterum ſemen eiaculatur, quam obſecro animam cum ſemine profundit? ſuam certè animã non profundit, quia e vita ſtatim excederet. Neque etiam putandum eſt, animam ab anima gigni; quia tũc eius anima multarum animarum quaſi prægnans eſſet, omnium ſcilicet, quas cum ſemine parere poſſet. Præterea cùm ex vna ſeminis eiaculatione plures partus fieri contingat, vt in canibus & fellibus patet; tunc aut plures animæ ab vna, eademque anima orirentur, aut anima, ſecũdum ſeminis portionem, diuiſibilis eſſet, ita, vt quælibet ſeminis portio animæ portionem cõtineret: quæ ſanè abſurda neceſſariò ſequuntur, ſi in ſemine actu animam cõtineri dicamus. Non ergo quicquid fæcundum ſemen emittit, rei formam emittit, ſed ſolùm potentiam ad formam recipiendam. Patet de ouo, cùm ex eo, fornacis tepore, pullus excluditur: galli quidem ſemen in ouo cõtinetur; ſed tamen fieri poteſt, vt, gallus iampridem extinctus ſit. Quo fit, vt à gallo pulli anima non producatur; ſed ſemen tantummodo, in quo præparatoria facultas ineſt, ad ipſam recipiendam. Igitur ſemine iam in locum, conceptioni idoneum, à progenitore emiſſo; tunc, ob virtutem in eo relictam, fiunt præparationes ad formam, vt elementorum temperatio, partium conformatio, & ſpiritus commoderatio: cumque iam ſemen cõſumatam præparationem obtinuit, tunc repentè formam excipit, extrinſecus ortam. Sed di-

Obiectio.

cet aliquis, ſi forma à genitore non producitur, quomodo ergo erit verum dicere, plan-

Solutio.

tam generare plãtam, bouem, bouem, & hominem, hominem? Solutio eſt in promptu: vt enim bos generet bouem, non eſt neceſſe, vt formam bouis educat; ſed ſatis eſt, vt vim ſuam in ſemine imprimat, quæ ipſum concinnè præparatum reddat, ad formam recipiendam. Id enim, quod generat, ſatis eſt magna cauſa, cur in materia forma ipſa recipiatur, vt 12. Metaph. c. 3. Ariſtoteles ſcribit: quod quidem, ob virtutem in ſemine impreſſam, intelligendum eſt.

*Formæ ſubſtantialis originem cæleſtem, atque diuinam penitus eſſe.* Cap. XVII.

Quinta conclusio.

A Quonam ergo producetur ſubſtantialis forma, ſi non producitur à genitore? Ioannes Fernelius, cuius doctrinam, & opinionẽ hac in re ſequor, cum Ariſtotele 12. Metaph. cap. 3. primo Metheor. & alijs pluribus locis, hac quinta cõcluſione reſpondet, à cęlo illam, & ab eo, quod eſt omnium primum, omnia mouens, produci. Hæc concluſio ſubtiles admo-

Naturale cõpoſitum conſtat ex materia, & forma, pendetq; ab efficiente.

dum, atque difficiles explicationes, & enodationes habet; propterea ad eam intelligendã intento opus eſt animo, ne ſi vnum aliquod effugerit, omnia dilabantur. Sciendum igitur eſt, rem omnem naturalem ex duabus partibus intimè conſtatam eſſe, videlicet ex materia, & ſpecie, quam formam appellant. Sed præterea externum aliquod efficiens neceſſariò requi-

ri,quod formam cum materia coniungat,remque cõpoſitam conſtituat. Materia nõ fit,quia eſt æterna:forma pariter non fit,hoc eſt non generatur;alioquin non eſſet principium : ideo dicebat Ariſtoteles loco citato,mutationem omnem eſſe ab aliquo,alicuius,& in aliquid;ab aliquo,puta primùm mouente:alicuius,ſcilicet materiæ:in aliquid,ideſt in formam. Res autem in infinitum abiret,ſi & ipſa forma fieret.ſatis enim eſt ex.gra.vt æs rotundum fiat,nec prætereà opus eſt,vt fiat etiam ipſamet rotunditas:ex his igitur principiis conſtat res naturalis.Quoniam vero perpetua illa non eſt,ſed vt cœpit eſſe,nouo ortu,ita deſinet eſſe, occaſu;ideo huiuſce tranſmutationis cauſa aliqua quęrenda eſt,quæ certè alia nulla eſſe poteſt, quàm ipſa forma:dum enim cum materia coniungitur;tunc res naturalis exoriri : dum verò ab eadem abſcedit,tunc occidere dicitur. Huius autẽ ortus,atque occaſus efficiens cauſa quænam erit? Ariſtoteles 1. Metheor.cæleſtibus illam corporibus acceptam retulit,dum ita ſcribit;neceſſe eſt, Mũdum hunc inferiorem contiguum eſſe lationibus ſuperioribus,vt tota eius virtus inde gubernetur.Quæcunque igitur in ſublunari hoc Mundo continentur,vt lapides, metalla, ſtirpes, & animalia,tàm imperfecta,quàm perfecta,ea omnia à Cælo originem ducunt. De imperfectis animalibus, quæ nimirùm ex putrida colluuie oriuntur, perſpicua res eſt,nullum alium illa effectorem habere,niſi Cęlum:abſurdum autem eſſet, imperfecta hæc animantia à Cælo originem trahere;perfectorum verò animantium generationem ab inferiore efficiente pendere. Immò narrat Ariſtoteles ſect. 10. Problematum,problemate 15.vti cæleſti quadam conſtitutione,imperfecta quædam animantia ex putri materia procreãtur; ita olim ingentem quandam Mundi,vniuerſique mutationem fuiſſe,atque cæleſtium ſiderũ conſtitutionem,quæ principio omnium perfectorum animantium ortus, vel ipſius hominis cauſa fuerit:id autem Ariſtoteles non à ſe dixit,ſed tanquàm aliorum opinionem retulit,qui de natura diſſeruerunt. Quod quidem dictum philoſophicum potius,quàm verum , atque catholicum eſt:ſcimus enim,ſecundum fidei catholicæ veritatem, Deum initiò omnia procreaſſe. An autem omnia ipſemet ex nihilo,an verò aliqua,ſecundarum cauſarum interuentu, ediderit,diſputandum modò non eſt:cùm ſatis nobis ſit,ea omnia , quæ cauſarum ſecundarũ interuentu producuntur,a Deo,abſque cauſis ſecundis nullo negotio effici poſſe. Cæterum, vt ad rem noſtram propius accedamus,quemadmodum in quaque re naturali duæ ſunt intimæ,atque ſubſtantiales partes,materia ſcilicet,& forma;ita duo in vniuerſo reperiuntur, à quibus huiuſmodi partes rei componendæ ſubminiſtrantur. Ea autem ſunt elementa,atque cæleſtia corpora:illa quidem materiam,hæc verò ſubſtantialem formam exhibent. Ideo Ariſtoteles,de naturali rerum generatione diſſerens,formam aſſeruit à Cælo pendere,dum Solem,& hominem generare hominem affirmauit:nomine autem Solis,non eius tantummodò aſtrum,ſed quintam illam naturam,atque ſubſtantiam, hoc eſt totum aggregatum ex omnibus cæleſtibus orbibus intellexit. Duplicem igitur Ariſtoteles mortalium rerum opificem ſtatuit:alterum totius compoſitæ rei,& hic eſt proximus progenitor;ideò dixit hominem generare hominem, bouem,bouem,plantam,plantam,& eodem modo de alijs: alterum ſolius formæ,& hunc rurſus duplicem eſſe perhibuit:cùm enim naturales tantùm cauſas contemplatus eſt,hunc vocauit Solem,hoc eſt cælum ipſum : cùm verò ſupra naturales cauſas tranſcendit,eum dixit eſſe primùm omnia mouens,hoc eſt Deum Opt. Max. Itaque ex hiſce omnibus Ariſtotelis locis elicimus,quotieſcunque materia debita præparatione inſtructa eſt,vltimo illo temporis momento,quo eius particularis potentia,quam qualitatem eſſe diximus, conſumatam perfectionem obtinuit, non à particulari quidem genitore,ſed à Cælo,& à primo mouente formam in eundem introduci. Sed quæret aliquis, cùm rerum naturaliũ formæ,ſi mentem excipias,corporeæ ſint,&,ipſomet Ariſtotele teſte,illa, quorum actio corporea *eſt*,abſque corpore eſſe non poſſint;quonam modo huiuſmodi formæ abſque vllo corpore è Cælo demittuntur,& vnà cum materia copulantur? Huic quæſito reſpondet egregiè Ioãnes Fernelius,ſicut Sol,cui lux ingenita eſt,perſpicua corpora illuſtrat,non tamen propriam lucem à ſe excludit,atque in illis immittit;ſed tantummodo lumen in ea diffundit,quod quidem nihil eſt ſubſtantiæ Solis,nec aliqua eius pars,ſed effectus virtutis eius:ita cæleſtia corpora, in quibus rerum ideæ,ac ſpecies ingenitæ ſunt,non illas quidem exhibere, quaſi à ſeſe expellant,& in hunc Mundum inferiorem demittant,vel quaſi iam fabricatas, deorſum deturbent:neque rurſus,dum formas edunt,aut propriam ſubſtantiam, aut ſubſtantiæ partem

Ortus. & occaſus rei naturalis fit ob cõiunctionẽ formæ cũ materia, & ob eiuſdẽ ab eadẽ diſceſſum.

Rerum oĩum naturaliũ formæ à cęlo originẽ ducũt.

Dictũ Ariſt. in Problematis.

Quænã ſint illa, à quibus res naturales materiam,& formam accipiunt.

Mortaliũ rerũ opifex duplex ab Ariſ. ſtatuitur.

Dubitatio notabilis.

Reſpõſio Fernelij.

in hæc inferiora influere, ſed motu tantùm, & lumine, virtutem ſuam in ſpiritu, à Cęlo ingenti commutatione dilapſo, imprimere. Qui cùm omnia hęc inferiora contineat, & in omnibus inſitus ſit; tunc, quotieſcunque materia debitè præparata eſt, cæleſti illa virtute, ſibi impreſſa, formas momento exhibet, eo modo, quo ſol corporibus perſpicuis lumen præbet. Hanc arbitror de formarum origine veriſſimam eſſe ſententiam.

*Soluuntur argumenta ſuperiùs poſita, quibus probatum eſt, formam habere aliquod eſſe reale in materia, antequam de eius poteſtate educatur.* *Cap. XVIII.*

Quære ſupra cap. 4. CONfirmata iam ſatis, & explicata ſententia illa, de formarũ origine, quam veriſſimã eſſe arbitramur, reliquũ tãdẽ eſt, vt in fine huiuſce diſputationis argumẽta illa ſoluamus, quib. antè probatũ eſt, formã habere aliquod eſſe reale in materia, priùs, quàm de eius poteſtare educatur. Ad primum. Ad primum concedimus, formam ex nihilo fieri; eam tamẽ creari negamus; id. n. quod creatur nullarum affectionum vi, à Deo ex nihilo producitur: forma verò, de qua loquimur, à naturali agente, illarum affectionum vi, quæ in materia reperiuntur, in lucem editur. Ad ſecundũ. Ad ſecundum neganda eſt, conſequentia. Ad probationem negandum eſt, definitionem violenti, 3. Ethic. ab Ariſt. poſitam, formæ productioni competere; ſiquidem forma nullam habet repugnantiam, vt producatur. Definitio autem illa violenti optimè competit motibus, qui contra naturam fiunt: ſi. n. lapis ſurſum proijciatur, ille motus verè violentus dicitur; quia pendet ab externo principio, fitque contra mobilis propenſionem; formæ autẽ productio, tametſi fiat ab externo principio, non eſt tamen contra propenſionem eius; quod produci debet; quia, vt diximus, ad id repugnãtiam nullam habet. Ad tertium. Ad tertium admittimus, eò potiſſimùm res naturales ab artificioſis diſtare, quia internum habent ſui motus principium, vt docet Ariſt. 2. Phyſ. Illud autem principium dicimus eſſe formam, re ipſa materiã informantem: nam eo loco Ariſt. per res naturales intellexit compoſita naturalia, quæ profectò non niſi ex materia, & informante forma conſtituta ſunt. Ad quartum. Ad quartum concedimus, in ſemine, & in quacunque materia virtutem aliquam actiuam reperiri, formę productionẽ coadiuuantem; negamus tñ, virtutem illam eſſe formæ inchoationẽ, vel partem, aut gradum eius: illa. n. virtus nihil aliud eſt, niſi cæleſtis ſpiritus, & calor, per omnia fuſus, qui materiam afficit, & particularem, vel proximam materiæ potentiam ſenſim perficit; atque adeò materiã præparat ad ſubſtantialẽ formã recipiendã. Hincque fit, vt generans ſibi ſimile generet; quoniam virtus actiua, quæ ex. ca. in leonis ſemine reperitur, non pōt materiam ad aliã formam, quàm ad formam leonis recipiendam, præparare. Ad quintum. Ad quintum concedenda eſt maior propoſitio, ſi de interna denominatione ſermo fiat; neganda aũt, ſi de externa. Iam verò denominatio illa, quam motus accipit à termino, ad quẽ, externa eſt, non interna; & propterea non eſt neceſſe, vt motus aliquo modo illud participet, à quo denominationem ſumit; quare nulla nos ratio cogit, vt dicamus, in eo materiæ motu ad formam ignis, qui ignis generatio dicitur, aliquid formæ ignis, in materia præexiſtere. Ad ſextum. Ad ſextum reſpondendum eſt, rationalis animæ, & cæterarum formarum productionem in aliquo differre, & in aliquo etiam conuenire. Conueniunt in hoc, quia neque rationalis anima, neque formæ, quæ de materiæ poteſtate educuntur, habent vllum eſſe reale, antequàm educantur, & in rerũ natura conſiſtant. Hoc verò differunt, quia formæ, quæ de materiæ poteſtate educuntur, illarum affectionum vi, quæ in materia reperiũtur, cùm à Cælo, tùm à primo mouente in lucẽ eduntur: rationalis verò anima, nullarum affectionũ vi, à ſolo primo mouente procreatur, quanuis, ne ocioſa maneat, non priùs producitur, quàm corpus, cuius forma futura eſt, idoneis inſtrumentis præditum ſit. Ad ſeptimũ. Ad ſeptimum illud priùs obiter notandum eſt, formam non eſſe generabilem; quia generatio rei tantùm compoſitæ congruit; ſed, ſi propriè loqui velimus, eſſe tantùm educibilem. Quoniam verò argumentum eandem prorſus vim habere videtur in eductione, quam habet in generatione; ideò pro eius explicatione maior propoſitio neganda eſt: nō enim id, quod generabile, vel educibile eſt, reipſa diſtinguitur ab eo, quod neque eſt generabile, neq; educibile; quoniam realis diſtinctio illarum rerum exiſtẽtiam ponit, quæ ſic diſtinguuntur: forma autem, ante ſui eductionem, non exiſtit. Satis igitur eſt, illud, quod educibile eſt, non eſſe reipſa idem cum eo, quod non eſt educibile, vel eſſe huiuſmodi, vt ab eodem reipſa, poſtquàm eductum ſit, differre poſſit: huiuſmodi eſt forma, quæ, antequam educatur, non eſt re

ipſa

ipſa idem cum materia;eſt tamen apta reipſa ab eadem differre,poſtquam educta eſt: materia enim à forma,iam exiſtente,reipſa diſtinguitur. Ad octauum aduertendum eſt,aliud eſſe,aliquid de materia extrahi; aliud verò, aliquid de materiæ poteſtate deduci. Si forma de materia extraheretur,vtique aliquod eſſe reale in materia actu obtineret, antequam extraheretur;at verò de materia non extrahitur,ſed de eiuſdem poteſtate deducitur,ideo ſatis eſt, affectiones eſſe in materia,quæ determinatam formam reſpiciant, atque materiam præparent,ad illam recipiendam. Ad autoritatem Ariſtotelis, ſumptam ex 7.Metaphyſ. tex.29. reſpondendum eſt,ibi Ariſtotelem docuiſſe, aliquam partem eius, quod fit à natura, hoc eſt formam,in ſubiecto præexiſtere,non quidem ſecundum aliquod eſſe reale, vel ſecundum aliquam partem,aut gradum eius,ſed tãtummodo ſecundum virtutem: quoniam, vt diximus, in ſemine,& in quacunque materia reperitur vis actiua, quæ materiam præparat ad formã recipiendam;quæ tũc extrinſecùs oritur, cùm materia conſumatam preparationẽ obtinuit.

Ad octauum

Ad autoritatem Ariſt.

---

# DE FORMARVM PLVRALITATE,

## Diſputatio Decimaſeptima,

*Diſputationis Origo.* *Caput Primum.*

DEfiniens Ariſtoteles lib. 1.de Generatione, & interitu,tex.23.ſubſtantialem generationem;eam eſſe dicebat mutationem,qua totum transmutatur in totum,nullo ſenſibili ſubiecti loco manẽte. Hæc generationis definitio interpretibus multis non paruam dubitandi occaſionem præbuit;nũ ſcilicet, quotieſcunque vnius rei interitum alterius ſtatim generatio cõſequitur, præter primam materiã aliquid etiam maneat, ex cuius coniunctione cum ipſa,res noua generetur: an quicquid antè diſſolutum eſt,omnibus formis,qualitatibuſque reiectis,in ipſam tandem puram,ſimplicem,nudamque materiam abierit? Profectò huius quæſtionis explicatio ad generationis definitionem aperiendam maximè conducit; verum explicari nullo modo poteſt,niſi priùs alterius diſputationis enodatio appareat; vtrum ſcilicet in eodem ſubſtantiali compoſito plures formæ ſubſtantiales reperiantur.Qui enim formarum pluralitatem in eodem compoſito ſtatuunt, negant, in rei naturalis interitu vſque ad materiam primam diſſolutionem fieri.Qui verò vnicam tantùm ſubſtantialem formam in eodem compoſito reperiri arbitrantur, hanc ipſam diſſolutionem vſquequaque admittunt. Quæſtio hęc de formarum pluralitate vna etiam ex pręcipuis eſt, quæ in naturali Philoſophia tractari ſolent, atque in ea Doctores plerique,preſertim Thomiſtæ,atque Scotiſtæ maximè diſſident,vt inter eos hac ipſa controuerſia neſcio, an quicquam magis controuerſum ſit. Vt igitur in tãta difficultate tùm Ariſtotelis mentem,tùm ipſam etiam rei veritatem inueſtigemus,nos quoque hanc diſputationem euoluere decreuimus hoc ordine ſeruato. Primùm paucis notatis, quæ verum quæſtionis intellectum explicabunt,ſñiam illam in medium afferemus,quam rationi minus conſentaneam exiſtimamus;præcipuaſque rationes adducemus, quibus eadem ab eius defenſoribus probari ſolet. Afferemus deinde oppoſitam ſententiam, quam & cum Ariſtotele, & cum ipſa rei veritate conſentire arbitramur; eamque validiſſimis rationibus firmare conabimur. Mox,reſponſiones varias, quibus oppoſitæ ſententiæ autores rationes, pro vera ſententia propoſitas,ſoluere nituntur,refutabimus. Demum obiectionibus ſingulis, quæ veram ſententiam oppugnare videbuntur,pro viribus occurremus.

Generatiõis definitio.

Diſputatiõis occaſio

Diſputatio de formarũ pluralitate pręcipua eſt in naturali philoſophia.

Ordo in diſputatiõe ſeruandus.

*Quæſtionis ſenſus explicatur.* *Cap. II.*

PRincipio autem,quò facilior ſit propoſitæ diſputationis explicatio,conſiderandum nobis eſt,quale nam ſit compoſitum illud ſubſtantiale, de quo quærimus, vna ne tantùm, an pluribus ſubſtantialibus formis præditum ſit? Sciendum igitur eſt, per ſubſtantiale compoſitum nos poſſe intelligere tria: videlicet corpus ſimplex, vt elementum, corpus miſtũ ani-

Subſtantiale compoſitũ triplex.

mæ

contineat, illudque idem eſſe largiatur, quod à formis inferioribus haberi pôt. Continet ergo virtute ſua non ſolùm ſentientem, & vegetalem animam, verùmetiam ipſammet formã miſtionis, ac propterea in homine, præter primam materiam, nulla alia forma ſubſtantialis ponenda eſt, niſi anima rationalis: in bellua, nulla alia, niſi ſentiens; & in planta, nulla alia, niſi vegetalis. Rationes autem, quibus hæc ſnĩa à pleriſque Thomiſticæ claſſis Doctoribus probari ſolet, eæ ſunt.

*Prima ratio.*

Prima, vnaquæque res videtur in eſſe conſtitui, per propriam formam: ſiquidem ex 2. Phyſ. & 7. Metaphy. forma eſt illa, quæ dat eſſe rei: ſed vnius rei vnicũ eſt eſſe; ergo vnius rei vnica tantum eſt ſubſtantialis forma.

*Secunda.*

Secunda, forma ſubſtãtialis hoc diſtinguitur ab accidentali; quia hęc aduenit enti in actu; illa verò aduenit enti in potentia; ſi igitur in compoſito eſſent duæ formæ ſubſtantiales, ſequeretur, vt illarũ altera adueniret enti in actu; atque adeò non eſſet ſubſtantialis, ſed accidentalis.

*Tertia.*

Tertia, ſi in homine eſſent plures formæ ſubſtantiales, ſequeretur, vt hæc propoſitio non eſſet in primo modo dicendi per ſe, ſcilicet homo eſt animal: ſed conſequens eſt falſum; ergo & antecedẽs. Probant conſequẽtiam; quoniam pręedicatio ſumpta à diuerſis formis, eſt prædicatio per accidens; ſicut cùm dicitur, homo eſt albus: ſed ſi in homine eſſent plures formę ſubſtantiales; tunc dicendo homo eſt animal, ſumeretur prædicatio à diuerſis formis; atque ita illa prædicatio non eſſet per ſe, ſed per accidens.

*Quarta*

Quarta, illa caro, quæ non poteſt facere opus carnis, nõ eſt caro, niſi æquiuocè, vt docet Ariſt. 4. Metheor. cap. vlt. ſed caro mortua non poteſt facere opus carnis; ergo caro mortua non eſt caro, niſi æquiuocè; atque adeò forma carnis, poſt ſeparationem animę intellectiua ab homine, non eſt propriè forma hominis, ſed cadaueris.

*Quinta*

Quinta, formę ſunt ſicut numeri, vt ait Ariſtot. 8. Metaph. tex. 10. ſed vno numero addito, mutatur ſpecies numeri præcedentis; ergo vna forma addita mutatur ſpecies conſtituti ex materia, & forma præcedente; igitur ſi in homine eſſent duæ formæ ſubſtantiales, ſequeretur, vt, rationali anima homini adueniente, eius ſpecies mutaretur, nec eadem maneret.

*Sexta.*

Sexta, omnis forma vel eſt metaphyſica, vel mathematica, vel naturalis: ſed in corpore viuente, præter animam, nulla datur forma, quæ ſit vel metaphyſica, vel mathematica, vel naturalis; ergo in corpore viuente, præter animam, nulla datur ſubſtantialis forma. Probant minorem; quia ſi in viuento, prę ter animam, vlla alia ſubſtantialis forma daretur, ea maximè eſſet forma miſtionis, quam nonnulli corporeitatis appellant: at verò hęc forma nec eſt metaphyſica: cùm ſit demerſa in materiam: nec mathematica; quia formæ mathematicæ non ſunt ſubſtantiæ, nos autem loquimur de forma ſubſtantiali: nec denique naturalis, quia, vt conſtat ex doctrina Ariſtotel. 2. Phyſ. alijſque pluribus locis, omnis forma naturalis eſt principium motus, & quietis, quod huic formæ minimè conuenit, cùm omnes motuum differentiæ tam in miſtis, quàm in ſimplicibus corporibus alias habent particulares formas, à quibus oriantur; ad nullum ergo formarum genus hæc forma pertinebit.

*Septima.*

Poſtremò, iſtæ plures formæ aut ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, aut alterius: non primùm, quia illarum altera poteſt eſſe naturaliter indiſſolubilis, cuiuſmodi eſt anima rationalis in homine: altera verò puta forma miſtionis, eſt naturaliter diſſolubilis: nunc autem diſſolubile, & indiſſolubile differunt pluſquam genere, vt habetur 10. Metaph. tex. 26. neque ſebundum, quia tunc homo non eſſet vnus ſpecie, & hominis per ſe non eſſet vna definitio; non igitur in homine, neque etiam in quocunque viuente, præter animam, alia forma ſubſtantialis ponenda eſt.

## *Opinio Scotiſtarum.* Cap. IV.

Altera ſententia, quæ Thomiſtarum opinioni omnino aduerſatur, ea eſt, in quocunque viuente corpore, pręter animam, aliam quoque ſubſtantialem formam, nimirum formam miſtionis neceſſariò ponendam eſſe.

*Fũdamẽtum precipuũ Scotiſtarum.*

Etenim, cùm omne viuens, ex anima, & corpore conſtatũ ſit; corpus verò non ſit pura, nudaque materia, cui proximè anima accumbat, ſed quippiam ex materia, & forma concretum, quinimmò ex elementis coagmentatum; dicendũ neceſſariò videtur, in viuente corpore dari ſubſtantialem formam, per quam reſt corpus, ab alia ſubſtantiali forma diſtinctum, per quam illud idem in viuentium numero collocatur.

*Auicēnæ ſententia de forma corporeitatis.*

Hoius opinionis autorem dicunt nonnulli fuiſſe Auicennam, r. lib. Sufficiẽtiæ ſuæ, capit. 2. Verùm ipſe de ea potius corporis forma locutus eſſe videtur, quæ materiæ coæua eſt, quęque ſit veluti quædam pręparatio in materia, ad quancunque formam recipiendam; & quã

admo-

admodum hæc forma corporis tàm ortus, quàm interitus dicitur expers; ita etiam eadem formis ſpecificis re ipſa diſtincta eſt. Nos autem iam diximus, de hac forma corporis, materiæ coæua modò diſputaturos non eſſe, ſed de illa tantùm corporis, aut miſtionis forma, quę viuentem formam in materia præcedit: pereat ne. ſ. huiuſcemodi forma, in animæ aduentu, an illa eadem cum anima vna numero maneat? cuius quidem quæſtionis affirmatiuam partem Doctores multi, & ij quidem grauiſſimi, defenderunt: præſertim Henricus Gandauēſis,

Henricus. Scotus. Ricardus. Bacconus. Iac. Zabarel.

quolib. 2. q. 2. & quolib. 4. q. 4. Scotus quarto Sent. d. 11. q. 3. Ricardus in 2. d. 17. q. 5. Bacconus in 3. d. 19. q. vnica, & alij complures. Ex recentioribus verò philoſophis ſolidiſſimis eam argumentis muniuit Iacobus Zabarel. lib. de Communi generatione, & interitu c. 2. Pro huius ſnīæ cōfirmatione, relictis multis rationibus, quæ ab Herueo potiſſimū, & ab alijs quoq. proponuntur, eas tantùm afferam, quæ validiores iudicantur.

Prima ratio. Prima eſt huiuſmodi. quantò forma nobilior eſt, tantò nobiliorem, magiſque elaboratam materiam expoſtulat: ſed anima eſt forma nobiliſſima: igitur non debet proximè in prima materia inhærere, ſicut forma elementi; ſed in materia magis elaborata recipi debet: ea autem eſt materia elementorū formis formata, ſeu miſtionis forma, quæ ex illis proficiſcitur; ergo, præter animam, alia forma ſubſtantialis in viuente corpore danda eſt.

Secunda. Secunda, omnis motus naturalis pēdet à forma, tanquam à principio, vt habetur 2. Phyſ. ſed in viuente corpore ſunt duo motus naturales diſtincti; ergo erunt in eodem duæ formæ ſubſtantiales diſtinctæ. Probatur minor, quoniam in viuente corpore eſt vnus motus, qui ab anima fit, & progreſſio nuncupatur, cuius ſpecies ſunt ambulatio, natatio, volatus, & ſi quæ ſunt, huius generis aliæ: alter motus in viuente corpore ille eſt, qui fit ſecundum elementum prædominans: ſi enim de turri animal deturbetur; tunc naturaliter deorſum deſcendit, atque ille motus ab interno principio fiet; neque enim audebit quiſquam eum motum appellare violentum. Quare, cùm in animali duo iſti motus diſtincti reperiantur; ſequitur neceſſariò, in eodem duas formas ſubſtantiales diſtinctas dandas eſſe, à quibus oriantur. Non enim motus animalis, de turri deſcendentis, ab anima fit: quoniā etſi animal anima deſtitueretur; adhuc nihilominus ſecundum naturam moueretur; alia igitur forma ſubſtantialis, præter animam, in eodem danda eſt, cui naturalis ille motus referatur acceptus, quæ certè alia nulla eſſe poteſt, niſi forma miſtionis.

Tertia. Tertia, non eodem interitu animam, & formam miſtionis in viuente corpore interire conſpicimus; ergo anima, & forma miſtionis in viuente corpore ſunt diſtinctæ formæ. Probatur antecedens; quoniam anima interit per mortem, quæ eſt vitalis caloris extinctio: forma verò miſtionis interit per putredinem, quæ eſt elementaris caloris à calore ambientis eductió.

Quarta. Quarta, in viuente corpore ſunt quædam accidentia, quæ omninò formam miſtionis, & nullo pacto animam conſequuntur; ergo forma miſtionis, & anima in viuente corpore ſunt diſtinctæ formæ. Probatur antecedens: nam odores, & ſapores miſtionis formam, non item animam conſequuntur: quod ex eo elicitur, quia in demortua herba, vel planta, idem ſeruatur odor, qui in eadem viuente fuerat.

Quinta. Quinta, accidentia eadem numero ponunt aliquam formam ſubſtantialem, eādem numero: ſed in demortuo animali, vel planta, manent eadem accidentia numero, ſicut de cicatricibus patet; igitur neceſſe eſt, vt ſit aliqua forma ſubſtantialis, eadem numero: ea autem non eſt anima, quia iam receſſit; ergo eſt ipſa forma corporis, ſeu miſtionis. Probatur maior, quia vnitas poſterioris pendet ab vnitate prioris, ſicut & entitas: ſed accidentia ſunt poſteriora ſubſtantia, vt habetur 7. Metaph. ergo accidentia, eadem numero, ponunt formam ſubſtantialem eandem numero, à qua pendent; quæ certè alia eſſe non poteſt, niſi forma corporis, in quo inhærent.

Sexta. Sexta ratio ſumitur ex definitione animæ; quæ eſt huiuſmodi: anima eſt actus corporis Phyſici, organici, potentia vitam habentis, ſed quodlibet corpus Phyſicum habet ſuam formam ſubſtantialem: ergo anima, adueniens corpori phyſico, ponit aliam formam ſubſtantialem, quæ etiam poſt eiuſdem a corpore diſceſſum manet ſuperſtes.

### *Opinio Scotiſtarum tanquam verior approbatur, Theologiciſque rationibus confirmatur.* Cap. V.

EX duabus hiſce iam recitatis opinionibus, ſi ingenuè id, quod ſentiam, fateri liceat, Scotiſtarum ſententiam longè probabiliorem, & veriorem exiſtimo; tùm quia rationes, quæ ad eam probandam, à natura depromptę ſunt, vim maximam continent demonſtrandi: tùm

etiam

etiam quia multa, quę in articulis fidei cõtinẽtur, ſnĩa illa ſeruari facilè poſſunt, quę tñ, ſi ve
ra eſſet Thomiſtarũ opinio, haud quaquã ſubſiſterent. Etenim in articulis fidei poſitũ eſt, idẽ Prima ratio.
oĩno fuiſſe corpus Chriſti viuũ, mortuum, ſepultũ, quod ſurrexit, & ad Cęlos aſcendit, vt ha-
betur de Conſecratione, diſt. 1. cap. Omnia. Id autem quomodo verum eſſet, niſi, præter ra-
tionalem animam, fuiſſet in Chriſto forma corporis, ab illa diſtincta, quæ in viuente, atque
demortuo corpore eadem numero permanſiſſet? Prætereà, ſi Hoſtia à Chriſto in cęna conſe Secunda.
crata, triduo in pyxide conſeruata fuiſſet, dubio procul res eadem primò contenta ibi manſiſ
ſet: res autem primò contenta erat compoſitum quoddam, non accidentale, ſed ſubſtantiale,
& illud quidem non ex materia, & rationali anima conſtitutũ, quia rationalis anima in mor
te Chriſti, à corpore ſeparata fuit; ergo ex materia, & forma miſtionis: hoc enim conſtitutũ
illud fuit, quod triduo iacuit in ſepulchro. Rurſus, niſi eadem corporis forma, quæ fuit in vi Tertia.
uente, maneret in mortuo, tunc grauiſſimus error eſſet, Sanctorum reliquijs, vt oſſibus, & hu-
iuſmodi, cultum aliquem exhibere: non eſt autem dicendum, eccleſiam errorem committe-
re; ergo neque negandum eſt, in eodem ſubſtantiali compoſito duas formas ſubſtantiales re-
periri poſſe. Dicunt nonnulli, non exhiberi cultum formæ miſtionis, quia in demortuo cor- Nonnullorũ reſponſio.
pore nulla huiuſmodi forma datur, ſed illi portioni materiæ, cum qua priùs rationalis anima
coniuncta erat. Sed hęc reſponſio eſt contra S. Thomam, quia materia prima, eodem auto- Confutatio.
re, exiſtentiam nullam habet: haberet autem, ſi, vt alterius formæ fundamentum, cultum ali
quem reciperet. Deinde abſurdum eſt dicere, rationalẽ animam, quæ nobiliſſima forma eſt,
cum materia prima, abſque alia intermedia forma proximè coniungi. Sed de hoc paulò infe
riùs. Poſtremò, niſi in corpore mortuo daretur forma miſtionis, diſtincta à rationali anima, Quarta
quæ iam receſſit, tunc Chriſtus Lazarum à mortuis non ſuſcitaſſet, ſed illum potius iterum
creaſſet. Probatur conſequentia: nam ſi corpus, quod in ſepulchro iacebat, non erat illud idẽ
numero corpus Lazari, in quo priùs eius anima continebatur; ſed quippiam ex materia, &
cadaueris forma concretum; ergo non fuit idemmet numero Lazarus, qui ſurrexit. His igi-
tur, & alijs pluribus, quæ afferri poſſent, rationibus, videtur mihi iam ſatis comprobata Scoti
ſtarum ſententia, videlicet in eodem ſubſtantiali compoſito, & eo quidem animato, duas for
mas ſubſtantiales neceſſariò reperiri.

*Solutio quadam Cardinalis Caietani refellitur.* *Cap. VI.*

CÆterùm, vt rationes iam propoſitę maiorem vim habere, atque rem totam omnino cõ
ficere videantur, nonnullorum autorum ſolutiones, quibus eas ſe diluere arbitrati ſunt,
refellere operæpretium eſt. Incipiemus igitur expendere ſolutionem Cardinalis Caietani,
qui loco ſuperius citato de rationali compoſito, hoc eſt de homine potiſſimùm diſputans, ait
vnam tantùm in eo ſubſtãtialem formam, ſcilicet rationalem animam reperiri. Non enim, Caput ſolutionis Caiet.
inquit, mirum eſt, ſi miſtionis, ſeu corporis forma in eodem non maneat: propterea quod tan
ta eſt vis, atque nobilitas animæ rationalis, vt virtute ſua, non modo ſentientem, & vegetalẽ
animam, verùmetiam ipſammet corporis formam contineat. Quare ſicut aduentu ſentientis
animæ, perit vegetalis; & aduentu intelligentis, perit ſentiens, eademque in intelligente virtu
te continentur; ita eadem intelligens anima miſtionis, ſeu corporis formam, propria virtute cõ
plectitur. Dum ergo interit homo, nulla manet in ipſo, ait Caietanus, corporis forma, quæ
priùs in eodem viuo præexiſteret; ſed illico, in animæ abſceſſu, noua generatur cadaueris for-
ma, quam ipſe, & ſectatores eius Vicariam appellarunt: in qua quidem forma dicunt, cicatri
ces, aut alia, id genus, accidentia, ſi quæ fuerãt in corpore viuo, impreſſa manere. Hæc eſt Ca Confutatio
ietani ſolutio, quæ profectò ſi vera eſſet, obiectiones omnes, quæ ſnĩam eius oppugnare videẽ
tur, facilè tollerentur: nam eadem ratione dicere poſſet, in planta, recedente anima vegetali,
non manere amplius eandem corporis formam, ſed in eius locum formam quandam vicariã
ſuffici, & ſic pariter in brutis. Expendamus quæſo diligenter hanc Illuſtriſſimi viri ſolutionẽ, Falſum eſt, rationalem animam virtute ſua formam corporis cõtinere.
& quid in ſe veritatis, aut falſitatis contineat, aperiamus: cumque ipſe de homine potiſſimũ
diſputet: de eodem quoque nos cum ipſo diſputemus. Primò igitur, valdè abſurdum illud ar
bitror, rationalem animam virtute ſua formam corporis continere: quod ſatis liquidò, vnicui
que conſtabit, ſi paucis virtualis continentiæ rationem patefaciemus. Non recedentes à com Continentia virtualis quid ſit.
muni Philoſophorum ſchola, illud in aliquo virtute contineri dicimus, quod in illius aduẽtu
perit,

perit,nec eius forma ſeruatur incolumis;ſed illius tantùm virtus in eo,quod continet,delite-
ſcit. Hoc modo,ex multorum philoſophorum tametſi falſa ſententia, elementa continentur
in miſto:quoniam illorum formæ non ſeruantur incolumes,ſed pereunt,eorumque virtutes
in vnicam formam miſti commigrant. Sic etiam Caietanus arbitratus eſt, miſtionis for-
mam,ac inſuper vegetalem,ac ſentientem animam in intelligente virtute contineri;quia hu
iuſmodi formæ in homine non manent, ſed illarum tantùm virtutes in vnica intelligente a-
Prima ratio contra ſolut. Caietani. nima conſeruantur. Profectò ſi id verum eſſet,ſequeretur,vt homo nihil aliud eſſet,niſi quip
piam,ex materia prima,& intelligente anima conſtitutum:ſed conſequens eſt abſurdum;er-
go & antecedens. Probo conſequentiam:nam ex Caietano,rationali anima adueniente,for-
ma corporis perit,eiuſque tantùm virtus in illa continetur;ergo in homine re ipſa, &, vt a-
iũt,formaliter,nihil aliud,niſi materia prima,& rationalis anima reperitur. Hoc autẽ quàm
falſum,& abſurdum ſit, vnicuique arbitror compertiſſimum eſse: nanque hæc corporea mo
les multis materialibus accidentibus prædita,quam & cernimus,& manibus tractamus,quid
obſecro erit? Nõ eſt profectò quippiam ex materia,& ſola forma concretum,ſed aliquid præ-
tereà ex elementis coagmentatum:hæc enim corporea moles quatuor primis qualitatibus af
fecta eſt,quæ neque in nuda materia recipi poſsunt,neque rationalem animam,tanquã pro-
priã formã conſequuntur;quippè cum qua nullã prorſus affinitatẽ habent: eſt ergo ipſa per
ſe,rationali anima vel re,vel cogitatione ſecluſa, ſubſtantia quædam, ex materia, & cor-
Secunda ra. poris forma conſtituta. Prætereà, nutrimentum, quod ſumit homo, in cuiuſnam ſub-
ſtantiam conuertitur? materiæ ne primæ, an animæ rationalis? Harum verò neutrius;quia
illarum neutra eſt capax alimenti. Conuertitur ergo in ſubſtantiam corporis:quod fieri qui-
dem non poſſet,niſi corporis forma,non ſolùm virtute,ſed actu,& formaliter in homine re-
maneret. Conſecutio eſt perſpicua:nanque alimentum,abſoluta nutritione,rei nutritæ ſimi-
le fit:res autem nutrita non reddit ſibi ſimile alimentum,per materiam, ſed per propriã for-
mam:forma verò,cui nutrimentum ſimile fit,non eſt anima rationalis,quia nutrimentũ con
uertitur in ſanguinem,in carnem,in oſſa, & in alias huiuſmodi partes: fit ergo ſimile formæ
corporeæ,atque adeò forma illa non virtute quidem,ſed actu, & re ipſa in homine contine-
Tertia ratio. tur. Ad hæc,apertiſſime elicere poſſumus,in homine,præter rationalem animam, corporis
formam,ab ipſa diſtinctam,actu reperiri,ſi illam vegetali,& ſentienti animæ comparemus,
quæ in rationali anima virtute contineatur. Etenim,rationali anima ab homine recedente,
ceteræ non amplius manent:neque enim homo amplius viuit, neque ſentit;quod argumẽto
eſt,illarum duntaxat virtutem in intelligente contineri,qua recedente, nulla amplius aliarũ
operatio conſpiciatur. Verùm non eadem dicere poſſumus de corporis forma: nam, recedat
quantumuis anima rationalis,illud idemmet numero corpus,quod priùs viuum erat, poſteà
mortuum iacet:id,quod ſuperiùs ex accidentibus,& cicatricibus elicitbamus;ergo forma cor
poris in rationali anima virtute non continetur,quia tunc illa quoque vnà cum vegetali, &
Reſponſio p Caietano. ſentiente anima periiſſet. Sed ſtatim reſpondebit Caietanus,formam illam corporis,quæ in
demortuo homine conſpicitur,non eſſa illammet priorem, quæ virtute in intelligente anima
continebatur, cum erat in viuis; ſed eſſe formam cadaueris, eodem inſtanti recens geni-
tam,quo rationalis anima ab homine diſceſſit. Contra hanc reſponſionem ſic argumentor;
Confutatio. ſi hęc cadaueris forma recens genita eſſet;ſequeretur,vt rationalis anima mortalis, & diſſo-
lubilis diceretur:ſed conſequens eſt falſum, non ſolùm ſecundum fidei catholicæ veritatem,
verum etiam ſecundum Peripateticam philoſophiam,vt alia diſputatione cumulatiſſimè o-
ſtendemus;ergo & antecedens. Probo conſequentiam:habemus enim ex Ariſtotele 1.lib.de
Gener.& inter.tex.18.nullam rem recens oriri poſſe,niſi priùs alterius rei occaſus præceſſe-
rit;ergo ſi forma cadaueris recèns genita eſt,opus eſt,vt eius generationem alterius rei inte-
ritus anteceſſerit. Quidnam igitur in morte hominis diſſolutum eſt, ſi ex ſola materia prima,
& rationali anima conflatus erat? Materiam primam omnes fatentur indiſsolubilem eſse;
Occupatio. ergo diſsolubilis erit anima rationalis. Nec eſt,quod dicat hic mihi aliquis,ſufficere abſceſsũ
animæ à corpore,eius tamen diſſolutionem neceſsariam non eſse:quoniam abſceſsus ille mo
mento temporis fit,ac proinde materia prima,ad recipiendam cadaueris formam,abſceſsu il
lo præparari non poſset;oporteret enim,vt aliqua ſaltem alteratio præceſſiſset,quod admit-
tendum nullo modo eſt,cùm rationalis anima nullas alterationes, ad interitum ducẽtes per-

peti poſſit. Aut igitur fateri oportet, rationalem animam mortalem eſse: aut aliam formam ſubſtantialem in homine concedere, in qua alteratio facta ſit. Rurſus, qui fieri vnquam po teſt, vt natura, temporis momento, tantam molem procreauerit, quãta eſt cadaueris forma? Quorſum natura, quæ nihil temerè agit, ſed omnia ad finem aliquem dirigit, corpus illud ca daueris cum capite, manibus, pedibus, & alijs huiuſmodi inſtrumentis produxiſſet, ſi nullum ipſa vſum habitura ſint? Demùm haud ſatis capere poſſum, quamobrẽ, cùm corpus illud ca- daueris, recens genitum, nihil mali perpetrauerit, eadem omnino vulnera in eo inflicta, aut eædem cicatrices impreſſæ fuerint, quæ erant in corpore viuo? Niſi fortè dicere quis velit, accidentia, abſque vllo vehiculo de forma in formam, ſiue de ſubiecto in ſubiectum tranſuo lare, quod nihil minus continet abſurdi. Commẽtitia igitur eſt, & abſque vlla neceſſitate po- ſita hæc forma Vicaria, quam vir Illuſtriſſimus, vt Angelici Doctoris ſententiam tueretur, excogitauit.

Quarta ratio

Quinta ratio

*Heruei fundamenta præcipua, quibus rationes, pro Scotiſtarum ſententia propoſitas, ſoluere nititur. Cap. VII.*

HActenus cum Caietano diſſeruimus. Nunc ad Herueum veniamus, qui, loco ſuperiùs citato, rationes multas, quæ pro Scotiſtarum ſnĩa afferri poſſent, ſoluere conatus eſt. Omnes eius reſponſiones recenſere, cùm longum, tùm ſuperuacaneum eſſet: propterea ſatius duxi, ex ijs, quæ multis in locis aſſeruit, præcipua fundamẽta elicere, quibus reſpõſiones eius niti videntur, eaque diligenter expendere: ſi.n. fors tulerit, vt à nobis euertantur, eius pariter ſnĩa ſtatim ruet. Primò igitur, quanuis rationalis anima, quæ hominis eſt ſubſtantialis for- ma, immortalis, & indiſſolubilis ſit: nihilominus, quia in ea diſſolubiles formæ virtute conti- nẽtur, non dubitauit aſſerere diſſolubiles formas, cuiuſmodi ſunt ſentiens, & vegetalis anima, atque etiam miſtionis forma; indiſſolubiles pariter eſſe, ſi quo ad eſſentiam, atque radicem conſiderentur: Si verò quo ad eſſe ſubiecti, eaſdem, extincto corpore, ſtatim occidere. Secun dò, ne in demortuo corpore eaſdem numero cicatrices manere ſtatueret, abſolutè pronuncia uit, nihil idem numero in viuo, & mortuo corpore; ſed duntaxat aliquid ſimile ſeruari poſſe: ideo dixit, cicatrices in mortuo corpore ſimiles quidem eſſe; non tamen eaſdem, quæ erant in corpore viuo. Rationem adiecit, quia ſubſequens forma in ea parte, vbi materia non adeſt; nullam perfectionẽ introducit; & ideo, cùm in foramine vulneris materia deſit, forma ſequẽs nihil ibi poteſt operari: propterea neceſſe eſt, vt ſicut foramen vulneris erat in corpore viuo; ita foramen ſimile, in cadauere maneat. Eadem ratione putauit, litteras, aut caracteres, qui- cunque in planta impreſſi ſunt, eoſdem in ligno non manere; ſed ſimiles, ſecundum materiæ affectionem, à natura fieri: cùm.n. in illis foraminibus, ex plantæ inciſione ortis, nulla inuenia tur materia, mirum non eſt, ſi nulla ibi formæ introductio perſpiciatur. Contendit pariter, in viuo, & mortuo corpore non eaſdẽ, ſed ſimiles dimenſiones reperiri; ea potiſſimùm ratione, quia æqualitas identitatem non efficit, ſed ſimilitudinem. Tertiò aſſerit, ſubſtantiali forma, nimirum rationali anima, in hominis interitu, recedente, aliam ſtatim formam accedere, quę proximè cum prima materia copulatur, itidem vt anima copulabatur. Verùm quoniam ſe- quens illa forma, quæ eſt forma cadaueris, valde imperfecta eſt, adeò vt contrariorũ agen- tium vnionem conſeruare nõ poſſit; ideo diſſolutionem in ipſa materia neceſſariò ſequi per- hibuit. Quartò, vt tueretur, Chriſti corpus idem numero viuum, & mortuum manere, quã- uis cadaueris forma ab illa forma diſtincta ſit, quæ in eodem viuẽte præexiſtebat; affirmare non dubitauit, Chriſtum, ratione diuini ſuppoſiti, eundẽ numero ſemper fuiſſe: nãque mors, & vita, ratione tantùm humanæ naturæ, non etiam, diuini ſuppoſiti, Chriſto tribuuntur. Ita que corpus Chriſti mortuum fuit vnum, & idem numero, ait Herueus, non ratione formæ, ſed ratione ſuppoſiti. Et licet in Chriſti morte alia forma apparuerit; tamẽ cùm materia fue rit illa eadem, in qua manſit naturalis ordo ad animã Chriſti; cùmque anima incolumis per- manſerit, atque diuinitas humanæ naturę partibus ſemper vnita fuerit; dicendum neceſſariò exiſtimauit, corpus Chriſti mortuum cum eodem iam viuente, vnum, & idem numero exti- tiſſe. Autoritates verò Ambroſij, quæ apud ipſum habentur lib. de Sacramẽtis, cùm ait: cor pus Chriſti fuiſſe idem numero, natum de Virgine, paſſum, mortuum, lancea perforatum, in ſepulchro iacens, reſurgens, & ad Cęlos aſcendens, dicit, de ſimplici vnitate, quæ eſt vnitas

Fũdamẽtum primum.

Fũdamẽtum ſecundum.

Fũdamẽtum tertium.

Fũdamẽtum quartum.

Autoritates quædã Ambroſij cõtra Thomiſtarũ

Hh ſuppo-

ſententiā ab Herueo quo ſoluuntur. ſuppoſiti,intelligendas eſſe, nihilque aliud addit,ſed pingui quadam Minerua validiſſimas obiectiones,quæ eius ſententiæ falſitatem apertiſſimè oſtendunt,ſolutas eſſe arbitratur.

*Prædictorum fundamentorum euerſio. Cap. VIII.*

Euerſio primi fundamēti. CÆterùm fundamenta hæc,ſi rectè conſiderentur,ſatis debilia ſunt. Et primum quidem eo facilè reijci poteſt,quia ſi ſubiectum ſpectetur,omnis forma,vel ipſamet anima rationalis,diſſolubilis erit: quandoquidem ſubiectum omne ex materia, & forma conflatum, ob receſſum formæ à materia,interire aliquando neceſſe eſt. Si ſcire igitur velimus,ſit ne forma aliqua diſſolubilis,nec ne;opus eſt,vt illam per ſe,& ſecundum naturam ſuam conſideremus,vtrum ſcilicet de materiæ poteſtate deducta ſit,an extrinſecùs accedat,nullamque cum materia affinitatem habeat. Formam itaque miſtionis diſſolubilem eſſe dicemus;quia per ſe conſiderata,de materiæ poteſtate deducitur:rationalem verò animam nunquam occidere affirmabimus;quia nunquam ex materia orta eſt:& propterea rectè dicebamus, ipſam à miſtionis forma plus,quàm genere diſſidere. Euerſio ſecūdi fundamē. Secundum etiam fundamētum,quo videlicet aſſerit, in mortuo corpore non eaſdem,ſed ſimiles cicatrices manere,ſanè parum habet firmitatis. Etenim,ſi quis pugione,vel lancea aliquem tranſuerberet,ita vt moriatur,maneatque in cicatrice ferrum,quod illam effecit,ſi ferrum,in corpore fixum,eſt idem numero,cur non etiā cicatrix eadem numero erit? Ridiculum poſteà eſt,in arbore,vel planta non manere impreſſas litteras eaſdem,ſed ſimiles tantùm;quaſi natura hymnum,vel quoduis aliud carmen magno artificio compoſitum,momento conficere poſſet. Huc accedit,quòd cicatrices,aut litteræ non ſunt impreſſæ in materia,vt putauit Herueus, ſed in toto compoſito, quod ex materia,& corporis forma concretum eſt:illud ergo & vitam habens,& vita deſtitutum,idem numero manet,atque adeò non ſimili tantùm,ſed eadem omnino numero, quantitate præditū dicitur. Euerſio tertij fundamē. Tertium fundamentum iam planè ſuperiùs euerſum eſt,dum Caietani reſponſionē confutauimus,vbi oſtendimus,fieri nulla ratiōne poſse,vt rationalis anima cum prima materia proximè copuletur,propterea quòd ipſam non rudem,& impolitam, ſed valdè præparatam,hoc eſt miſtionis forma præditam, tanquàm conueniens domicilium depoſcit. Euerſio quarti fund. Quartum etiam fundamentum facilè tollitur;nihil.n.dubitationis res habet,diuinum ſuppoſitum in Chriſto viuente,& mortuo numero ne idem fuerit;(hoc enim omnes fatentur)ſed corpus ne Chriſti mortuum illud idem numero fuerit, quod priùs vitæ operationes exercebat: id, quod nos cum Eccleſia,ſanctiſque Doctoribus affirmamus. Quòd ſi corpus Chriſti viuum, & mortuum idem numero fuit,iam planè ſequitur,eandem numero formam viuum,& mortuum habuiſse,quæ alia eſse non potuit; niſi forma miſtionis, cùm rationalis anima,in eius Rō euidens contra 7 homiſtas. obitu,de corpore deceſſerit. Et verò niſi in Chriſto mortuo eadem numero miſtionis, ſeu corporis forma fuiſset,ſed alia forma, à priore diſtincta, verè dicere non poſsemus, Chriſti corpus fuiſse lancea perforatum,neque in ſepulchro aromatibus conditum, neque ſurrexiſſe,ſed aliud corpus fuiſse in cruce fixum,&aliud è cruce ſublatum. Sed & Herueus hæc ipſa optimè nouit,nam ſoluens autoritates Ambroſij,hac de re ſobriè locutus eſt.

*Argumenta Franciſci Suarez contra opinionem Scotiſtarum. Cap. IX.*

IN Scotiſtarum etiam opinionem inuehitur doctiſſimus vir Franciſcus Suarez in ſuis diſputationibus metaphyſicalibus,diſput. 15.ſect. 10.atque huiuſmodi argumēta proponit. Arg.primū. Primò,ſi daretur hæc forma corporeitatis;ſequeretur,vt interdum fieret ſubſtantialis interitus ſine ſubſequēte generatione:ſed conſequens eſt contra Ariſt. 1.de Generat.cap.3.ergo & Secundum. antecedēs. Secundò,ſi,recedente anima, conſtitutum aliquid ex materia, & forma corporeitatis maneret;ſequeretur,fieri ſubſtantialem interitum, manente ſubſtantia ſenſibili completa,ex materia,& forma compoſita: quod pariter eſt contra Ariſtot. 1. de Generatio. cap.4. Tertium. Tertiò,ſi,recedēte anima, daretur hoc concretum ex materia,& miſtionis forma;ſequeretur, dari in rerum natura indiuiduum de genere ſubſtantiæ,ſub nulla ſpecie corporis cōſtitutum; quod tamen non minus à ratione abhorret,quàm dicere,aliquod animal in rerum natura re Quartum. periri,quod ad nullam animalis ſpeciem pertineat. Quartò,ſi recedēte anima poſſet manere corpus,ex materia,& forma corporeitatis conſlatum,pari ratione materia ſine forma ſubſtantiali permanere poſſet;hoc autem falſum eſt; imò ad hoc abſurdū euitandum, introdu

xc-

xerunt Scotiſtæ hanc formam corporeitatis,quam tamen introducere non debuiſſent, ſi ma
teria per ſe conſiſtere poſſet,vt ex eorum ſententia ſequi videtur. Probat antecedens;quia
ſicut materia eſt potentia, per ſe ordinata ad formam; ita corpus illud eſt potentia, per
ſe ordinata ad animam: & ſicut materia ſub illa forma corporeitatis habet aliquem a-
ctum:]ita per ſe ſola habet proprium actum entitatiuum, qui ſufficit ad exiſtendum: ergo
non eſt, cur magis pendeat entitas materiæ ab illa forma corporeitatis, quam ipſa forma
corporeitatis ab vlteriore forma,ideſt ab anima: ſi igitur forma corporeitatis poteſt manere
ſine anima;pari ratione materia manere poterit ſine forma corporeitatis.Quintò,ſi vera eſ- Quintum.
ſet Scotiſtarum opinio;ſequeretur,in generatione ſubſtantiali, duas ſæpè formas re ipſa, di-
ſtinctas,introduci. Cùm ergo mutationes ex terminis multiplicentur; erunt duæ ſubſtantia-
les generationes ad vnum ſubſtantiale compoſitum conſtituendum, quod longè à veritate
abeſt. Poſtremò,data veritate eorum ſententiæ;accidere poterit,vt idem numero corpus, ex Sextum.
eadem numero materia,& forma conſtitutum,nunc viuat vita hominis, poſteà vita bruti:
quod tamen abſurdum eſt. Probat conſequentiam. Cùm enim ex hominis cadauere genera
tur vermis,non eſt,cur forma corporeitatis mutetur:nam ſi illa manet in cadauere ſine affe-
ctionibus hominis; multò melius ſub cuiuſcunque viuentis forma permanere poterit; atque
adeò id ipſum,quod viuebat vita hominis,viuere poterit vita bruti.

## *Prædictorum argumentorum ſolutio.* *Cap. X.*

HÆc autèm argumenta haud difficulter ſolui poſſunt. Ad primum neganda eſt minor: Ad primum.
non enim eſt contra Ariſtotelem dicere,fieri quandoque ſubſtantialem interitum abſ-
que ſubſequente generatione: quoniam generatio ſubſequens non ſemper neceſſaria eſt; ſed
tantummodò quotieſcunque periculum imminet,ne materia maneat ſine forma. In re autẽ
noſtra, recedente anima, non manet materia ſine forma,ſed cum forma miſtionis:& propte-
reà ſubſequens generatio neceſſaria non eſt. Ad ſecundum neganda eſt pariter minor: non Ad ſecundũ.
enim eſt contra philoſophum dicere,fieri ſubſtantialem interitum,manente ſubſtantia ſenſi-
bili completa,ex materia,& forma compoſita. Nanque ſi ſubſtantia ſenſibilis duabus formis
ſubſtantialibus prædita ſit;recedente forma præcipua,fit ſubſtantialis interitus: tamen quic-
quid remanet,dicitur ſubſtantia completa, non quidem conſideratum in ordine ad formã,
quæ receſſit,ſed in ordine ad partes,ex quibus cõſtitutum eſt,quæ ſunt materia, & forma mi
ſtionis. Ad tertium reſpondendum eſt,compoſitum illud,ex materia, & forma corporeita- Ad tertium.
tis,eſſe indiuiduum,quod ſaltem per reductionem in genere ſubſtantiæ cõtinetur: illud enim
totum pars erat alterius compoſiti ſubſtantialis perfecti, ad quod materiæ vicem gerebat:
& ſicut materia,quæ eſt pars corporis naturalis,à latere, vt aiunt, in genere ſubſtantiæ conti-
netur;ita hoc totum ex materia, & miſtionis forma conſtitutum, quia ob animæ diſceſſum
imperfectum quippiam remanet,ideo ad ſubſtantiæ prædicamentum facilè reuocatur. Reſ-
ponderi etiam poſſet,concretum illud ex materia, & forma miſtionis eſſe aliquam ſpeciem
inanimati corporis,atque adeò in ſubſtantiæ prædicamento directè cõtineri. Et ſi quæratur,
quodnam corpus eſt huiuſmodi concretum? Reſpondendum eſt, eſſe aggregatum quippiam
ex carne,oſſibus,neruis, vel ex medulla,ligno,cortice,& alijs huiuſmodi partibus: quod tamẽ
aggregatum gerebat vicem materiæ,dum animam continebat;tuncque ab anima,tanquam
à forma præcipua denominatio fiebat;appellaturque aut homo,aut bellua,aut planta. Nũc
autem,ob animæ diſceſſum,remanet hoc aggregatum ex pluribus diuerſi generis partib. qua
rum ſingula per ſe dicitur verum compoſitum ex materia,& forma miſtionis, vt caro, os, li-
gnum,& alia huiuſmodi: habentque ſuum quæque locum in genere ſubſtantiæ. Ad quartũ Ad quartum
neganda eſt conſequentia. Ad probationem reſpondendum,materiam eſſe potentiam, quæ
ordinatur ad formam;ideo naturæ viribus per ſe conſiſtere non poſſe; cùm per ſe habeat eſ-
ſe valdè diminutum. Illud verò,quod ex materia,& miſtionis forma conſtitutum eſt, tametſi
dum ordinatur ad animam,habet rationem materiæ;tamen reuera non eſt materia,ſed quip
piam ex materia,& forma conflatum: ideo, recedente anima, per ſe conſiſtere poteſt,quod ta
men nequit materia,recedente ſubſtantiali forma. Ad quintum admittimus,in ſubſtantia- Ad quintum
li generatione corporis viuentis duas formas ſubſtantiales,re ipſa diſtinctas,introduci,nimi-

rum formam corporeitatis, & animam: negamus tamen, vnum ſubſtantiale compoſitũ duas ſubſtantiales formas habere. Et quanuis mutationes ex terminis multiplicentur; tamen vbi termini ſubordinati ſunt, fit denominatio ab vltimo termino, ad quem generatio tendit: non enim abſoluta eſt viuentis corporis generatio, niſi anima, quæ eſt vltima forma, in materiã introducta ſit. Ad ſextum. Ad vltimum neganda eſt conſequentia. Ad probationem reſpondendum, cũ ex hominis cadauere generatur vermis, non manere amplius eandem formam corporeitatis; ſed concretum illud, quod priùs erat materia hominis, putreſcere, & interire, & ex illius interitu ſubſequi generationem vermis. Quare cùm non maneat amplius corpus idem, nõ ſequitur, vt priùs viueret vita hominis, poſteà vita bruti.

*Soluuntur argumenta, pro ſententia Thomiſtarum ſuperiùs adducta.* *Cap. XI.*

AD firmandam Scotiſtarum ſententiam, de formarum pluralitate, in eodem animato compoſito, nihil aliud ſupereſſe videtur, niſi, vt argumentis, quæ cap. 3. pro Thomiſtarum ſententia propoſita ſunt, ſatisfaciamus. Ad primum. Ad primum, dimittenda eſt illa maior propoſitio, qua dicebatur, eſſe cuiuſque rei à forma pendere. Minor autem, qua vnaquæque res vnicum tantùm habere eſſe dicebatur, diſtinguenda eſt: poteſt enim intelligi, tùm de eſſe ſubſiſtẽtiæ, tùm de eſſe exiſtentiæ: primo modo eſt vera; altero falſa: non enim abſurdum eſt, in eodẽ compoſito multiplex eſse exiſtẽtiæ reperiri. Nanque in homine aliud eſt eſse corporis, aliud eſſe hominis: eſt enim corpus per formam miſti, homo verò per animam rationalem. Hęc autem duo eſſe diſtincta ſunt, quanuis in vnum eſſe ſubſiſtentiæ vtrunque coeat. Eſt præterea in homine eſſe carnis, diſtinctum ab eſſe oſſis, ſanguinis, aliarumque huiuſmodi partiũ: quarum quælibet habet proprium eſſe exiſtentiæ; quanuis omnia vnico eſſe exiſtentiæ, quod eſt totius miſti, concludantur. Ad ſecundũ. Ad ſecundum reſpondendum eſt, formam illam: quæ aduenit enti in actu, perfecto, ſpecifico, & determinato, vtique accidẽtalem dici: quæ autem aduenit enti indeterminato, & imperfecto, neutiquam accidentalem, ſed ſubſtantialem eſſe. Quare, cùm anima aduenit corpori, quod iam ex materia, & ſubſtantiali forma conſtitutum, immò etiam ex elementis coagmentatũ eſt, non dicitur forma accidentalis; propterea quòd naturę opus, ſiue inſtitutum, ad corpus miſtum minime terminatur. Etenim natura, viuens corpus parere intendens, materiam primo præparat, quæ congruens animæ receptaculum futura ſit: talis autem rudis, & impolita eſſe non poteſt, ſed ob animæ nobilitatem, requiritur, vt aliqua forma inferiore, ipſi animæ ſubdita, formata ſit: quippe cui, ceu inſtrumentum inſeruire debeat ad ſuas edendas operationes. Quando autem in materiam, ſic affectam, forma viuens introducta eſt: tunc abſolutum eſt opus naturæ, conſtitutumque ens in actu perfecto, ſpecifico, & determinato, cui quicquid poſt aduenit, accidens cenſendum vtique eſt. Ad tertium. Ad tertium, neganda eſt conſequentia. Ad probationem reſpondetur, maiorem illam propoſitionem veram eſſe de formis alterius generis, cuiuſmodi ſunt ſubſtantia, & qualitas; & propterea hæc prædicatio dicitur per accidens; homo eſt albus, vt probat argumentum: falſam autem eſſe de formis eiuſdem generis, quæ ſic ſe habent, vt vna ad alteram habeat rationem potentiæ, ſicut eſt forma miſti ad animam rationalem. Ad quartum. Ad quartum, concedere poſſumus totum argumentum, videlicet carnem mortuam, non eſſe carnem, niſi æquiuoce, vt apertiſſimè fatetur Ariſtoteles in vltimo illo capite quarti libri Metheororum: & confirmat etiam ſeptimo Metaphyſicorum text. 35. vbi ait, digitũm mortuum eſse digitum æquiuocè. Admittere etiam poſſumus, poſt ſeparationem animæ rationalis à corpore, non manere amplius formam hominis, ſed formam cadaueris: hæc enim ſententiæ noſtræ nullo pacto aduerſantur. Caro propriè quid ſit. Etenim, illa propriè dicitur caro, quæ poteſt facere opus carnis, vt Ariſtoteles docet, ideſt, quæ nutrimentum, vel ſuccum ſibi appoſitum, in carnem ſibi ſimilem conuertere poteſt: Id autem non poteſt facere, niſi caro viua. Rogabit autem aliquis, quid eſt caro viua? Reſpondetur, carnem viuam nihil aliud eſſe, niſi quippiam ex elementis coagmentatum, animatum tamen, & calore præditum, quo, ceu inſtrumento præcipuo, ſuo munere fungitur; recedente autem anima, extinguitur calor, fitque caro mortua, non hercle per nouæ formæ acquiſitionem; ſed per formæ antecedentis, & illius quidem perfectioris, amiſſionem: remanet enim ſolùm illud concretum ex elementis, quod, ſicut priùs, dum ca-

lore

lore præditum erat, verè, & propriè caro dicebatur; ita poſteà calore deſtitutum, animaque priuatum, non niſi æquiuocè caro nuncupatur, quia ſcilicet opus carnis facere non poteſt. Eodem modo de forma hominis, atque cadaueris dicendum eſt: concretum enim illud ex elementis, quod priùs in ſeſe rationalem animam continebat, appellabatur homo: idem verò, anima deſtitutum, appellatur cadauer; non ob nouæ formæ acquiſitionem; ſed ob perfectioris formæ, quam in ſe priùs continebat, amiſſionem. Ad quintum plerique reſpondere ſolent, ſimilitudinem illam ad omnia non valere, ſed ad id ſolùm, quia ſcilicet ſicut numeri cõſiſtunt in indiuiſibili, ita & formæ. Ego verò aliter reſponderem, propoſitionem, ſiue ſimilitudinem illam de illis formis veritatem habere, quas Logici diſparatas appellant, non autẽ de illis, quæ inter ſe eſſentialem ordinem habent: & propterea, cum forma miſti rationali animę ſubordinata ſit; non ſequitur, vt, per rationalis animæ adiectionem, ſpecies hominis varietur: immò ſicut homo à priori forma accipit eſſe corporeum; ita à poſteriore, nimirùm à rationali anima, accipit eſſe hominis, & illud eſt eſſe ſpecificum. Ad ſextum neganda eſt minor: nanque in corpore viuente, præter animam, datur forma miſti, quæ neque Metaphyſica, neque Mathematica, ſed Phyſica, & naturalis eſt. Et cùm obijcitur, illi formæ non conuenire eſſe principium motus; negandum hoc eſt: ſicut enim anima eſt principium motus progreſſiui; ita forma miſti eſt principium illius motus, qui fit ſecundum elementum prędominans, vt ſuprà dictum eſt: animal enim, cadens de turri, non mouetur deorſum ab anima, ſed à forma miſti, grauitate affecta. Ad poſtremum reſpondendum eſt, duas illas formas in homine, ſcilicet formam miſti, & rationalem animam, non eſſe eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ. Et cùm arguitur, quòd homo non eſſet vnus ſpecie, nec hominis per ſe eſſet vna definitio; neganda eſt hæc conſequentia, duplici ratione. Primò, vt aliquid ſit per ſe vnum ſpecie, ſufficit, vt partes, ipſum conſtituentes, ſe habeant inuicem, vt actus, & potentia, cuiuſmodi ſe habent forma miſti, & anima rationalis: totum enim conſtitutum ex materia, & forma miſti, ſe habet tanquam ſubiecta materia, & veluti potentia quædam ad animam rationalem, tanquam ad actum perfectum, ſpecificum, & determinatum, hominem in eſſe hominis conſtituentem. Deinde verò, quia aut ſermo eſt de definitione hominis, aut de definitione corporis hominis: definitio corporis hominis ſumenda eſt à forma miſti, tanquàm à parte præcipua: definitio autem hominis ſumenda eſt ab anima rationali, per quam verè, &, vt aiunt, formaliter, in eſſe hominis conſtituitur; atque ita hominis per ſe non ſunt duæ definitiones, ſed vna tantùm.

Ad quintum

Ad ſextum.

Ad ſeptimũ.

# DE SVBIECTO ACCIDENTIVM.

## Diſputatio Decimaoctaua.

*Diſputationis propoſitio.* *Caput Primum.*

In rei naturalis interitu fit diſſolutio vſque ad materiã primã; vera propoſitio in ſimplicibus tãtum.

Falſa in miſtis animatis.

Necnõ in miſtis inanimatis.

REruulgata illa quæſtio, qua quæri ſolet, num in rei naturalis interitu fiat diſſolutio vſque ad materiam primam, duas præcipua s continet partes; quarum altera ad ſubſtantiales formas pertinet: ad accidentales altera. Prioris partis explicatio ex ſuperiore à nobis habita diſputatione elici facilè poteſt: cùm enim concluſum ſit, in quocunque viuente corpore duas formas ſubſtantiales reperiri, ſcilicet animam, & miſtionis formam; palàm fit, propoſitionem illam in ſimplicibus tantùm corporibus locum habere; quandoquidem vno pereunte elemento, poſt diſſolutionẽ nihil aliud manet, quod ad ipſum pertineat, niſi materia prima, quę poſteà cum forma alterius elementi affinitatem contrahit. In miſtis animatis locum nullũ omninò habet: dum enim animãs occidit, non fit diſſolutio vſque ad materiam primam; ſed recedente anima, manet adhuc cum prima materia miſtionis forma: vt enim in animantis generatione prior origine eſt forma corporis, quàm ſit anima; ita in eiuſdem animantis interitu manet eadem forma corporis in materia poſt animæ receſſum, quæcunque tandem illa ſit, ſiue naturalis, ſiue ſentiẽs, ſiue rationis particeps. In miſtis inanimatis aliqua fortaſſe difficultas eſt: nos tamen dicimus, nec in eorum interitu diſſolutionem fieri vſque ad materiam primam: propterea quòd dum vnum miſtum occumbit, aliud ſtatim exoritur, acquitentibus elemẽtis nouam proportionem: & dum illud diſſoluitur, iterum abit in aliud, atque rurſus illud in aliud, donec ad miſtum imperfectum primò, deinde verò ad impurum elementũ peruentum ſit; vel ſi fortaſſe ad ſimplicem alicuius elementi particulam; ita tamen, vt ictu oculi è ſimplici in impuram mutetur. Explicata igitur quæſtione illa quoad priorem partem, reliquum modò eſſet, vt eandem, quoad poſteriorem explicaremus, & quęreremus, vtrum, cùm res aliqua naturalis intercidit, ita pereat, & diſſipetur, vt ne vllum quidem accidẽtis veſtigiũ in materia conſeruetur, quod rei generandæ, veluti proprium inſeruire debeat. Difficillima

Difficilis quęſtio, an aliq̃d accidens rei diſſolutæ maneat in re genita; hincq; oritur diſputatio, de ſubiecto accidẽtium.

ſanè dubitatio, quancunque partem accipiamus: ſi.n. in rei naturalis interitu, omne accidẽs, vnà cum forma ſubſtãtiali, vel cum ipſo cõpoſito perire ſtatuamus; concedere videmur, accidentia in compoſito, tanquam in proprio, & adæquato ſubiecto proximè inhærere; ad cuius extinctionem, ipſa quoque accidentia penitus aboleri, neceſſe ſit, cùm proprio ſint fundamento deſtituta. Sin contra dicamus, in rei naturalis interitu non fieri penitus diſſolutionem vſquẽ in materiam primam, ſed aliquod accidens, quod erat in re diſſoluta, idem numero in re genita permanere; ad eam ſnĩam accedere videmur, quæ ſtatuit, accidẽtia proximè in prima materia, tanquam in ſuo adæquato ſubiecto inhærere. Verùm quoniam vtraque ſnĩa de ſubiecto accidentium validiſſimis adeò rationibus fulcitur, vt vix animus, quam in partem inclinet, decernere queat: idcirco operæpretium me facturum exiſtimaui, ſi quæſtionem hanc de ſubiecto accidẽtium diligẽter euoluerem: ea.n. ſoluta, alterius ſtatim dubitationis explicatio facilè patebit. Qui.n. defendunt, proximum accidẽtium ſubiectum eſſe materiam primã; tueri quoque facilè poſſunt, aliquod accidens, quod in re diſſoluta præfuerat, idem numero in re genita permanere. Qui contrà ſtatuunt, proximum accidẽtium ſubiectum eſſe totum compoſitum, facilè quoque defendunt, ad interitum compoſiti, ſtatim ſequi omnium accidẽtium extinctionem: adeò vt ne vllum quidem, quod rei diſſolutæ proprium fuerat, in prima materia maneat, rei genitæ inſeruiturum. Hæc igitur quæſtio de ſubiecto accidẽtium, facilioris intelligentiæ gratia, in tres potiſſimùm partes diſtincta erit. Primò.n. adducam ſnĩam illam, quam exiſtimo falſam, vnà cum præcipuis rationibus, & fundamẽtis, quibus illa à pleriſque Doctoribus defendi ſolet. Deinde probabiliorem afferam ſnĩam, quam & rationibus confirmabo, & nonnullis concluſionibus veluti fundamẽtis, ſolidiorem reddam, & clariorẽ. Demùm oppoſitæ ſententiæ rationes diluere, eiuſque fundamenta demoliri conabor.

Ordo i diſputatione ſeruãdus.

*Opinio ſtatuentium, proximum accidentium ſubiectum eſſe materiam primam.* *Cap. II.*

AD rem igitur ſtatim vt accedamus, fuit ſententia ſatis celebris, proximum acciden-
tium ſubiectum eſſe primam rerum omnium materiam; idque verum ita eſſe non
modò de accidentibus interminatis, verùmetiam de terminatis, de quibus nunc potiſſi-
mùm dubitatio eſt; alia enim quæſtio eſt, vtrum quantitas interminata præcedat for-
mam ſubſtantialem in materia, quidque quantitatis interminatæ nomine intelligẽdum ſit;
quæ quidem diſputatio ad primum librum pertinet de phyſico auditu. Eſt igitur ſnĩa hu-
iuſmodi; calorem, frigus, humorem, & ſiccitatem, quæ ſunt quatuor primæ qualitates, ac dein
ceps omnes alias qualitates, ab iſtis orientes, proximè in materia prima tanquam in præci- Greg. Arim.
puo, & adæquato ſubiecto inhærere. Quam ſnĩam ſecutus eſt Gregorius Ariminenſis 2. Sen- Marſilius.
tent. diſt. 12. quæſt. 2, art. 2. Marſilius 1. de Gen. quæſt. 7. Albertus de Saxonia eod. lib. quęſt. Alb. de Sax.
6. Toletus ibidem quæſt. 7. Conimbricenſes ibid. cap. 4. quæſt. 4. & 18. licet oppoſitam etiam Toletus. Conimbric.
ſnĩam probabilem exiſtimauerint. Zabarella libro de Communi Generatio. & inter. cap. 9. Zabarella.
Piccolomineus 1. de Genera. poſt tex. 24. & alij plerique. Horum autem potiſſimæ rationes Piccolomin. Prima ratio.
eæ ſunt. Prima robur ſumit ab autoritate Ariſt. lib. 2. de Generat. tex. 35. vbi ait, in elemẽtis,
habẽtibus ſymbolum, ideſt in vna qualitate conuenientiam, faciliorem tranſitum eſſe: quia
igitur ignis, & aer in vna qualitate nimirum in caliditate conueniunt, Ideò faciliùs aer, quàm
aqua in ignem tranſmutabitur; cũ aqua, & ignis oppoſitis omnino qualitatibus prędita ſint.
Hinc deducunt argumẽtum huiuſmodi. Niſi accidentia in materia prima proximè inhære-
rent, non eſſet in elemẽtis, habentibus ſymbolum, facilior tranſmutatio: ſed conſequẽs eſt cõ-
tra Ariſt. ergo & antecedẽs. Conſequentiam ita probant: niſi enim caliditas aeris in materia
prima proximè inhæreret, ſed in toto aere; tunc, aere diſſipato, ipſa quoque caliditas neceſſa
riò periret, nudaque materia maneret, quæ ſic non minus ad formam ignis, quàm ad cuiuſuis
alterius elemẽti recipiẽdam parata eſſet, cùm per ſe, & natura ſua, omnibus affectionibus de- Secunda rõ.
ſtituta, ad omnes formas ſubſtantiales recipiẽdas indifferens ſit. Secundò ſic argumẽtantur;
Niſi accidẽtia in materia prima proximè inhærerẽt, ſed in compoſito, tanquàm in ſuo adæ-
quato ſubiecto ineſſent; ſequeretur, vt idem ſui ipſius deſtructionem, atque interitum moli-
retur: ſed conſequẽs eſt abſurdum; quia ex 1. de Cęlo, vnaquæque res diligit ſui conſeruatio-
nem, & ſecundum naturam perpetuitatẽ appetit; ergo & antecedẽs. Probant conſequẽtiam:
fingamus, inquiunt, intenſum calorem in tota aqua receptum eſſe; iam, cum hęc qualitas pro
priæ qualitati aquæ opponatur, perſpicuum eſt, ob continuam caloris actionem, frigiditatẽ
reprimi, & omnino depelli; atque aptam materiam effici ad formam aquæ reijciẽdam, & ad
formam oppoſitam recipiẽdam. Iam verò, ſi calor iſte ineſt in compoſito aquę, perſpicua res
eſt, eum ſui ipſius deſtructionem moliri, quia ſine aqua conſiſtere nequit: ergo, dum aquę de
ſtructionem molitur, ſui quoque extinctionem moliatur neceſſe eſt; quia deſtructo fundamẽ
to accidentis, ipſum quoque accidẽs ſtatim aboletur. Huc accedit, quòd aqua idẽtidem, cui
calor ineſt, ſui ipſius deſtructionem tentare videtur: nam calor non eſt id propriè, quod agit,
ſed eſt inſtrumẽtum agentis: illud autẽ, quod propriè, & præcipue agit, eſt ſubiectum ipſum,
cui accidens inhæret: ſubiectum verò, cui calor ineſt, eſt aqua, quæ calore agit: ergo ſi calor
in aqua, tanquàm in proximo ſubiecto inhæret, ſequitur, vt aqua proprio calore, tanquàm Tertia.
inſtrumẽto, ſui ipſius deſtructionem moliatur, quod eſt abſurdum. Tertiò, illi ſubiecto acci
dẽtia proximè inhærere dicuntur, de cuius poteſtate forma ſubſtantialis educitur: ſed forma
ſubſtantialis educitur de poteſtate materiæ, non autem de poteſtate compoſiti, ergo ſenſibi- Quarta
lia accidentia inhærent proximè in materia, non item in compoſito. Quartò, ſi caliditas to
ti aquæ, non autem materiæ primæ inhæreret; tunc remoto calefaciẽte, non deberet aqua ca
liditatem diſſoluere: diſſoluit autem, vt manifeſtum eſt; redit. n. ad ſuam naturalem frigidita
tem; ergo ſignum eſt, caliditatem toti aquæ non inhærere. Probant conſequẽtiam: nulla. n. ra
tione fieri poteſt, vt idem numero ſubiectum, ad vnam, & eandem rem, ſit agens, & patiens: Quinta
hoc autem in re noſtra contingeret: nam aqua, ait caliditatem recipiens, eſſet patiens:
vt verò eandem expellens, eſſet agens. Quintò, ſi canis deturbaretur è turri, & in medio iti
nere moreretur, ille motus, vſque ad terram vnus eſſet, atque continuus, vt omnes concedũt;
ergo dẽt habere ſubiectum tale, à quo numericam vnitatem accipiat: hoc autem ſubiectum

non pōt eſſe totum compoſitum,quia canis viuus erat vnum compoſitum, eiuſdem autē cadauer fit aliud compoſitum : idem autem numero accidēs de ſubiecto in ſubiectum migrare non poteſt ; ergo iſte motus neceſſariò recipitur in materia prima, quæ tàm in cane viuo, q̄ in cadauere,vna,& eadem numero manet. Hæc eadē affertur ratio in viui aīalis cōbuſtione:ſi.n.viuum aīal vſque ad cineres cōburatur,illa calefactio eſt motus cōtinuus,& vnus numero;& ꝑpea debet hr̄e ſubiectū,quod ſit vnum numero;q; eſse non pōt,niſi materia prima.

Sexta. Sextò ſic argumentatur Zab. Illud eſt ſubiectum inhærentiæ omnium accidentium, de cuius poteſtate educitur quodlibet accidens,atqui omnia accidentia, quæ generantur, educuntur de poteſtate ſolius materiæ,non autem de poteſtate compoſiti,vt ex materia,& forma conſtantis;ergo ſola materia eſt proximum ſubiectum,in quo accidentia omnia inhærent. Maiorem propoſitionē,tanquàm per ſe manifeſtam dimittit. Minorem autem ita probat. Ignis calefacit aquam,& calorem educit de potentia ad actum:vel igitur de potentia aquæ,prout aqua eſt;vel de potentia ſolius materiæ,quæ in aqua ineſt. Non primum;quia dicere aquā, quatenus aqua eſt,eſt dicere formalem rationem aquæ,quę in eſſe aquæ conſtituitur:hęc autem repugnat calori,ac renititur calefacienti;quia calor inimicus eſt naturæ aquæ;ergo nullam habet facultatem recipiendi calorem;quam ſola habet materia, quæ formas omnes tā

Septima. ſubſtantiales,quàm accidentales recipere nata eſt. Septimò argumentatur Piccolomineus, in mortalibus,quicquid eſt priùs origine,eſt ignobilius:ſed forma ſubſtantiæ non eſt ignobilior accidente;ergo in eodem ſubiecto non eſt origine prior;atque ita accidens proximè pri-

Octaua. mæ materiæ inhæret. Poſtremò idem autor ſic argumentatur; Quæcunque inuicem agunt, communi ſubiecto prædita ſunt, vt habetur in context. 41. primi libri de Generat. ſed calor ignis,& frigus aquæ inuicem agunt;ergo communi ſubiecto prædita ſunt : id autem non eſt compoſitum, vt manifeſtum eſt, ſed ſola materia;ergo illa eſt proximum,atque præcipuum ſubiectum accidentium.

*Prædictæ opinionis fundamenta præcipua.* *Cap. III.*

CÆterùm,quia hæc ſententia Ariſtotelis,& Auerrois menti repugnare videtur, qui pluribus in locis aſſerunt,accidentia aduenire enti in actu perfecto,habereque ſubiectum ſenſibile,quod aliud eſſe non poteſt,niſi compoſitum ipſum;ideò eius ſententiæ autores,vt illam ab hac contradictione vindicatent, ſua quique pro eius defenſione fundamenta iacere

Fūdamētum Marſilij. conati ſunt. Marſilius,quem ſecutus eſt Buccaferreus,hanc attulit, de ſubiecto accidentium diſtinctionem. Duplex eſt, inquit, ſubiectum accidentium:alterum inhæſionis:alterum denominationis. Subiectum inhæſionis illud eſt,cui proximè accidentia inhærent: & huiuſmodi ſubiectum eſt materia prima, vt iam probatum eſt. Subiectum vero denominationis eſt illud,quod ab accidentibus denominatiuam prædicationem accipit;& huiuſmodi eſt compoſitum ipſum:dicimus enim,ignem eſſe calidum,aquam frigidam,& eodem modo de alijs. De huiuſmodi igitur ſubiecto Ariſtotelem,& Auerroem aſſerit locutos eſſe, quotieſcunque acci

Fūdamētum Conimbric. dentia aduenire enti in actu perfecto,pronunciarunt. Conimbricenſes aliud fundamentum iecerunt,dixeruntque,ſubiectum inhæſionis materialem accidētium eſſe quidem materiam primam;ſed tamen vt in ſe continet actum formæ ſubſtantialis. Nam quemadmodum materia,vt perfectè exiſtat,eget forma,ipſam ſecundum ſubſtantiam perficiente, & vt formali cauſa,non interna,ſed externa exiſtentiæ ipſius;ita,vt accidentia recipiat,indiget forma, vti cauſa,ipſam complente,& ab inertia,&,vt ita dicam,potētialitate, ad id munus obeundum euocante;quandoquidem exequi id non poteſt, niſi exiſtat ſub actu perfecto; & exiſtere ſic nequit,abſque ea formæ cauſalitate,& beneficio. Quare cùm forma ad accidentia recipiēda non ita concurrat,quaſi accidentia vel ex toto,vel ex parte recipiat; ideo appoſitè eós loqui opinati ſunt,qui dixerunt,materiam ad recipienda accidentia non exigere formam, vt concauſam receptionis paſſiuæ,in eodemmet genere cauſæ,ſed exigere illam, vt cauſam formalem,qua complete,ad id officium præſtandum,habilis fiat. Non longè ab his fundamentis di

Fūdamētum Zabarellæ. ſtat fundamentum Iacobi Zabarellæ, qui ait, poteſtatem patiendi,quæ potentia paſſiua nūcupari ſolet,eſse primæ materiæ propriam, neque cuiquam niſi per illam competere poſſe, vt ſatis multis lib. 9. Metaph. Ariſtoteles docet. Quare forma per ſe patibilis non eſt, ſed quatenus eſt in materia:ipſum quoque compoſitum patitur quidem,ac recipit;non ea potiſſimū

ratione, qua ex materia, & forma conflatum eſt, ſed ſolùm quatenus materia conſtat. Eſt igitur materia, ait Zabarella, formarum omnium æquè ſubſtantialium, ac accidētalium proximum, & præcipuum ſubiectum; ſed eo tamen ordine, ac conditione eas recipit, vt accidentales recipere nequeat, niſi priùs ſubſtantiales receperit; immò & inter ipſas ſubſtantiales eſt ordo; quia non priùs recipit formam viuentis, puta animam, quàm recipiat formam miſtionis. Hoc iacto fundamēto, ait vir Excellentiſſimus, aliud eſſe ſubiectum recipiens, aliud verò eſſe conditionem illi ſubiecto neceſſariam, ad recipiēdum. Forma ſubſtantialis eſt quidem neceſſaria materiæ conditio ad accidētales formas recipiendas: non ideo tamen eſt ſubiectum recipiēs, aut pars recipientis, quaſi in ipſa quoque forma accidentia inhæreant. Cùm igitur Ariſt. & Auerroes dixerunt, accidētia habere ſubiectum ſenſibile, quod ſit ens in actu; non ſolùm reſpexerunt ſubiectum inhærentiæ, verùm etiam aggregatum ex eo, & cōditione, quæ neceſſaria eſt materiæ ad recipiendum: atque ita non eſt contra Ariſt. aut Auerrois mētem aſſerere, materiam primam eſſe ſubiectum accidentium.

*Vera ſententia de ſubiecto accidentium nonnullis concluſionibus explicatur.* *Cap. IV.*

Proximū ſubiectum materialium accidētium eſt totum cōpoſitum.

LOngè autem probabiliorem ſnīam illam exiſtimo, quæ ſtatuit, materialium accidentium proximum ſubiectum eſſe compoſitum ſubſtantiale, quod ex materiæ, & formæ coniunctione conſurgit; & illud quidem non denominationis ſolùm, vt alij arbitrati ſunt, verùm etiam inhæſionis: adeò, vt, eo ipſo temporis articulo, quo compoſitum oritur, ſimul etiā accidentia ipſa in lucem emergant, quæ primò, per ſe, & proximè in toto compoſito recipiūtur. Neque verò materia prima ab accidētium receptione immunis omnino eſt: ſed ſicut cōpoſitum eſt id, quod accidentia recipit, ita materia eſt ratio, cur compoſitum accidētia recipiat: appellabitur ergo ſubiectum quo ipſorum accidētium, vt ſcholaſticorum more loquamur. Nam ſicut compoſitum eſt id, quod agit, & forma eſt id, quo agit; ita compoſitum eſt id, quod recipir; & materia eſt id, quo recipit: rationes.n. agēdi, & patiendi, ſeu recipiēdi optimè iſtis principijs conueniunt: agēdi ſiquidem formæ, patiendi verò, ſeu recipiendi, materiæ. Subiectum igitur, quod accidētia recipit, eſt totum compoſitū. Subiectum verò, quo, eſt materia prima.

Materia prima eſt ſubiectum, quo ipſorū accidentiū, ſicut cōpoſitum eſt ſubiectū qđ.

Hanc ſnīam tuetur S. Thomas prima parte quæſt. 76. art. 6. & libro de ente, & eſſenria, cap. 7. atque ibidem Cardinalis Caietanus quæſt. 16. Paulus Soncinas 7. Metaph. quæſt. 3. Iauellus octauo eiuſdem operis lib. quæſt. 2. Herueus quolib. 2. quæſt. 10. Durandus 1. Sentent. diſt. 8. quæſt. 4. Dominicus Bannes 1. de Generat. quæſt. 9. & ſummatim omnes Thomiſtæ: quorum ego ſnīam, tanquam veritati conſentaneam, defendēdam ſuſcepi. Quò autem faciliùs ab omnibus percipi poſſit, nonnullis eam concluſionibus explicare decreui; quarum prima ſit hæc.

S. Thom.
Caietanus.
Pau. Soncin.
Iauellus.
Herueus.
Durandus.
Bannes.

Prima cōcluſio.

Materia priùs recipit formam ſubſtantialem, quàm accidentalem.

Prima ratio.

Hæc concluſio probatur primò ſic, generatio eſt mutatio, quæ omnes alias eiuſdem ſubiecti mutationes antecedit: quod enim nondum genitum eſt, illud certè nec augeri, nec minui, nec alterari, nec loco moueri poteſt: at generatio fit ob nexum formæ ſubſtantialis cum materia; igitur materia priùs recipit formā ſubſtātialē, quàm accidētalē.

Cōfirmatio.

Huic probationi fauet mirū in modum expreſſa Ariſtotelis autoritas 1. de Genera. textib. 23. & 24. vbi docet, materiam aliquo pacto eſſe quidem ſubiectum mutationum accidentalium; ſed ea tamen conditione, vt prius ſubſtantialem formam in ſe recipiat, ſubiectumque ſenſibile conſtituat; quod poſtmodum accidentalibus mutationibus ſubijciatur.

Secunda rō.

Probatur ſecundò eadem concluſio autoritate philoſophi 7. Diuinorum tex. 4. vbi, ſubſtantiam tempore, & definitione accidēte priorem eſſe, aſſeruit: quod certe non eſſet, niſi forma ſubſtantialis priùs in materia reciperetur, quàm accidētalis.

Tertia ratio.

Tertiò, ſi materia priùs in ſe reciperet formam accidētalem, quàm ſubſtantialē; tunc ex illa forma, & materia fieret vnum per accidens: omne autem per accidens ponit aliquid, quod ſit vnum per ſe; ergo, ante illud compoſitum per accidens, oporteret, vnum per ſe compoſitum reperiri, quod ne mente quidem concipi poteſt.

Quarta ratio

Quartò materia maiorem propenſionem habet ad formam ſui generis, quàm ad formam diuerſi generis; ergo priùs appetit copulam formæ ſubſtantialis, quàm accidētalis; cùm forma accidētalis ad aliud genus pertineat.

Quinta ratio

Poſtremò, (& hoc arbitror validiſſimum eſſe argumentum) exiſtentia accidentium eſt exiſtentia imperfecta; cùm ſeorſum illa conſiſtere nequeāt; ergo illorum conſiſtentiæ fundamentum dēt eſſe aliquid perfectè exiſtens: at ſubſtantia materiæ non eſt huiuſmodi; pro-

pterea

pretereà, quòd illa quoque imperfecta eſt; nec ſi ſuæ naturæ relinquatur, ſeorſum conſiſtet; ergo ſubſtantia materiæ non poteſt eſſe fundamentum accidentium; alioquin & fundamentũ, & id, quod ipſo fulcitur, citò ruerent. Neceſſe igitur eſt, fundamentum accidentium eſſe aliquid, per ſe exiſtens; & materiam perfectam exiſtentiam obtinere, vt poſſit eſſe ratio accidẽtia recipiendi: obtinet autem perfectam exiſtentiam à forma ſubſtantiali: ergo priùs in ſe recipit formam ſubſtantialem, quàm accidentalem. Secunda concluſio, materia prima, vel in formata forma ſubſtantiali, non eſt proximum ſubiectum accidentium, adeò vt in ipſa, ſic formata, accidentia, tanquàm in ſubiecto quod, recipiantur. Probatur hæc concluſio, primò autoritate philoſophi 2. Metaph. & alibi ſæpè, docentis, actiones ſuppoſitorum eſſe, vel, vt alij exponunt, ſingularium: ſed calefacere, mouere, & id genus alia, ſunt actiones; ergo illæ actiones primò, & per ſe ad ſuppoſita pertinent: materia autem non eſt ſuppoſitum; ergo nec proximum eiuſmodi actionum fundamentum exiſtere poteſt. Rurſus Ariſtoteles in prædicamentis, c. de ſubſtantia, docet, ſubſtare accidentibus, intimam quandam ſubſtantię proprietatẽ eſſe, & illius quidẽ ſubſtantię, quæ per ſe ſubſiſtit: materia aũt nõ eſt ea ſubſtãtia, ſed potius eſt pars illius ſubſtantię, quę per ſe ſubſiſtit; igitur neq; illa eadẽ, quatenus ſubſtãtiali forma decorata eſt, vt proximũ ſubiectum, in ſeſe accidentia recipere poterit. Tertiò, nullum poſterius poteſt mutare rationem formalem ſui prioris: ſed materia de ſua formali ratione nũquam agit, ſed ſolùm patitur; ergo hæc formalis ratio materiæ, propter formæ ſubſtantialis aduentum, mutari non poteſt: igitur ſi materia per ſe accidentia recipere nequit, vt illis nimirùm agere dicatur, eo modo, quo ferrum, vbi calorem recepit, eodem calore calefacere dicitur; nec id certè poterit, ob contractam cùm forma ſubſtantiali affinitatem. Tertia concluſio, materia prima, quatenus forma ſubſtantiali prædita eſt, dicitur ſubiectum, quo ipſorum accidentium; hoc eſt dicitur ratio, & principium, quo totum compoſitum materialia accidentia in ſemetipſo recipit, tanquàm in ſubiecto quod. Hæc concluſio probatur primò ſic; accidentia, quæ in compoſito recipiuntur, materialia ſunt; (de his enim modò diſſerimus) ergo aliquid dari debet, à quo materialia dicantur: hoc autem non eſt aliud niſi materia: forma enim eſſe non poteſt; quia ab illa dicerentur formalia, non materialia; igitur materia, vt informata forma ſubſtantiali, dicitur eſſe ſubiectum quo ipſorum accidentium. Secundò, cùm dicimus, totum compoſitum eſſe ſubiectum accidentium, non accipimus totum ſyncathegorematicè, ideſt pro qualibet ſui parte, quaſi quælibet pars totius accidentium partem in ſe recipiat; ſed accipimus totum cathegorematicè, pro eo ſcilicet, quod ex materiæ, & formæ coniunctione proficiſcitur. Hoc autem cùm illud ſit, quod accidentia recipit, debet certè ratione alicuius partis accidentia recipere: quæ quidem pars eſt ipſa materia, à qua, vt diximus, accidentia denominantur, atque materialia dicuntur. Tertiò, vnumquodque recipit in ſe aliquid per potentiam, quam habet ad illud: ſed materia prima eſt radix, & fundamentum omnis potentiæ; ergo totũ compoſitũ recipit in ſe accidentia, per materiã primam; atque adeò illa erit ſubiectum quo ipſorum accidentium. Quarta concluſio, forma ſubſtantialis non ſolùm concurrit ad recipienda accidentia, vt neceſſaria materię conditio, vel vt cauſa, ſine qua non, vt alij putarunt; verùm etiam vt ratio formalis. Antequam probem hanc concluſionẽ, paucis explicare libet, quonam pacto conditio ſine qua non, atque rurſus ratio formalis intelligi debeant. Cùm paries albedinem in ſe recipit, ipſe eſt ſubiectum recipiens: quantitas verò, qua præditum eſt, dicitur conditio neceſſaria, ſiue cauſa, ſine qua albedinem illam nõ reciperet: eſt enim albedo qualitas extenſibilis, quæ in ſubiecto recipitur, per quantitatem extenſo. Dùm verò homo intelligit, concurrit intellectus ad intellectionem edendam, non ſolùm vt neceſsaria conditio, ſed etiam vt cauſa formalis: quoniam homo intellectu formaliter intelligit, diciturque intellectus principium quo formale intelligendi. His explicatis, probatur modò concluſio, & primò ſic; in ſubiecto, cui accidentia inſunt, duæ partes ſubſtantiales reperiuntur, materia ſcilicet, atque forma: ſed, vt iam probatum eſt, materia, ad recipienda accidentia, concurrit, vt cauſa materialis; ergo ad eadem recipienda concurrit forma, vt ratio formalis. Secundò, forma eſt ratio formalis, cur materia, & compoſitum perfectè exiſtant; ergo erit etiam ratio formalis, cur iſtud eſſe cum accidentibus communicetur. Confirmatur hæc ratio: nam accidentia, cùm habeant eſse diminutum, & imperfectum, ſi ad ſubſtãtiam referantur, ſeorſum conſiſtere nequeunt; aliquo ergo adminiculo indigent, quod eſse

non

Secunda cõcluſio.
Prima ratio.
Secunda.
Tertia.
Tertia cõcluſio
Prima ratio.
Secunda.
Tertia.
Quarta concluſio.
Cauſa ſine qua non.
Ratio formalis.
Prima ratio.
Secunda ro.
Cõfirmatio.

non poteſt, niſi aliqua ſubſtantia, per ſe exiſtens, qualis non eſt materia, nec forma, ſed ipſum compoſitum. Tunc liceat ſic argumentari, forma eſt ratio formalis, cur compoſitum perfectè exiſtat; ergo eſt etiam ratio formalis, cur in ſe accidentia recipiat. Quemadmodum ergo materia & in conſtitutione totius, & in accidẽtibus ſuſtinẽdis, concurrit ſolùm, vt ratio materialis, & vt potentia recipiens; item forma & ad totum conſtituendum, & ad accidentia gignenda, atque etiam recipienda, concurrit, vt ratio formalis, & potentia operans. Quinta concluſio; ſubiectum, quod proximè accidentia recipit, cuique eadem inhærent, & à quibus denominationem ſumit, eſt ſubſtãtiale compoſitum ex materia, & forma concretum. Quinta concluſio. Hæc concluſio ex iam ſuperiùs probatis manifeſta eſt; cùm.n. ſubiectum accidentium nõ ſit materia, neque forma; ſequitur, vt ſit ipſum compoſitum. Prima ratio. Deinde totum compoſitum eſt illud, quòd primò accipit eſſe per generationem; ergo in eo accidentia inhærent, quæ ſimul cum illo generantur: non.n. cum materia vlla forma ſubſtantialis coniungi poteſt, quin eandem aliqua accidẽtia conſequantur. Secundà. Prætereà à toto compoſito fluunt omnes operationes, quia, vt dictum eſt, actiones ſunt ſuppoſitorum: nõ agit autem compoſitum, niſi per formas, quas ĩ ſemetipſo recipit: vt ſi ignis ferrũ calefacit, calore calefacit, qui illi proximè inhæret, nõ autẽ materiæ. Tertia. Experientia ẽt docemur, qualitates ipſas, vt calorem, frigus, & reliquas huiuſmodi in corporibus proximè recipi: eas.n. tactu in ipſis percipimus, quas ſi proximè eſſent in materia, non autem in compoſito, nequaquam perciperemus. Quarta. Veriſſima igitur eſt Thomiſtarum ſententia, videlicet proximum accidẽtium ſubiectum eſſe totum compoſitum, eo modo, quo explicatum eſt.

### *Primum argumentum, pro altera ſententia adductum, explicatur.* *Cap. V.*

SOluamus nunc argumenta, quæ pro altera ſnĩa adducta ſunt. Ad primum, negat S. Thomas, cùm ex aere generatur ignis, eandem numero in igne caliditatẽ manere, quæ priùs erat in aere: concedit tamen, manere eandem ſpecie; & prepterea dicit, non rectè concludi, accidentia proximè in prima materia inhærere: quoniam forma aeris à materia recedente, recedit vnà cum ipſa propria aeris caliditas, & ad nouam coniunctionem formę ignis cum materia, noua pariter caliditas producitur; eadem quidem ſpecie cum præcedẽte, numero verò nequaquam. Solu. S. Thomæ. Verùm huiuſmodi ſolutio, pace ſancti Doctoris dixerim, in eo potiſſimùm deficere mihi videtur, quia ponit, caliditatem aeris, & ignis eiuſdem eſſe ſpeciei, quod tamẽ falſum eſt. Confutatio. Nam duæ caliditates, quæ in duabus portionibus ignis, aut aeris reperiuntur, ſunt illæ quidem eiuſdem ſpeciei, & inter ſe ſolo numero differentes; quemadmodum etiam duæ illæ aeris, aut ignis particulæ numero diſtinctæ ſunt: at verò caliditas reperta in aere, & caliditas reperta in igne, vt ſunt in ſubiectis, ſpecie diſtinctis; ita pariter inter ſe ſpecie diſtinguuntur. Sed fac etiam, duas iſtas caliditates eiuſdem eſſe ſpeciei, non tamen idcirco S. Thomæ reſponſio argumẽti difficultatem omninò tollit, nec ex ea intelligere poſſumus, quonam pacto in elemẽtis habentibus ſymbolum, facilior tranſmutatio ſit: nulla qualitate in prima materia manente. Si.n. in aeris interitu, materia prima omnem formam ſubſtantialem, & omnem pariter conſequẽtem qualitatem exuit; iam ea, ſic nuda, non magis ad ignis, quàm ad quamlibet aliam formam recipiendam, parata erit, id, quod rectè argumentum concludebat. Autoris ſolutio. Aliter igitur, primum illud argumẽtum ſoluendum eſſe arbitror: difficillimum.n. & magni ponderis eſt, atque ex eius ſolutione tota difficultas propoſitæ diſputationis pẽdere videtur. Quò autem eius ſolutio facilior ſit, quatuor prænoſcenda duxi. Primum eſt, cùm elementa inter ſe ſpecie diſtincta ſint; illorum etiam qualitates eandem inter ſe diſtinctionẽ admittere: Notabile primum. ac ꝓpterea quẽadmodũ grauitas terrę, & grauitas aquæ, licet ambæ deorſum mobile ducãt; nihilominus inter ſe ſpecie differũt: tùm quia ducunt ad loca, ſpecie diſtincta: tùm etiã quia pertinent ad ſubiecta, eadem diſtinctione differentia; nimirũ ad terram, & aquam: ita caliditas aeris, & caliditas ignis, quãuis ambæ obiectum ſibi proximum calefaciant; nihilominus inter ſe ſpecie diſtinctæ ſunt, quia eodem modo aer, & ignis diſtinguuntur. Secundum eſt, generationem eſſe mutationem totius in totum, nullo ſenſibili ſubiecti loco manente, vt docet Ariſt. *1*. de Generat. tex. 23. Secundum. Ex qua definitione elicimus, cùm vnum elemẽtum in alterũ tranſmutatur, ſiue inter ſe ſymbolum habeant, ſiue non: nullam ſenſibilem qualitatem in materia prima, vt in ſubiecto, manere poſſe. Tertium, cùm vnius elemẽti in aliud tranſmutatio Tertium.

fit,

ſit, in eo elementa omni conatu nituntur, vt oppoſitam formam à materia expellant, & pro-
Quartum. priam in eandem introducant. Quartum, in elementis, habentibus ſymbolum, faciliorem v-
nius in alterum tranſmutationẽ eſſe. His notatis nunc ad argumenti ſolutionẽ accedendum
eſt, explicandũque, quõ, ſi nullum accidens in materia manet, ipſa magis ad hanc, quã ad il-
lam formã recipiendam afficiatur, & quõ in elementis ſymbolis facilior iſte tranſitus intelli
Caput ſolutionis. gendus ſit. Dicendum igitur eſt, cùm, in elementorum tranſmutatione, vna forma à materia
recedat, aliaque oppoſita accedat, ipſa elementa aliquo tanquàm inſtrumento neceſſariò
egere, quo ad hanc pugnam ſe accingant: id enim proprijs formis ſubſtantialibus efficere
Qualitates elemẽtorum ſunt eorũdẽ agendi inſtrumenta. nequeunt, cùm ſubſtantia contrarium non patiatur. Natura igitur accidentalibus formis, ni-
mirum qualitatibus elementa inſigniuit, quibus inuicem agant, & obnitantur; ſeſeque mu-
tuò ab eodem ſubiecto expellant. Hinc fit, vt ſi inter duo elementa, nullum habentia ſymbo
lum, pugna cõtingat, veluti inter aquam, & ignem; acrior pugna futura ſit, & difficilior vnius
elementi in alterum tranſmutatio, quod quidem accidit propter repugnantiam. Nam etiam
ſi maioris virtutis eſset ignis in agendo, quàm aqua in reſiſtendo, tamen, antequam ignis pro
priam formam in materiam inducat, opus eſt primò, vt aquæ frigiditatem obtundat, deinde
ſenſim propriam caliditatem eidem aquæ impertiatur, atque tandem, vbi ignis continua a-
ctione, & alteratione victoria potitus fuerit, formam aquæ à materia expellat, & eandem ſi-
bimet ipſi ſubijciat. Non ita contingit in elementis, habẽtibus ſymbolum, vt in aere, & igne:
nanque dum ignis agit in aerem, non eſt, cur in eodem frigiditatem obtũdat, cùm nulla in eo
frigiditas ſit; ſed potius, abſque vlla repugnantia, eius caliditatem intendit, & auget; atque
ita aer ab igne alterationem perpetitur: cùmque in aere materia prima includatur; ipſa pari-
Elemẽta habent certos, ac definitos ſuarum qualitatum gradus. ter, vt quo, hanc eandem alterationem ſubit. Iam verò quoniam elementa, quo ad ſuarum
qualitatum gradus certis limitibus definita ſunt, vt ſub maiori, vel minori gradu illorũ for-
mæ non amplius conſiſtere queant; idcirco formam aeris tanta caliditas conſequitur, vt ſi il-
la vel per gradum intẽdatur, ſtatim forma peritura ſit. Quò fit, vt, cùm aer ab igne, tanquam
ab exteriore agente, calefit: & propria aeris forma igneum calorem, tanquàm ſibi extraneũ,
renuat; ſenſim hac alteratione ad interitum paratur: continua enim actione ignis, aereus ca-
lor diſſipatur, atque, abſoluta alteratione, aeris interitum præcedente, ſtatim forma aeris v-
nà cum calore proprio, atque etiam ſibi ab igne impertito, à materia abſcedit, (quia diſſolu-
to ſubiecto, pereunt etiam accidentia, quæ in eo inſunt) & illicò forma ignis in materiam in-
troducitur; atque ita breui temporis curriculo aereus calor in igneum degenerat, & in tota
hac tranſmutatione fit ſemper materia ſubiectum quo caliditatis, non tamen eiuſdem nume
Speculare hic diligenter. ro, nec ſpecie, ſed genere tantùm. Cum ergo quæritur, à quonam materia, informata forma
aeris, ad formam ignis recipiendam afficiatur? Reſpondendum eſt, à calore ignis, qui in aere
recipitur, vt in ſubiecto quod, & in materia, vt in ſubiecto quo: & propterea cùm aer altera-
tur, vt quod, materia alteratur, vt quo: & pariter, cùm aer diſſoluitur, vt quod, materia diſſol
uitur, vt quo; quia ſcilicet eſt ſubiectũ diſſolutionis. Aer igitur ab igneo calore calefit, exte-
nuatur, & rareſit; & cùm amplius ſub propria natura cõtineri non poſſit, trãſmutatur in ignẽ.
Hac digreſſiuncula puto, iam ſatis primum argumentum ſolutum eſſe.

### *Reliquorum argumentorum ſolutio.* *Cap. VI.*

Ad ſecundũ. AD ſecundum neganda eſt conſequentia. Ad probationem reſpondendum, calorem,
aquæ impertitum, eius quidem deſtructionem moliri; non tamen tanquam inſtrumen
tum aquæ, (non enim eſt aqua, quæ calore in ſemetipſam agat) ſed tanquam inſtrumentum
ignis: ille enim eſt, qui calore, vt inſtrumento proprio, aquæ deſtructionẽ molitur: quare non
ſequitur, vt idem ſui ipſius deſtructionem moliatur, vt argumentum probare videtur. Ad
Ad tertium. tertium, neganda eſt maior: nam forma ſubſtantialis de materiæ quidem poteſtate deduci-
tur; tamen non eſt neceſſe, vt in eadem accidentia inſint: inhærent enim in compoſito; idque
Ad quartum ſufficit, vt ex eius poteſtate forma ſubſtantialis congruenter educi poſſit. Ad quartum negã
da eſt conſequentia. Ad probationem reſpondendum, nullum abſurdum eſſe, idem, ratione
diuerſorum, & agens, & patiens eſſe poſſe. Itaque aqua, ratione materiæ, quam in ſe cõtinet,
eſt ſubiectum, caliditatem recipiens, cum ipſa aliunde communicatam, atque ita patitur: ea-
dem verò, ratione propriæ formæ ſubſtantialis, & qualitatis, ipſam conſequentis, quę eſt na-

riua frigiditas, externam à ſeſe calidiratem expellit, ſemetipſam ad propriam naturam reuocando, atque ita agit.

Ad quintum Rñſio Thomiſtarum.

Ad quintum, Thomiſtæ, qui in eodem animato compoſito vnam tantùm ſubſtantialem formam reperiri, &, ad animalis interitum, nouam ſtatim cadaueris formam oriri, defendunt, varias afferunt reſponſiones. Dominicus à Soto lib. 5. Phyſ. q. 6. artic. 2. ad ſextum, ait, caſum canis viui, & cadaueris nullo modo continuos motus appellãdos eſſe; idque propter mobilis diuerſitatem: arbitratus eſt enim, canem viuum, & cadauer eſse duo compoſita, vel, vt ipſe ait, ſuppoſita re ipſa diſtincta; poſſe tamen appellari duos motus contiguos, idque propter temporis vnitatem. Dominicus Bannes 1. de Generat. q. 9. defendit, duos iſtos motus neque continuos, neque contiguos; ſed conſequenter ſe habentes appellandos eſſe. Nam verum eſt, inquit, dicere, cadauer nunc non mouetur, & poſt hoc inſtãs mouebitur, atque ita motus cadaueris motum canis viui conſequitur. Sed hęc omnia ſunt abſurda, quæ ex grauiſſimo illo errore oriuntur, nouam ſcilicet cadaueris formam in interitu animalis emergere: quem quidem errorem ſuperiore diſputatione cumulatè reiecimus.

Rñſio Autoris.

Nobis, qui in animato compoſito duas formas ſubſtantiales admittimus, ſcilicet animam, & formã miſtionis, argumentum hoc nullum prorſus negocium faceſſit: dicimus enim, motum canis viui, & mortui, decidentis de turri, vnum numero, atque continuum eſſe, idque propter mobilis vnitatem. Neque verò ſubiectum iſtius motus eſt materia prima, vt argumentum probat; ſed totum compoſitum, ex materia, & miſtionis forma conflatum. Cùm enim conſtet, miſtũ corpus motu præualentis elementi moueri, vt 1. de Cælo Ariſtoteles docet; pro comperto habendum eſt, motum canis, deorſum cadentis, illi conuenire, non quà animal eſt, quia ſic conuenit illi motus progreſſionis; ſed quà miſtum quoddam eſt, in quo elementum terræ prædominatur. Porrò hoc miſtum idem numero eſt in cane viuo, & cadauere. non enim illa forma miſtionis diſſoluitur: ſed compoſitum illud aliqua re orbatur, quæ ſibi priùs coniuncta erat, anima videlicet. Quare, manente eodem ſubiecto motus vno, & eodem numero; ille quoque motus vnus, & idem numero, atque cõtinuus erit. Nec vlla neceſſitas eſt, cur iſtius motus ſubiectum materiam primam eſſe ſtatuamus; cùm materia prima per ſe, & forma deſtituta, motus haudquaquam capax ſit. Verum igitur ſubiectum erit compoſitum ipſum, in quo, vt motus, ita cætera accidentia proximè recipiuntur. Eadem ſolutione ſoluitur alia ratio, de viui animalis combuſtione: ſi enim viuum animal vſque ad cineres comburatur, admittimus, cõbuſtionem illam, & calefactionem motum eſſe continuum; quia ſubiectum, in quo recipitur, eſt corpus miſtum, quod per illiuſmodi combuſtionem diſſoluitur, atque in cineres vertitur.

Ad ſextum.

Ad ſextum neganda eſt minor. Ad probationem, cùm quęritur, quando ignis calefacit aquã, & calorem educit de potentia ad actum, educat ne illum de potentia aquæ, prout aqua eſt, vel de potẽtia ſolius materiæ? Rñdeo, de potẽtia aquæ, prout aqua eſt. Quòd ſi quis arguat, aquã, prout aqua eſt, calorem renuere. Rñdeo, tunc cõmitti fallaciam æquiuocationis, mutando potentiam in habilitatem, vel, quod aiunt, in aptitudinem.

Non eodem modo educit accidẽs de poteſtate cõpoſiti, quo educitur forma de poteſtate materiæ.

Pro cuius rei maiore declaratione ſciendum eſt, non eo modo educi accidens de potentia compoſiti, quo educitur forma de potentia materiæ: forma educitur de potentia materiæ; tùm quia materia poteſtatem habet illam recipiendi: tùm etiam quia, cùm ex ſe imperfecta ſit, habilitatem habet, & naturalem quandam propenſionem, vt cum illa iungatur, & deficientem ſibi perfectionem nanciſcatur. At verò compoſitum accidens quidem recipiendi poteſtatem habet, etiãſi illud propriæ naturæ repugnaret: habilitatem verò nullam, propterea quòd ſubſtantiale compoſitũ ex ſe perfectum eſt, nec vllam ab accidente perfectionem expectat, ſine qua eſſe non poſſet; quin contrà potius accidens naturalem propenſionem habet, vt in compoſito inſit, tanquam in proprio ſubiecto, & fundamento, ſine quo conſiſtere nulla ratione poteſt. Ad rem igitur noſtram, dum ignis aquam calefacit, non ita agens de potentia ad actum calorem deducit, vt aqua, quatenus aqua eſt, ad calorem recipiendum habilitatem habeat: Sed quia compoſito aquæ caloris ſubiectum fieri non repugnat, ſi admotum ſibi calefaciens ſit.

Ad ſeptimũ.

Ad ſeptimum reſpondendum eſt, maiorem propoſitionem veram eſſe de rebus eiuſdem generis: ideo forma corporis eſt ignobilior anima vegetali, anima vegetalis eſt ignobilior ſentiente, & tandẽ ſentiens rationali: omnes enim iſtæ formæ ſubſtantiales ſunt, atque adeò eiuſdem generis. At verò in formis diuerſi generis, cuiuſmodi ſunt forma ſubſtantialis, & accidentalis, ea propoſitio nullum habet locum. Quinimmò res oppoſito modo ſe habet, propterea quod illa

forma nobilior cenſetur, à qua compoſitum accipit eſſe ſimpliciter , quàm illa à qua accipi t eſſe ſecundum quid: à forma autem ſubſtantiali compoſitum accipit eſſe ſimpliciter, & propterea illa nobilior eſt forma accidentali,quanuis ſit origine prior.

Ad octauum

Ad poſtremum,admittēda eſt maior propoſitio:agens enim, & patiens in materia cōicare debent alioquin actio, & paſſio non eſſet mutua:hincque fit, vt Cælum agat in hæc inferiora, & ab eiſdem non patiatur,quia Cælum,& hęc inferiora non communicant in materia. Minor verò propoſitio,quia calor ignis,& frigus aquæ inuicem agere dicebantur,neganda eſt : non enim calor, & frigus ſunt ea ipſa,quæ agunt,ſed ſunt principia agendi:quæ autem inuicem agunt, ſunt ignis, & aqua,quæ ſuis qualitatibus inter ſe pugnant. Nunc autem admitto,ignem,& aquam in communi ſubiecto conuenire;ex hoc tamen non ſequitur, vt calor,& frigus in materia prima,vt in ſubiecto, proximè recipiantur, vt vir excellentiſſimus eo argumento probare contendit.

*Alterius ſententia fundamentorum euerſio.* **Cap. VII.**

SOlutis rationibus oppoſitæ ſnīæ,eiuſdem nunc fundamenta funditus euertenda ſunt:id, quod facilè præſtabimus,cùm ex iis,quæ iam ſuperiùs dicta ſunt, eorum euerſio planiſſimè pateat. Erat fundamentum Marſilij,totum compoſitum ex materia, & forma eſſe quidem ſubiectum accidentium,non tamen proximum,& vt aiunt,inhæſionis, ſed ſolùm denominationis:primam verò materiam eſſe ſubiectum,in quo proximè accidētia inhærent, atque ita putauit, omnes Ariſtotelis autoritates explicandas eſſe , quibus ſubiectum accidentium eſſe totum compoſitum,docere viſus eſt. Conimbricēſes dicebant , materiam eſſe quidē ſubiectū inhæſionis ipſorū accidētium ; non tn̄ purè, & nudè acceptam ; ſed prout ſubeſt formæ ſubſtantiali, quæ in genere cauſæ formalis externæ materiam reddit idoneam ad accidētia recipienda. Addebat Zabarella tertium fundamentum,dicebatque,formam ad accidentia recipienda concurrere tantummodo,vt neceſſariam conditionem,ſine qua nunquam materia ſubiectum accidētium eſſe poſſet. Omnia hęc fundamēta iiſdem argumentis tolluntur,quibus ſnīa noſtra iam confirmata eſt.

Prima ratio.

Primò,id, quod ſenſibus patet, nulla prorſus eſt ratione negandum:atqui ſenſibus patet, accidētia in toto compoſito recipi,vt manifeſtū eſt in aqua calefacta , in qua tota calor diffuſus eſt, id , quod tactu ipſo quiuis facilè cognoſcere poteſt;ergo nullo pacto dicendum eſt,accidētia proximè in alio ſubiecto,quam in toto compoſito reperiri.

Secunda.

Deinde non eſt materia,quæ agit,ſed compoſitum ipſum: ergo debet habere proprium inſtrumentum,quo agat:inſtrumentum autem eſt accidens;ergo illud proximè in compoſito inhæret , non autem in materia , alioquin proprium eius inſtrumentum non diceretur.

Tertia.

Præterea ſicut materia eſt per ſe in potentia ad formam ſubſtantialem , ita conſtitutum ex materia,& forma eſt per ſe in potentia ad formam accidentalē:ergo ſicut in ſubſtantia materiæ proximè recipitur forma ſubſtantialis;ita in ſub ſtantia cōpoſiti proximè recipitur forma accidentalis;atque adeò forma quoque ad accidentia recipienda,vt concauſa paſſiua concurrit:non ita quidem,vt vnam partem accidētium ipſa recipiat,aliam verò materia,ſed ita,vt compoſitum ex materia,& forma,in ratione cauſæ paſſiuæ,omnia in ſeſe accidentia ſuſtineat,ac deinceps in materia,& forma, tanquàm in eius partibus recipiantur.

Quarta

Denique ſicut anima non poteſt in concretum corpus induci niſi ipſam miſtionis forma præcedat;ita non poteſt accidens in materiam introduci ; niſi pręcedat forma ſubſtantialis : ſed anima in primam materiam proximè non introducitur,ſed in totum corpus,organis inſtructum,tanquàm in adæquatam materiam;ergo & accidentia non in materia prima,ſed in toto compoſito,tanquam in proximo,& adæquato ſubiecto recipiuntur.

*An vllum accidens,quod in re diſſoluta præfuerat,idem numero in re genita maneat.* **Cap. VIII.**

Defenditur pars negatiua.

CVm iam ſtatutum ſit,proximum,& adæquatum accidentium ſubiectum,non eſſe materiam primam,ſed totum compoſitum;patere nunc facilè vnicuique poteſt,in rei naturalis interitu diſſolutionem fieri vſque ad materiam primam,vel quoad formas accidentales;adeò,vt ne vllum quidem accidens,quod in re diſſoluta præfuerat, idem numero in re ge

nita maneat. Etenim Ariſt.in prædicamentis,cap.de ſubſtantia, difertis verbis aſſeruit, fie- Prima ratio.
ri nulla ratione poſſe, vt deſtructis primis ſubſtantijs; earum quicquam incolume maneat;
ſed totum compoſitum eſt prima ſubſtantia; eo igitur diſſipato, omnia pariter accidētia, quę
in ipſo inhærebant, neceſſario delebuntur. Præterea, cùm ſubiectum accidentium ſit totum Secunda.
compoſitum, ſi quod accidens rei diſſolutæ in re genita manet, vt ex.gra.calor aeris in igne;
ergo accidens de ſubiecto in ſubiectum migrabit, quod ab omnibus rectè philoſophantibus
abhorret. Huc accedit, quòd ex 1.de generat.tex.23. interitus eſt mutatio totius in totum, Tertia.
nullo ſenſibili ſubiecti loco manente: ſi autem re intereunte, non omnia illius accidentia pe-
rirent, tunc poſt eius interitum idem ſenſibile ſubiectum maneret. Denique ſubiectum gene Quarta
rationis, vt 1.Phyſ.& 1.de Ortu, & interitu, multis in locis Ariſt.docet, nihil eſt aliud, niſi ma
teria nuda; ergo forma ſubſtantialis, adueniens, nullum prorſus accidēs in materia reperiret.
Sed contra hoc videtur eſſe apertiſſima Ariſtot.autoritas 1.de Generat.tex.24. vbi ita ſcri- Notabilis obiectio.
bit, *Si qua maneat affectio eadem, vt frigiditas, & perſpicuitas*, quibus verbis expreſsè doce-
re videtur, eadem prorſus accidentia in re genita permanere, quæ in re diſſoluta præfuerant.
Cuius quidem obiectionis facilis eſt ſolutio. Primò non dixit Ariſto.abſolutè, eandem affe Solutio.
ctionem in re genita, & diſſoluta manere, ſed ſub conditione locutus eſt, ijs verbis, *Si qua ma* Explicat locus Ariſto. 1. de Generat. tex.24.
*neat affectio, &c.* Deinde non definiuit, maneat ne eadem affectio numero, an ſpecie, vel ge-
nere; ideo dicere poſſumus intellexiſſe Ariſt. in re genita, & diſſoluta eandem manere affe-
ctionem, ſecundum genus. Et hoc certè euidentiſſimum eſt: nam cum ex aqua ſit aer, manet
quidem in aere perſpicuitas, & humiditas, non quidem perſpicuitas, & humiditas aquę, quia
hęc accidentia vna cum aqua interierunt, ſed perſpicuitas, & humiditas aeris, quæ illius for-
mam ſubſtantialem conſequuntur, ſuntque eiuſdem generis cum perſpicuitate, & humidita-
te aquæ. Porrò ſecundum hęc accidentia, nullam in eo textu Ariſt. aſſerit factam eſſe tranſ-
mutationem, in aeris generatione; propterea quod generatio illa ad formam ſubſtantialem
aeris terminatur, & eo ipſo temporis momento, quo adeſt forma aeris, ad ſunt etiam huiuſ-
modi accidentia, quæ illam neceſsariò conſequuntur, & in toto aeris compoſito proximè
accipiuntur.

# QVOMODO MANEANT ELEMENTA IN MISTO.

## Diſputatio Decimanona.

### *Quid agendum in hac diſputatione.* *Caput Primum.*

Miſtio quid ſit.

CVM Ariſtoteles in poſtrema parte primi libri de Ortu, & interitu, de miſtione diſſerendum propoſuiſſet, cùmquè docuiſſet, quæ nam conditiones miſtioni neceſſariæ ſint, quæque idonea aptave eſſent, vt miſceantur, vniuerſum tandem ſermonem, quinimmò totum primũ eius operis librum, hac definitione concluſit, *Miſtio eſt miſtibilium alteratorum vnio.* Definitio ſanè clara, & aperta ijs omnibus, quibus curæ eſt, nudam, ſimplicemque rerum veritatẽ, dimiſſis inanibus contentionibus, perdiſcere. Obſcura tamen ijs, quibus quædam contradicendi vis in animo ſemper natura inſita eſt: qui dum res difficiles explicare nituntur, ipſam potius veritatem veluti in tenebras demergunt, maximamque intellectui caliginem offundunt. Ex hac definitione, atque ex ijs pariter, quæ in calce 84. contextus eiuſdẽ libri Ariſt. ſcripſit, perdifficilis illa quæſtio, de modo, quo elemẽta maneant in miſto, originem duxit: quæ quidẽ excellentium cuiuſuis ordinis Philoſophorum ingenia mirum in modum exercuit, qui hac de re tàm variè, tantaque diſſenſione diſputarunt. Hanc igitur quæſtionem, à tot viris eruditiſſimis agitatam, ſatiſque adhuc complicatam, ipſe quoque pro viribus euoluere decreui: non alio ſanè conſilio, niſi vt oſtendam, eos omnes in maxima rerum ignoratione verſari, qui, vetere abiecta philoſophia, portentoſam quandam opinionem, hiſce tẽporibus ſatis celebrem, atque vniuerſam philoſophiam perturbantem, defendendam ſuſcipiunt. Pernece ſſarium eſt philoſopho, has res quas cernimus, ex elemẽtis conflatas, continuò tractanti, ſcire, quo nam pacto quatuor illa rerum initia ad hæc concreta corpora conſtituenda concurrãt, ſolis ne viribus, eorum tandem ſubſtantijs intereuntibus. An ſubſtantiarum, atque pariter qualitatum, citra vllum interitum, perfuſione? An potius non omnino quidẽ eorum formis extinctis, ſed tamen aliquam ſubſtantiæ iacturam ſolummodò perpeſſis? facilè opinor, erit huius rei veritatẽ ijs omnibus obtinere, qui nullius autoris beneuolẽtia obcęcati, liberum, apertumque rationibus aditum patefecerint. Ordo aũt in hac diſputatione ſeruandus, is erit. Primum opiniones præcipuas, quæ de re propoſita circunferuntur; breuiter in medium adducam. Mox in Auerrois ſnĩa excutienda totus ero: & quoniam illam arbitror à veritate penitus alienã, falſaque eſſe, atque abſurda fundamẽta illa, quibus eadem & à Iacobo Zabarella, & ab alijs defenditur; propterea aduerſus Iacobum Zabar. potiſſimùm diſputabo, maximumque Auerrois fundamentum euertere nitar. Deinde Auicennæ ſententiam, quam probabiliorem exiſtimo, & explicabo, & rationibus confirmabo: cuius quidem confirmatione, & explicatione Latinorum ſententiæ falſitas apparebit. Demum, quia inter cætera argumenta, quæ Auicennæ ſententiam oppugnare videntur, ea præcipuè, quæ ab Scoto proponuntur; maximam vim, & efficacitatem præſeferunt; idcirco ea potiſſimùm, & ſi quæ erunt eius generis alia, diluere conabor: his enim abſolutis, perfectam huius arduæ, ac perdifficilis quæſtionis notitiam tradidiſſe videbor.

Vnde ortum ducat diſputatio hæc de miſtione.

Huius diſputationis neceſſitas.

Ordo in diſputatiõe ſeruandus.

### *De elementorum miſtione opiniones præcipuè.* *Cap. II.*

ERgo de modo, quo elementa ſeruantur in miſto; ijs nunc omiſſis, quæ veteres naturæ interpretes prodidere, tres ſunt opiniones præcipuę: vna eſt Auicennæ: altera Auerrois: tertia Latinorum, atque potiſſimùm Scoti. Auicẽna multis quidem locis, ſed præſertim libr. 1. Sufficientiæ cap. 10. & 11. arbitratus eſt, elementa, fractis tantummodo ſubſtantijs, qualitatibuſque repreſſis, non item extinctis, atque omnino diſſolutis, ad miſti procreationem concurrere Suboſcura eſt hæc ſnĩa, propterea quo facilius ĩtelligatur, aliqua indiget explicatione. In elemẽtis duo præcipue conſideranda ſunt: alterũ eſt elemẽtum ipſum, ex materiæ, ſubſtantia-

Opinio Auicennæ.

Eiuſdem opinionis explicatio.

ſtantialiſque formæ concretione conſurgens; alterum eſt qualitas prima, quæ veluti propria affectio, à toto conſtituto proficiſcitur, ſubſtantialemque formam elementi conſequitur (non enim cenſuit Auicenna, primas qualitates eſſe formas ſubſtantiales elementorum) Iam verò quod ad elementa attinet, cùm paribus quodammodo viribus ad miſtum conſtituendum cõcurrunt, exiſtimauit Auicenna, mutua eorum actione, inter ſe frangi, & minuratim concidi, adeo vt totæ elementorum ſubſtantiæ in perexiguas particulas redigantur; ſub quibus tamẽ propriæ ſubſtantiales formæ conſiſtere poſſint. Hæ autem perexiguæ particulæ ita ſe habẽt in miſtione, vt vnius elementi particula alterius elementi particulæ cohæreſcat, & ſic viciſſim; ſuntque huiuſmodi particulæ inter ſe adeo permiſtæ, atq; cõfuſæ, vt ne Linceus quidem aliquam amplius aut ignis, aut aeris, aut aquæ, aut terræ particulam diſtinctè percipere poſſet. Vt igitur elementorum ſubſtantiæ inter ſe optimè coiuerunt, ſtatim comparet miſtum; habens quidem naturam ab elementis diſtinctam; re vera tamen incolumes elementorum ſubſtantias, ita, vt dixi, conciſas in ſe ipſo includens. Ad qualitates verò quod attinet, putauit idem autor, eas inter ſe perfectè quidem miſceri; nequaquam tamen ex mutua earum actione omnino diſſipari, aut extingui; alioquin miſtum qualitatibus vacuum, atque nudum manere neceſſe eſſet: ſed, repreſſa duntaxat earum exuperantia, ad moderationem quandam, & temperationem reuocari; atque ita miſtum hac qualitatum conformatione gaudere. Hæc fuit Auicennæ ſententia, quæ vetuſtiſſima eſt: nam e Stoicorum Schola profecta fuiſſe dicitur; & Anaxagoræ, Empedoclis, &, vt aliquibus placuit, Platonis etiam decretum extitiſſe videtur: tametſi veteres iſti philoſophi non ita ſuas ſententias explicarint. Sed de illis quoquo modo ſe res habeat, eandem ſententiam ex recentioribus philoſophis Io. Fernelius lib. 2. Phyſiologiæ c. 6. 7. & 8. Archangelus Mercenarius in ſuis dilucidationibus pag. 225. & Franciſcus Bonamicus lib. 8. de Motu c. 50. amplexati ſunt: neque inter Latinos interpretes Magnus Albertus 1. lib. de Generatione, & interitu tract. 6. c. 5. ab eadẽ receſſiſſe viſus eſt. Auer. cùm lib. 1. de Ortu, & interitu, com. 90. tùm tertio lib. de Cælo, com. 67. putauit cum Auicenna elementa, repreſſis quidem qualitatibus, & ad moderationẽ quãdam redactis, ad miſti procreationem concurrere; hoc tamen ab eo diſſentit, quòd mutua elementorum actione, non qualitates ſolùm, verùm etiam formas ipſas ſubſtãtiales reprimi, atque retundi ex eiſque, ita repreſſis, miſtum denique coaleſcere exiſtimauit. Non dubitauit autem Auer. aſſerere, ſubſtantiales elementorum formas, qualitatum inſtar, intendi, atque remitti poſſe; propterea quod, illas ancipitis cuiuſdam naturæ, atque inter formas ſubſtantiales perfectas, & accidentia medias eſſe, iudicauit. Hæc ſententia hiſce temporibus communior eſſe videtur: eam enim complures Peripatetici ſecuti ſunt, præſertim Zimara theoremate 27. tam etſi probabilem quoque Auicennæ ſententiam exiſtimarit. Alex. Achil. lib. 2. de Elementis art. 3. Iandunus 6. Phyſ. q. 4. Sueſsanus 11. Metap. diſput. 4. Flaminius Nobilius 1. de Generatione, Piccol. lib. de Miſtione c. 9. Videtur etiam hæc ſententia fuiſse Io. Gram. in fine 1. lib. de Generatio. & interitu; cui ex Scholaſticis Doctoribus ſcripſit Io. Bachonus lib. 3. Senten. d. 16. q. 1. à quo parùm diſtat Aureolus. Sed inter cęteros philoſophos, Iacobus Zab. vir excell. & à me ſemper magno in honore habitus, toto lib. de Miſtione, huius opinionis explicatorem, acerrimumque propugnatorem ſe prębuit. Latini interpretes opinati ſunt non ſolùm ſubſtantiales formas, verùm etiam qualitates ipſas, quotieſcunque ex elementorum coagmẽtatione miſtum procreatur, penitus interire: cùm enim vnius rei diſſolutio ſit alterius generatio, exiſtimarunt, in elementorum congreſſu, ſubſtantiales corũ formas prorſus extingui, atq; ex illarum extinctione, nouã ſtatim miſti formã, ab illis diſtinctã, exoriri. Qualitates pariter, dum inter ſe pugnant, tandem obliteſcere, nouamque qualitatem, ab eis ſeiunctam, emergere dixerunt, quæ miſto, recens orto, propria fiat. Nil ergo aliud aſſerũt, miſtum in ſe continere, niſi materiam primam, quæ etiam ſubſtantialibus elementorum formis ſubſternebatur; atque rurſus ipſaſmet elementorum vires, quibus miſti forma, ad ſuas edendas operationes, veluti proprijs continenter vtatur. Hanc ſententiam S. Tho. opuſculo 33. Herueus, Capreolus, Caietanus, Gregorius Arim. Aegidius, Io. Maior, Ochamus, Marſilius, Albertus de Sax. Ludouicus Buccaferreus, & alij recentiores Scholaſtici comprobarunt. Sed præcipuus eius defenſor fuit Io. Scotus lib. 2. Sent. diſt. 15. q. vnica, cum quo potiſſimùm diſputaturi ſumus. Hæ ſunt præcipuæ ſententiæ, quæ de hac quæſtione hactenus emerſerunt.

Elemẽtorum ſubſtãtiæ nõ pereũt in miſto ſecũdum Auic. ſed tantùmodo franguntur.

Elemẽtorum qualitates repreſſa tamen earum exuperantia ſeruãtur in miſto.

Recentiores philoſophi q Auic. ſententiã ſecuti sũt. Io. Fernelius. Arch. Merce. Franc. Bona.

Hanc etiam approbauit quoque Magnus Albert.

Opin. Auer. Vt elementorũ qualitates ita eorundẽ ſubſtantię in miſto ſecundum Auer. reprimuntur.

Auerroicę ſententiæ ſectatores, quę vñ etiam fuiſſe Io. Gramm. Zimara. Alex. Achill. Iandunus. Sueſſanus. Flam. Nobil. Fran. Piccol. Io. Baccon. Aureolus. Zabarella.

Opinio Lat. Tàm ſubſtantiales formæ quàm eorum qualitates, in miſti procreatione, iuxta Latinorũ ſententiã penitus obliteſcere.

S. Thom. Herueus. Capreolus. Caietan. Greg. Arim. Aegid. Rom. Io. Maior. Ocham. Marſilius. Alb. de Sax. Lud. Buccaf.

Scotus acerrimus huius opinionis defenſor.

*Autoris opinio à Iacobo Zabarella explicatur, fundamentiſque ſtabilitur.* *Cap. III.*

NVnc paulò diligentiùs ſingulas expendamus,& videamus,quæ nam illarum magis cũ veritate conſentiat. Verſabimur primùm in Auer.opinione,quam præ ceteris Iacobus

Elicit hic ſuc cum opinionis Auerrois.

Zabarella defendendam ſuſcepit,eandem aliquibus fundamentis muniuit. Auerroes igitur, vt & miſtionem propriè dictam,& miſti etiam vnitatem ſeruaret, contra Auic.elementorũ formas intẽdi,atque remitti,eaſdemque fractas,& caſtigatas,in miſto ſeruari putauit; ita vt ex omnibus forma quædam media fiat,quam etiam media qualitas,ex congreſſu,mutuaque alteratione,& caſtigatione excellentiarum qualitatum elementariarum orta,conſequatur. Sic igitur miſti vnitas primùm ſeruatur;cùm vnicam tantum formam poſſideat. Deinde verò eiuſdem miſti generatio,quæ alteratio nequaquam eſt: cùm ſubſtantiales elementorum formæ integræ non maneant,ſed eædem,aliquo gradu dimiſſo,in miſti formam degenerent, in quo nec ignis,nec aer,nec aqua,nec terra conſpicitur,ſed totum,ex illis iam conſtitutũ,aut ferrum,aut aurum,aut aliud quippiam exiſtere incipit. Non eſt pariter miſtio plurium rerũ coaceruatio:quoniam in miſto quatuor elementorum formæ non amplius conſpiciuntur; ſed tertiæ potius cuiuſdam naturæ,ac ſubſtantiæ vnio fit,per mutuam elementorum alterationem. Tandem quælibet pars miſti,ſic conſtituti,eſt miſta; cùm in qualibet eadem miſtionis forma reperiatur.

Nota mõſtrũ I philoſophia ab Auerroe inductum.

Cæterùm quia Auer. vt ſuam hanc opinionem defenderet, quoddam veluti monſtrum in philoſophia inducere coactus eſt, nimirum elementorum formas à ſubſtantiarum dignitate detorquendo,ponendoque illas,ceu qualitates,intendi, atque remitti, quod ſubſtantiæ penitus aduerſatur; ideo Iacobus Zab.nonnullas diſtinctiones excogitauit, quibus & Ariſtotelicam illam propoſitionem explicaret, qua dicitur ſubſtantiã non ſuſcipere magis,nec minus;& Auer.ſententiam defenderet,quæ Ariſtotelicæ illi propoſitioni omnino repugnare videbatur.

Primũ Zabarellæ fundamẽ pro Auer.opinione tuenda.

In eo igitur libro,quem de miſtione edidit,c.7.elicit 1.ex Auer. 10. Metaph.com.23.6. Phyſ.com.92.& 3. Meteor.capite de Iride,hanc medij diſtinctionẽ. Medium,inquit,duplex eſt,alterum per abnegationem,alterum per participationem extremorum. Primum eſt ſicut lapis,qui neque ſanus eſt,neque æger:ſed hoc medium nihil ad rẽ noſtram. Alterum medium adhuc eſt duplex,vnũ,quod ſpecie ab vtroque differt extremo; & hoc propriè dicitur medium,vt rubrum,quod medium eſt inter album,& nigrum. Alterũ eſt medium,quod ab altero extremorum ſpecie non differt,vt ſi multo albo parum nigri miſceatur,remittitur quidem albedo,& fit minus album:ſpecies tamen albedinis non mutatur, quia adhuc vocatur album,licet ſit minus album,quàm priùs,& hoc inter nigrum & purum album medium quodammodo dicitur,ſed impropriè;quia re vera non eſt niſi album. Ex hac

Secundũ fundamentum.

diſtinctione hanc aliam elicit. Propriè loquendo,differunt intendi,& remitti,atque ſuſcipere magis,& minus:nam intendi,& remitti eſt quid communius,latiuſque patet, quàm ſuſcipere magis,& minus:& ratio eſt,quia remiſſio,puta albi,poteſt eſſe & abſque variatione, & cum variatione ſpeciei:ſed magis,& minus non variant ſpeciem. Si igitur intenſio, & remiſſio fiat ſine variatione ſpeciei;tunc medium conſtituit, quod ſpecie ab altero extremorũ nõ differt;& hoc propriè eſt ſuſcipere magis,& minus. At verò ſi fiat cum variatione ſpeciei;tũc medium conſtituit,quod ab vtroque extremorum ſpecie differt;& hoc non eſt propriè ſuſcipere magis,& minus. Hac poſita diſtinctione,huiuſce quæſtionis veritatem ita Zabarella ſe

In quo conſiſtat Zabarellæ defenſio.

concludere exiſtimauit. Si intendi,& remitti ſine ſpeciei variatione accipiatur,& quatenus idem eſt,ac ſuſcipere magis,& minus;tunc nulla ſubſtantia,ſiue ſimplex illa ſit,ſiue compoſita,ſiue perfecta,ſiue imperfecta,intendi,remittive poteſt:& hoc modo Ariſtoteles in prædicamentis,c.de ſubſtantia intellexit,dum,ſubſtantiam non ſuſcipere magis, nec minus aſſeuerauit. Si autem intendi,& remitti cum variatione ſpeciei accipiatur;tunc nihil abſonum eſt, ſi aliqua ſubſtantia remittatur:hoc autem modo aſſerit, ſubſtantiales elementorum formas remitti poſſe,ea:ſ.remiſſione,qua ſpecies variatur. Quò autem res faciliùs intelligatur,exemplum adducit:nam forma ignis & remitti,& aliquem gradum amittere poteſt: ſed ea remiſſio fit neceſſariò cum mutatione ſpeciei;quoniam fit aliorum elementorum contrariorũ admiſtione,qua alia quoque elementa ſimiliter remittuntur; & ex ea remiſſione deſinunt eſſe ignis,aer,aqua,terra,nouaque ſpecies,vt caro,vel aurum exoritur, quod rectè ab Ariſt. medium à miſtibilibus diuerſum appellatum eſt. p. ipſum miſtum,quod ab extremis,puta ab ele-

mentis ſpecie diuerſum eſt. Elicit deinde Zab. miſti formam nil aliud re ipſa, quàm collectionem quandam plurium graduum formarum elementariarum eſſe, quibus noua, vt ipſe ait, formalitas acceſſit, quæ formaliter ab elementorum formis diuerſa eſt; quoniam formalitas miſti non elemētum quidem, ſed miſtum conſtituit, eique aliud eſſe, ſpecificum tribuit. Vult igitur celeberrimus iſte Doctor, elementa in miſto formaliter manere, hoc eſt, elementorum formas in miſto, vt ipſe aſſerit, ſecundum ſuas realitates, non tamen ſecundum formalitates aſſeruari; ſuas enim, inquit, excellentias amittunt, & in miſto tantummodo ſecundū aliquot earum gradus continentur: lætatuſque eſt, hanc eandem Auer. ſententiæ explicationem, & defenſionem, Doctoris quoque Reſoluti Io. Bachonis extitiſſe. Tandem notat, aliam eſſe remiſſionem formarum elementariarum, & aliam eſſe remiſſionem qualitatum: nam qualitates recipiunt magis, & minus, & vtraque remiſſione remitti poſſunt, tam ea, quæ fit cum variatione, quàm ea, quæ fit ſine variatione ſpeciei: quoniam aer quandoque magis, quandoq; minus calidus eſt; & tam acrior, quàm debilior ille calor, aereus calor appellatur: vterque. n. eſt eiuſdem ſpeciei. Secus autem eſt de ſubſtantiali ipſius aeris forma: ipſa enim remitti quidem poteſt; ſed tamen cum variatione ſpeciei, quia, aliquo gradu dimiſſo, non eſt amplius forma aeris, ſed in alicuius miſti formam delabitur; & propterea remiſſionem in qualitatib. factam, non ſemper remiſſio, in forma ſubſtantiali facta, conſequitur. Hæc eſt Zab. opinio, ſeu potius Auerroicæ ſententiæ defenſio, & explicatio; quam fideliter, & ſedulò percēſui, quò etiam faciliùs, & liberiùs eandem refellere poſſim.

Tertium fundamentum.

Quartū fundamentū.

## *Zabarellæ defenſio quò ad priorem partem reijcitur.* Cap. IV.

NEſcio, vtra maiore animaduerſione, dignior ſit, an Auerrois ſnīa de formarū illo genere, quas inter perfectas ſubſtantiales, & accidētales, medias appellauit; an potius noua hæc Zabarellæ excogitatio, qua ipſam totis viribus defendere conatus eſt: vtrâque certè quicunque libera, ſolutaque mēte ad contemplandum acceſſerit parum conſtantē iudicabit. Cū Auerroe parua nobis dimicatio eſt: nos. n. quoque ſubſtantiales elemētorum formas re ipſa in miſto contineri defendimus: hoc vno ab eo diſſentimus, quod ipſe ſtatuerit, formas illas, tametſi verè ſubſtantiæ ſunt, quoſdam nihilominus gradus habere, qui in elemētorum pugna, atque congreſſu, remittātur. Placitum hoc dubio procul tanquam inane, & à ſolida philoſophia alienum doctiſſimi quique viri abiecissent, niſi illud Iacobus Zabar. minutis quibuſdam ſubtilitatibus, ſed tñ valde apparētibus, & magnam efficacitatem præſeferētibus, roboraſſet. Si igitur nos, has ipſas ſubtilitates veritatis malleo reſiſtere non poſſe, oſtēderimus, è doctis viris certè nullus exiſtet, qui aut Auerrois ſnīæ adhæreat, aut illius partes tueatur. Iam verò Zabar. defenſio duo præcipua capita continere vī, quæ à nobis ſingillatim expendētur, atque ēt ordine reijcient. Alterū eſt, intēdi, & remitti, non eſſe idē, ac ſuſcipere magis, & minus; ſed eſſe quid cōius, & latius: fieri. n. quādoque cum variatione, interdum ſine variatione ſpeciei; & propterea elemētorum formas non eas quidem eſſe, vt propriè ſuſcipere magis, & minus dicantur, ſed vt in miſto, cum ſpeciei mutatione, remittātur. Alterum eſt, elemētorum formas non ſm ſuas formalitates, ſed dūntaxat ſm ſuas realitates in miſto manere. Contra primum caput hanc ſtatuo concluſionē; Intendi, & remitti, idem omnino eſt, ac ſuſcipere magis, & minus. Quam quidem concluſionē ſic probo; intēſio, & remiſſio non fit, niſi ſm gradus quemadmodum ipſemet Zabar. teſtatur, & eſt veritas, cōi omnium ore celebrata: ſed vbicunque eſt pluralitas graduum, ibi eſt intenſio; vbi minoritas, ibi remiſſio; ergo intendi, & remitti idem omnino eſt, ac ſuſcipere magis, & minus. Confirmemus exemplo: habet ignis calorem ſummum, atque intenſum; aer calorem debilem, atque remiſſum: pōt ignis fieri minus calidus ſi qui caloris gradus ab eo deducantur: pōt item aer magis calidus fieri, ſi ipſi aliqui gradus caloris adiungantur: fiet igitur aer magis calidus intenſione; & ignis minus calidus, remiſſione: ex quo planè ſequitur, intēdi, & remitti idem prorſus eſſe, ac ſuſcipere magis, & minus. Audio Zabar. reſpondentem, ſuſcipere magis, & minus idem vtique eſſe atque intendi, & remitti; non licere tñ oppoſitum inferre; quia intendi, & remitti qñque fit, ſine variatione ſpeciei, & tunc idem eſt, ac ſuſcipere magis, & minus: quandoque fit, cum variatione ſpeciei, & tunc non eſt idem. Hæc rñſio adeò multorum intellectibus adhæſit, vt illam tanquam veritatis normam, & certam quandam regulam conſequantur, nec eam confutare exigui eſt operis,

Quid diſpliceat ī opinione Auerr.

Zabarellę defenſio duo pcipua continet capita.

Primum caput.

Alterum caput.

Autoris cōcluſio cōtra primum caput.

Exemplum.

Zabarellę reſponſio, quæ iam communis facta eſt,

ris,& muneris:curabo tñ, Deo annuente,id præſtare,quod iam pollicitus ſum. Vt añt videa-

Zabarellæ inconſtãtia in ꝑprus dictis

mus,in quo præcipuè vis huius reſponſionis conſiſtat,ſcire decet, Iacobum Zabarellam hac in re nõ ſibi ipſi conſtitiſſe,ſed modò hoc,modò illud affirmaſſe. Interdum dixit,elemẽtorum formas ita remitti,vt aliqui earum gradus auferantur, illaſque tantummodo cum aliquibus gradibus remanere;ita tamen,vt ſpecies varientur. Interdum dixit,illas in indiuiſibili conſiſtere,quendam tamen determinatum ſuarum qualitatum gradum habere:cum autem qualitas latitudinem habeat, non ex cuiuſlibet gradus qualitatis amiſſione, formæ remiſſionem fieri,ſed ſolùm,cùm ille gradus amittitur,quem forma neceſſariò expoſcit,tuncque forma,cũ ſpeciei variatione,remittitur. Hoc totum dixit Zabarella,cap.7. multis in locis: & volui ego hanc eius explicationem,& reſponſionem afferre,quò eam diſtinctius vtrinque reijcere poſ-

Zabarellę reſponſio Auerr. potius opinionẽ euertit, quàm defendat.

ſim,ne vllus ipſi,aut eius ſectatoribus locus relinquatur,ad quẽ confugiant. Dico igitur primùm, hanc Zabarellæ reſponſionem Auerrois potius ſñiam euertere, quàm tueri. Accipiamus primam partem,nimirum formas elementorum habere gradus, qui cum ſpeciei variatione remittãtur. Cõtra argumentor ſic;Omne,quod eſt altero poſterius,eſtque illi(vt aiũt)

Contra primam partem Ratio prima.

eſſentialiter annexum,illud neceſſariò ponit,& indicat : ſed gradus eſt poſterior forma, eſtq; illi eſſentialiter annexus;igitur gradus ponit,& indicat formam, cuius eſt gradus: ſi ergo, vt ait Zabarella,forma ignis duntaxat ſecundum aliquos gradus manet in miſto:cum iam ſuam excellentiam amiſerit; ſequitur,ſpeciem ignis non eſſe mutatam;gradus.n.formę ignis neceſſariò exigit, & indicat formam ignis : falſum eſt igitur dicere, formam ignis in miſto remitti

Ratio ſecunda.

cum variatione ſpeciei. Præterea ſi hoc,quod eſt intendi,& remitti rectè percipiamus;inuenicmus,nunquam id cum ſpeciei mutatione fieri poſſe:vel ſi fiat;ita certè in accidentib.fiet,

Intendi, & remitti q̃d ſit.

ſicut ponit Zabarella,fieri in ſubſtantialibus elementorum formis.Quid enim,obſecro,eſt intendi?nihil profectò aliud,niſi formam acquirere aliquem gradum, quem priùs non habebat:& remitti eſt,formam deſerere aliquem gradum,quem priùs poſſidebat:at verò formam deſerere,aut acquirere aliquem gradum,non eſt,formam deleri,& in aliam ſpeciem conuerti,ſed eſt,formam eandem cum maiori,vel minori gradu manere. Quòd ſi qua inſignis graduum remiſſio fiat,quam ſpeciei remiſſio conſequatur;non magis hanc ſubſtantijs,quàm accidentibus contingere video. Etenim ſumo calorem quatuor graduum : huic ſi notabile frigus opponatur,auferetur primùm ab eo vnus gradus,& manebit nihilominus calor : deinde verò fiet eiuſdem remiſſio quo ad ſecundum,&. poſtea quo ad tertium,ſemper tamen erit calor,dummodo aliquem gradum obtineat:tandem ſi vrgente frigore, omnis caloris gradus aboleatur;tunc,cum variatione ſpeciei,caloris remiſſio fiet;quia nõ manebit amplius calor; ſed quod calidum erat,frigidum fiet. Quòd ſi ita in ſubſtantijs fit,vt exiſtimat Zab. hæc certè non erit remiſſio,ſed abſoluta formæ deſtructio,& abolitio. At hoc dicere, eſt Auer.ſententiam penitus euertere;quia ſi in miſto elementorum formæ,cum ſpeciei mutatione,remittũtur;ergo elementa in miſto ſecundum ſuas formas non ſeruantur,ſed pereunt,& in miſti ſpeciem conuertuntur,quæ eſt Latinorum opinio. Vel ſi cum aliquibus gradibus maneant; cũ ſuis pariter formis,quas illi gradus neceſſariò exigunt, permanebunt,vt iam probatum eſt;at-

Reſpõſio ex Zabarel. fundamentis eliçita.

que adeo cum ſpeciei mutatione non remittuntur. Dicet forſan Zab.non eſſe parem accidentalium,& ſubſtantialium formarum rationem,quod ad graduum remiſſionem attinet: quia formæ accidentales,cùm omnino remittuntur,non manent cum aliquibus gradibus,ſub alia ſpecie;ſed prorſus pereunt:at verò ſubſtantiales elementorum formæ, cum aliquibus gradi-

Confutatio.

bus ſub alia ſpecie manere poſſunt. Sed hæc reſponſio difficultatem non aufert: nam aut iſti gradus,qui manent in formis elementorum,quæ iam ſua iura, vt ita dicam,amiſerunt, ſunt ipſarum formarum proprij,puta aeris,ignis,& ſic de alijs:aut ſunt gradus corporis miſti. Si formarum;ergo ſuas formas ponunt,atque ita nulla ſpeciei mutatio facta eſt, vt arguebam priùs. Si corporis miſti,recens orti;ergo elementa in miſto,ſecundum formas refractas, non manent,vt Auer.exiſtimauit;ſed pereunt,& in miſtum conuertuntur,vt aſſerit Scotus. Rurſus formæ accidentales,ſi aliquos habeant gradus;æquè permanent,vt ſubſtantiales: ſubſtantiales verò,ſi nullum habeant gradum,pereunt,ſicut accidentales : ergo vtrobique par ratio

Contra ſecũdam partem rñſionis Zabarellæ.

eſt. Sed ad alteram reſponſionis partem veniamus:cùm enim rem hanc vir doctiſſimus paulò intimius contemplatus eſſet;ne gradus in ſubſtantialibus formis ſtatueret, illas cum Ariſtotele in indiuiſibili conſiſtere affirmauit:formam tamẽ tunc remitti aſſeruit, cùm ei gradus

illum

illc qualitatis adimitur, cui erat addicta. Si ita eſt, Excell. Zabarella, iam conferamus manus: non eſt hæc Auerroicæ opinionis defenſio, ſed acerrima eiuſdem impugnatio. Primò iã confiteris, non manere amplius formam, cùm ille gradus qualitatis tollitur, cui erat addicta, ſed remitti: at verò hoc remitti, quid aliud eſt, quàm diſſolui, & aboleri? Non manebunt igitur elementa in miſto ſecundum formas, gradus aliquos tenẽtes, ſed eorum formæ penitus deſtruẽtur. Deinde hęc reſponſio dictis Auer. conſentanea non eſt: nam Auer. arbitratus eſt, has ſubſtantiales elemẽtorum formas mediam quandam naturam inter perfectas ſubſtantiales formas, & accidentales, obtinere: at verò id, quod aſſerit Zabarella, omnibus formis ſubſtantialibus, vel perfectiſſimis eſt cõmune. Quod ſic probo; conſideremus animal, vt ex. grat. bouem: anima ſentiens in boue temperationẽ quandam qualitatum expoſcit, vt illa remota, amplius in animali conſiſtere nequeat; quẽdam. n. caloris gradum exigit, & humoris, quo ablato, ipſa ſtatim pereat neceſſe eſt. Quod autem de ſentiente anima dicitur, idem de omnibus alijs formis dicendum eſt: omnes. n. certum, & determinatum alicuius qualitatis gradũ expoſcunt. Quòd ſi elemẽtorum formæ alicui certo qualitatis gradui addictæ ſunt, quo ablato, ipſæ ſtatim euaneſcant, ſpeciemque mutẽt; iam planè ſequitur, illas à perfectis formis minimè diſſidere, neque mediam illam naturam, quam excogitauit Auerroes, obtinere.

Prima ratio.

Secunda rõ.

*Reÿcitur Zabarella defenſio quo ad partem poſteriorem. Cap, V.*

SEd dicet fortaſſe Zabarella mutationem ſpeciei, in elemẽtorum formis, non ſic eſſe intelligendam, vt penitus formæ pereanr; ſed hoc pacto, quia. ſ. formæ illæ ſuas excellentias amittunt, atque ſecundum ſuas realitates. i. ſecundum aliquos gradus, non ẽt ſecundum ſuas formalitates in miſto ſeruantur. Hoc erat alterum capur defenſionis eius, quod facilè quidẽ abſcindi poſſet, oſtẽdendo tantummodo, illud ſuis ipſius dictis non conſentire. Priùs. n. dixit, ſubſtantiales elemẽtorum formas in indiuiſibili conſiſtere: nunc aũt aſſerit, eaſdem formas gradibus præditas eſſe. Sed libet nihilominus hoc eius fundamẽtum minutatim euertere, oſtẽdereque, huiuſmodi reſponſionem potius voluntariam, quàm neceſſariam eſſe: quod vt faciliùs præſtare poſſimus, nonnulla priùs notare operæpretium eſt. Primùm, in quocũque elemẽto hæc potiſſimùm reperiri, materiam, formam, qualitatem, gradus qualitatis: addamus ẽt in Zabarellæ gratiam, & Auerrois, id, quod nullo modo verum eſt, ſed tñ commodiorem, facilioremque reddet diſputationem, nimirũ gradus ipſius formę: adeſt etiam quantitas elemẽti; ſed hæc modò nihil ad rem noſtram. Deinde, gradum alicuius formæ, abſque propria forma, conſiſtere nequaquam poſſe (vt. n. antè dictum eſt) nunquam poſterius ſine ſuo priori, cum quo eſt naturaliter, & eſſentialiter coniũctum, reperiri põt; & propterea nunquã dabitur gradus caloris, abſque calore: hoc. n. contradictionem inuoluit. Poſtea, quanuis forma in plures gradus diuiſibilis, ſine aliquo gradu conſiſtere queat; eam tamen abſque omni gradu ſimpliciter eſse non poſse: quo fit, vt à gradu ad formam bona ſemper cõſecutio ſit, ſic arguendo: ibi eſt gradus albedinis; ergo eſt albedo. Põt igitur albedo abſque hoc, vel illo gradu exiſtere; nihilominus ſi exiſtit, terminatque viſum, neceſse eſt, vt aliquem ſaltem gradum teneat, qui ſibi quodammodo naturalis eſt; quique ideo gradus appellatur, quia forma illa ad intenſionem, hoc eſt ad vlteriorem gradum recipiendum, apta, nataque eſt. Cùm aũt albedo illa ſatis remiſsa appareat; idcirco infimum gradum ea dicitur obtinere. Quòd ſi eadem intendi non poſset, tunc gradus ille ad albedinem comparatus non magis gradus, quàm forma appellaretur; quanuis ſi ad albedinem, in aliquo alio ſubiecto exiſtẽtem referatur, gradus quoque nuncupari poſſit. His notatis, ad Zabarellam, vnde digreſſi ſumus, reuertamur, à quo libentiſſimè diſcerem, quid ſit, elemẽta in miſto ſecundum ſuas realitates, non ẽt ſecundũ ſuas formalitates manere? Dicet fortaſſe, ſuis fundamẽtis innixus, nihil aliud hoc eſse, niſi elemẽta manere in miſto, non ſecundum omnes ſuos gradus. Tunc ego ab eodem ſciſcitabor, num per gradus intelligat gradus qualitatum, an potius formarum: ſi qualitatum; iam conſtat, ob quorundam graduum qualitatum amiſſionem, formas nequaquam remitti, aut perire, quẽadmodum ipſemet fatetur: ergo ſi à qualitatibus aliqui gradus auferantur, poterunt nihilominus elemẽtorum formæ in miſto ſecundum ſuas formalitates manere: quandoquidem formalitas (vt ad rem noſtram pertinet, à forma dr̃, & propterea vbi reperitur forma, ibi quoque formalitatẽ dari neceſse eſt, ſi verò per gradus, intelligat gradus formarũ; vrgeo hoc eodem

Alterum caput defenſionis Zabar.

Nõnulla notanda p Zaba. fundamẽto euertẽdo. Primum.

Secundum.

Tertium.

Ratiocinatione hac euidẽter oſtendiẽ, fal ũ eſſe dicere, elemẽta manere i miſto tantũmodo ſecũdum ſuas realitates, non item ſecũdũ ſuas formalitates

argumento:nam & ſi aliqui gradus formarum auferantur à formis;non propterea formæ ipſæ deſtruuntur,quia,vt ex tertia animaduerſione iam patet,alios gradus habent, ſub quibus manere poſsunt:ſi igitur elemẽtorum formæ ſuas in miſto excellentias amittunt; eædem nihilominus adhuc in miſto,ſecundum paucos illos gradus,conſeruantur,ac deinceps in eodẽ ſecundum ſuas formalitates,manere dicuntur.

Occupatio.

Quod ſi quis in eodem perſiſteret, aſserens, elemẽta in miſto tantummodo ſecundum ſuas realitates,nec vllo pacto ſecundum ſuas formalitates manere;profectò cùm elemẽtorum realitas, circunſcripta formalitate, nihil aliud ſit,quàm eorundem materia;dicere ſecũdum Zabar.oporteret,non elemẽtorum formas, ſed eorum tantum materiam in miſto ſeruari,quod Auerrois ſnĩę,quam defendendam ſuſcepit, aduerſaretur.

Alia reſponſio pro Zabarella.

Dicet,manere quidem in miſto elemẽtorum materiam,non tamen ſimplicem, atque nudam,ſed aliquos in ſe gradus formarũ elementariarum retinentem, idque totũ,elementorum realitatem appellari poſse.

Confutatio.

At verò ex ſecunda notatione,gradus formarum abſque formis eſse non poſsunt:ſi igitur gradus formarum elementariarum in materia reperiũtur,ipſas quoque formas omnino reperiri neceſſe eſt;atque ita nõ ſolùm ſecundum realitatẽ, verùmetiam ſecundum formalitatem elemẽta in miſto manebunt. Rectè igitur percipere nequeo,quonam pacto elemẽta in miſto tantummodo ſecundum realitatem manere dicãtur, ſi eorum formæ cum aliquibus gradibus conſeruantur, neque etiam concipere poſſum,quomodo elemẽtorum formæ in miſto ſuas excellentias amittant;eaque remiſſione,qua variatur ſpecies,remittãtur; cùm tamen eædem formæ, aliquibus tantummodo gradibus amiſſis, in miſto,ſecundum Auerrois ſententiam,conſeruentur.

## *Alia explicatio reſponſionis Zabarellæ,atque eiuſdem confutatio.* *Cap. VI.*

Nota hãc explicationem, quæ ſatis dilucidè aperit miſtionis naturam.

Hoc mihi Zabarella reſpondere, ſuamque reſponſionem hoc modo explicare poſſe vr; elementa, ſecundum ſuas formalitates conſiderata eſſe,cum ipſorum formæ,atque pariter qualitates,omnibus ſuis gradibus præditę ſunt : hoc modo elemẽta non manent in miſto;quia neque ignis in miſto ſecundum totam ſuam vim calefacit,neque aqua impendiò refrigerat,& ſic de alijs dicendum eſt. Ex mutua igitur elemẽtorum actione, hæc ipſorum vis tollitur,atque reprimitur;quo fit,vt ſuas formalitates; manentibus tantummodo realitatib. quæ ſunt formæ ipſæ cum aliquibus gradibus,amittant. Hæ aũt formæ,ſic repreſſæ,ſpeciem mutant;non quia intereant;ſed quia nouam formalitatem acquirunt : omnia.n.ſimul ipſius miſti quaſi veſtimentum induunt,nec vllum amplius elementorum, vt elementum agit, ſed id,quod agit,eſt ipſum miſtum,quatenus elemẽtorum facultatibus præditum eſt. Peropportuna ſanè eſt huiuſmodi reſpõſio,in qua tota vis huius difficultatis poſita eſt, & fortaſſe in ea plerique conſentiunt.

Nõ cohæret hęc reſpõſio alioquin bona,cum explicatis à Zabarella.

Sed videamus,an ex ijs,quæ ſuperiùs à Zabarella pronũciata ſunt,deduci aliquo modo poſſit. Concedimus & nos elemẽta in miſto nec ſui iuris eſſe; nec eadem, quatenus elemẽta ſunt,quicquam agere;ſed eſſe ſolum miſtum,cui, quatenus elementorum facultates participat,agendi munus delatum eſt:& ſi elementa in miſto proprio iure priuari, eſt eadem ſuam formalitatem deponere,vt aſſerit Zabarella, hoc illi pleno iure cõcedamus.

Repugnat ſubſtantialib. elemẽtorum formis, quæ non habent contrariũ aliquando remitti.

Sed mihi hoc primùm difficultatem facit,cogitanti,quomodo elemẽtorum formæ,ita remiſſæ,& ſecundum ſpeciem mutatæ,in miſto contineri poſſint? Cùm.n.remiſſio formæ ſit quodammodo ad interitum via; à nullo certè alio,præterquam à ſuo contrario fieri poteſt: ſubſtantiæ autem nihil eſt contrarium;igitur nihil eſt,à quo hæc formarum remiſſio fieri poſſit; niſi fortè elementorum ſubſtantiæ hoc aliud à Zabarella priuilegium tulerint,vt quẽadmodum remitti, ita etiam inter ſe contrarię eſſe queant. Quod quidem dicere, vniuerſam eſſet philoſophiam peruertere:multa.n.& nos abſurda pronunciare,& vniuerſales propoſitiones ab omnibus conceſſas,aliqua habita interpretatione,facilè eò,quò res quæque noſtra exigeret,& voluntas ferret,pro re nata,referre,& accomodare poſſemus,quemadmodum Zabarella,& Auerroes fecerunt.

Elementorũ formæ non poſſunt ĩ miſto remitti, cùm gradũ à miſſiõe, ꝑeunt.

Deinde ait Zabar.elementa in miſto tantummodo ſecundum ſuas realitates manere;quia iam formæ refractæ ſunt,& aliquos gradus amiſerunt: non aũt ſecundum ſuas formalitates;quia totum ſuum ius,totamque ſuam excellentiã non habent;& ſummatim,ignis nõ agit,vt ignis,nec aqua,vt aqua,& ſic de alijs. Sed ignoſcat Vir Excellentiſs. hæc reſponſio ſuæ ipſius ſnĩæ penitus aduerſatur: quoniam dum forma vel vnum gradum amittit,eodem autore,ſtatim perit:ita.n.ſcribit. *forma aeris quando vnum gradum amittit,*

*non eſt amplius forma aeris, ſed facta eſt forma alicuius miſti*. in Latinorum igitur opinionē irreperet. Præterea, non video tantam neceſſitatem hanc in ſubſtantialibus elementorū formis remiſſionem ponendi, quia. ſ. elementa in miſto non ſecundum totam ſuam potentiam agant; quoniam ad id ſola ſufficit qualitatum remiſſio. Cùm enim elementorum qualitates ſint inſtrumenta, quibus elementa ad agendum vtuntur; vbi qualitates repreſſæ fuerint, neceſſe quoque erit, vt elementorū actio debilior fiat: vt patet in aqua, quæ dum, admoto igne, frigoris ſæuitiam deponit; debiliùs quoque agit, cùm debilius inſtrumentum obtineat. Neque verò difficultas eſt modò, an qualitates, vel res aliquæ nomine carente, ſubſtantiales elementorum formæ ſtatuantur: nanque Zab. & alij ſupra citati autores, qui in hac quæſtione diſcordes ſunt, de hoc omnes conſentiunt; in elementis, præter quatuor primas qualitates proprias quoque ſubſtantiales formas reperiri. Redeamus ad Zabarellam: nōdum enim planè aſſecutus ſum, quid apud ipſum ſit, elementorum formas cum variatione ſpeciei, remiſſionem perpeti: nam ſi ſpecies hoc modo variantur, vt. ſ. formis ſaluis, & integris permanentib. & aliquibus tantùm gradibus amiſſis, elementa ipſa ſpeciem miſti quodammodo induant; tunc ſubſtantiales elementorum formæ ab accidentalibus formis minime differrent: nam etiam dum frigus, & calor inuicem agunt, hæ qualitates cum ſpeciei mutatione remittuntur; quia non amplius frigus, vt frigus, nec calor, vt calor agit, ſed ambę qualitates in tertiā quandam, à ſe diſtinctam, coeunt, ſcilicet in teporem. Sic album, & nigrum remittuntur cum variatione ſpeciei; quia in fuſcum colorem commutantur. Si verò per mutationem ſpeciei, cōuerſionem formarum elementariarum in miſti formam, intelligat (hoc enim eſſet verè ſpeciem mutare) tunc quæro, cùm miſtum in quatuor elementa diſſoluitur, fiuntque elementa ſui iuris, & omnes gradus habent, ſibi conuenientes; à quo nam illa ipſa intenduntur, graduſq; iam amiſſos recuperant? Profectò hunc graduum largitorem effingere, non ita facile erit. Quòd ſi in miſti diſſolutione, elementa integra cum omnibus ſuis gradibus (ſi liceat ſic appellare) appareant; ſignum euidentiſſimum eſt, illorum formas, quanuis tunc ſui iuris non erant, nec vires omnes ſuas edere poterant, vt pluribus infra explicaturus ſum; incolumes, & nullo modo refractas, in miſto etiam permanſiſſe.

Zabarel. placitum cōtra ſemetipſum.

Sola remiſſio in qualitatibus ſatis eſt, vt elemēta non agāt in miſto ſecundum totam ſuā potentiam.

Si formę ſubſtantiales elemētorum remittunē cum variatiōe ſpeciei, tunc nulla erit inter ipſas, & formas accidentales differētia.

Ratio euidēs contra Zabarellam.

## *Præcipuum Auerrois fundamentum euertitur, nullaq; ſubſtantia intendi, neque remitti poſſe, oſtenditur. Cap. VII.*

QVanuis Auerrois opinionem multis hactenus argumentis inceſſiuimus, vt nemo ſit, qui non iam illam penè fractam, atque debilitatam eſſe cognoſcat; operam tamen luſiſſemus, niſi fundamētum præcipuum, quo eadem nititur, demoliri totis viribus conaremur: & niſi oſtenderemus, elementorum formas communi illo ſubſtantiarum omnium priuilegio gaudere, vt. ſ. nec intendi, remittive poſſint, nec (quod in idem recidit) ſuſcipere magis, aut minus. Hòc enim demonſtrato, inanis illa de medio formarum genere excogitatio in nihilum ſtatim occidet, ac deinceps vniuerſa Auerrois de elementorum miſtione ſententia, funditus euertetur. Iam verò ad oſtendendum, nullam ſubſtantiam (cogitatione fingas quancunque velis) intendi, neque remitti poſſe, nullum aptius, efficaciuſque teſtimonium adducere poſse mihi videor, quàm ipſiuſmet Ariſt. qui in prædicamentis, de ſubſtantia diſputans, ab accidentibus diſtincta, non nullas eiuſdem proprietates aſſignauit, quibus illa à cæteris quidem abſolutis prædicamentis, ſed à qualitate potiſſimùm diſcriminatur. Inter cæteras autem proprietates, hæc præcipua numeratur, ſubſtantia non ſuſcipit magis, nec minus. Loquitur Ariſtoteles de ſubſtantia, quatenus prædicamentum eſt, ſub quo omnes ſubſtantiæ, tàm ſimplices, quàm compoſitę, tàm perfectæ, quam imperfectę, vel directè, vel (vt aiunt) à latere continētur: debet igitur hęc proprietas, quæ ipſi generi tribuitur, quatenus genus eſt, omnib. quoque ſub ſe contentis ſpeciebus conuenire. Etenim ſi ridere proprietas eſt, quę homini competit, quatenus homo eſt, fiet illa neceſſariò propria indiuiduis omnibus, in humana ſpecie cōprehenſis; idque per regulam illam in anteprædicamentis poſitam. Quando alterum de altero prædicatur, quicquid de prædicato dicitur, de ſubiecto pariter enunciatur. Verùm ne pingui (vt aiunt) minerua, & temerè loqui videamur, ipſummet Ariſtotelem conſulamus: qui c. de ſubſtantia, cùm de hac proprietate diſſerit, apertiſſimis verbis eam ipſam vnicuique ſubſtantiæ, quatenus ſubſtantia eſt, conuenire aſſeuerauit. Et quanuis facilioris doctrinæ gratia

Elementorū formæ gaudeot cōi ſubſtantiuorum priuilegio, vt. ſ. nec intēdi poſſiot, neq; remitti.

Nulla ſubſtātia ſuſcipit magis, nec minus.

Cōuenit hęc ꝓprietas ſubſtātiæ, vt ſubſtantia eſt, & genus generaliſſimū, ac deinceps omnibus ſpeciebus ſubſtātię ſub ipſo contentis.

Regula antepredicam.

de homine exemplum attulerit; hoc nihilominus voluit de quacunque ſubſtantia nullo diſ-

Vide Ariſto. in prędicam. cap. de ſubſtantia, & pōdera diligenter hæc verba.

crimine dictum. Nanque in fine illius proprietatis, hæc verba ſcribit, *ſubſtantia verò non dicitur nec magis, nec minus: nihil enim homo magis nunc homo, quàm prius dicitur, neque aliorum quicquam, quæcunque ſubſtantiæ ſunt.* ex quibus verbis ſatis apertè elicitur, nullā prorſus ſubſtantiam, quæcunque illa ſit, ab hac communi proprietate Ariſtotelē excepiſſe: quinimmò ipſe hac in re adeo anxius, atque ſolicitus fuit, vt cùm hanc ſubſtantiæ proprietatem

Quō intelligendum ſit, inter ſecundas ſubſtantias, ſpeciem eē magis ſubſtātiā, quàm genus.

extuliſſet, ne fortè ſibi ipſi contradicere videretur; quòd paulò ante inter ſecūdas ſubſtātias, ſpeciem magis eſſe ſubſtantiam, quàm genus dixiſſet: quo nam pacto hoc eſſet intelligendū, explicare voluerit; dicens, vnam quidem ſubſtantiam magis, & minus à prima ſubſtantia, quàm alteram diſtare poſſe (vt ſpecies minùs diſtat à prima ſubſtantia, quàm genus, & idcirco videtur quodammodo magis ſubſtantia, quàm genus: quia magis proxima eſt indiuiduo, quod eſt prima ſubſtantia, & maxime ſubſtantia) attamen vnamquanque ſubſtantiam, eo ipſo, quod ſubſtantia eſt, neque magis dici poſſe, neque minus. Quòd ſi hac in re Ariſtoteles ita anxius fuit, dubio procul ab hac communi ſubſtantiarum proprietate ſubſtantias ſimplices, quales ſunt elementorum formæ, diſertè excepiſſet, ſi illas magis, & minus ſuſcipere arbitra-

Quæritur de veritate huius propoſitionis, ſubſtātia non ſuſcipit magis, nec minus.

tus eſſet. Rogabit fortaſſe, quiſpiam, quiſnam ſit verus, atque germanus ſenſus huiuſce propoſitionis, qua dicitur ſubſtantiā non ſuſcipere magis, nec minus; cùm iam dictum ſit, ſubſtātias omnes huiuſmodi proprietate gaudere: & nihilominus conſtat, non eſſe omnes æqualis perfectionis, ſed vnam magis dici ſubſtantiam, quàm alteram: cuiuſmodi eſt forma, quæ, teſte philoſopho 2. Phyſ. magis ſubſtantia dicitur, quàm materia? In explicanda hac propoſi-

Explicatio Scoti libr. 8. Metaph q. 3. & Piccol. li. 2. de Anima, contextu 3.

tione varij varia dixerunt. Scotus 8. Metaph. q. 3. arbitratus eſt, ſubſtantiam ſecundum ſpeciem, atque vniuersè conſideratam, vt quidditas eſt nō ſuſcipere magis, nec minus: ſed in ſingulari, quia. ſ. vnum indiuiduum, perfectiùs, quàm aliud, naturam ſpeciei participat. Eadem ferè fuit interpretatio Franciſci Piccol. in annotationibus tertij contex. ſecundi lib. de Anima: qui conſiderans, aliquam ſubſtantiam re vera altera perfectiorem eſſe; nullum abſurdū eſſe putauit, ſubſtantiam quo ad exiſtentiam, ſecus quo ad eſſentiam, magis, & minus recipe-

Confutatio.

re. Sed ignoſcant mihi viri iſti præclariſſimi: nam ſi huiuſmodi interpretationes veræ eſſent, profectò ſubſtantia, quo ad hanc proprietatem, à qualitate minimè differret: quoniam etiam qualitas tantummodo quo ad exiſtentiam, & in ſingularibus, magis, & minus ſuſcipere dicitur. Si enim, ex. gra. eſſentiam caloris, aut quidditatem albedinis, ab exiſtentia ſeiunctā ſpectemus, in qua omnes calores, atque albedines conueniunt, intelligere quidem, immò ne cogitatione quidem fingere poſſumus, quomodo eſſentia illa, ſic conſiderata, intendi, remittiue poſſit. Si quis igitur gradus aut calori, aut albedini addatur, hoc eſſe non poteſt, niſi quo ad exiſtentiam, & indiuidua; quatenus ſcilicet albedo vel in lacte, vel in niue; ſic calor vel in

Indiuidua in genere ſubſtantię æquè participāt naturā ſpeciei, quicquid in oppoſitū aſſerat Scotus.

aere. vel in igne, vel in alijs huiuſmodi ſubiectus exiſtit. Præterea falſum omnino videtur id, q̃ Scotus aſſeruit. ſ. vnū indiuiduum perfectiùs, quam aliud naturam ſpeciei participare. Primò ſi ita eſſet, oporteret, vt differentia genus contrahens, ſpeciemque conſtituens, perfectior in vno indiuiduo eſſet, quàm in alio: hoc autem eſt abſurdum, propterea quòd differētię ſpecificæ, Teſte Porphyrio in prædicabilibus, c. de differentia, magis, & minus non ſuſcipiunt; & propterea vnus homo non eſt magis rationalis, quàm alter, atque adeo, nec magis homo, vt aſſerit Ariſtoteles in prædicamentis c. de ſubſtantia. Deinde ſi vnum indiuiduum, perfectiori modo, quàm aliud, naturam ſpeciei participaret; tunc ſubſtantia, quo ad quidditatem, & eſſentiam, magis, & minus ſuſciperet, quod eius interpretationi aduerſatur. Conſecutio eſt manifeſta: cùm enim indiuidua in ſeſe ſpeciem, immò eſſentiam ipſam, & quidditatem contineant; tunc ſi vnum illorum magis, quàm aliud naturam ſpeciei participat; ergo natura ſpeciei, quo ad perfectionem, partibilis eſt: nec iſto modo in indiuiſibili conſiſtit, vt eſt veritas,

Alia explicatio Piccolo.

ab omnibus philoſophis recepta. Franciſcus Piccol. loco ſuperiùs citato, ad cumulatiorē doctrinam, aliam attulit eiuſdem propoſitionis explicationem, dixitque, eam de ſubſtantia, vnā

Quære hoc 1 diſpu. de ſubiecto naturalis philoſ. cap. 6. & 7.

uoce dicta, non de ſubſtantia, dicta ab vno, hoc eſt, vt noſtri aiunt, analogice intelligendam eſſe. Quanuis ego tuear, nō dari puram analogiam, ſed illam neceſſariò vel vniuocationi, vel æquiuocationi coniunctam eſſe, adeo vt quicquid ab vno dicitur, aut neceſſariò vniuocū ſit, aut æquiuocum: nihilominus hoc omiſſo, quod alia diſputatione viſus ſum mihi ſatis com-

Confutatio.

modè demonſtraſſe, veram non puto interpretationem excellentiſſimi viri de ſubſtantia vni

uocè dicta. Quod ſic oſtendo:nam animal de homine,boue,leone,& ſic de alijs vniuocè dicitur,vnumquodque.n.iſtorum ſubſtantia eſt animata ſenſibilis,& hæc ſubſtātia de illis vniuocè dicitur;nihilominus homo eſt perfectior ſubſtantia,quā bos,& quàm quodcunque animal,rationis expers. Quare tametſi fortaſſe Piccolomineus, formam perfectiorem eſſe ſubſtantiam,quam materiam tueri poſſet, vt pote quia de illis ſubſtantia non vniuocè tantū,ſed ab vno dicatur;non video tamen,quomodo hominem perfectiorem eſſe ſubſtantiam,quàm bruta quæcunque animantia,defendere poſſit. Ideo dixerunt alij,& in ijs Toletus, Dominicus à Soto,& eſt ferè cōis eorum interpretatio, qui ſe ſubtiliores profitentur; vnam quidem ſubſtantiam altera perfectiorem eſſe, non tamen ea ratione, qua ſubſtantia ſimpliciter, ſed qua talis ſubſtantia eſt:hoc autem ratione annexæ differentiæ accidere. Quo fit,vt homo ſit perfectior ſubſtantia,quàm bellua; quia differentia ſubſtātialis hominis perfectior eſt,quàm differētia ſubſtantialis cuiuſcunque belluæ. Miror multos, huic reſponſioni aſſentire,quæ tamen re vera momentum difficultatis non attingit. Accipiamus hoc tanquam à doctoribus iſtis conceſſum.ſ.differentiam hominis perfectiorem eſſe differentia belluæ;& quæro,differētiæ iſtæ ſubſtantiæ ne ſint,an accidentia? Accidentia quidem eſſe nō poſſunt;quia nec ad ſubſtantialem definitionem pertinerent,nec ſubſtantiales differentiæ appellarentur. Subſtantiæ igitur ſunt,ea ſaltem ratione,qua ad ſubſtantias intimè pertinent. Tunc argumētor ſic; Differentia hominis,prout ſubſtātia eſt,perfectior eſt,quàm differentia belluæ; aliter hominem perfectiorem bellua reddere non poſſet; igitur vna ſubſtantia eſt magis ſubſtantia,quàm altera,vt ſubſtantia eſt,ac deinceps ſubſtātia,quatenus ſubſtantia eſt,ſuſcipit magis, & minus. Non poſſumus hic ad aliquam differentiam illius differentiæ confugere,quia rurſus quæram de illa,& ſic res in infinitum abibit. Dicendum igitur eſt Ariſtotelicam propoſitionem in omnibus ſubſtantijs veriſſimam eſſe, ſi rectè tamen intelligatur:cuius verum, atque germanum ſenſum arbitror eſſe hunc. Nulla ſubſtantia ſuſcipit magis nec minus,hoc eſt,nulla ſubſtātia, per ſe conſiderata,gradum vllum perfectionis recipere pōt,adeo vt ſemetipſa perfectior,neque vllum gradum amittere, adeo vt ſemetipſa imperfectior euadat. Non eſt certè negandum,inter ſubſtantias,vnam reperiri;quæ ſit magis ſubſtantia, hoc eſt,perfectior ſubſtantia, quàm altera:nam & forma eſt perfectior ſubſtantia,quàm materia;& corpus viuens eſt perfectior ſubſtantia,quàm non viuens,& homo eſt perfectior ſubſtantia,quā bellua. Quid multa? non reperiuntur duæ ſpecies rerum æquè perfectæ; cùm vna altera perfectior ſit. Nō fuit Ariſtot. conſilium,id negare,cùm in prædicamētis aſſeruit, ſubſtātiam non ſuſcipere magis, nec minus:ſed docere voluit,ſubſtantiam,ſi per ſe,& ſecundum naturam ſuam ſpectetur,gradus vllos perfectionis nec amittere,nec recipere poſſe,eo modo,quo qualitas recipit,& amittit;ſed eandem ſemper quoad ſuam perfectionē manere. Quare homo,ſi de ſubſtantiale perfectione loquamur,nunquam ſemetipſo perfectior fieri poteſt,ſecus ſi de accidentali. Similiter vnus homo non poteſt eſſe magis homo, quàm alter, nec vnquam homo perfectionem ſuam ita augere poteſt,vt ſit æque perfectus,ac intelligētia,nec pōt pariter eius perfectio vſque adeo minui,vt æqualis perfectionis cum bellua eſſe dicatur:ſunt.n.rerū ſpecies, ſicuti numeri,ſubſtantiæque in indiuiſibili quodam conſiſtunt, in quo omnem perfectionem habēt, quam natę ſunt habere. Hunc puto eſſe verum ſenſum illius famoſæ propoſitionis.

Interpretatio cōis. vide Tolet. & Sotum in prædica. alioſq; viros huius claſſis.

Confutatio.

Verus ſēſus prædictæ ꝓpoſitionis.

Non reperiūtur duæ ſpecies ſubſtantiæ æquè perfectæ.

Subſtantia ſecundū ſe ſpectata,nō pōt acq̃rere, nec amittere aliquem gradū perfectionis, ſed eius eſſe cōſiſtit in indiuiſibile.

Vide Archangelum Mercenar. in dilucidatione huius propoſitionis.

*Elementorum formas non eſſe medias inter ſubſtantiales, & accidentales.* *Cap. VIII.*

TOllendum tandem nobis è philoſophia eſt monſtrum illud, atque portentum, quod Auerroes,vt ſuam de miſtione ſnīam tueretur,inuexit:ita.n.3.lib.de Cælo com.67.ratiocinabatur;ſi datur perfecta miſtio, quæ non fit ſola qualitatum, verùm etiam ſubſtantiarū perfuſio,opus eſt vt elementa re ipſa in miſto ſeruētur, alioquin ſi prorſus interirēt,nō miſtio, ſed generatio fieret: at verò fieri non poteſt, vt incolumes omnino ſubſtantiales elemētorum formæ ſeruentur in miſto,quia tunc ignis vreret, aqua refrigeraret, & ſic de alijs; igitur elemētorum qualitates,atque adeo eorum formæ remiſſæ ſunt. Etenim ignis non poteſt integer, niſi ſumma cum caliditate, & annexa ſiccitate manere:forma pariter ſubſtantialis aquæ ad ſuum eſſe perfectum, ſummam frigiditatē, & adiunctam humiditatem expoſcit:in miſto igitur tàm qualitates,quàm ſubſtantiales formæ remiſſæ ſunt;alioquin niſi ad remiſſionem graduum in qualitatibus,remiſſio aliqua in formis ſubſtantialibus fieret; elemēta om-

Auer. ratiocinium in 3 li. de Cælo,cō. 67.

KK nino

nino ſine qualitatibus conſiſtere poſſent; cùm vnius gradus, & omnium eadem ratio ſit; quare ignis abſque caliditate, & aqua abſque frigiditate maneret, quod videtur abſurdum.

Hinc elicit Auer. elemētorũ formas modicũ quiddam eſſe inter ſubſtãtiã, & accidens.

Cùm igitur, ſecundum Auer. ſubſtantiales elementorum formæ in conſtitutione miſti neceſſariò remittantur, atque à perfectis ſubſtantijs quæcunque remiſſio alieniſſima ſit; Arabs iſte philoſophus elementorum formas à perfectis ſubſtantijs excipere coactus eſt; diceréque, illas non in ſubſtantiarum, neque in accidentium numero ponendas eſſe, ſed mediam quandam, inter ſubſtantiam, & accidens, naturam obtinere. Subſtantiæ quidem ſunt, ait Auer. & explicat Sueſſanus lib. 11. Metaph. diſput. 4. c. 3. quatenus primæ materiæ perfectam exiſtentiam largiuntur, elementorumque ſpecies conſtituunt: quoniam ex prima materia, & elemēti forma vnum per ſe compoſitum conſtituitur. Accidentia verò dicuntur, quatenus materiã, ceu qualitates quædam, ad formam miſti recipiendam, afficiunt.

vide Sueſſanum lib. 11. Metaph. diſput. 9. cap 3.

Reijcitur Auer. figmentum de formis mediis.

Verùm enimvero portentũ hoc nullo pacto eſt in philoſophia peripatetica ſuſtinendum: immò niſi cæcis oculis philoſophari velimus, illud ipſum tanquam grauiſſimorum errorum ſemen, atque originem vſquequaque vitabimus.

Prima ratio.

Etenim nulla res eſt, ex earum numero, quæ in rerum natura reperiuntur, quæ certam aliquam, & determinatam ſedem in prædicamentis non habeat: aut enim eiuſmodi eſt, vt ſuis ſe ipſam viribus ſuſtineat: & tunc verè ſubſtantia eſt, & appellatur: aut alterius adminiculo indiget, vt ſubſiſtat; & tunc inter accidentia numeratur. Inter has duas res, ne fingere quidem cogitatione poſſum, quonam pacto media aliqua natura reperiatur: ſiquidem doctrina eſt apertiſſima in 4. Metaph. tex. 15. inter contradictoria nullum omnino medium dari poſſe: per ſe autem ſubſiſtere, & non per ſe ſubſiſtere, ſunt contradictoria; nullũ igitur medium admittere poſſunt, quare inter ſubſtantiam, quæ per ſe ſubſiſtit, & accidens, quod non per ſe ſubſiſtit, nullum dabitur medium.

[I]nter contradictoria non datur mediũ.

Dices, materia, & forma non per ſe ſubſiſtunt, & tamen non ſunt accidentia. Reſpondeo, ea per ſe ſubſiſtere, quatenus alteri non inhęrent: hæc enim eſt proprietas, quæ conuenit omni ſubſtantiæ, vt ab accidentibus differt.

Secunda rõ.

Neque verò excogitare poſſum, quid adduxerit Auerroem, vt ſubſtantiales elementorum formas à ſubſtantiarum dignitate ſibi detorquendas exiſtimaret: non inficior quidem, aliquas reperiri ſubſtantiales formas, quæ elemētorum formis perfectiores ſint: at verò nullam inire poſſum rationem, qua eaſdem elemētorum formas à ſubſtantiarum ſerie tollere cogar. Gaudent enim illæ proprietatibus omnibus, quæ ijs rebus conueniunt, quæ ſubſtantiæ dicuntur: nam & per ſe ſubſiſtunt, & pluribus accidentibus, immò etiã contrarijs, ſubſternuntur. Quid igitur haſce formas, ſubſtantias appellare verebimur?

Elementorũ formæ gaudent omnib. ſubſtãtiæ ꝓprietatibus, ideò veræ ſubſtantiæ ſunt.

Auerois reſponſio.

Dicet fortaſſe Auerroes, elemētorum formas ſubſtantias quidem eſſe, quatenus materiam perficiunt; ſed tamen accidentia vocari, quatenus materiam ad formam miſti recipiendam afficiunt.

Contra reſponſionem Auerrois.

Prima ratio.

Primò in eo fallitur opinione Auer. quoniam forma miſti non proximè in materia prima recipitur, ſed ipſamet elemēta, in vnum coacta, veluti materies, formæ miſti, recens ortæ, ſubſternuntur.

Secunda rõ.

Deinde cùm elementorum ex materia, & ſubſtantiali forma conſtitutum eſt, iam naturæ opus expletum eſt, cuius conſilium erat, ſubſtantiam veram, & per ſe ſubſiſtentem edere. Si autem cõtingat, vt plures huius generis ſubſtantiæ ad aliquod miſtum conſtituendum in vnum coeant; hoc eſt ex accidenti: nec huiuſmodi habilitas, quæ in elemētis ineſt, ita illis officere debet, vt eo iure priuentur, quod in genere ſubſtantiæ obtinent, vſque eò, vt ab eodem quodammodo exturbata, in accidentium prædicamenta, quaſi in exilium eiecta, relegentur: id enim non modò elementorum, verùm etiam plurium miſtorum corporum formis neceſſariò obtingeret.

Tertia ratio.

Etenim forma ſanguinis vnà cum materia conſtituit perfectum ens: nihilominus materia, forma ſanguinis, quàm re ipſa continet, ſenſim afficitur, atque ad formam carnis recipiēdam pręparatur: num igitur forma ſanguinis medium quiddam erit inter ſubſtantiam, & accidēs?

Auerrois ſubterfugium.

Hoc nec Auerroes, opinor, concederet. Sed forſitan reſpondebit, non eſſe parem formæ ſanguinis, & formarum elementorum rationem: quoniam cùm materia ad formam carnis recipiendam perfectè parata eſt, perit ſtatim omnino ſanguis, atque in carnem mutatur, & vertitur. At verò elementorum formæ, quæ materiam ad formam miſti recipiendam accommodant, non omnino abolentur, ſed cum aliquibus gradibus in miſto ſeruantur.

Contra.

Inane hoc eſt perfugium: quoniam ex Auerrois ſententia ipſæ quoque elementorum formæ ſaltem ſecundum aliquos gradus diſſipantur: non pereunt autem omnino, ſicut forma ſanguinis; quia ibi generatio fit, hic verò miſtio.

Cõfirmatio.

Sed hæc mitto, aliam enim dabo miſti formam, quæ verè ſubſtantia

ſtantia eſt, quæque nullo pactò extinguitur; tametſi materiam ad vlteriorem formam recipiendam inſtruat: huiuſmodi autem eſt forma corporis, quam nemo certè in genere ſubſtantiæ contineri negabit. Namque ſubſtantia aut corporea eſt, aut corporis expers: attamen forma corporis, dum eſt in materia, ipſam illam ad animam recipiendam, corpuſque viuẽs conſtituendum aptat: quis autem affirmare audebit, corporis formam, mediam quandam inter ſubſtantiam, & accidens naturam obtinere? Dicet Auerroes, hanc quoque formam fore fortaſſe ancipitis naturæ, ſi in viuentis corporis conſtitutione, aliquos gradus amittat, itidem vt elementorum formæ. Sed hoc eſt inconſultè, ac temerè dictum: ſupra enim ſatis ſuperque oſtendimus, ſubſtantias omnes in indiuiſibili conſiſtere; & quemadmodum momento oriũtur, ita pariter eaſdem momento occidere neceſſe eſſe: quod nullo modo fieret, ſi gradus aliquos obtinerenr. Abſurda igitur eſt, proculque à vero abeſt iſthæc de medio formarum genere excogitatio. Sed hactenus de opinione Auerrois.

Reſponſio Auerroe. Confutatio.

*Miſtionis definitio, ab Ariſtotele tradita, explicatur, quæ præcipuum eſt opinionis Auicennæ fundamentum. Cap. IX.*

ACcedamus nunc ad explicandam Auicennæ ſententiam, quam tanquam veritati, & Ariſtotelis ſententiæ maximè cõſentaneam ſumus nos in præſenti diſputatione defenſuri. Pro eius autem faciliore explicatione, operæpretium eſſe duxi, priùs definitionem miſtionis ab Ariſtotele traditam, animo diligenter luſtrare: quiſquis enim in illam intimè penetrarit, quandam quaſi ſcalam conſecutus erit, qua ad veritatem obtinendam aſcendere facilè poſſit. Cùm igitur miſtio mutatio quædam ſit, nec in mutationum numero ſit ab Ariſtotele collocata; videndum in primis eſt, ad quod nam mutationis genus referatur. Etenim Ariſtoteles & lib. 5. de Phyco auditu, & lib. 1. de Generat. & inter. ſex mutationis ſpecies numerauit, Generationem, Interitum, Accretionem, Diminutionem, Alterationem, & deniq; Lationem. Miſtionem in harum numero non poſuit; quo fit, vt quemadmodum nomen eius indicat, quædam quaſi mutationem miſtio dicenda ſit; cùm plures mutationes ad illam efficiendam neceſſariò concurrant. Non eſt certe miſtio mutatio illa, quæ dicitur generatio, quẽadmodum in tex. 83. 1. lib. de Ortu, & interitu Ariſtoteles oſtendit; quia cùm ignis adiungitur ligno, fit quidem ligni diſſolutio, & ignis generatio, miſtio vero nequaquam. Multò minus eſt miſtio appellanda diſſolutio; quoniam quod iam interijt, non eſt amplius in rerũ natura: quod autem miſtum eſt, iam conſiſtit. Sed neque miſtio dicenda eſt accretio; quia vera accretio fit per conuerſionem alimenti in ſubſtantiam nutriti; quod citra carnis generationem, & cibi interitum, fieri nequit: in miſtione autem non fit conuerſio vnius in aliud, quia neque ambo, quæ miſcentur, intereunt, neque alterum tantum, vt loco ſuperiùs citato text. 84. Ariſtoteles ait. Neque etiam miſtio poteſt vocari diminutio; quoniam quæcunque miſcentur, cùm plura ſint, quæ in vnum coeunt, accretionem potius efficere, quàm diminutionẽ dicerentur. Non eſt alteratio; quia neque albedo cum corpore, neque eadem cum dulcedine miſcetur, vt Ariſtoteles ait; ea potiſſimum ratione, quia & accidentia, & ſubiecta; quæ alterationem patiuntur re ipſa quo ad eorum exiſtentiam omnino permanent: nam & paries, & eidem adiuncta albedo, re ipſa conſiſtit: quæ autem miſcentur, non ſunt illa eadem prorſus in miſto, quæ erant, antequam miſcerentur. Neque tandem miſtio eſt loci mutatio, quod patere vnicuique poteſt; cùm aliud ſit miſceri, aliud verò de loco ad locum transferri. Cùm igitur nulla ex hiſce mutationibus miſtio, de qua loquimur, appellanda ſit; optimè in fine primi libri de Ortu, & interitu Ariſtoteles concludit, nil aliud eam, quàm miſtibilium alteratorum vnionem dicendam eſſe. Hæc eſt miſtionis definitio, illius naturam aptè admodum declarans. Videamus nunc, ad quod nam mutationis genus ipſa miſtio reuocanda ſit; Putarũt nonnulli, eam ad generationem referendam eſſe; & temeraria quadam impudentia, definitionem, ab Ariſtotele traditam, corrigere auſi ſunt, dicentes, miſtionem nil aliud re vera eſſe, quàm miſti ex alteratis miſtibilibus generationem. Verùm iſthæc definitio multa includit abſurda; & eius autorem non ſolùm Ariſtoteli, quem ipſi quoque & imitari; & interpretari profitẽtur, verùm etiam ſibimetipſis aduerſantur. Primo aiunt, miſtionem eſſe generationẽ: Ariſtoteles expreſsè docuit, eam non eſſe generationem. Deinde vnius rei generatio, alterius diſſolutionem conſequitur, vt celebratiſſima eſt Ariſtotelis propoſitio: dicendum igitur fuit,

Sex mutationum ſpecies. Miſtio nõ eſt generatio. Non eſt interitus. Nõ eſt accretio. Nõ eſt diminutio. Non eſt alteratio. Non eſt loci mutatio. Ad qđ genus mutationis miſtio referẽda ſit. Nonnullorũ opinio. Confutatio.

miſtionem non ex alteratis, ſed ex diſſolutis, ac diſſipatis miſtibilibus generationẽ eſſe. Huc accedit, quod ipſi defendunt, elemẽta in miſto non ſecundum eorum formas, ſed tantum ſecundum virtutem permanere; quod etiam in cauſa fuit, cur miſtionis definitionem deprauarint, eandemque propriæ ſnīæ accommodarint: non igitur miſtio ad generationis genus referenda eſt.

Opinio Frã. Bonamici li. 8. de motu, c. 50. & eiuſdem confuta tio.

Sed neque ad genus alterationis, quemadmodum Franciſcus Bonamicus loco ſuperiùs citato arbitratus eſt: tùm quia Ariſt. disertè aſſeruit, miſtionem, alterationem non eſſe; tùm etiam, quia ſola ſubſtantia cum qualitate ad alterationem ſatis eſt; cùm tamen ad miſtionem plures ſubſtantias concurrere neceſſe ſit. Ad quod igitur mutationis genus ea ipſa reuocanda erit? Dico, ad nullum; ſed ad ipſam efficiendã, duas mutationes potiſſimum concurrere,

Opinio Autoris.

eamque quaſi miſtam quandam mutationem eſſe, ex illis duabus conſurgentem: eæ autem ſunt loci mutatio, & alteratio.

Duæ mutationes ad miſtionẽ efficiẽdam neceſſariò concurrunt.

Vt.n. aliqua miſceantur, neceſſe priùs eſt, ea ipſa inuicem proximè accedere, quod niſi locali mutatione fieri non põt. Deinde neceſſe eſt, vt hæc miſtibilia, quæ proxima iam facta ſunt, inuicem actiua, atque paſſiua ſint: agunt autem oppoſitis qualitatibus, atque ita alterationem perpetiuntur. Igitur hæ duæ mutationes ad miſtionem neceſſariò requiruntur, loci mutatio, & alteratio; miſtio tamen neutra, illarum eſt.

Miſtio quid ſit.

Quid ergo erit miſtio? Miſtio, ait Ariſtoteles, eſt miſtibilium alteratorum vnio.

*Auicennæ ſententia tribus concluſionibus explicatur. Prima concluſio. Cap. X.*

EXplicata iam miſtionis definitione, facilè nunc erit nobis Auic. ſnīam expromere, quæ in tribus potiſſimùm concluſionibus conſiſtit. Prima eſt.

Prima cõcluſio explicans opinio. Auicennæ.

Donec miſtum aliquod, cuiuſuis generis illud ſit, in rerum natura conſiſtit, incolumes, nec vllo modo diſſipatæ in eo elemẽtorum ſubſtantiæ conſeruantur.

Fauet mirum ĩ modũ huic concluſioni tex. 84. 1. lib. de Gener. & interitu.

Hæc concluſio per textum 84. primi lib. de Ortu, & interitu probari ſatis commodè põt: vbi apertè Ariſt. docet, neque ambo miſtibilia, ſi duo tantum ſint, quæ miſceantur, neque alterum interire; ſed vtrunque in miſto ſeruari.

Cõfirmatur concluſio ex definitione miſtionis.

Probatur tamẽ ex iam explicata miſtionis definitione: cùm.n. miſtio generatio non ſit (vt præcedẽte capite demonſtratum eſt) id certè in ea non fiet, quod accidere in ipſa generatione videmus: etenim cùm quippiam generatur, vetus forma à materia abſcedit, & vnà cum ipſo compoſito intercidit; ſtatimque rei alterius procreatio ſequitur, dum recens aliqua forma in ſubiectam materiam immigrat. In miſtione autem, quę à generatione diuerſa eſt, nullius formæ interitus contingit: nam cùm miſtio ſit miſtibilium vnio; neceſſe eſt, vt miſtibilia in miſto prorſus vnita, planèque coniuncta maneant; adeo vt perſiſtente aliquo miſto, nunquam miſtibilia priſtinas naturas recuperent; ſed ſemper ſic coniuncta ſeruẽtur, eorum tantummodo proportione mutata. Exempli gratia, ſi elemẽtis ſimul congrediẽtibus, naſcatur herba; ſeruantur in herba elemẽtorum ſubſtantiæ.

Nota hoc exemplũ. vide Io. Fern. lib. de elem. c. 6.

Si rurſus herba cõcoctione vertatur in ſanguinem; intercidit quidem forma herbæ, nihilominus adhuc elemẽtorum ſubſtantiæ in ſanguine perſiſtunt. Si randem vlteriore concoctione ſanguis mutetur in carnem; adhuc in carne elemẽtorum ſubſtantiæ perſeuerant, forma ſanguinis, propter mutatam elemẽtorum proportionẽ, intereunte. Non.n. elemẽta in quocunque miſto vnam, & perpetuam proportionem ſeruant; ſed propter mutuam inter ſe actionem, & paſſionem, eorum proportio variatur, quam deinde noui miſti procreationem conſequi neceſſe eſt.

Hippocratis & Ariſt. teſtimonia de perſeuerãtia elementorũ in miſto.

Porrò veritatem hanc de perſeuerantia, & cõſeruatione elemẽtorum in miſto, lubet rurſum duorum grauiſſimorum naturæ interpretum teſtimonio, Hippocratis. ſ. & Ariſtotelis cõfirmare. Hippocrates lib. de Natura humana apertiſſimis verbis aſſeruit, ſingula, quæ ad gignendum fluxerunt, eandẽ, quam contulerunt vim, in corpore retinere; & omnia per interitum eò recedere, vnde accepta ſunt: quod fieri neutiquam poſſet, niſi priſtinas illa naturas retinuiſſent. Ariſtotel. deinde 3. lib. de Cęlo cap. 3. &

Quid ſit elementũ ſecundùm Ariſt.

alijs pluribus locis, quoties elemẽtum definiuit; id eſſe aſſeruit, quod cuique compoſito primũ ineſt, & in quod vltimum corpora diuiduntur: quinimmò palam affirmauit, in carne, ligno, alijsque id genus corporibus, ignem, atque terram facultate, ſeu poteſtate ineſſe, eademque ex illis nõ obſcurè, ſeiungi: quòd ſi in miſti conſtitutione elemẽtorum ſubſtantiæ occidiſſent, penituſque extinctæ eſſent, qui fieri vnquam poſſet, vt in eiuſdem diſſolutione ſegregarẽtur, ſuique iuris fierent, & priſtinas naturas recuperarent? Quare iã planè aperuiſſe mihi videor, miſti conſtitutionem nil aliud eſſe, quàm elemẽtorum coniunctionem, mutua illorum actione, & paſſione interueniente; miſti autem diſſolutionem nil aliud eſſe, quàm elementorum

ſegregationem. Segregari autem non poſset, quod iam interijt: igitur ſi in miſti conſtitutione elementa occidiſſent, oporteret, vt in eiuſdem diſſolutione non illa quidem ſegregarētur, vt Hippoc. & Ariſt. affirmant, ſed iterum generarentur. Hinc elici facilè poteſt, quam falſa, & abſurda ſit Latinorum opinio. ſ. in miſti conſtitutione elemētorum ſubſtantias penitus diſſipari, atque omnino extinctas obliteſcere, eorumque virtutem duntaxat in miſto ſeruari: cuius quidem ſententiæ falſitas adhuc infra euidentior fiet, cùm argumenta, quæ pro illa afferri ſolent, diluemus.

Quàm falſa ſit Latinorū opinio.

*Secunda concluſio, explicans opinionem Auicennæ.* Cap. XI.

Secunda concluſio ſenſim nos ducēs in opinio. Auicennæ.

SEcunda concluſio, quæ nos ſenſim in Auicennæ ſnīam deducit, ea eſt; Elementorum ſubſtantiæ, cùm paribus quodammodo viribus ad miſti conſtitutionem concurrunt, non illę quidem integræ, ſeu indiuiſæ, manēt; nec in portiones quàm minimas, ſed in particulas perexiguas diſtrahuntur. Hæc concluſio potius explicatione indiget, quàm probatione: iam. n. ſuperiore cap. probauimus, elemētorum ſubſtantias ſaluas, & incolumes ad miſtum effingendum accedere; in eodemque tales permanere, donec ipſum in rerum natura conſiſtat: vbi verò miſtum interciderit, non interire quidem elemēta; ſed aut ad ſe redire, parteſque cum partibus ſui generis contrahi; aut aliam ſibi proportionem aſciſcere, atque in miſtum alterius generis delabi. Nunc autem paulò exquiſitiore examine res ipſa à nobis diſcutienda eſt, monſtrandumque, quo nam pacto elemētorum ſubſtantiæ ita ſeſe parent, & accommodent, vt ex earum apta adhæſione, mutuoque complexu, miſtum denique ipſum coaleſcat. Hoc caput eſt, in quo tota huius rei difficultas conſiſtit; Conſiderandum igitur primò eſt, ſi miſtum ex elemētis conſtari debet, oportere, ipſa paribus quodammodo viribus ad huiuſmodi opus conſtruendum accedere: ſi. n. contingeret, vt vnum elemētum ſuum contrarium longè viribus excederet; nullum certè ex eorū coniunctione miſtum exoriretur; ſed fortius, & efficaciùs elemētum debilius ſubijceret, atque in ſui naturam conuerteret: fieret igitur generatio, & interitus, miſtio verò nequaquam; propterea elemētorum vires pares quodammodo eſſe, neceſſe eſt. Sed de his plura in ſequenti concluſione dicemus. Conſiderandum ſecundò eſt, ad miſtum conſtituendum, non ſatis eſſe, vt elemēta aut penitus indiuiſa, aut etiā magnas in partes diſſecta, iuxta ſe poſita ſint: ſumamus. n. quatuor diuerſorum elemētorum portiones, & eas quidem ſatis magnæ quantitatis: hæ, ſi iuxta ponantur, nullum miſtum efficient; ſed ex eis tantū modo quidam elemētorum cumulus fiet, in quo diſtinctè ignem, aerem, aquam, & terram diſcernere poteris; ibique potius quatuor eſſent compoſita, quàm vnum miſtum. Conſiderandum tertiò eſt, vt elemēta decens, congruaque miſti materia fiant, non opus eſſe, vt ipſa in particulas re ipſa minimas dirimantur; quoniam quācunque particulam, vel exiguam in miſto, ſi non ſenſu, ſaltem cogitatione comprehendes, in infinitum aliam ea minorem comprehēdere licebit: omne. n. corpus, ea ratione, qua continuum eſt, in infinitum diuiſionem recipit. Huc accedit, quòd ſi minimæ re vera eſſent elemētorum particulæ, quæ veluti materies ipſi miſto ſubijci debent, nunquam profectò ex illarum coniunctione miſtum aliquod, quantitate præditum, emergeret: quoniam ex non quantis quantum fieri non poteſt. Conſiderandū igitur quartò eſt, vt verè miſtio fiat, neceſſe eſſe, vt elemēta ipſa in perexiguas particulas, quoad eius fieri pōt, diuidantur, eoque ſe ordine componant, vt quælibet vnius elementi particula cum alterius elementi particula coniugatur; adeoque omnium elementorum particulæ inter ſe confundantur, vt nihil in ea confuſione diſpici poſſit, quod non in ſe quatuor eorū portiones contineat, atque ex illis coagmentatum ſit. Hæc eſt vera de elementorum permiſtione ſnīa, non rationibus ſolùm firmata, verùmetiam ſenſu, quinimmò ipſa quoque experiētia comprobata; atque rurſus autoritate Ariſt. roborata. Ipſe. n. 1. lib. de Gen. & interitu tex. 89. diſertè docuit, permiſtioni aptiſſima ea corpora eſſe, quæ in exiguas, tenueſque particulas facilè diſtrahuntur, cuiuſmodi ſunt mollia, tenera, fragilia, liquida, ſubtilia: contra verò dura, firma, ſolida, arida, craſſa, ineptiſſima eſſe, atque eiuſmodi, vt miſceri haud facile poſſint. Ex quibus verbis propoſitæ iam concluſionis veritatem elicere poſſumus, nimirum elementa, dū ad miſti fabricam conſtruendam ſeſe accingunt, in perexiguas particulas dirimi; idque muneris, qualitatum interſtitio, ea ipſa obire, vt infra cumulatiùs oſtendemus. Dicet fortaſſe quiſpiam, Democritum etiam, multoſque eius ſectatores, hoc eodem modo admiſtionem fieri,

Caput toti' difficultatis.

Pro explicatione concluſionis.

Notabile primum

Secundum.

Tertium.

Quartum

Auic. ſententia rationib., ſēſu, experiētia, & autoritate Ariſtot ſtabilitur.

Quęnam corpora apta ſit queve inepta admiſtiōē. Vide Ariſ. 1. de Gene tex. 89.

Obiectio.

opinatos eſſe, cùm .ſ. plures diuerſi generis particulæ, minutatim conciſæ, in vnum coeunt, quas ſenſus in illo vno conſtituto diſtinctè concipere nequit: exemplumque de hordei, & tritici particulis ſimul iunctis, & in farinam redactis afferebant: quam tamen opinionem Ariſtot. tex. 86. confutauit.

Solutio.

Reſpondendum eſt, rectè Ariſt. opinionem illam, vt falſam, & inanem confutaſſe, eamque à noſtra concluſione longè diuerſam eſſe: Confutauit illam primò, quòd particulas, quæ miſceri debent, vſque ad minimum diuiſas eſſe, poſuerit: ea. n. miſtibilia indiuiſibiles atomos ſtatuebat. Deinde verò quia opinio illa plurium potius rerum quandam quaſi compoſitionem, quàm miſtionem inducebat: quoniam & ſi exiguæ diuerſarum rerũ particulæ iuxtà ponantur, niſi tamen inter illas mutua actio, & paſſio intercedat, nunquam vera miſtio fiet. Et propterea rectè ibi Ariſt. nullam, eorum ſnĩa veram, atque realem miſtionem, ſed tantum ad ſenſus ſpeciem dare concludebat: qui. n. hebetem viſum habeat, rem aliquam miſtam eſſe iudicabit, quæ tamen ab alio miſta non iudicaretur, quippè qui ſui viſus acie, partes illas ſimul iunctas diſtinctè concipere poſſet.

Explicatio, & confirmatio ppoſitæ ↄ̃cluſionis.

At verò non idem ex iam propoſita concluſione ſequetur: ponimus. n. perexiguas vnius elementi particulas intime vſque adeo cum perexiguis alterius elemẽti particulis copulari, vt tandem, ſi elementa omnia concurrant, illæ particulæ ita locis mutentur, & inter ſe confundantur, vt ne Lyncei quidem oculi, in miſto illo conſtituto, elemẽtorum particulas ſeorſum cernere poſſint. Periculũ quis faciat in corpore aliquo ſimilium partium, vt exempli gra. in ſanguine, vel in carne: ſunt hæc corpora ex quatuor elementis concreta: dirimat nihilominus, eaque quantum velit, extenuet; nunquam vel exiguam ignis, aeris, aquæ, aut terræ particulam in illis diſcernere poterit: adeo. n. in huiuſmodi corporibus, elemẽtorum ſubſtantiæ cõfuſæ ſunt, vt quælibet vel exigua particula nomẽ, & rationem totius obtineat: quælibet. n. particula ſanguinis eſt ſanguis, & ſimiliter quælibet particula carnis eſt caro, quamuis Auerroes ex Auicennæ ſententia id minimè deduci poſſe perperam exiſtimarit.

*Tertia concluſio, Auicennæ ſententiam planè confirmans, ſatiſque dilucidè patefaciens.*

*Cap. XII.*

Notabilis cõcluſio, ex qua tota pendet propoſitę difficultatis enodatio.

TErtia concluſio, quæ Auicennæ ſniam omnino aperit, efficitque, vt eius veritatẽ quaſi manibus contrectemus, eſt hæc; Elementorum qualitates, quas nunc ponimus ab eorũ ſubſtantialibus formis eſſe diſtinctas, dum paribus quodammodo viribus in miſti ſtructurã conſpirant, non ſeſe quidem interimunt, adeo vt ex illis extinctis, ac omnino diſſipatis, noua quædam qualitas oriatur, vt cenſuit Scotus: neque etiam ſeſe ita frangunt, vt ſuorum graduũ aliquem amittant, quemadmodum exiſtimauit Auerroes: ſed mutua tantummodo illarum actione, ad quandam mediocritatem, temperationemque reuocantur. Ex huius concluſionis explicatione tota pendet propoſitæ difficultatis enodatio.

Pro declaratione concluſionis.

Itaque pro eius declaratione nõnulla nobis ſicut in præcedente concluſione fecimus, conſideranda ſunt; quibus optimè cognitis, facilè vnicuique erit, in rei veritatem penitus admitti.

Cõſideratio prima.

Conſiderandum igitur primò eſt, Ariſt. erroris Empedoclem inſimulaſſe, quòd miſtionem ex exiguis elemẽtorum particulis, ſimul iunctis, abſque vlla interueniente alteratione, fieri dixiſſet: nunquam. n. ait Ariſt. elementorum ſubſtantiæ, optimè confuſæ, in vnum coaleſcent, niſi ſuarum qualitatum ope, inter ſe pugnent, & confligantur: quinimmò hæc ipſa qualitatum pugna in cauſa eſt, cur elementa in particulas perexiguas redigantur, atque tandem inter ſe perfectè miſceantur. Falſũ igitur eſt, ſola exiguarum partium adiunctione, elementa permiſceri, vt opinabatur Empedocles.

Cõſideratio ſecunda.

Conſiderandum ſecundò eſt, ſi elementorum qualitates confundi inuicem, & permiſceri debeant, neceſſe eſſe, vt paribus quodammodo viribus, ad agendum accedant: nam ſi vna alteram vehementer excedat, nulla certè permiſtio fiet, neque vlla temperatio, aut moderatio; ſed vnius potius qualitatis in alteram conuerſio: quæ. n. qualitas imbecillior eſt, eadem ab ampliore, & potentiore vita, perimetur, atque in illius naturam abibit.

Nota ex Ariſtotele.

Non multùm tamẽ intereſt, vt tex. 89. ſupra citato Ariſt. docet, ſi inter illas exiguus exceſſus ſit; alioquin imò omnia miſta vnius temperamenti eſſent, propterea ait ibi, *Quando autem potentijs adęquantur quodammodo.*

Dubium de gradib. qualitatum elemẽtorum.

Oritur hic difficultas, verum ad miſtum conſtituendum, elementorum qualitates in ſummo, potius in gradu remiſſo concurrant.

Opinio Galeni.

Diſſidium eſt inter Galenum, & Auerroem. Galenus, cum elementorum qualitates ſummas eſſe iudicarit, eaſdem quoque omni-

omnibus ſuis gradibus in miſti conſtitutione, ad cōflictum, pugnamque accedere arbitratus eſt. Auerroes, contentionis cupidus, & à communi opinione libēter recedens, hac preſertim in re Galenum carpit; nequiuit enim percipere, quo nam pacto ſummę elementorum qualitates in temperatione haberi poſſint: ſed eas, aliquo gradu dimiſſo, in temperationem venire exiſtimauit.

Opin. Auer.

Hęc Auerrois excogitatio perbellè reijcitur à Io. Fernelio: eadem enim prorſus vſ ratio; ſi qualitates ſummę, ac eędē repreſſæ, dūmodo parib. ſint virib. congredi atqui: ex vtribus. ſ. h. confuſis peræque fiet moderatio quædā, & tēperamentū. Sumamus feruētiſſimā, & frigidiſſimā aquā, miſceanturq; inuicem, tunc ſtatim orietur aqua tepida: atqui eadem aqua tepida orietur, ſi duæ portiones aquæ ita permiſtæ ſint, vt altera quatuor tantum caloris gradus, altera quatuor gradus frigoris poſſideat.

Io. Fern. contra Auer. lib. de tēper. c. 3.

Efficax exemplum.

Propterea ſi abſurdum eſt, id quod in harū qualitatum congreſſu putauit Auer. illud idem ex eo, quod is opinatur, iudicandum eſt, quod ipſe ex Galeni opinione oriri exiſtimauit. Sed quomodocunque res ſe habet, hoc tanquam cōpertum, atque deprehenſum habendum eſt, elementa ijs ipſis qualitatibus ad miſtum efficiēdum concurrere, quibus prædita ſunt; eæ autem ſunt qualitates ſummæ. Neque .n. ignis fieri poteſt calidior, nec aqua frigidior, neque aer humidior, nec terra ſiccior. Neque rurſus, antequam pro miſti conſtitutione inter ſe pugnent, eorum qualitates ab aliquo retundi poſſunt.

Rō euidēs cōtra Auer.

Cōſideratio tertia.

Cæterum (quod mirum videtur, & eſt valdè notandum in opinione Auicennæ) ſi paribus ſint viribus huiuſmodi qualitates, vt pro miſto conſtituendo eſſe debent, nec, dum inuicem pugnant, ſeſe ita refrangunt, vt ſuorum graduum aliquem amittant, quemadmodum Auerroes, & cum eo alij plures exiſtimarunt. Nam ea ratione, qua dum ſummæ ſunt huiuſmodi qualitates, viribuſque pares, mutua earum actione, ſecundum Auerrois ſententiam, ſeſe retundunt, & ad quandam mediocritatem reuocantur, ipſarum exuperantijs repreſſis, aliquibuſque gradibus amiſſis; eadem prorſus ratione, cùm mediocres factæ ſunt, quia vires adhuc pares habent, poterunt rurſus vlteriore actione ſeſe retundere, atque ad gradus remiſſiores reuocari. Quòd ſi actio continua ſit, nō video, quomodo, eadem ſemper proportione manente, ijſdemque paribus viribus, non breui temporis ſpatio hæ qualitates ſeſe tandem viciſſim interimant, antequam fortè miſtum aliquod fiat: vel ſi miſtum conſtitutū ſit, non breui ſit illud temporis curriculo duraturum.

Nota diligēter hoc fundamentū opinionis Auic.

Dicendum igitur eſt, ſummas elementorum qualitates, paribus quodammodo viribus, ad pugnandum accedere, cùm miſtum conſtitui debet; atque ex illa pugna, omnes quidem in quandam mediocritatem, & temperationem coire; nequaquam tamen initiò retundi, nec vllam ſuorum graduum iacturam fieri. Neque verò putandum eſt, ignem in miſto ſuum calorem amiſiſſe, quòd non itidem vt priùs calefaciat; aut aquam ſui frigoris morſum penitus depoſuiſſe, quòd non vt priùs frigore obrigeat: nō enim hoc euenit, ꝙ qualitates aliquō modo repreſſæ ſint; ſed quia contrariarum qualitatum perfuſione, quaſi vinctæ, vt Fernelius ait, illæ inhibentur, ne ſummas ſuas vires exerceant; hincq; nonnulli arbitrantur, eaſdem ſuas exuperantias amiſiſſe, gradibuſque depreſſas eſſe; cùm tamen omnes ſuos gradus adhuc obtineant.

Auic. ſententia aptiſſimo exemplo cōfirmatur.

Poſſet pro hac re declaranda exemplum ſatis aptum, & accommodatum in eo concentu afferri, qui ex pluribus vocibus, ſimul iunctis proficiſcitur: in quibus alia acuta eſt, alia grauis, & obtuſa, alia dulcis; aſpera alia, & ad ſummam, plures ſunt voces, quæ ſi ſeorſum audirentur, auditum fortaſſe læderent; cùm tamen omnes ſimul iunctæ ſuauem, gratamque admodum efficiant harmoniam. Iam verò in illa harmonia oppoſitæ voces, quaſi in vnam iunguntur, & ad quandam moderationem reuocantur: nulla tamen illarum eſt, quæ ex eiuſmodi coniunctione gradum vllum amittat: ſed omnes cū omnibus ſuis gradibus manent; tametſi ob contrariarum vocum permiſtionem, & confuſionem, illæ, quæ non nihil excellentiæ obtinent, quaſi vinctæ inhibentur, ne totam ſuam vim exercere poſſint; & propterea refractæ videntur; cùm tamen re vera refractæ non ſint. Cuius rei certiſſimum argumentum hoc eſt, quoniam ſi altera oppoſitarum vocum auferatur, altera ſtatim cum omni ſua exuperātia exaudietur. Ita omnino in miſtione cōtingit: ſi enim miſtum diſſoluatur, omnes ſtatim elementorum particulæ cum particulis ſui generis vnientur, earumque qualitates priſtinas vires recuperabūt: quas tamē recuperare nullo modo poſſēt; ſi in eo conflictu aliquos ſuorum graduum amiſiſſent.

Alio exēplo ſatis idoneo oſtēditur, elementorū qua

Subit mihi nunc exemplum aliud, nec fortaſſe ineptum; quo oſtendere facilè poſſim, nullam in miſtione graduum elementariarum qualitatum iacturam fieri: ſed vires tantummodo inhiberi, ne eodem modo vinctæ, & confu-

ſæ

litates ſuas i miſto gradus nõ amittere, ſed earũ dun taxat vires in hibere.

Vide in fine diſput. obiectiones Mercenarij, & earum ſolutio.

ſæ agant,ſicut ſolutę,liberæque agebant. Sint duo fortiſſimi,robuſtiſſimique viri, qui ſimul pugnent,atq; decertent,ſintq; viribus pares:luctantur inuicē;reluctātur,ſeſeque cõplectunt: vterque omnes ſuos conatus adhibet,vt colluctatorem deijciat;neuter vincit, ſed vtriuſque vires vtriuſque viribus inhibentur. Quæro,amittāt ne viri iſti vllos ſuarum virium gradus; quoniam in illa colluctatione impediuntur? Minimè verò:nam ſi cum alijs congrediantur, qui ſint viribus impares,eorum certè vires vnà cũ omnibus ſuis gradibus ſtatim prodibũt. Sic igitur in elementorum qualitatibus dicendum eſt,quæ ſuas quidem vires in conflictu retinent:quinimmò & in ipſo miſto;ſed eas tamen implicitas,& quaſi deuinctas,non etiam ſolutas. Non diffiteor tamen,id,quod per initia,aut vix,aut nullo modo fit,temporis prolapſione fieri poſſe,vt.ſ.mutua contrariarum qualitatum actione,aliqua graduum repreſſio fiat:ni ſi enim ita eſſet,tunc miſta omnia nunquam diſſoluerentur:propterea aliquando contingit, vt alicuius qualitatis gradus ab exterioribus cauſis augeatur,& tunc qualitas illa excellens, qualitatem oppoſitam reprimat;hincque breui miſtum ad perniciem trahatur. Sic contingit in homine temperamenti mutatio:nam aut qualitate aliqua extrinſecùs accedente, aut alimentis intro acceptis,homo calidi temperamenti in temperamentum frigidum,aut ſiccũ, vel viciſſim mutare poteſt. Concludamus igitur, Auicennæque ſententiam breui complectamur;dicamuſque,miſtionem tunc fieri,cùm elementorum ſubſtantię non in quàmminimas, ſed in perexiguas particulas dirimuntur, arctiſſimoque inter ſe vinculo coniunguntur: id quod mutua qualitatum actione efficiunt. Sic autem vnitas eſſe elementorum illas particulas,vt nemo ſit,qui quàmuis acuta oculorum ſit acie præditus, illarum aliquam ſeorſum diſcernere poſſit;ſed noua quædam forma paratur,ex illis conſurgens,quæ tum primùm in cõſpectum ſe dat,cùm qualitatum perfuſio facta eſt. Etenim qualitates inter ſe totæ totis confunduntur,perque totam illam elementorum, ſic vnitorum, molem æquabiliter diffunduntur;cùmque ſic diffuſæ ſunt;tunc perfecta,& abſoluta miſtio facta eſt(non enim in ſola ſubſtantiarum confuſione conſumata erat)tuncque forma miſti;media illa qualitate exornata, primùm apparet,quæ ei vt inſtrumentum,ad ſuas edendas operationes inſeruit:omnis enim actio tunc ſoli miſto tribuitur;quoniam elemētorum vires in miſto diſperſę ſunt,& quaſi uinctę,ob dignioris,pręſtantioriſque formę pręſentiam,detinentur.

Vt temporis prolapſione accidat tẽperamẽti mutatio, qualitatũq; graduũ amiſſio.

Epilogus opinionis Auic.

*Auicennæ ſententia rationibus fulcitur, Ariſtoteliſque autoritatibus roboratur.*
*Cap. XIII.*

HAud certè ſcio;quid vlterius addi pro Auicennę ſententię explicatione,aut debeat,aut poſſit:iam enim illam & digreſſiunculis aperuimus,& exemplis illuſtrauimus,& experientia ipſa comprobauimus,vt qui nondum eam planè intellexerit,ne in poſterum quidem arbitror,eum aliquādo aſſecuturum. Lubet nihilominus,ad vberiorem doctrinam, rationes pręcipuas,nonnullaſque Ariſtotelis autoritates adiungere,quę pro illa paſſim adduci ſolēt, eo potiſſimùm conſilio,vt oſtendam,aduerſariorum reſponſiones,quibus ſe illis obuiam ire arbitrantur,nullius eſſe momenti,nec peripateticam doctrinam redolere. Elementa igitur ſecundum ſuas ſubſtantiales formas in miſto ſeruari,hac primùm ratione ſuaderi ſolet; Vbicũque qualitas,ſeu affectio aliqua reperitur, ibi quoque ſubſtantialem formam adeſſe neceſſe eſt,quam eiuſmodi qualitas,ſeu affectio conſequitur:vbi enim eſt riſibilitas,ibi eſt forma hominis:vbi eſt hinnibilitas.ibi eſt forma equi,& eodem modo de alijs:ſed in miſto re ipſa,vel (quod aiunt)actu,elementorum qualitates reperiuntur;ergo in eodem ſubſtantiales elementorum formas adeſſe neceſſe eſt. Præterea, cùm elementa ad miſtum conſtruendum accedũt, aut pares habent vires,aut impares:ſi pares,non igitur ſeſe interimere poſſunt, ſed omnia illæſa ſeruantur in miſto. Si impares,aut nullum fiet miſtum,ſed debilia elemēta in validius, atque robuſtius conuertentur:aut ſi fiet,in eodem ſaltem re ipſa illa elementa permanebũt, quæ ſuis ſe viribus ab interitu vindicarunt. Tertiò,ſi in miſti conſtitutione elementa omnia interirent,nouaque miſti forma,ipſis intercidentibus,oriretur;nullum penitus inter ſimplex, & miſtum corpus reperiretur diſcrimen,cui tamen rei peripatetica dogmata penitus aduerſantur. Conſecutio eſt manifeſta:ſi enim iam elementa occiderunt,ſtatim forma, recens orta,cum prima materia iungitur,atque ita,eorum vnione, nullum aliud, quàm ſimplex corpus fieri poterit. Etenim dum elementum quod ſimplex corpus eſt,materiæ,& formæ con

Pro ſentẽtia Auicennæ Prima ratio.

Secunda rõ.

Tertia ratio.

iun-

iunctione concreſcit, ſimplex forma elemẽti, proximè, & abſque alterius corporis interiectu, primæ materiæ accumbit: ſi igitur ita accidit in miſti conſtitutione: aut nullum reuera dabitur corpus miſtum; aut nullum penitus, inter ipſum, & corpus ſimplex, intercedet diſcrimen.

Quarta ratio

Poſtremò, propoſitio eſt, omnium Peripateticorum aſſeueratione firmata, miſtũ corpus motu præualentis elementi concitari: id.n. apertè 1. de Cælo tex. 12. Ariſt. docet: non poſſet, autem miſtum corpus vi præpotẽtis elemẽti moueri, niſi illud, atque etiam alia ſecundum ſuas formas ſubſtantiales, re ipſa in eodem continerẽtur. Ad Ariſt. verò autoritates, quod attinet, quæ præcipuè adduci ſolẽt, ſunt huiuſmodi. Prima elicitur ex 1. lib. de Ortu, & interitu tex. 84. a nobis ſuperiùs citato, vbi diſertis verbis Ariſt. ait, neque ambo miſtibilia interire, neque alterum tantùm. Secunda elicitur ex tex. 88. eiuſdem libri, vbi ait, guttam vini non miſceri mille amphoris aquæ: rationemque reddit, quia forma vini aboletur: ſubſtantiales igitur elemẽtorum formæ extingui non debent, ſi miſtio aliqua futura ſit. Tertia elicitur ex 2. lib. de Anima tex. 39. vbi aſſerit, niſi anima eſſet in corpore, fore, vt elemẽta omnino diſtraherẽtur, atque in ſuam quæque regionem concederent: non poſſent autem elemẽta in ſuas regiones concedere, niſi re ipſa ſeruarentur in miſto. Poſtrema elicitur ex 2. de Partibus animalium, cap. 1. & 2. vbi ait, totius viuentis materiam eſſe partes heterogeneas: earum autem materiã eſſe partes homogeneas: atque tandem harum materiam eſſe elemẽta. Arguamus nunc ſic, Partes heterogeneæ in toto viuẽte corpore re ipſa continentur, & partes homogeneæ in heterogeneis pariter re ipſa conſiſtunt; ergo eadem ratione elementa re ipſa, & ſecundum eorum ſubſtantiales formas in homogeneis partibus ſeruabuntur.

Prima Ariſt. autoritas ex 1. de Ortu, & inter. tex 84.
Secunda autoritas ex 1. de Ortu, & inter. tex. 88.
Tertia autoritas ex 2. de Anima, t. 39.
Quarta autoritas ex 2. de Partibus ani. cap. 1. & 2.

### *Aduerſariorum reſponſiones ad argumenta propoſita.* Cap. XIV.

HIs rationibus, atque Ariſt. pariter autoritatibus, multi ex eorum numero ſatisfacere conantur, qui & Latinorum, & Auerrois ſñiam de miſtione protegunt, atque defendunt. Ad primam negat Scotus, in miſto qualitates elemẽtarias reperiri: cùm.n. apud ipſum, ex diſſolutis elemẽtis miſtum conflatum ſit; neceſſariò ſequitur, vt in elemẽtorum interitu eorum identidem qualitates intereant, cùm autem miſtum qualitatibus etiam præditum ſit; concedit, qualitates illas elemẽtorum qualitatibus ſimiles quidem eſſe, non tamen eaſdem; reperitur ſiquidem, ait ipſe, in animali calor; attamen non eiuſdem generis ille eſt cum elemẽtario calore. Alij recentiores, vt Toletus, & Conimb. admittunt, in miſto elemẽtarias qualitates reperiri; negant tamen, eas, prout in miſto ſunt, elemẽtorum affectiones eſſe. Etenim qualitates, quæ propriæ elemẽtorum affectiones dicuntur, ſummæ ſunt, omneſque gradus obtinent: in miſto verò non ſummæ ſunt qualitates, ſed refractæ, & ad mediocritatem reuocatæ. Ad hæc, in elemẽtis qualitates, vt in ſuis fontibus; in miſto verò vt aliunde ortæ, ac deriuatæ continentur; & propterea dicunt, miſtorum qualitates non eſſe re vera qualitates elemẽtorum, ſed illorum tantum ſpeciem, atque ſimilitudinem gerere.

Ad primã rõnẽ, vid. Scot. in 2. diſt. 15. q. vnica.
Alia rñſio, vide Toletum 1. de Gener. q. 17. & Conimbr. ibidẽ c. 10. q. 3. a. 3.

Ad ſecundum reſpondent, paribus quodammodo viribus, vt Ariſt. ait, ad miſtum efficiendum elemẽta concurrere; mutua tamen eorum actione ſeſe tandem diſſoluere, non ita, vt in nihilum abeant, aut vnum elemẽtum in alterius naturam delabatur: ſed vt omnia in tertiam quandam naturam, & ſubſtantiam, ex ipſis conflatam, commigrent, quæ eſt ſubſtantia miſti.

Ad ſecũdam rationem.

Ad tertiam dicunt miſti formam duobus modis ſpectari poſſe, vel quo ad ſubſtãtiam, vel quo ad virtutes, & affectiones. Si primo modo conſideretur, ita ſimplicem putant eſſe formam miſti, ſicut formam elemẽti: vtraque.n. ſimplex eſt ſubſtantia, proximè materiæ iuncta: hoc tamen diſcrimine, vt ait Scotus, quia in materia non poteſt recipi forma miſti, niſi priùs in eàdem fuerit forma ſimplicis elemẽti, quemadmodum in materia non poteſt recipi forma carnis, niſi in eadem priùs extiterit forma ſanguinis. At vero ſi miſti forma quoad virtutes, & affectiones conſideretur, non ita ſimplicem eam eſſe dicunt, ſicut formam elemẽti, ſed compoſitionem, aut potius miſtionẽ quandam redolere: eius.n. natura quatuor primarum qualitatum permiſtionẽ, ceu congruentem aliquam affectionem expoſcit. Iacobus Zabarella, ſuis fundamentis innixus, aliter diluit huiuſmodi rationem: concedit.n. miſtionem à generatione re ipſa nequaquam differre; ſed tantummodo ratione. Miſtio dicitur, ait ipſe, quatenus aliqui formarum elemẽtariarum gradus ſeruantur in miſto. Generatio appellatur, quatenus aliqui gradus earundem formarum intereunt, atque, illis extinctis, noua miſti forma ſtatim exoritur.

Ad tertiam rationem.
Rñſio Zabar. ad ſecundam rationem.

Ad quartam reſpondent, ele-

Ad quartam rationem.

mentum

mentum aliquod cæteris in miſto præſtare, dupliciter intelligi poſſe, vel ſecundum propriam formam, vel ſecundum virtutem: concedunt, alicuius elementi virtutem in miſto præpotentem eſſe, atque illa ipſa miſtum concitari: negant tamen, in eodem ſubſtantialem alicuius elementi formam aſſeruari. Proximum principium, ſeu inſtrumentum motus miſti, eſt qualitas aliqua, vt grauitas, aut leuitas: quemadmodum autem miſtum habere poteſt formam, ratione cuius cum hoc elemento magis conueniat, quàm cum illo; ita illud idem, inquiũt, qualitatem habere poſſe, quæ alicuius elementi qualitati ſimilis ſit: mouebitur ergo miſtum ex. gra. deorſum, grauitate, ceu qualitate propria, non autem alicuius elementi.

Ad primam Ariſt autoritatem.

Ad primam Ariſtotelis autoritatem reſpondent, ſic eam intelligendam eſſe, vt. ſ. neque ambo miſtibilia intereant, adeo vt in nihilum abeant, neque alterum tantum, adeo vt in alterius naturam conuertatur, ſed ambo interire, vt in miſti naturam delabatur, atque in eodem virtute ſeruẽtur.

Ad ſecũdam autoritatem.

Ad ſecundam, ea ratione, inquiunt, guttam vini mille aquæ amphoris non miſceri, quia aboletur illa, & in aquam conuertitur, quemadmodum ipſe Ariſtoteles docet: hoc autem eſt contra rationem miſtionis, quæ non requirit, vt altero miſtibilium incolumi permanente, alterũ diſſoluatur, atque in alterius valentioris naturam, & ſubſtantiam traducatur; ſed vt omnia miſtibilia diſſoluta, & extincta, in tertium quiddam conuertantur.

Ad tertiã autoritatem.

Ad tertiam, dicunt, Ariſtotelem ibi contra Empedoclem diſputare, qui accretionem non ab anima, ſed ſola elementariarum partium appoſitione fieri exiſtimabat: propterea arguebat Ariſtoteles, ſi ita id fieret; elementa, à nullo contenta, proprijſque naturis relicta, in diuerſas omnino regiones, cum ipſius miſti diſſolutione, diſtractum iri.

Ad vltimam autoritatem.

Ad poſtremam reſpondent, illarum materierum longè diſparem rationem eſſe: conſtãt quidem, inquiunt, ex partibus heterogeneis viuentia corpora, tanquàm ex materia, & ex partibus homogeneis partes heterogeneæ: attamen partes homogeneæ non ex elementis, vt ex materia conſtant, ſed ex varijs elementorum materijs conflantur; hancque aiunt eſſe Ariſtotelis doctrinam lib. 2. de Partibus animalium c. 1. & 2.

## *Quæ ab aduerſarijs pro prædictis rationibus diluendis adducta ſunt, confutantur.* *Cap. XV.*

LAngueſceret nunc Auicennæ ſententia, & quaſi aduerſariorum reſponſionibus omnino profligata videretur, niſi nos iterum arma capientes, obuiam illis iremus, eoſq; tanquam mẽdaces, & obtrectatores, ex arena prorſus eijceremus.

Scoti rñſio ad primã rationem reijcitur.

Quod aſſerit Scotus, in animali calorem ineſſe, ab elementario penitus diuerſum, perbellè quidem dictum eſt; tametſi non deſint, qui oppoſitam ſententiam tueantur: an verò hoc propoſitæ rationi ſatisfaciat, aliorũ ſit iudicium. Omittamus nũc calorem illum, quem anima ſecum defert: probabile enim eſt, eum cælitus originem ducere, quemadmodum opportuniore loco oſtendemus: loquamur de miſto, anima carente, deque illo calore, quo præditum eſt. Quis, obſecro, negare poterit, eum ad elementa pertinere? Quis non aperte confitebitur, in ſulphure, atque bitumine ſatis conſpicum eſſe calorem elementarium, cùm in huiuſmodi corporibus maxima ignis portio reperiatur?

Alia Scoti reſponſio infra reijcienda.

Dicet fortaſſe Scotus, in huiuſmodi corporibus calorem ineſſe, qui igneo calori ſimilis quidem eſt; attamen non eſt is ipſe calor; cùm re ipſa ignis in illis non adſit, ſed eſt calor eorum corporum proprius. Hoc ego vnà cum reſponſione ad quartam rationem infra cõmodius reijciam.

Toleti, & Conimbricẽſiũ rñſio ad eandem rationẽ coarguitur.

Videamus nunc, an quæ à Toleto, & à Conimbricenſibus, pro huius primæ rationis ſolutione, dicta ſunt, cum veritate conſentiant. Negant iſti autores, elementorũ qualitates in miſto reperiri; propterea quòd non ſummæ ſunt, ſed refractæ, & ad mediocritatem quandam reuocatæ: qualitates autem, quæ elementorum affectiones dicuntur, ſummæ ſunt, omneſque gradus obtinent.

Quo intelligẽdũ ſit, qualitates ſũmas proprias eſſe elemẽtorum affectiones.

Primò aduertendum illud eſt, falſum eſſe, qualitates ſummas proprias elementorum affectiones eſſe, ſiquidem id abſolutè intelligatur; in hoc. ſ. ſenſu, vt nulla res ſit igne calidior, aut aqua frigidior, & ſic de alijs. Experimur enim, candens ferrum acerbius vrere, quàm ignem; & glaciem impenſius refrigerare, quàm aquam: igitur ſummæ qualitates propriæ elementorum affectiones dicentur, ſi res ita intelligatur, vt inter elementa, nullum ſit igne calidius, aere humidius, aqua frigidius, & terra ſiccius.

Elementorũ qualitates poſſunt intẽdi, & remitti.

Iam verò ſummæ cũ ſint, eo modo, quo diximus, elementorum qualitates; gaudent nihilominus & ipſæ communi qualitatum priuilegio, vt. ſ. remitti, & poſtquam remiſſæ ſunt, iterum intendi poſſint; idque abſque earum interitu. Dum igitur elementa contraria, vt ignis, & aqua, inter ſe pugnant, ſi ho-

rum

rum alterum ſit viribus impar, ſenſim ab excellentiore perimitur, atque in illius naturam cõuertitur: huiuſmodi autem conuerſio momento fieri non poteſt, ſed interiecto interuallo. Sit ergo ignis valẽtior, qui, ſua actione in aquam, eius perniciem moliatur, ponamuſque, duos iam frigoris gradus aquam amiſiſſe; quæro de illa frigiditate, quæ cum reliquis gradibus reſidet in aqua, ſit ne qualitas, propriaque ipſius aquæ affectio, an alicuius alterius corporis? Nõ poteſt quidem eſſe affectio alicuius alterius corporis; quia in illa pugna, præter aquam nullũ aliud adeſt corpus, q̃ ignis, cuius quidẽ affectio non poteſt eſſe frigiditas: igitur illa frigiditas propria ipſius aquæ affectio dicenda erit. Huc accedit, quòd non interit aqua, tametſi ab ea duo gradus frigoris amoueantur: ſubſiſtit igitur etiam num eius ſubſtantialis forma, quã neceſſe eſt, propria qualitas, ſeu affectio conſequatur; hæc aũt nulla alia erit, quàm remiſſa illa frigiditas. Non eſt igitur abſurdum, qualitates remiſſas proprias interdum eſſe elemẽtorum affectiones, quemadmodum prędicti autores exiſtimarunt. Ruſus accipiamus portionem maximam ignis, in qua ſit ſumma caliditas, eamque in multas portiones perexiguas diuidamus: non habebit certè quælibet perexigua particula caliditatem ſummam; quinimmò ſi ad caliditatem illam referatur, quæ in maxima portione reperitur, valde remiſſa erit, & nihilominus propria dicetur illius perexiguæ portionis affectio: poſſunt igitur qualitates in gradu remiſſo, elemẽtorum affectiones appellari. Longiùs aũt à veritate abhorrent, quæ ab eiſdẽ autoribus, pro ſecundæ rationis ſolutione, proponuntur. Elemẽta, inquiunt, viribus quodam modo paribus, ad miſti conſtitutionem concurrunt, & nihilominus ſeſe viciſſim interimunt. Excedit hoc captum ingenij mei. Congrediantur ſimul ignis, & aqua: aer, & terra, ſintque eorum vires aut pares, aut ſuppares; quibus nam, obſecro, victoria decernetur? Agit ignis quantum poteſt, ſua caliditate: reſiſtit aqua, & omni conatu obnititur, ſua frigiditate: ſi verum eſt id, quod lib. de Motu animalium, Ariſt. ſcribit, & omnes pariter philoſophi confirmant, ſi nõ niſi à proportione maioris inæqualitatis actionẽ fieri poſſe; percipere nulla ratione queo, quo modo aliquando alterum horum elemẽtorum, aut etiã ambo poſſit interire: & quod de igne, & aqua dictum eſt, idem pariter de aere, & terra intelligi poteſt. Dicent aduerſarij, omne agens, qualecunque illud ſit, ſiue paribus cum altero viribus, ſiue imparib. in agendo ſemper repatitur ab obnitẽte, & propterea ſi actio, & paſſio, atq; pariter obnixus, & (vt ita dicã) repaſſio continua eſt, opus eſt tandẽ, vt tàm agens, quã patiẽs diſſipenẽ. Subſcribo libẽtiſſimè huic rñſioni, ſed eã accipio, tanquã firmiſſimum Auicen. ſniæ fundamentũ. Si. n. agens, & patiens, quæ viribus paria ſunt, ita diſſipari intelligant, vt ſuomet iure priuentur, nec vires amplius ſuas exercere poſſint, ſed tanquam ſi aliquod induerint veſtimẽtum alterius, quod ita ſuas ipſorum vires ad agendum adhibeat; hoc quidem veriſſimum eſt. Quinimmò communis eſt interpretatio illius, ꝓpoſitionis, inter ea, quæ paribus prædita ſunt, actionẽ dari, & paſſionẽ, non qua ſe mutuò interimant, ſed qua in tertium quiddam tranſmutẽtur. Hoc autem exemplis demonſtrare haud difficilè eſt. Si calidum, & frigidum paribus viribus ad pugnandum accedant, erit inter illa quidem actio, & paſſio; tamen huiuſmodi qualitates non ſeſe omnino deſtruent, ſed in mediam quandam qualitatem coibunt, quæ eſt tepiditas. Eadem ratione, ſi album, & nigrum paribus gradibus commiſceantur, nõ intercident omnino: ſed in medium colorem abibunt. Si autem agens, & patiens ita diſtrahi autument, vt omnino aboleantur, atq; ex eorum occaſu, tertium quiddam oriatur, hoc certè nihil in philoſophia abſurdius, atque diſtortius audiri poteſt. Nam ſi exempli gra. nec ignis aquam delere, nec aqua ignem extinguere põt, quòd paribus viribus ſint, qui fieri vnquam poterit, vt niſi aliud adſit contrarium, quod perdere illa poſſit, ambo penitus diſſipẽtur? Reprehenſione quoque digna eſt reſponſio ad tertiam rationem, vtpote, quę ipſam nullo modo expediat: ſit. n. ſimplex miſti corporis forma, vt nos quoque tuemur, quod nam obſecro, inter miſtum, & ſimplex corpus apparebit diſcrimẽ, ſi elemẽtis penitus extinctis, miſti forma proxime materiæ primæ coereat? Profectò ſi hoc ita eſſet; tunc nullum miſtum corpus quicquàm ab interioribus cauſis perpeti, nec ab eiſdem aliquando diſſolui, aboleriue poſſet: cuius tamen oppoſitum, omnium clamitant philoſophorum dogmata. Etenim ſi miſti corporis ſubſtantia, ſimplex eſt, & vniuſmodi, nihil intus habebit, à quo affici poſſit: ſimile. n. à ſibi ſimili non patitur, vt 1. de Ortu, & interitu aſſerit Ariſt. Deinde ſi in miſto corpore nihil aliud quàm prima materia, & ſimplex eius forma reperiatur, tũc illud puro, ſimplicique elemẽto nutriri poſſet, ſi è viuẽtium numero eſſet: at nul-

lum

Nota hic rõbur confutationis.

Alia rõ cõtra eandẽ reſpõ.

Rñſio ad ſecundam rationem refellit.

Nõ fit actio, niſi à proportiõe maioris inęqualitatis

Rñſio pro aduerſarijs.

Exẽplũ vim conferens cõfutatione.

Aliud exemplum.

Rñſio ad tertiam rationẽ exploditur.

Argumẽtum primum.

Alterum argumentum.

*Nullum corpus viuēs ſimplici alimēto nutriri pōt.*

lum viuens poteſt ſimplici elemēto nutriri, vt docet Ariſt. lib. 2. de Ortu, & interitu, tex. 49. & lib. de Senſu, & ſenſili cap. 5. igitur nullum corpus viuens ex ſola materia prima, ſimpliciq; ſubſtantiali forma conſtare poteſt. Experimēto quoque id notum fit; ex eodem .n. ſanguine, qui per venas in omne corpus perlabitur, ſingulæ partes familiarem ſibi, licet diuerſam portionem, pro ſui nutrimento alliciunt: alia enim ſanguinis portione cartilagines, alia membranæ, alia oſſa nutriuntur, & ſic de ſingulis.

*Reſponſio p aduerſariis.*

Audire mihi videor ita reſpondentes, aduerſarios, heterogenea corpora, atque præſertim viuentia, miſtam quidem ſubſtantiam habere, vt pote quæ ex pluribus partibus, membris, & organis compaginata ſint, ad plures, atque diuerſas functiones obeundas neceſſarijs: corpora verò homogenea ſimplicem, & vnius modi ſubſtantiam obtinere, cuiuſmodi eſt ſanguis, caro, & id genus alia; & de his potiſſimùm ſermo eſt.

*Confutatio.*

Nolo aliud exemplum ſumere pro huius reſponſionis confutatione, quàm exemplum ſanguinis, ab ipſiſmet aduerſarijs adductum.

*Alimētorum ſanguis p venas ad corpꝰ nutriendum perlabiť, nō eſt ſimplex humor.*

Experiētia enim docemur, eum non ſimplicem eſſe humorem, ſed ex quatuor humoribus, quatuor elementa referentibus, conflatum, nimirū ex bili, pituita, melancholia, & ex eo humore, qui propriè ſanguis appellatur: qui quidem humores tunc omnibus conſpicui ſunt, cùm ſanguis extra venas concreſcit, vt ſæpe Medicis in phlebotomia licet experiri. Sanguis igitur tametſi corpus ſimilium partium eſſe dicatur; ſimplici tamen ſubſtantia non eſt præditus. Quid plura?

*Qui verè dr ſanguis à reliquis humoribus diſcretus non eſt corpus ſimplex.*

Neque humor ille, qui, à reliquis humoribus ſecretus, ſanguis verè, & propriè nuncupatur, ſimplicem ſubſtantiam habet: ſi is enim ſuæ naturæ relinquatur, aliquò certè mouebitur: aut igitur ſurſum, aut deorſum (ad hæc enim loca ſublunaria corpora feruntur, quæ ſimplici ſubſtantia gaudent) deorſum autem, vt videmus, delabitur ſanguis, cùm nulla vi ad diuerſam regionem attrahitur: ſi igitur, ſecundū aduerſarios, corpus quoddam eſt ſanguis, ſimplici ſubſtantia præditum; erit illud neceſſariò aut terra, aut aqua, dicendum: at nullum iſtorum nobis apparet; igitur ex ijs ipſis neceſſariò miſtū eſt; atque ita tertia ratio propoſita in ſuo robore manet, qua probabatur, inter ſubſtantiam corporis ſimplicis, atque miſti, & rurſus inter generationem, & miſtionem nullum penitus datum iri diſcrimen, ſi prorſus elementa in miſti conſtitutione conciderent.

*Zabar. miſſio ad tertiam rationem refellitur.*

Quæ à Iacobo Zabarella pro eiuſdem rationis reſponſione dicta ſunt, ex eis, quæ ſupra diximus, reijci facilè poſſunt: ſatis enim ſuperque probauimus, ſubſtantiales formas nullos gradus habere, ſed in indiuiſibili conſiſtere. Præterea Ariſtoteles 1. lib. de Ortu, & interitu text. 83. expreſsè docuit, miſtionem non eſſe re vera generationem.

*Miſtio re ipſa à generatione differt.*

Huc accedit, quòd mutatio illa, quæ re vera generatio dicitur, tunc fit, cùm materia prima, & forma ſubſtantialis ſimul copulātur: in miſtione autem non duo hæc prima principia, ſed elementa materię vicem gerentia ſimul vniuntur, atque ad ſimplicem miſti formam accipiēdam accommodantur: non igitur miſtio eſt re vera generatio.

*Reſponſio p Zabarella.*

Reſpondebit Zabarella, generationem corporis ſimplicis tunc fieri, cū materia, & forma ſimul copulantur: generationem verò corporis miſti, fieri cùm elementa ſimul vniuntur.

*Confutatio.*

Tametſi eam mutationem, qua miſtum in rerū natura ſtatuitur, malim ego miſti cōſtitutionē, quàm generationem appellare; nihilominus vt etiam admittam, eam appellandam eſse generationem; (nam & Ariſtoteles, lato tamen vocabulo, ſic eam interdum appellauit) duco tamen hinc argumētum, ad id, quod poſueram, confirmandum. Si ex elemētis ſimul iunctis miſtum corpus generatur; igitur eius ſubſtantia non poteſt eſse ſimplex. Deinde in generatione corporis ſimplicis, materia, atque ſubſtantialis forma in corpore genito re ipſa manent; igitur, in generatione corporis miſti, elementa, re ipſa, ſecundum eorum formas incolumes, nedum ſecundum virtutem, vt alij opinantur, in eodem ſeruabuntur.

*Cur miſti cōſtitutio non ſit ꝓpriè appellāda generatio.*

Cæterum miſti conſtitutionem re vera generationem appellandam nón eſse, inde elicio; quia ad generationem duo neceſsariò concurrunt, quorum alterum actus, alterum ſimplicis potētię & indeterminati entis rationem obtinet; & ſunt materia, & forma, ex quibus iunctis, vnum per ſe compoſitum conſtituitur. Ad miſtionem verò præter formam miſti concurrunt elemēta, quæ ſimplicis potentiæ, & indeterminati entis rationem non obtinent: ſunt .n. entia per ſe in ſuo genere perfecta, atq; determinata, ſimulque iuncta miſti formæ ſubſternuntur; igitur miſtio re ipſa à generatione diſtinguitur.

*Aduerſariorū reſponſio ad quartā rationem reijcitur.*

Aſserunt tandem aduerſarii, pro quartæ rationis ſolutione, miſtum ſecundum præualens elementum moueri; non quia elementum in eo, ſecundum ſubſtantialem formam, re ipſa contineatur; ſed quia duntaxat ſecundum virtutem. Hęc reſponſio ex ijs facilè reijcitur, quæ ſupra c. 10. Hippocratis, & Ariſtotelis autoritate retulimus:

mus: vbi oſtendimus, miſtum in ea tandem diſſolui, ex quibus conſtitutum eſt: conſtitutum autem eſt ex elementis; igitur in elementa diſſoluitur. At verò, ſi elementorum tantummodo virtutes in miſto ſeruarentur, tunc ipſum non in elemēta, ſed in eorum tantum virtutes diſſolueretur: quare ſi miſtum ſecundum præualens elemētum mouetur, neceſſariò ſequitur, illud in eo non ſolùm ſecundum virtutem, verùm etiam ſecundum ſubſtantialem formam, & qualitatem conſequētem, contineri. Ea igitur grauitas, qua miſtum deorſum concitatur, tametſi propria eſt corporis miſti, quia ipſa vt inſtrumento vtitur; aliunde tamen accepta eſt, & à grauibus elemētis, re ipſa in miſto exiſtentibus, tanquam à primo fonte, & origine deriuata. Sanè ſi in miſti diſſolutione elemēta omnia ad ſe redeunt, parteſque cum partibus ſui generis vniantur, ſignū euidentiſſimū eſt, illa in miſto cùm formas ſuas, tùm etiam proprias qualitates, & affectiones obtinuiſſe. Nec dicendū eſt, in miſti interitu, ſtatim denuo elementa oriri, eorūque formas in eas portiones materię ſuffici, vbi priùs forma miſti cōtinebatur; hoc enim præter naturæ ordinem eſſet: quoniam & ſi miſti forma in materia recipi non poſſit, niſi priùs eadem elemētorum formis affecta fuerit, vt etiam, diſputationis gratia, id, quod Scotus aſſerit, concedamus; nunquam tamē prima materia alicuius miſti forma, ad elemētorum formam recipiendam afficitur; ſed potiùs vnum miſtum, ob mutatam elemētorum proportionem, in aliud miſtum vertitur, donec tandem ad miſtum imperfectum, vel ſi fieri poſſit, ad ipſa pura elemēta deueniatur. Si igitur miſti diſſolutio præuia quædam affectio ad nouam elemētorum generationem eſſe non poteſt, &, ſi, cùm miſtum intercidit, ipſamet elemēta apparent, aut ſaltem ſuis ſe viribus, & facultatibus manifeſtant; quis non videt, eadem priùs in miſto ſalua, nec vllo modo diſſoluta conſtitiſſe.

Quo intelligendū ſit, corpus miſtum habere ꝓpriā grauitatem.

Miſti interitus nō poteſt eſſe elemētorum generatio.

Dubium eſt, an detur purum elementum.

*Non rectè ab aduerſarijs, Ariſtotelis autoritatibus, pro Auicenna ſuperiùs adductis, ſatisfieri.* *Cap. XVI.*

LOngè minus Ariſtotelis autoritatibus, quæ, pro confirmanda Auicennæ ſnīa ſuperiùs allatæ ſunt, autores prædicti ſatisfaciunt. Prima eorum interpretatio quàm facillimè diſſoluetur, ſi ea, quæ in contex. illo 84. Ariſt. docet, diligēter conſiderabuntur. Vult ibi Ariſtot. oſtendere, quo nam pacto miſtibilia, hoc eſt, elementa, maneant in miſto, & quomodo non maneant. Non manent, inquit, re ipſa; quoniam ex illis confuſis tertiū quippiam emergit, in quo nec ignis, nec aer, nec aqua, nec terra diſcernitur. Ne putaremus autem, miſtibilia hæc extincta penitus eſſe, addit hæc verba, *Et non deperdita.* Manent igitur elemēta in miſto, tantummodo potētia; non quia in eodem ſuas eorum incolumes formas conſeruent; ſed quia, præſtantioris formæ præſentia, eorum vires, & facultates inhibentur, & quodammodo vinciuntur. In hoc aūt ſenſu, ait Ariſt. elemēta in miſto potētia manere; quia in miſti diſſolutione inuicem ſeparantur, & mox ad ſe redeunt, priſtinaſque vires, & facultates recuperant: propterea ſcribit, *& poßibilia ſeparari rurſus.* Nunc contra allatam reſponſionē hunc in modum argumentari liceat. Si elementa in miſti conſtitutione omnino extinguerētur, & in tertiam quandam naturam tranſirent; ea quidem rurſus in eiuſdem diſſolutione, ſeparari, & ad ſe redire non poſſent: ſeparantur autem, & ad ſe redeunt, igitur in miſto, ſecundum eorū ſubſtantiales formas, conſeruantur, nec vllo pacto intereunt, vt in miſti naturam trāſmutentur. Reſponſio ad ſecundam autoritatem ex ijs, quæ tex. 90. eiuſdem libri Ariſt. ſcribit, reijci validiſſimè poteſt: vbi paucis colligens ea, quæ ſuperiùs de miſtione docuerat, àtque de miſtibilibus ſermonem habens, ita ait, *Hæc enim neque corrupta eſſe neceſſarium eſt miſta.* Non igitur ad miſtionis naturam id requiritur, vt. ſ. miſtibilia omnia diſſoluantur, atque in alicuius tertij naturam conuertantur. Et certè vix riſum continere poſſum, cùm prædictam illorum interpretationem conſidero, dum aiunt, ita Ariſt. propoſitionem intelligendam eſſe, vt. ſ. elementa omnia non intereant, adeo, vt in nihilum abeant. Ecquis, obſecro, eſt, qui neſciat, ſi miſtum ex elementis conflatur, elementa in nihilum non obire? Non erat quidem opus huiuſmodi interpretatione, & propterea cùm Ariſt. aſſeruerit, guttam vini mille amphoris aquæ non miſceri, quoniam interit, & in aquam mutatur; neceſſariò ſequitur, vt elementa, ex quorum perfuſione miſtum coaleſcit, in eodem integra, nec diſſoluta ſeruentur, quemadmodum ipſemet apertiſſimis verbis affirmat. Hinc eliciamus, aliud eſſe arbitratu ſuo Ariſt. propoſitiones, pro aliqua ſnīa pertinaciter defendenda, explanare: aliud autem eſſe in eiſdem propoſi-

Aduerſariorum rñſio ad primā Ariſt. autoritatē cōfutatur.

Explanatio contex. 84. 1. lib. de Gene. & interi.

Reſpōſio ad ſecundā autoritatem reijcitur.

In miſti conſtitutiōe nullam fieri elementorū diſſolutionem.

Nota.

Reſpõſio ad tertiam autoritatem refellitur.

tionibus verum Ariſtotelis ſenſum expiſcari. Sed neque etiam Ariſtotelis verba in tertia autoritate adducta, diligenter expenderunt. Diſputabat ibi, inquiunt, Ariſtoteles contra Empedoclem. Quid hoc refert? Non erat inter eos controuerſia, eſſent elementa in miſto, nec ne: ſed à quonam accretio, vel nutritio fieret. Hoc inter eos conueniebat, conſlatam eſſe plantã ex elementis; diſſidium tamen erat inter illos; quoniam ob naturalem elementorum motũ, Empedocles augeri plantam, & nutrimentum accipere putabat: Ariſtoteles verò augendi, & nutriendi vim animæ vegetali acceptam referebat. Et contra Empedoclem ita argumentabatur; cùm planta ex elementis conſtituta ſit, niſi, præterea, aliquid aliud in planta reperiretur, quod ipſa ſimul vnita contineret; dubio procul, eiſdem natiuo impetu diuerſas regiones petentibus, planta citò diſſolueretur. Ariſtoteles igitur huiuſcemodi argumẽtatione fatetur, in planta, quæ miſtum quoddam eſt, elementorum ſubſtantias contineri. Reſponſio ad poſtremam autoritatem confutatione non eget: quoniam & rationi, & naturæ ordini, & ipſiuſmet Ariſtotelis contextui penitus aduerſatur. Conſtat, viuẽtia corpora ex heterogeneis partibus, tanquam ex materia, atque ſimiliter partes heterogeneas ex homogeneis cõflata eſſe: elementa verò proximè ex materia, & forma conſtituuntur; igitur, ſi naturæ ordinem, rectà ratione ſeruare velimus, dicendum eſt, partes homogeneas ex elementis proximè coagmentatas eſſe: ſunt enim partes homogeneæ viciniores elementis, quàm primæ materię; alioquin non video, cur magis partes homogenę, q̃ heterogenę, immò & viuẽtia ipſa corpora ex materia cõflata eſſe dicantur. Nã quẽadmodũ ipſi dicunt, non ex elementis, ſed ex elemẽtorũ materia homogeneas partes conſtare; ita nos dicere poterimus, eadẽ ſeruata proportionẽ, nõ ex partibus heterogeneis, ſed ex prima materia, aut ſaltem ex materia partiũ heterogenearũ, hoc eſt ex ipſis partibus homogeneis viuentia corpora conſtitura eſſe; atque rurſus heterogeneas partes non ex partibus homogeneis, ſed ex materia partium homogenearum, hoc eſt ex elementis proxime conflari. Quod ſi ad compoſitionis radicem deuenire velimus, affirmare tandem cogemur, omnia miſta corpora, quæcunque illa ſint, proximè ex prima materia, atque ſubſtantiali forma concreta eſſe, quemadmodum etiam ipſimet arbitrantur. Sed his õmiſſis, ad ipſummet Ariſtotelem accedamus, qui lib. 2. de Partibus animalium cap. 1. & 2. apertiſſimè docuit, ſimilares partes proximè ex elementis conſtare: alias enim calidas, alias frigidas eſſe aſſeuerauit, alias humidas, alias ſiccas, quatenus magis alicuius elementi naturã, & qualitatem participant. Neque vero illud obſtat, nimirum docuiſſe Ariſtotelem, elementorum materiam eſſe propter partes ſimilares; quoniam ea verba ſecundum conſtructionẽ, quam vocant, intranſitiuam, intelligenda ſunt; ac ſi dixiſſet, elementa, quæ, ad ſimilares partes, rationem materiæ obtinent, in earum gratiam facta eſſe. Et huiuſmodi expoſitio ijs verbis cõſentanea eſt, quæ circa initium primi libri de Hiſtoria animalium Ariſtoteles ſcripſit; vbi trium compoſitionum meminit: primam dixit eſſe ex elementis, quæ ad ſimilares attinet partes; alteram ex ſimilaribus partibus, quæ propria eſt partium heterogenearum; tertiam ex partibus heterogeneis, ex quibus viuentia corpora conflantur.

Reſpõſio ad quartã autoritatẽ impugnatur.

Cõſidera diligẽter Ariſ. verba li. 2. de Part. animal. c. 1. & 2. lege etiã, quæ ſcripſit lib. 1. de Hiſt animal. cap. 1.

### *Latinorum philoſophorum, atque potiſſimùm Scoti ſententia de miſtione explicatur, ijſque ipſis argumentis fulcitur. quibus Auicennæ ſententia labefactatur.*

### *Cap. XVII.*

EX ijs, quæ hactenus, pro Auicennæ ſententia defendenda, propoſuimus, conſtare iã poteſt, quæ nam ſit Latinorum de miſtione opinatio, & quàm longè eadem à veritate abhorreat. Verùm quoniam inter præcipuas ſententias ipſa quoque numeratur, & ijs præſertim rationibus defenditur, quibus Auicennæ ſententia debilitari videtur; ideo operępretium eſſe exiſtimaui, cùm huius ſententiæ explicationem, tùm etiam argumẽta pręcipua, quę pro eadem afferri ſolent, in medium adducere, vt, illorum ſolutionibus, Auicennæ ſententia magis eluceat, atque ab omni dubitatione, & ſcrupulo vindicetur. Ergo inter cæteros philoſophos, ex eorum numero, qui Latini paſſim nuncupantur, fuit Doctor ſubtilis Scotus, qui, in miſti conſtitutione, ſubſtantiales elementorum formas incolumes permanere negauit; ſed eas omnino extingui, atque elementorum tantummodo virtutes in miſto conſeruari, perhibuit. Quam ſententiam Angelicus etiam Doctor S. Tho. amplexus eſt; tametſi Iacobus Zabarella aliter opinatur; fuitque eadem ab omnibus ferè poſterioribus Scholaſticis approbata.

Opinio Scoti in 2. d. 15. q vnica, quã oẽs ferè ſcholaſtici Doctores ſecuti ſũt

ta. Porrò hæc opinio à Doctore ſubtile ſic explicatur; In omni genere, inquit, medium inue- Dictæ opin explicatio.
nitur, quod eiuſdem eſt rationis cum extremis, vt patet com. Metaphy. text. 23. & medium
hoc ex extremis, vt rubor ex albo, & nigro componi dicitur: quippe quæ compoſitio non aliũ
de, quàm ex naturali quadam conuenientia medij cum extremis originem trahit, quando-
quidem vnius extremi ad alterum nulla eſt cognatio, nullus conſenſus, nulla ſympathia. Ita-
que ex extremis, ſimul iunctis, oritur ſpecies medij, quæ in ſeſe extrema, vt ſui partes non con-
tinet (ſimplex. n. eſt) neque etiam vnum extremorum in altero continetur: ſed illa ipſa ex-
tremorum tantum virtutes dicitur cohibere. Ita in re propoſita dicit; cùm inter elementa cõ-
traria, nulla familiaritas, aut conueniẽtia intercedat, nihil vnquã ex ipſis vnitis, atq; inter ſe
cõfuſis effingeretur, niſi mediũ aliquod inde oriretur, quod cũ extremis cõuenientiã quandã,
naturalemq; neceſſitudinẽ haberet: id aũt eſt ipſum miſtũ; quod nõ ita cõpactum eſt, vt vnũ
elementorum in altero inſit, aut elementa integra, nec diſſoluta illius partes ſtatuantur: ſed,
his penitus extinctis, noua illius forma oritur, quæ, propter iam dictam neceſſitudinem, natu-
ras redolet omnium elemẽtorum; cùm præſertim eorum virtutes in eadem, re ipſa contineã-
tur. Iam verò ſubſtantiales elementorum formas in miſto ſaluas, & incolumes non manere,
quemadmodum exiſtimabat Auicenna, nititur Scotus quatuor validiſſimis rationibus ſua-
dere. Prima ea eſt; Nõ eſt ponenda pluralitas ſine neceſſitate: ſed nulla nos cogit neceſſitas, Primũ argũ Scoti pro ſua opinione; & contra ſentẽtiam Auic.
vt in miſto quatuor elementorum formas ſtatuamus; igitur in miſto non remanent quatuor
elementorum formæ. Minorem probat; quia non ſunt neceſſariæ elemẽtorum formæ, vt mi-
ſtum aliquod munus exequatur: ad hoc. n. propria eius forma ſatis eſt; cùm præſertim mune-
ris functio miſti diuerſæ ſit ſpeciei ab ea, quæ propria eſt vniuſcuiuſque elementi. Nec ſunt
neceſſariæ propter qualitates, quia miſtum propriam habet qualitatem, ab elemẽtorum qua
litatibus ſpecie diſtinctam: frigiditas. n. carnis non eſt frigiditas terræ, vel aquæ. At verò ne
propter generationem quidem efficiendam neceſſariæ ſunt, quoniam æque miſti forma, ac
forma cuiuſcunque elementi generationis terminus eſſe poteſt: nulla igitur neceſſitas eſt, qua
in miſto quatuor elementorum formas ſtatuere cogamur. Secunda, minimè conſentaneum Secũdum argumentum.
eſt, ſubſiſtens aliquod duas ſpecificas formas habere, quarum altera nullam habilitatem ha-
bet, vt ab altera perficiatur; igitur abſurdum eſt, elementa in miſto, ſecundum eorum ſubſtan
tiales formas, collocare. Conſecutio eſt manifeſta; quoniam elementaris forma nata eſt, vnà
cum materia indiuiduum per ſe ſubſiſtens, in genere ſubſtantiæ conſtituere; ergo ſi plures in
miſto ſint elemẽtares formæ, ſuum quæque indiuiduum per ſe conſtituet, ac deinceps in om
ni miſto plura erunt indiuidua, per ſe ſubſtantia, quod vr̃ abſurdum. Tertiò, Omnem ſubſtã Tertium arg.
tiam corpoream conſequitur quantitas, quæ propria eſt illius ſubſtantiæ affectio: ſed forma
elementi vnà cum materia ſubſtantiam corpoream conſtituit; ergo ipſam neceſſario quanti-
tas veluti propria affectio conſequetur: quare ſi in miſto plures ſunt elementorum formæ,
erunt in vno, & eodem ſubiecto plures quãtitates, quod eſſe nulla ratione poteſt. Poſtremò,
Duo termini generationis. ſ. à quo, & ad quem, ſimul manere non poſſunt: at forma miſti, & Quartũ arg.
formæ elementorum ſeſe mutuò, vt termini oppoſiti generationis reſpiciunt, cùm ex elemẽtis
miſtum, & ex miſto elementa procreentur, non igitur in miſto elementorum formæ, vnà cũ
ipſius miſti forma conſeruari poſſunt.

### *Auerrois, recentiorumque Philoſophorum argumenta contra ſententiam Auicennæ.* *Cap. XVII.*

PRæter rationes Doctoris ſubtilis, alia ſunt etiam argumenta, & ab Auerroe, locis ſupe- Auer. 3. de cœlo, com. 67. & 1. de Gen. & interitu. com. 90.
riùs adductis, & à recentioribus Philoſophis, propoſita, quibus cõtra Auicennæ ſniam, ſo
let à pleriſque frequenter inſiſti. Primò igitur ita argumentantur, ſi elementorum formæ in
miſto incolumes ſeruarentur; ergo etiã in eodem integræ qualitates manerent, quoniam qua Arg. primũ.
litates inſequuntur formas, ſed integræ qualitates non ſeruantur; igitur nec formæ. Secũdò, Secundum.
non maior eſt ratio vnius qualitatis gradus, quàm alterius: quare ſi forma, atque ſubſtantia
elementi ſine aliquo ſuarum qualitatum gradu exiſtere poteſt, eadem ratione ſine alio; ac de-
inceps ſine omnibus exiſtere poterit, quod tamen abſurdum eſt: niſi quis dicat, elementi for-
mam, omnibus ſuarum qualitatum gradibus penitus deſtructis, conſeruari poſſe. Tertiò, ſi Tertium.
in miſto elementorum formæ integræ ſeruarentur, ſequeretur, vt miſti generatio nihil aliud

eſſet, niſi alteratio; quod tamen doctrinæ Ariſtotelis, locis ſupra citatis aduerſatur. Probãt cõſequentiam; quoniam quicquid aduenit rei, per ſuam formam ſpecificam iam exiſtenti, & (vt aiunt) in actu completo, eſt accidens: ſed ſi formę elementorum incolumes ſeruant in miſto; cùm eſſe ſpecificum ſit ab ijs, & compoſita ab eiſdem in eſſe completo conſtituantur; tunc miſti forma, illis adueniens, non erit niſi accidens, atque ita miſti generatio erit alteratio. Quartum. Quartò, ſi elementa proprias formas in miſto ſeruarent, vel eiuſmodi formæ in eodem ſitu eſſent, vel in diuerſo: ſi in eodem, vt Stoici autumant, referente Alexandro in opuſculo de miſtione; cùm ſingulæ ſuas ſecum dimenſiones ferant, iam duo corpora ſeſe inuicem permearent, quod fieri nequit. Si in diuerſo, vt ſentit Auicenna, iam non quælibet pars miſti eſſet miſta; quia non ſingulæ elementorum formas continerent, quarum coitione miſceri res dicunt. Quintum. Quintò, ſi ita eſſet, vt abſque vllo interitu, atque ſubſtantiæ iactura, elemẽta ad miſtum conſtituendum accederent, ſequeretur, vt in rerum occaſu non fieret diſſolutio vſque ad materiam primam: cùm enim miſtum diſſoluitur, non illud quidem in primam materiam, ſed in elementa deſineret: cuius tamẽ oppoſitum multis locis Ariſtoteles apertis verbis teſtatus eſt. Sextum. Sextò, Cùm ea, quæ ſpecie diſtinguuntur, inter ſe continuari nequeant, vt libro 5. de Phyſico auditu tex. 41. Ariſtoteles docet, ſi ſalua, & integra elemẽta manent in miſto, tunc nihil aliud miſtio eſſet, quàm elementorum aceruus, atque congeries; quod tamẽ ab Ariſtotele lib. 1. de Gen. & interitu textu 86. reiectum eſt. Septimum. Septimò, Si in miſto forma ignis, verbi gratia, & lapidis pariter inſiderent; idem ſimul foret ignis, & lapis; quo nihil in philoſophia abſurdius. Probant aſſumptum: nam id, quod lapidis forma cõſtat, haud dubiè lapis eſt: & quod formam ignis habet, ignem & eſſe, ac dici quis ignorat? alioquin daretur forma in compoſito, quæ nullum ei eſſe formale contribueret; quod tamen nõ minus à ratione abhorret, quàm albedinem eſſe in Socrate, & per eam Socratem non eſſe album. Octauum. Octauò, ſi miſta ſuo complexu elementorum formas continerent, ſequeretur, vt ea ab elementis cõtrarijs deſtruerentur, atque diſſoluerentur; quod tamen videtur falſum: nam piſces in aqua non diſſoluuntur: ergo non habent in ſe formam ignis: ſi enim haberẽt, tunc ille ignis, cum piſcium interitu ab aqua, ſibi contraria, extingueretur. Nonum. Nonò, formam ignis in re miſta eſſe non poſſe, priuatim oſtendunt ſic; quoniam ſequeretur, vt forma ignis cum frigore, vltra mediam intẽſionem gradualem, in compoſitis, natura frigidis, ſeruari poſset; atque ita ignis frigidus appellaretur, quod eſt contra Ariſtotelem c. de oppoſitis, & communem philoſophorum ſcholam. Decimum. Decimò, Si elementa ſecundum proprias formas in miſto manerent, tunc miſtio, immò etiam ipſum miſtum violentum eſset; quod tamen falſum eſt, & Ariſtoteli penitus aduerſatur, qui miſtionem naturalem appellauit. Conſecutionem aiunt, manifeſtam eſse: quoniam elemẽta in miſto extra propria, naturaliaque loca detinentur, atque ibi vna cum ſubſtantialibus formis proprias etiam inclinationes conſeruant: manent igitur in eodem violenter, & quod hinc ſequitur, ipſa miſtio violenta eſt. Arif. teſtimonia 1. de Gener. & inter. tex. 84. & 2. de Parti. animal. cap. 1. His rationibus addunt etiam Ariſtotelis autoritatem, dicentis, elementa non manere in miſtis, re ipſa. i. quo ad ſubſtantiales formas: ſed virtute. i. quo ad qualitates. Ait enim lib. 1. de Generat. & interitu text. 84. quæ miſcentur, nec re ipſa permanent, vti corpus, & album; nec intereunt, aut ambo, aut alterum: nam eorum virtus, atque potentia ſalua manent. Quod etiam repetit 2. de Partibus animalium ca. 1: vbi cũ elementa in miſtis ſeruari dixiſſet, ſemetipſum corrigens, ait, eorum potius virtutes, ideſt calorem, frigus, ſiccitatem, humorem remanere. Hæc ſunt firmiora argumenta, quæ paſſim in Auicennæ ſententiam afferri ſolent.

## *Solutio argumentorum Scoti.* *Cap. XIX.*

NVnc tantorum argumẽtorum rationem ineamus, quorum vi, & efficacitate perterriti, ab Auicennæ ſententia multi receſſerunt, nonnullique ad Latinorum, alij ad Auerrois opinionem, Zabarellę potiſſimùm propugnatione muniti, tanquam in portum confugerũt. Ad argumenta Scoti quod attinet, ac potiſſimùm ad primi ſolutionem, ſubit mihi nunc fabula ſatis trita illius auis, quę cùm valde deformis eſſet, turpemque veſtitum à natura obtinuiſſet, alijſque auibus eam dare ſe in conſpectum puderet; varias à ſingulis pennas mutuata eſt, ſuaſque ſibi proprias pennas euellit, & alienas induit, vt tandem in omnium conſpectu pulcherrima conſideret. At verò cùm cęterę aues fraudem animaduertiſſent, illam coegerunt;

Ratio ad primum argum. Nota fabulã ad rem ꝑ uſum maximè conducentẽ.

ſuas

ſuas ſingulis pennas reſtituere; quod cùm feciſſet, nuda, implumiſque illicò manſit. Ita in re propoſita dicendum videtur: pulcherrimam quidem formam eſſe formam miſti; nihilominus, ſi omnes elemẽtorum particulæ ad propria elemẽta redirent, & quicquid eſt in miſto caliditatis, frigiditatis, humiditatis, & ſiccitatis ab eo remoueretur, quid quæſo ipſius proprium remaneret? Certè nihil: & propterea quatuor elemẽtorum formæ, in exiguas, vt dixi, particulas diſtributæ, ita ad miſti conſtitutionem neceſſariæ ſunt, vt eſt materia ad conſtitutionẽ compoſiti neceſſaria. Sunt.n. elementa materia miſti, quibus, propter illorum confuſionem, & compoſitionem, noua miſti forma accidit; cùm propriæ ipſorum formæ in ipſo; quaſi vinctæ, conſtrictæ, & ſuo iure deſtitutæ, teneantur. Ad formam igitur argumẽti, neganda eſt minor propoſitio. Ad probationem reſpondendum, elementorum formas neceſſarias eſſe, vt miſtum ſimpliciter exiſtat. Ad ſecundum argumentum neganda eſt conſecutio: ea.n. valeret, ſi elementorũ formæ, quaſi ſimul congregatæ, in miſto manerent, eſſentque ibi ſui iuris, vt ſuas quæque vires, & facultates exercere poſſent. At verò quia ſimul permiſtæ ſunt, atque omnes in vnam materiam coeunt, quæ miſti formæ ſubſternitur: propterea illa vna tantum forma ſpectatur in miſto, à qua totum denominationem capit. Ad tertium facilis eſt reſponſio: concedimus, ſicut elementorum formæ ſeruantur in miſto; ita in eodem eorum quantitates ſeruari; quamuis ſint illæ in perexiguas particulas diſtributæ. Verũ ſicut omnes formæ ſimul confunduntur, in vnamque tantum ſubſtantiam coeunt, quæ formæ miſti ſubijcitur, ita ex omnibus quantitatibus, quæ formas conſequuntur, vna tantum extat quantitas, quæ quantitas ipſius miſti eſt, & appellatur. Porrò in miſto elementorum quantitates ſeruari, ex eo elicere poſſumus; quia quo plura, & maioris portionis miſtibilia ſunt, eò maioris molis miſtum euadit. Ad quartum, concedenda eſt maior, terminos.ſ. generationis oppoſitos ſimul manere non poſſe: ij autem ſunt forma, & priuatio; & propterea forma carnis, & priuatio formæ carnis ſimul exiſtere nequeunt. Cùm verò dicit Scotus, miſti formam, & formas elemẽtorum ſeſe vt oppoſitos generationis terminos reſpicere, neganda eſt hæc propoſitio; quinimmò dicendum eſt, ſeſe hæc duo vt partes miſtum conſtituentes reſpicere: nec vllum eſſe abſurdum, ſi, quæ ad alicuius rei conſtitutionem concurrant, re ipſa, & energia in re maneant conſtituta: immò hoc neceſſarium eſt, quemadmodum de materia, & forma cõſtat, quæ compoſitum conſtituunt, atque in eodem re ipſa manent. Dicet fortaſſe Scotus, ſi elemẽta in miſto manerent, tunc falſum eſſet illud Ariſt. dictum.ſ. vnius rei ortum alterius eſſe occaſum; quia cùm miſtum gignitur, nihil interiret, ſi elementa non intereunt. Reſpondendum eſt, propoſitionem illam de generatione ſimplicis elemẽti, non etiam de generatione miſti intelligendam eſſe. Huc etiam accedit, quòd miſti ex elementis conſtitutio non propriè generatio eſt, ſed, vt Ariſt. ait, miſtibilium alteratorum vnio.

Ita neceſſariæ ſunt elementorũ formæ ad cõſtitutionem miſti, ſicut ẽ neceſſaria materia ad conſtitutionẽ compoſiti.

Ad ſecũdum argm.

Ad tertium argm.

Ad quartum argm.

Obiectio notabilis.

Solutio.

*Quinque Auerrois, recentiorumque Philoſophorum argumenta priora diluuntur.*
*Cap. XX.*

QVod verò attinet ad Auerrois, recentiorumque Philoſophorum argumenta, ad primũ neganda eſt conſequentia: non.n. ſubſtantialium formarum, & qualitatum, ſeu affectionum, quæ ab eiſdem proficiſcuntur, eadem ratio eſt. Etenim ſubſtantiæ neque contrariũ admittunt, ob cuius præſentiam vllam iacturam faciant, nec intenſionem, aut remiſſionẽ ferunt: ſed, vt ſupra demonſtratũ eſt, in indiuiſibili conſiſtunt. Qualitates verò, à toto (vt aiũt) genere, contrarium patiuntur, habentque gradus, qui intenſionem ferũt, atque remiſſionem. Non valet igitur cõſecutio, ſubſtantiales elemẽtorum formæ integræ, hoc eſt incolumes ſeruantur in miſto; igitur & qualitates: poſſunt.n. integræ ſubſtantiæ, aliqua iactura, in qualitatibus facta, in miſto ſeruari; tametſi, vt mox dilucidè explicabo, qualitatum iactura non quo ad gradus, ſed ſolum quoad vires cenſenda ſit. Ad ſecundum negatur aſſumptum: & pro maiore explicatione ſciendum eſt, remiſſionem in qualitatibus factam, quæ alteratio dicitur, eſſe quodammodo viam, & præparationem quandam ad interitum ſubſtantialis formæ: propterea fieri poteſt, vt ſi qualitas vnum, aut alterum gradum amiſerit, ſubſiſtat etiam num ſubſtantialis forma. In fine autem alterationis, hoc eſt eo momento, quo vltimus qualitatis gradus aboletur; perit ſtatim ſubſtantialis forma, atque in illam materiæ portionem noua forma in eius locum ſufficitur. Non igitur vnius qualitatis gradus, atque omnium eadem ratio

Rñſio ad primum argm.

Ad ſecũdum argm.

Subſtãtialis forma cuiuſuis elementi ſine vno, vel altero qualitatis gradu manere põt, ſine omnib. nequaquam, ſed vltio gradu extincto, ſtatim perit.

Elementorũ qualitates nullũ gradũ amittunt in pugna, ſi pares ſint, aut ſuppares, ſed contrar a actione, atque obnixa, earũ tãtummodo vires inhibẽtur.

Ad tertium argũ.

eſt: nam forma ſubſtantialis vno, vel altero carere poteſt, omnibus non item. Quod etiam exemplo declarari poteſt: dum enim aqua ab igne patitur, illam in ſui naturam conuertere cupiẽte; primò vnum gradum frigiditatis amittit, deinde alterum, & manet nihilominus aqua; ſed tamen cum procliuitate ad interitum. Cùm vero, totius qualitatis extinctione, perfectè iam ab oppoſitis qualitatibus affecta eſt; tunc aqua omninò perit, quæ ſine natiua frigiditate manere non poteſt, atque in ignis naturam conuertitur. Hæc pro aſſumpti explicatione dicta ſint. Ad vim autem argumentationis quod attinet, aduertendum eſt ex ijs, quæ ſupra docuimus, falſum quiddam ab aduerſarijs poni, nimirum in elementorum nexu, ac coagmentatione, in eorum qualitatibus graduum amiſſionem fieri, quod tamen ſupra veritati minime conſentire, ſatis commodè oſtendimus. Cùm enim paribus quodammodo viribus ad pugnãdum qualitates accedunt, ex mutua concertatione inhibentur quidem, quo minus ſuas vires exercere poſſint; ſuos tamen gradus neutiquam amittunt, quos omnes conſtat, eas in miſti diſſolutione poſſidere. Ad tertium, negatur conſequentia: alteratio enim tunc fit, cùm ſubiecto alicui integro, & ſui iuris manenti, nec in particulas comminuto, aliquod accidens adiungitur, quod ſubinde incolume manens, illud denominare poteſt. Verbi gratia, cùm manus caliditatem, aut paries albedinem recepit, manet integra manus, nec in partes conciſa: itemque ſe habet paries, poſt receptam albedinem, vt extiterat antè: & propterea hæ veræ, & propriæ alterationes appellantur: nam & calor calidam manum, & albedo parietem album denominat. Secus autem in miſtione contingit, in qua elementorum formæ non integræ, & ſui iuris, ſed in minutiſſimas partes conciſæ ſeruantur: neque illis in ſua integritate manentibus forma aliqua accidentalis accedit, quæ ipſa, denominare valeat; ſed ea omnino confuſa, in tertiam quandam naturã commigrant, quæ miſti natura nũcupatur.

Ad quartum argũ.

Ad quartum, quod eſt valde difficile, & è cuius explicatione tota ferè propoſitæ difficultatis ſolutio pendet, reſpondendum eſt, non elementorum tantummodo formas, verùm etiam cuiuſlibet elementi particulas, & earundem perexigua fragmenta, diuerſum omnino ſitum obtinere, ſicut omnia, quæ ſimul connexa manent. Cùm verò deducitur conſecutio, forè nimirum, vt non quælibet miſti particula miſta ſit; quoniam in miſto purus ignis, purus aer, pura aqua, pura terra reperietur. Hæc conſecutio prorſus neganda eſt; quoniam, vt prædiximus, elementorum formę in miſto non ſunt ſui iuris, ſed inter ſe penitus confuſæ: propterea, ob mutuam qualitatum pugnantiam, quaſi ſe ipſas derelinquunt, propriæ naturæ obliuiſcuntur, & nouam quaſi veſtem, atque operimentum induunt, & vt vno verbo dicam, in miſtum ipſum tranſmutantur: adeo vt quæ priùs diſtincta, ſuoque iure gaudentia, terra, aqua, aer, & ignis appellabantur, mox confuſa, proprioque iure priuata, lignum, lapis, ferrum, ſanguis, caro, vel aliquid huiuſmodi nuncupatur.

Speculare diligenter.

Accipias lignum, atque fruſtatim comminuas; quælibet vel exigua eius particula lignum erit, nec certè aliquam ſenſu notare poteris, quæ non ex elementis conflatã ſit: nihilominus adſunt in ligno re ipſa, & energia elementa, ex quibus conſtitutum eſt. Quod clare liquet in illius diſſolutione: cum enim ab igne comburitur, in inſenſibilem halitum, in vaporem, atque tandem in cineres degenerat: quod argumento eſt, ea ipſa priùs in eodem non virtute ſolùm, ſed reapſe conſtitiſſe. Quomodo quæſo ſolida corpora aliquando cõſtarent, niſi terræ particulæ humido aqueo cogerentur, atque conſtiparentur? Cùm lignum in carbonem verſum eſt, adhuc in eodem aliqua humoris aquei portio reperitur. Cùm verò vlteriore ignis actione, illa humoris aquei portio conſumpta eſt; tunc amplius carbo conſiſtere non poteſt, ſed diſſoluitur, atque in cineres abit. Rurſus qui extremis tantũ labris philoſophiam attingunt, affirmare fortaſſis non auderent, in vſto illo lapide, qui dicitur calx, ignem re ipſa contineri; quòd.ſ. ſi manu tractetur, frigidus eſſe comperitur: nihilominus ſi aqua inſpergatur, quæ igni contraria eſt, videas ſtatim exuſcitatum ignem, ſuiſque ſe viribus promentem, vt contrario elemento obſiſtat, ſeſeque ab eius iniurijs tueatur.

Nota de igne in calce manente.

Iacebat priùs ignis in illo miſto quaſi ſopitus: & quanuis multæ ipſius portiones in eodem continerentur; tamen quia cum aliorum elementorum portionibus erant confuſæ, ex omnibus ſimul iunctis, vna miſti ſubſtantia, hoc eſt lapidis, ſeu calcis facta erat. Ea verò diſſoluta proportione, quam lapis ille depoſcit, aquæ præſertim acceſſione: omnes mox ignis particulæ à cæteris aliorum elementorum particulis abſcedentes, ad proprium elementum reuertuntur, atque inter ſe ſimul iunguntur, vt aquæ tanquam naturali inimico obnitantur. Libuit hic aliquan

tulum

tulum digredi,& diuagari,vt veram de miſtione ſententiam clariùs, ac luculentiùs aperirẽ. Ad quintum,concedendum eſt,non in cuiuſcunque rei naturalis interitu vſque ad materiã primam diſſolutionẽ fieri;ſed tantummodo cùm ſimplex elementum intercidit,vt alibi patefeci. Etenim cùm animatum corpus occidit,neque in primam illud materiam, immò neque etiam in elementa,ſed in miſtum animæ expers cadit, atque diſſoluitur: duas enim formas priùs corpus illud animatum poſſidebat,animam.ſ.& formam miſtionis, quemadmodum in alia diſputatione apertiſſimè demonſtrabitũ. Abſcedente igitur anima, non illico apparet nuda prima rerum materia,ſed miſtum aliquod,ex elementis concretum: quod ſi pariter aboleatur, non ſtatim in elementa diſſoluetur:ſed mutata elemẽtorum proportione,in aliud miſtum degenerabit. Poſt multas autem diſſolutiones in miſtum priùs imperfectum abibit, atque tandem in elementa. Cùm verò elementum aliquod perit, in hoc ſenſu illud in primã materiam abire dicitur, vt in elemẽto, recens orto, nihil prioris elemẽti,iam extincti,niſi materia prima reperiatur.

Ad quintum argm.

Non in cuiuſcunq; rei naturalis interitu fit diſſolutio,vſque ad materiã primam, ſed ſolum cùm ſimplex elementum diſſipatũ.

Quære diſp. de plural.formarum.

*Reliquorum argumentorum Solutio. Cap. XXI.*

AD ſextum,concedo,ea,quæ ſpecie differunt,inter ſe continuari non poſſe, ſi eadem libera ſint,atque ſui iuris;& propterea monſtrum eſſet, videre aliquod corpus cõtinuum, ex quatuor, verbi cauſa,magnis portionibus,ignis,aeris,aquæ,terræque conflatum. At verò, ſi ea,quæ ſpecie differunt,ſui iuris non ſint,ſed in perexiguas particulas dirempta,ſimul perfundantur,atque,ob mutuam qualitatum pugnantiam,nouum ſibi quaſi veſtimẽtum induãt; illa vtique inter ſe continuari,& tertium quippiam effingere poſſunt: quod ceu cumulus aliquis,vel aceruus,ex rebus pluribus congregatus haudquaquam erit. Etenim in ea congregatione,qua plura in vnum coaceruantur,vt in granorum tritici,& hordei congregatione;nulla prorſus alteratio contingit:in congregatione verò,qua miſtum ex elemẽtis concreſcit,magna quidem alteratio fit:& propterea miſtionem miſtibilium alteratorum vnionem eſſe, Ariſtot.docuit;ne in Empedoclis,aut Democriti errores raperemur,qui miſtionem ex pluribus rebus ſimpliciter congregatis fieri,opinati ſunt.

Ad ſextũ argumentum.

Quid miſtio à ſimplici cõgregatione, vel iuxta poſitione differat.

Ad ſeptimum neganda eſt conſequentia;immò ſi vim illius argumẽti rectè perpendamus,nihil aliud probare illud inueniemus,niſi rem illam,quæ eſt lapis,in ſeſe ignem energia continere. Ad probationem verò conſequentiæ,dũ aiunt,quod conſtat forma lapidis,lapidem eſſe,& quod conſtat forma ignis,ignem eſſe. Reſpondeo,in re,quæ eſt lapis,nihil reperiri,quod forma ignis,& ea quidem ſoluta,& libera cõſtet:quoniam,vt paulò antè dixi,cùm elemẽta confuſa ſunt, ſuam illam vim,& efficacitatem ſopitam quodammodo habẽt, omniãque in vnum miſtum conſpirant, cui totum eorum ius cedunt. Inuenitur ergo aliquid, quod conſtat forma lapidis, at verò ſubſtantia eius non eſt ſimplex,& vniuſmodi, ſed ex formarum elemẽtariarum, atque pariter qualitatum fluxione concreta,atque coagmẽtata.

Ad ſeptimũ argũ.

Ad octauum neganda eſt conſecutio, & ratio negationis ea eſt: quoniam elemẽta non niſi qualitatibus proprijs, ceu inſtrumentis idoneis, inter ſe agunt, & patiuntur:cùm.n.ſubſtantiæ nihil contrarium ſit,ſi ignis,& aqua ſine qualitatibus(quod fieri non poteſt) ſimul ponerentur; nulla inter huiuſmodi elemẽta actio, aut paſſio dari poſſet. Iam verò cùm elemẽtorum qualitates actionum inſtrumẽta ſint,vt probè ſuis munerib.fungantur,opus eſt ſanè,vt inter illas innata quædam inimicitia,ſeu pugna intercedat:ſimile.n. in id,quod ſibi ſimile eſt,agere nequaquam poteſt. At verò in miſto, ſicut elemẽtorum ſubſtantiæ,ita eorundem qualitates,immò etiam magis,permiſtæ,atque confuſæ ſunt,& ad mediocritatem quandam reuocatæ,vt in eo ignis caliditas non percipiatur eximia,nec aquę frigiditas,& ſic de alijs:& propterea ſi miſtum ex huiuſmodi qualitatibus, & ſubſtantijs, inter ſe ita confuſis,conſtitutum,in excellentem aliquam qualitatem incurrat; elemẽtorum qualitates,in ipſo exiſtentes,ab ea extingui,aut diſſipari non poterunt;propterea,quòd eidem non aduerſantur,& multò minus ſubſtantiæ ipſę patientur,quæ contrarium non habent. Fateor, ſi qua ignis particula,ſoluta,& libera, nec vllo pacto confuſa,reperiatur in piſce,eam ſtatim ab aqua, ſibi contraria extingui. Cùm autem nec ignis,nec aliorum elemẽtorum portiones in miſto ſolutæ ſint,ſed omnes confuſæ, viribuſque cohibitis; nullo pacto dicendum eſt,eas contrariorum elementorum acceſſu,extingui,& diſſipari,quemadmodum concludere videtur argumentum. Ad nonum,falſa eſt conſecutio. Pro cuius explicatione,ſcito ex Ariſt.nunquam ele-

Ad octauum argũ.

Tametſi elementorũ portiones reipſa reperiatur in miſto,nihilo minus quia inter ſe cõfuſe ſunt, ab excellẽti aliquo elemẽto extra occurrẽte perpeti non poſſunt, quia nõ ſunt illi cõtrarię.

Ad nonũ argumentum.

elementa ad miſti conſtitutionem concurrere, niſi vires habeant quodammodò pares; alioquin debile elementum in aliud ſibi validius oppoſitum elemẽtum conuerteretur. Pares igitur, aut ſuppares cùm ſint elemẽtorum vires; fit, vt ea tãdem inter ſe confuſa, in vnum coeãt, quod illius elementi naturam magis dicitur redolere, cuius maiorẽ portionem obtinuit. Quare ſi ſit aliquod miſtum natura frigidum, quod. ſ. in ſeſe maiorem aut aquæ, aut terræ portionem contineat; non eam ob rem ignis, in eo exiſtens, frigidus dicetur, ſed ipſum miſtum eſt, quod frigidum appellatur. Rurſum verò, ſi quod ſit miſtum, calido temperamento præditũ, nullo pacto aquam in eo exiſtentem, calidam appellabimus; ſed ipſum miſtum calidum dicemus, quia plures calidorum elementorum portiones habet.

Ad decimũ argũ.

Ad decimum, ſi elementa, cum totis viribus ſimul in miſto, velati in quodam conclaui detinerentur, ibi vtique violẽter manerent, & miſtum pariter violentum quippiam diceretur: at verò, ob eorum inter ſe confuſionem, mutuamque qualitatum pugnantiam, de ſuo quodammodo iure conceſſerunt, illudq; omne in miſtum contulerunt, quod eam propenſionem ad motum retinet; quam ei elementum illud tribuit, quod maiore portione ad eius ſtructuram acceſſit. Naturale igitur miſtum eſt, quoniam à naturalibus cauſis pendet; & naturalis eſt motus eius, cùm ſecundum propenſionem fiat præualentis elementi. In miſti autem diſſolutione, cùm elementa ad ſe redeunt, ſuique iuris fiunt, leuia ſtatim quam celerrimè in ſublime feruntur, & grauia natiuo impetu properant ad medium. Non valet igitur hæc conſecutio, in miſto ſunt re ipſa elementorum formæ, igitur miſtum violentum quoddam eſt; quoniam elementa in miſto ſuas vires quaſi amiſerunt, eaſque confuſas ipſi miſto tribuerunt.

Ad Ariſt. teſtimoniũ ex 1. de Gener. & inter.

Ad Ariſtotelis autoritatem, ex 1. lib. de Ortu, & interitu tex. 84. citatam reſpondeo, ibi quidem philoſophum docere, miſtibilia in miſto re ipſa, vel, vt aiunt, actu non manere; id tamen non eo modo, quo aduerſarij interpretãtur, hoc eſt ſecundum ſubſtantiales formas, intelligendum eſſe: niſi enim ita manerent, nunquã inuicem ſeparari poſſent, cuius tamen oppoſitum paulò inferiùs Ariſtoteles affirmat: ſed ait non manere actu, quia formas liberas, & ſolutas non habent: non enim in miſto ignem, aut aquam, aut aliud elementum ſenſu notare poſſumus: propterea explicat ſe Ariſtoteles in eo loco, inquiens, *Neque permanent igitur actu, vt corpus, & album*. cùm enim paries albedinẽ recipit, manet re ipſa paries, atque etiam albedo; nequaquam verò ſicut elementa confundũtur.

Ad Ariſ. autoritatem ex 2. de Par. animal.

Ad id, quod additur ex 2. de Partibus animalium c. 1. reſpondendum eſt, Ariſtotelem nõ ſeſe quidem corrigere, ſed clariùs ſemetipſum explicare, dum ait, manere potius in miſto elementorum virtutes: cùm enim elementorum formæ, ob earum permiſtionem, atque confuſionem, in miſto conſpicuæ non ſint, nec propter nobilioris formæ præſentiam, ſuas vires exercere poſſint: ideo dixit, elementorum potius virtutes in miſto manere, quia forma miſti, elementorum virtutibus prædita, illa eſt, cui potiſſimùm functiones tribuuntur.

## *Archangeli Mercenarij aduerſus tertiam concluſionem obiectiones.* Cap. XXII.

VIderetur nonnihil huic diſputationi deeſſe, niſi eidem, quæ ab Archangelo Mercenario aduerſus tertiam concluſionem, 12. cap. à nobis propoſitam, obijciuntur, veluti coronidis loco adijceremus, atque pariter confutaremus.

Tertia cõcluſio ſuperiùs propoſita.

Tertia concluſio, quæ cùm ad Auicennæ ſententiam probe tuendam, tùm ad propoſitam difficultatem planè aperiendam, maximum affert momentum, ea erat; Elementorum qualitates, dum paribus quodammodo viribus, ad miſtum conficiendum accedunt, non illæ quidem ſeſe interimunt, adeo vt ex illis diſſolutis noua quædam qualitas oriatur; immò ne ſeſe quidem ita frangunt, vt vllos ſuorum graduũ amittant: ſed mutua illarum actione, repreſſis tantummodo, & quaſi ligatis viribus, ad quandam mediocritatem, & temperationem deducuntur. Hæc cõcluſio, quæ maximè placuit Ioãni Fernelio, duabus potiſſimùm rationibus ab eodem confirmatur.

Prima ratio Fernelij pro cõcluſione probanda.

Primò, quia ſi elementorum qualitates non ſummæ manent in miſto, ſed mutua earum actione, cum graduum amiſſione reprimuntur; ſequitur, vt ob earum continuam actionem, eæ tandem ſeſe mutuò interimant, atque prorſus diſſoluant. Conſecutio eſt manifeſta, quia non minus inter ſe agẽt qualitates remiſſæ, quàm eædem in ſummo gradu exiſtentes: vtrobique. n. eadem ſeruatur proportio: ſi igitur qualitates non ſeſe in miſto prorſus interimunt, ſignum eſt, eaſdem cum omnibus ſuis gradibus, ſed viribus tantummodo repreſſis, in eodem conſeruari.

Secunda ro.

Secundò, qualitates repreſſæ non minus inter ſe contrariæ ſunt, quàm qualitates ſummæ; ergo eadem ratio

ne,

ne,qua remiſſæ ſeruantur in miſto,poterunt,& ſummæ in eodem ſimul coire;cùm pręſertim tales ſint,cùm ad miſtum conſtituendum accedunt. Archangelus Mercenarius in Fernelium ſæpe contumelioſus,libro ſuarum dilucidationum,pagina 189. tertiam hanc concluſionem, veluti nouam,ſtudioſorumque animos perturbantem,atque,irretientẽ,tribus præcipuè rationibus euertere conatus eſt;oſtendereque,eandem & ab Ariſto. & à Galeno penitus alienam eſſe.

Archan. Mer. con. trib. rõnibus prędi-ctam concluſionem euer-tere nititur.

Prima ratio.

Argumentatur primò ex definitione miſtionis,in fine primi libri de Ortu,& interitu,ab Ariſt.tradita;Miſtio,inquit,eſt miſtibilium alteratorum vnio:ex hac definitione elicit Archãgelus,ſi elementa ſimul miſceri debẽt,oportere,illa neceſſariò alterationem ſubire:tunc addit minorem propoſitionem: ſed alterationem ſubire nequeunt, niſi ſuarum qualitatum remiſſione:igitur in miſtione,ipſorum qualitates retundi,atq; remitti neceſſe eſt. Quod ſi ſummæ in miſto elementorum qualitates manerent,tunc elemẽta nullam prorſus alterationem paſſa eſſent,atque adeo in vnum, & idem miſtum coire minime poſſent.

Secunda rõ.

Argumentatur ſecundò ſic;cùm elemẽta miſcentur, aut agunt inuicem, & patiuntur, aut non:ſi non agunt;igitur propriè non miſcentur:hæc.n.eſt ad miſtionem neceſſariò requiſita conditio, vt ea, quæ miſcentur,inuicem agant,& patiantur;alioquin non miſcerẽtur, ſed iuxta ponerentur. Si verò in miſtione elemẽta inuicem agunt, & patiuntur; igitur calidum agit in frigidum,atque viciſſim frigidum in calidum:actio autem frigidi eſt frigefacere, ſicuti calidi calefacere; igitur calidum aget in frigidum,aliquem frigiditatis gradũ remouẽdo;& frigidũ in calidũ,aliquem caliditatis gradũ auferẽdo:atq; ita elementorũ qualitates nõ ſũmas in miſto,ſed repreſſas manere neceſſe eſt.Quod etiam apertè hiſce verbis,lib.2.de Gen.& interitu tex.48.Ariſt.aſſerit declaraſſe, *Miſtio fit,calido refrigerato,& frigido excalefacto.* Vult igitur Ariſt.elemẽtorum qualitates ſuas in miſto excellentias,atque exuperantias amittere.

Tertia ratio.

Argumentatur tandem Mercenarius;quoniam ſi in miſtionibus primarum qualitatum gradus ſummus ineſſet, tunc miſta omnia ſecundum pares gradus,qualitates haberent, ac proinde ea omnia temperamẽto conuenirent, quod à veritate abhorret. Defendit igitur idem autor, à communiore ſñia non recens,elemẽtorum qualitates in miſto remiſſas,gradibuſque mutilatas contineri,atque argumẽta Fernelij,oppoſitum demonſtrantia, ſoluere ſe tali pacto arbitratur.

Rñſio Mercenarij ad argumenta Fernelij.

Ad primum.

Ad primum negat conſequentiam.Ad probationem reſpondet,falſum eſſe id, quod aſſumitur, nimirum qualitates remiſſas,non ſecus ac ſummas,inter ſe oppoſitionem habere;ſiquidem qualitates, ait ipſe,non ſecundum quemlibet gradum inter ſe contrariæ ſunt;ſed ſecundum exceſſum,& vltra latitudinis medium,& propterea quæ ſummæ ſunt,inter ſe agunt:mediæ verò,& repreſſæ,cùm contrariæ non ſint,viciſſim non alterantur,nec deinceps ſeſe interimere,aut omnino delere poſſunt.

Ad ſecundũ.

Secundum argumentum eodem modo ſolutum eſſe putat; non.n.qualitates remiſſæ,& temperatæ contrariæ ſunt,ſicuti ſummæ: ſiquidem contrarietas non quælibet diſtantia eſt, ſed quæ maxima exiſtit, propterea temperatæ ſimul manere poſſunt, ſummæ verò nequaquam:non.n.qualitates ſecundum propriam naturam contrariæ ſunt,vt falſò putauit Gregorius Arimi.cui Fernelius aſſentire vr̃, ſed earum contrarietas ex graduum diſtantia deſumitur,non quauis,ſed quæ maxima eſt,vt Auerroes, & Græci aſſeruerunt.

Obiectio cõtra ſolutionẽ Mercenarij.

Cęterũ quia huic ſolutioni autoritas quędam Ariſt.lib.2.de Anima tex.39.aduerſari vr̃,vbi ait,elemẽta in viuente corpore ab anima contineri,ne diuellantur, & inuicem ſeparentur: ſi igitur remiſſæ elemẽtorum qualitates inter ſe non pugnant,ſed,concordi quadam pace,ſimul conſiſtere valent,nulla neceſſitas cogit,vt ab anima contineãtur.

Solutio Mercenarij.

Reſpondet Mercenarius, Ariſtot.ibi non intellexiſſe, animam ita elemẽta in corpore cõtinere, vt ex ſe attemperata ſimul manere non poſſint,eaque veluti vinculo quodam,& freno iuncta,atque ligata,ne diuellantur,retinere:ſed intellexit,animam in genere cauſę finalis elemẽta in corpore cõtinere: ea.n. ad animam,vt ad finem in miſtione diriguntur,vt.ſ.anima in corpore,ex ipſis coagmentato, aliquandiu perſiſtat,ſuiſque in eodem muneribus fungatur, & propterea anima neceſſitatẽ, legemque elementis imponere dicitur, vt ſimul iuncta, & concordi quadam amicitia copulata maneant.

### *Duo priora Mercenarij argumenta diluuntur.* Cap. XXIII.

NOn eſt mirum, ſi Mercenarius tertiam illam concluſionem, veluti reconditam in ſeſe philoſophiam continentem,atque à vulgi intelligentia remotam,adeò inclemẽter damnarit,

Io. Fernelius Philoſophus ac Medicus eruditiſſim⁹, & eloquentiſſimus.

Noſtri tēporis in philoſophãdo ſterilitas.

narit, atque in Ioannem Fern. philoſophum, & Medicum eruditiſſimum, & eloquentiſſimũ, fuerit tàm audacter inuectus. Ea eſt hiſce temporibus philoſophandi conſuetudo, vt quotieſcunque nouum quippiam audimus, abſtruſum, atque à cōmuni opinione alienum, illud ſtatim reſpuamus, cauſaq; incognita condemnemus, ac ſi recentiores omnes, vno quaſi filo deducti, eandem veterum philoſophorum orbitam terere neceſſariò deberent, nec noui aliquid condendi, liberam facultatem haberēt. Viderit Mercenarius, quanti ſint roboris ſuæ obiectiones, quibus ingeni, potius oſtentationem quandam, quàm veritatis indagandæ ſtudium præ ſe tuliſſe, viſus eſt. Et quod ad illius argumenta attinet, quæ aduerſus tertiam concluſionem propoſuit, primum facilè hac diſtinctione diluitur.

Rñſio ad primum argũ Mercenarij.

Admitto, oportere elemēta, ſi miſceri debeāt, aliquam alterationem ſubire, quemadmodum ex ipſius miſtionis definitione apertiſſimè elicitur: aduertendum eſt tamen, alterationem dupliciter ſpectari poſſe, vel quo ad gradus qualitatum; & hoc modo nulla ipſis elemētis alteratio contingit: vel quo ad vires, & hoc modo alterationem aliquam perpetiuntur, & de huiuſmodi alteratione ſemper Ariſt. locutus eſt. Non ne ſatis alterantur, vt ita dicam, elementa, cùm in miſto neque ignis vrat, neque aqua valde refrigeret? Quis non elementa mirum in modum alterata exiſtimabit, ſi in miſto eorum ſubſtantiæ, & qualitates adeo inter ſe confuſæ ſunt, vt ne veſtigium quidem ignis, aeris, aquæ, aut terræ conſpiciatur? Retinent nihilominus elementorum qualitates eos omnes gradus, quos habebant, cùm ad miſtum conſtituendum acceſſerunt, quemadmodum abũdè ſatis ſupra probatum eſt.

Alteratio dupliciter ſpectari põt, vel quo ad gradus, vel quo ad vires.

Ad ſecũdum argũ.

Ad ſecundum argumentum, non inficior, elementa in miſti conſtitutione agere inuicem, atque pati; quinimmò hoc neceſſariũ exiſtimo; non tamen ea actione, qua vnum alterum diſſoluat, & deſtruat, atque in propriam naturam conuertat; ſed ea actione, qua ambo contraria, ac deinceps elementa omnia, ad quandam mediocritatem, & temperationem ſeſe referant. Enim verò cùm actio propriè dicta, qua. ſ. vnum agit in alterũ, ipſum deſtruendo, ſit à proportione maioris inæqualitatis, vel (vt planius loquar) à vincente, ſi elementa hoc pacto inuicem agerent, adeò vt in ſuarum qualitatum gradibus iacturam aliquam paterētur; tunc nec pares, nec ſuppares vires haberent, quod ad miſtionem pernecesſarium eſt, vt 1. lib. de Ortu, & interitu tex. 89. Ariſt. aſſerit. Itaque ſi ab aqua frigoris quidã gradus auferri debeant, opus eſt, vt id fiat ab igne vincēte, atque plures caloris gradus, quàm aqua frigoris poſſidēte. Quare ſi actio ignis in aquam continua ſit, peribit tandem aqua, & in ignem vertetur. Idem dicendum eſſet, ſi ob aquæ in ignem actionem, aliqui caloris gradus ab igne remoueri deberent: non fieret igitur miſtio, ſed vnius elementi in alterum conuerſio, vt ſupra ſatis oſtenſum eſt.

## *Mercenarij confutationes variæ reijciuntur.* Cap. XXIV.

Mercenarius cõfutat hanc reſponſioné.

NItitur Mercenarius hãc reſponſionem verbis cùm Ariſt. tùm etiam Galeni confutare, oſtēdereque, elemētorum actiones in hoc conſiſtere, vt. ſ. aliqui qualitatum gradus auferantur, nec fieri vllo modo poſſe remiſſionem quoad vires, niſi prius facta ſit remiſſio quo ad gradus. Etenim Ariſt. loco ſuperius citato. ſ. lib. 2. de Generat. & interitu tex. 48. hæc ſcribit ad verbum, *Quoniam autem eſt magis, & minus calidum, & frigidum, non omnino, ſed vt calidum frigidum, & frigidum calidum erit: quoniam quæ miſcentur, ſecundum excellentias ſe corrumpunt, & tunc neque illorum contrarium alterutrum ſimpliciter erit, ſed medium.* Quibus verbis (ait Mercenarius) oſtendit, calidum refrigeratum eſſe, & frigidum excalefactum, atque ita de remiſſione qualitatum ſecundum gradus, ex quorum remiſſione, virium quoque remiſſio conſequitur, locutus eſt. Galenus etiam 1. lib. de Elemētis c. 3. ita ſcribit, *Quæcunque ex pluribus quippiam componitur, ſi illa, quæ in cōpoſitionem veniunt, qualia ſunt, talia ad extremum vſque deuenerint, nunquam, profectò nouam adipiſcentur formam; quod ſi multifariam varientur, alterenturque, poterit tunc aliquid exoriri.* Ex quibus verbis elicit Mercenarius, Ariſt. & Galenum hac in re concordes fuiſſe: nec abſque aliquorum graduum amiſſione, alterationem vllam in elementis fieri potuiſſe. Addit tamen Ariſt. autoritatem, lib. 4. de Ortu animalium cap. 3. vbi ſic ait, *Cauſa, vt ſoluatur, debiliteturque actio, & virtus agentis, eſt, quoniam agens in agendo repatitur, vt calefaciens à caleſcente refrigeratur.* Remiſſio itaque virium ex graduum remiſſione pendet; ac proinde ſi in miſto qualitates ſecundum agendi vires repreſſæ fuerint, ſecundum gradum etiam remiſſas eſſe, velit nolit Fernelius,

Autoritate Ariſt. lib. 2. de Gen. tex. 48.

Autoritate Galeni lib. 1. de elementis cap. 3.

Autoritate item Ariſto. li. 4. de Ortu animal. c. 3.

lius, cogitur confiteri. Hæc Mercenarius. Verùm parui momenti ſunt huiuſmodi confutationes. Primam Ariſtotelis autoritatem ſi quis ad doctiſſimorum hominum; immò ad ipſius veritatis trutinam expenderit, fauere illam nobis potius, quàm Mercenario inueniet. Quę miſcentur, ait Ariſtoteles, ſuas inuicem excellentias deſtruunt. Sanè de diſſolutione, vel potius de remiſſione quoad vires, non item quo ad gradus Ariſtoteles loquitur. Quid enim obſecro, eſt, elementa ſuas inuicem excellentias deſtruere, niſi, ob vnius contrarij præſentiam, alterius contrarij vires inhiberi, atque integram illius actionem impediri? Sunt qualitates veluti inſtrumenta, quibus elementa ad agendum vtuntur: dum in miſto penitus illæ confuſę ſunt, actione mutua, ſuas excellentias amittunt; quia, vt dictum eſt, neque ignis impensè calefacere, neque aqua omnes ſuas vires in refrigerando expromere poteſt: qualitates tamen ſuos omnes gradus retinent, cum paribus viribus ad miſtum efficiendum acceſſerint, & hoc ipſum fatetur Ariſtoteles propè finem eiuſdem contex. à Mercenario citati: quem neſcio, vtrum Fernelius, an ipſe potius oſcitanter percurrerit. Ait ibi Ariſtoteles, *eſt enim actu calidum, potentia frigidum, & actu frigidum potentia calidum: quaprópter ſi non coaquentur, mutantur in ſe inuicem.* Quaſi diceret Ariſtoteles, niſi elementa pares, aut ſuppares vires haberent, cùm alterum contrariorum poteſtatem habeat, vt in alterum tranſmutetur, dubio procul, ſi vnius in alterum actione gradus aliqui ipſis qualitatibus adimerentur, vnum tandem in alterum conuerteretur. Sed nec autoritas quidem ipſius Galeni quicquam officit ſententiæ noſtræ: nam tametſi elementorum qualitates ſuos in miſtione gradus non amittunt; nō ideo tamen ſequitur, elementa, peracta miſtione, talia manere, qualia ſeſe ad miſti fabricam contulerunt; nam & eorum ſubſtantiæ penitus cōminutæ, & qualitates omnino cōfuſę ſunt, adeo vt non amplius ipſa, ſed aliud quippiam, quaſi ab ipſis ortum, conſpiciatur. Ex altera Ariſt. autoritate. ſ. ex 4. lib. de Ortu animalium c. 3. non illud elicitur, quod Mercenarius elici arbitratus eſt; ſed potius quod eſt huic oppoſitum: docet. n. ibi Ariſt. virium remiſſionē ex remiſſione graduum neceſſariò ſequi, non tñ à virium remiſſione ad remiſſionem, quo ad gradus factam, nobis argumentari fas eſt. Perpendamus Ariſt. exemplum, ibi poſitum. Quod ſecat, inquit Ariſt. hebetatur ab eo, quod ſecatur. Nihil aliud hinc elicimus, niſi ex remiſſione facta in acie ſerræ, debiliorem eiuſdem in ſecando actionē ſequi. Sed ipſius Mercenarij confutationem roboremus, & reliqua exempla, ibidē ab Ariſt. poſita conſideremus. Quod calefacit, ait Ariſt. à caleſcente refrigeratur, quod pellit, pellitur: quod premit, reprimitur, & ſummatim, oē mouens, excepto primo Motore, in mouendo mouetur, omne agens in agendo repatitur. Liceat tunc ſic argumentari; ſi imparibus ēt viribus agens, & patiens mutuò confligentur; nihilominus id, quod maioris virtutis eſt, ab imbecilliore quoque paſſionem recipit; igitur multò magis ea, quæ æqualis roboris ſunt, inuicem pati, & agere poterunt. Iam verò hæc paſſio nulla eſſet, niſi aliqua in gradibus iactura fieret: quod appoſitiſſimo exemplo oſtēdi pōt. Ponantur ſimul aqua calida, quatuor caloris gradibus prædita, & aqua frigida, quæ duos tm̄ frigoris gradus poſſideat: dubio procul aqua frigida à calida, tanquam à ſe valentiore patietur; nihilominus ſecundum Ariſt. dogma, aqua quoque calida à frigida repatietur: quæ quidē repaſſio in re alia nulla conſiſtet, niſi quia aqua calida nonnullos ſuæ caliditatis gradus amittet, quemadmodum experientia poſſumus edoceri. Subtilis eſt hæc obiectio, & ſatis quidem apparens, quæ tū ſi ratione libretur, haud multum conſiſtet: & ne ab exemplo, iam antè poſito in 12. c. recedamus, ſi duo homines, viribus æquales, inter ſe decertent; inter vtrunque dabitur actio, & paſſio, atque ēt obnixus, vel vt ita loquar, reactio, & repaſſio: nunquid igitur quia, vnius obnixu, alterius actio præpeditur, illius vires, aut fortitudinis gradus, penitus abolentur? nemo id ſanæ mentis affirmabit. Similiter ſi aqua, & ignis æqualium virium ſimul ponantur, agent inuicem, patientur, & repatientur; nihilominus graduū amiſſio nulla fiet, ſed tantummodo vires inhibebuntur, atque actio impedietur, quominus. ſ. ignis oī ſuo conatu calefacere, & aqua refrigerare poſſit. Quare vt obiectionem diluamus, ſi aqua, duos habēs frigoris gradus, agat in aquam calidam, quæ quatuor caloris gradib. prædita ſit, nullum propriè caloris gradum amouebit, ſed eius tantummodo intēſam actionē impediet. Neque exemplū aquæ frigidæ, & calidæ rem hanc oīno aperit: appoſitum magis eſſet exemplum alicuius rei, natura ſua calidæ, & alterius, ſua natura frigidę: res. n. huiuſmodi tametſi in congreſſu, ob mutuam pugnā, ſuas vires promere non valent; fiatque vt neque ignis, qui

Rñſio ad primam Ariſt. autoritatē.

Perpēde hęc Ariſt. verba.

Rñſio ad autoritatē Galeni.

Rñſio ad alteram Ariſt. autoritatem.

Mercenarij cōfutatio roboratur.

Confutationis robur debilitatur.

calidus eſt, vllum caloris gradum, nec aqua, quæ frigida eſt, vllum gradum frigoris hr̃e videatur; nihilominus ſi ſeparata agent, vtriuſque in calefaciendo, & refrigerando acerbitas, & acrimonia optimè percipietur. Sed hęc hactenus. Libuit paululum digredi, vt res haud ita aperta, omnibus perſpecta fieret.

## *Soluitur tertium argumentum Mercenarii.* *Cap. XXV.*

Rñſio ad tertium argũm Mercenarij.

AD tertiam rationem Mercenarij reſpondeo, ſi ad omnia miſta conſtituenda, elementa paribus omnino viribus accederent, fieret vtique, vt miſta omnia pares qualitatum gradus haberent, atque adeo temperamento conuenirent. Verùm qm̃ non paribus omnino viribus, ſed, vt aſſerit Ariſt. 1. de Gen. tex. 89. paribus quodammodo viribus ad miſtionẽ concurrunt; inde ſequitur, oĩa miſta vnius temperamẽti non eſſe: fieri. n. poteſt, vt modò hoc, modò illud elementum pauliſper excellat, atque ita ex varia elementorum proportione, varia quoque atque diuerſa miſta conſurgant. Quod verò attinet ad ſolutionem Mercenarij, qua duo argumenta Fernelij ſoluta eſſe exiſtimauit, non poſſum equidem non admirari maximã viri, alioquin doctiſſimi, hac in re ſocordiam, ac prope dixerim ſtuporem, quippe qui arbitratus eſt, qualitates non pro quolibet gradu, ſed tantummodo ſummas, & ſecundum exceſſum, inter ſe contrarias eſſe, remiſsas verò, & temperatas non itẽ: qm̃ contrarietas ſecundum Ariſ. non quęlibet diſtantia eſt, ſed ea tantummodo, quæ maxima exiſtit. Si id verum eſset, ſequeretur, in vno, & eodem ſubiecto, rem calidam duorum graduum, & frigidam duorum graduũ abſque vlla pugna manere poſſe, quod tñ vniuerſæ philoſophiæ, quinimmò ipſi etiam experientiæ penitus aduerſatur. Eadem. n. proportio, quæ eſt quatuor ad quatuor, eſt etiam duorum ad duo; & propterea ſi qualitates ſummæ, & eæ quidem contrariæ, inuicem agunt, agẽt pariter qualitates remiſſæ: ſi. n. aqua modicè calida, & aqua modicè frigida ſimul ponantur; dubio procul inuicem agent, ſeſeque ad teporem reuocabunt. Contrarię igitur erunt illę qualitates remiſſæ, ſiquidem actio inter contraria fit, teſte Ariſt. 1. de Gen. tex. 51. Nec obſtat, dixiſſe Ariſt. non ſecundum quanlibet diſtantiam, ſed duntaxat ſecundum maximam, contrarietatem eſſe ſumendam: locutus. n. eſt non de contrarietate qualitatum, ſed de contrarietate locorum, quemadmodum apud ipſum 1. de Cęlo multis in locis, ſed potiſſimùm li. 11. Metaphy. c. 12. videre licet: vbi hęc ſcribit ad verbum, *Contrarium ſecundum locum, quod ſecundũ rectitudinem plurimum diſtat.* Obiectio verò, quam attulit Mercenarius contra ſuam ſolutionem, nihil ad rem noſtrã: nos enim nunc de primis qualitatibus loquimur; Ariſtoteles autẽ in eo textu, à Mercenario citato, ſermonem habet de qualitatibus ſecundis, præſertim de grauitate, & leuitate. Multò minus ad rem videtur eiuſdem ſolutio, nec certè ex illo tex. 39. 2. de Anima eruitur, quem ipſemet citauit: habet enim ille textus expoſitionem ab ea, quam ipſe attulit, omnino diuerſam: & eam nunc, ad falſitatem expoſitionis eius oſtendendam, in medium afferrem, niſi occurreret illud,

Solutio Mercenarij ad argumẽta Fernelij confutatur.

Cõtrarietas penes maximam diſtantiã ſumitur; quo intelligenda ſit propoſitio. Vide Ariſt. lib. 11. Metaph. c. 12.

Obiect. Mercenarij contra ſuam ipſius ſolutionem ſuperuacanea.

Inanior ſolutio.

*Occidit miſeros crambe repetita Magiſtros.*

Quare, ne ſupradictorum repetitione, volumen augere videar; poterit, qui voluerit, eam ſuperiùs c. 16. in confutatione reſponſionis ad tertiam Ariſtotelis autoritatem, ſatis commodè legere: hanc enim de miſtione diſputationem me iam planè, arbitror, confeciſſe.

# QVOD RATIONALIS ANIMA SECVNDVM ARIST. SIT FORMA INFORMANS,

## Diſputatio Vigeſima.

*Diſputationis argumentum.* *Caput Primum.*

DIcebat Ariſt.tex.7.libri ſecundi de Anima, ſi qua communis definitio, animabus omnibus ritè conueniens, nobis tradenda eſt; nullam certè aptiorem, conueniẽtioremque inueniri poſſe, quàm hanc, Anima eſt actus corporis naturalis, inſtrumentalis. Conuenit inter omnes interpretes, cõem eſſe huiuſmodi definitionem, nec vllam eſſe animę ſpeciẽ, cui non aptiſſimè accommodetur. Vtrum autem vniuoca, an potius analoga, vel æquiuoca definitio ſit, non vna, & eadem eſt interpretum ſnīa. Etenim hoc nomẽ actus, vel ẽt formæ, duo nobis potiſſimùm ſignificare pôt, formam.ſ.aut informantem, aut aſſiſtentẽ. Qui putant, omnẽ animam eſſe formam informantem, vniuocam dicunt eſſe animæ definitionem. Qui verò non omnem animam informantem formam arbitrantur; non vniuocam, ſed analogam potius, vel æquiuocã prædictam definitionem pronunciant. Ex tribus animæ ſpeciebus, quæ ſub anima, vniuersè accepta, tanquàm ſub ſuo genere continentur, nemini dubium eſt, quin duæ priores, vegetalis nimirum, & ſentiens, actus ſint, vel informãtes formæ: de tertia ſpecie, vid. de rationali, diſſidium maximum eſt apud Ariſt. explanatores. Hinc orta eſt celebris illa quæſtio, num rationalis anima ſit propria forma, quæ det eſſe homini, illumque in eſſe ſpecifico conſtituat: an potius eadem illi tanquã rector quidam, aut gubernator aſſiſtat. Hanc ipſam quæſtionem, grauiſſimam, difficillimam, ſcitu dignam, & neceſſariam, atq; ad negocium de animi immortalitate maximè pertinẽtem, ſumus nos in præſentia diſputaturi. Quò autẽ diſtinctè, quo ad eius fieri poſſit, noſtram hanc diſputationem tractemus; eum ordinem in ea ſeruabimus, quo in omni ferè diſputatione, vti ſemper conſueuimus. Explicabimus primùm nonnulla, quæ omnem ab intellectu æquiuocationem amouebunt. Præcipuas deinde Philoſophorum ſnīas de propoſita diſputatione, veluti præuias quaſdam affectiones adducemus. Mox Auerr. opinionem, vt pote cæteris magis celebrẽ, particulatim cum omnibus ſuis rationibus, & fundamẽtis expendemus. Quã poſtea & Ariſt. & ipſimet veritati aduerſarij, demonſtrabimus. Præterea quid ad propoſitam diſputationem Antonius Bernardus Mirand. de ſenſu Ariſt. tulerit, exponemus breuiter, atque pariter confutabimus. Vbi demum veram ſnīam ex Ariſt. monimẽtis elicuerimus, eandemque rationibus firmauerimus; argumenta omnia, pro Auer. adducta, atque etiam alia, veræ ſententiæ aduerſantia, diluere pro viribus enitemur.

Animæ definitio cõis.

Nomẽ actus aut formæ ambiguum.

Diſputatiõis origo.

Diſputatiõis grauitas, atque neceſſitas.

Ordo in diſputatione ſeruandus.

*Forma informans, atque aſſiſtens quid ſint.* *Cap. II.*

PRincipiò autem, ne id nos fugiat, de quo præcipuè diſputaturi ſumus, & ne viciſſim inter diſputandum, æquiuocatio aliqua contingere poſſit, explicandum nobis eſt, quid ſit forma informans, atque pariter quid aſſiſtens. Forma igitur informans, ex cõi interpretum explanatione, illa eſt, quæ dat eſſe rei: quæ vnà cum materia iungitur, ad aliquod perfectum ens conſtituendum: quæ inſtar differẽtiæ efficit, vt quicquid per ipſam conſtitutum, & à quocunq; alio differat, quod eſt ab eodem diſtinctum; quæ tandem à materiæ cognatione, citra totius compoſiti diſſolutionem, recedere nequaquam poteſt. Poſſumus id ipſum tàm in rebus naturalibus, quàm in artificioſis, multis exemplis, vel ab ipſomet Ariſt. ſumptis, explicare, Facultas vidẽdi, quæ in oculo inſita eſt, dicitur eſſe forma informans; quoniam conſtituit oculum in eſſe oculi: facit ipſum differre à cæteris corporis partibus; atque, illa extincta, perit ſtatim oculus, nec quod priùs extiterat, niſi æquiuocè, manet. Sic figura ad incidẽdum aptaſ dicitur eſſe forma informans, ad ſecurim relata; quoniam illam ponit in eſſe ſecuris, atque à cæteris inſtrumẽtis diſtinguit, & ea remota, non eſt amplius ſecuris. Similiter forma nauis, hoc eſt illa figura, quæ ex varia lignorum diſpoſitione conſurgit, dicitur forma informans;

Forma informans qd ſit.

Appoſitiſſima exempla ad rem propoſitã declarãdam. Vide Ariſt. li. 2. de Anima, te. 8. & 9.

quoniā eà permanente, conſtat nauis;eadem diſſoluta,illico nauim funditus deletam conſpi cias. Forma verò aſſiſtens eà dicitur,quæ compoſito,iam conſtituto,aduenit:non ponit illud quidem in eſſe ſpecifico:hoc enim iam à forma informante,quam re ipſa poſſidet,adeptum eſt;ſed,ob eius præſentiam,& aſſiſtentiam,quoddam illi eſſe eminentius impertitur: & cùm per ſe ipſum,ineptum quiddam,& ocioſum exiſteret;eius illapſu; ad varias operationes edē das,maximè idoneum redditur,& efficitur. Ad huiuſmodi formam aſſiſtentem declarandā nullum certè exemplum eſt,quod magis quadrare videatur,quàm exemplum nautæ. Nam ſi corpus nauis conſideres,illud quidem ex materia,& informante forma concretum eſt; nihilominus ſic ſeorſum acceptum,iacet iners,nec vllum ob finem conſtructum,& fabricatum videtur;eſtque tantummodo lignorum quædam,& clauorum,aliorumque inſtrumentorum permiſta congeries. At verò ſi accedat nauta,qui ipſa naui,iam ſuis omnibus armamentis inſtructa,ad nauigandum vtatur;tunc ſibi nauis illa quoddam eſſe perfectius,atque eminētius aſciſcet,quàm prius habebat:& eo motu,quo ſupra mare,ventorum impetu concitatur,quodammodo viuentis ſpeciem æmulari videbitur. Nauta igitur forma nauis dicetur aſſiſtens; quòd nauim regat,atque gubernet,& eandem varijs procurationibus adminiſtret: nullam tamen eſſe ſubſtantiale cum naui communicat. Cui non placet exemplum nautæ, accipiat is exemplum Intelligentiæ:quæ nullum cæleſtem orbem conſtituit:ſed ipſi,iam conſtituto,aſſiſtit,eundem mouet,regit,atque gubernat. Hac præmiſſa,atque explicata de duplici formæ diſtinctione,id,quod in præſenti diſputatione vocatur in dubium,& de quo maximè inter ſe peripatetici decertant,eſt hoc,num anima rationis particeps vnà cum corpore compoſitum aliquod per ſe vnum conſtituat,ſitque illius compoſiti interior,ſubſtantialiſque pars, quod appellatur homo:an potius homini,per aliam ſubſtantialem formam iam conſtituto,extrinſecùs adueniat,eidemque ad omnes operationes obeundas,præſto adſit; & veluti præcipuū aliquod efficiens,eodem tanquam inſtrumento ad agendum vtatur.

Forma aſſiſtens qd ſit.

Forma aſſiſtens exēplo nauis explicatur.

Explicat exēplo intelligētiæ.

Status quæſtionis.

### *De re propoſita opiniones variæ.* Cap. III.

QVod pertinet ad propoſitam quæſtionem, varias reperio philoſophorum ſententias. Prima fuit Alexandri Aphrod. in toto opere de anima,& multis etiam alijs ſuæ philoſophiæ locis,qui rationalem animam eſſe formam informantem, hominemque in eſſe ſpecifico conſtituentem,arbitratus eſt. Quam ſententiam S. Tho. in eodem opere; Romanus Aegidius tùm lib. 2. de Anima,tùm etiam quæſtione de intellectus patientis pluralitate,contra Auerroiſtas; Magnus Albertus tractatu de Vnitate intellectus,contra Auer. Iacobus Zabarella lib. de Humana mente,atque omnes ferè Latini expoſitores ſecuti ſunt. Secunda ſententia fuit Simplicij lib. 2. de Anima tex. 7. & Philoponi ibidem text. 1 r. qui rationis participē animam non formam quidem informantem,ſed ſolùm aſſiſtentem eſſe putarunt: vnamque animam in vnoquoque homine,perinde atque nautam in naui reperiri,dixerunt. Hæc ſententia ex Platone decerpta videtur;qui in Alcibiade,nihil aliud hominem eſſe docuit,quàm animam corpore vtentem. Tertia fuit ſententia Themiſtij,qui lib. 3. de Anima, ca. 27. & ſequentibus,rationalem animam formam pariter aſſiſtentem eſſe cenſuit:non tamen in pluribus hominibus multiplicatam,vt Simplicius,& Philop. tradiderunt; ſed vnam tantùm numero omnibus hominibus inſeruientem,eamque ſempiternam eſſe naturam,incorpoream, indiſſolubilem,hominiſque ſubſtantiam conſtituentem. Quarta fuit opinio Auerrois,lib. 3. de Anima com. 5. qui rationi participem animam,de Ariſtotelis mente,eſſe formam aſſiſtentem,& vnam numero in omnibus hominibus,exiſtimauit, quemadmodùm etiam aſſeuerabat Themiſtius. In hoc tamen ab illo differt,quòd ille, hominem per intellectum in eſſe hominis conſtitui,aſſeruerit,Auerroes autem non per intellectum,ſed per cogitatiuam facultatem,quæ ſentiens,& organica eſt,de poteſtate materiæ deducta,& omnino diſſolubilis,eiuſdem hominis ſubſtantiam conſtitui,pronunciauit. Hanc facultatem cogitatiuam multiplicem eſſe perhibuit,adeo vt quælibet vnum hominem particulatim conſtituat, & per ipſam homo à cæteris animantibus diſtinguatur. Rationalem verò animam omnibus hominibus aſſiſtere dixit,atque ſingulis per phantaſmata coniungi, vt intelligendi munus exercere poſſint. Hanc autem in hominis interitu minimè occumbere;ſed ſempiternam omnino eſſe,ſingulos homines præcedentem,& poſt ſingulos pariter permanentem. Quam opinionem Zimara,

Alexan. ſententia,quam ſecuti ſunt S Thom. Aegi. Rom. Mag. Alber. Iac. Zabarel.

Simplicij,& Philoponi ſētētra,ex Platone decerpta.

Snīa Themiſtij.

Opīo Auerrois.

In quo Auerroes à Themiſtio differat.

Nota diligēter opinion. Auerrois.

mara, Sueſſanus, Iandunus, atque ſummatim omnes Auerroiſtæ ſecuti ſunt; nec ab eadem Franciſcus Piccolomineus lib.2.de Humana mente,cap.17. receſſiſſe viſus eſt. Non defuerant inter Auerroiſtas, qui crediderint, rationalem animam formam quidem humani corporis eſſe,non tamen id munus ſecundum intelligendi gradum obire; ſed duntaxat ſecūdum gradus inferiores,alendi nimirum, & ſentiendi: cui etiam opinioni Auguſtinus Niphus lib. 12. Metaphyſ.commē.17. & Cardinalis Caietanus in primam partem ſummæ S. Thomæ quæſt.76.art.1.ſubſcripſerunt. Fuit denique poſtrema ſententia Antonij Bernardi Mirandulani lib.33.de Euerſione ſingularis certaminis,ſectione 1.& 6.qui, neſcio quo ſpiritu ductus, putauit,de mente Ariſtotelis,rationis participem animam eſſe quidem formam informantem, vt ſtatuit Alexand.ſed vnam tantum numero, iuxta Auerr. ſententiam,in omnibus hominibus reperiri.

Auerroicæ opin.ſectatores. Zimara. Sueſſanus. Iandunus. Fran.Picol. Alia Auerroiſtarum opi. Card.Caiet. Opinio Antonij Bernar di Mirandul.

*Auerrois opinio ab eius ſectatoribus argumentis roboratur.* *Cap. IV.*

QVoniam autem ad Auerrois opinionem,ex ijs,quæ ſupra adducta ſunt,multa deferri facilè poſſunt, ea præſertim, quæ de Themiſtij mēte decerpſimus, à qua multi adhuc putant, Auerroem minimè receſſiſse (qua de re nolo modò diſputationem inire) idcirco ab Auerr. opinione primùm auſpicati,rationes pręcipuas,atque etiam Ariſtot.autoritates in medium afferemus,quibus illius ſectatores,dum rationalem animam non eſse formam informantem,ſed aſſiſtētem, probare contendunt, eandem pariter vnam numero in omnibus hominibus exiſtere,demonſtrare ſe putant. Qui igitur Auerrois doctrinam ſequuntur,& præſertim Iandunus lib.3.de Anima q.5.hiſce argumētis,ex Auer.tùm 3.lib.de Anima com.5.tùm in diſputationibus contra Agazelē,diſputat.prima,dub.8.tùm etiam aliundè collectis,eius opinionem ita firmare nituntur. Argumētantur primò ſic; Omnis multiplicatio fit ratione materiæ,vt habetur 5.Metaph.tex.12.& lib.12.eiuſdem operis tex.49. ſed rationalis anima eſt à materia abiuncta,vt infra Ariſt.autoritatibus apertiſſimè confirmabitur: non igitur rationalis anima eſt numero multiplex,& quod hinc ſequitur,non eſt forma,quæ hominem ſigillatim perficiat;ſed eſt tantum vna numero, quæ omnibus hominibus præſto adeſt. Secundò, Cùm mundus ex Ariſt.ſnīa ſtatuatur æternus, ſi tot eſsent rationales animæ, quot ſunt, atque fuerunt homines; iam infinitus reipſa animarum numerus reperi etur: ſed cōtradictio eſt,dari numerum re ipſa infinitum; igitur rationalis anima non pōt eſse numero multiplex, atque adeo non eſt forma informans,ſed aſſiſtēs. Conſecutio eſt manifeſta; quia cùm anima rationis particeps ſit immortalis, quemadmodum de Ariſt.mēte Commentator ponit, nec primus homo reperiri poſſit, ſi mundi initium nunquam vllum fuit; manifeſtiſſima conſecutione ſequitur, dari numerum animarū rę ipſa infinitum, ſi, omnes homines ſuam quenque rationalē animam,quæ ſit forma informans,habere ſtatuamus. Hoc argumētum apud multos tanti roboris,tantæque efficacitatis fuit,vt Cardinalis Beſſario,lib.3.cōtra calumniatorem Platonis cap.21.dixerit,alterutrum ex Ariſt.ſnīa neceſsariò cēſendum eſse,aut vnicum in oībus hominib. intellectū immortalē,aut plures mortales reperiri. Tertiò, Intellectus humanus intelligit vniuerſalia: ſed ītelligere vniuerſalia,nō cōpetit niſi facultati à materia abiūctæ: igit̄ intellectus humanus eſt facultas à materia abiuncta, ac deinceps nō eſt forma informās. Quartò, ſi rōnalis aīa eſset forma informās,nō eſset illa quidē ante corpus,ſed neceſsariò recēs procreari deberet: forma.n.quæ dat eſſe cōpoſito,non eſt,antequā compoſitū ſit; ſed ſimul cū cōpoſito exiſtit,vt habet Ariſt.12.Metaph.tex.16.ſi aūt rōnalē aīam recens procreari dicamus; tunc ſtatim eandē interitui obnoxiam eſſe fatebimur; quod.n,cæpit eſſe,perpetuū eſſe non poteſt,vt ſcribit idem Ariſt.1.de Cęlo tex.102. & 126.aut igitur fateri oportet,rationis participem animam diſſolubilem eſſe,ponēdo eam eſſe formam informantem; aut eiuſdem nullum vnquam initium extitiſſe,ſed eſſe formam aſſiſtētem. Quinto, Omnis forma informans ex ſenſibilibus materiæ affectionibus pēdet: hoc in omnibus formis conſpicuum eſt, quę ſenſibilia compoſita cōſtituunt: ita.n.pēdent, vt illis remotis, ſtatim corruāt, nec amplius cōſiſtere queant: ſi igitur rationalis anima eſt forma,quæ humanum corpus perficiat: opus eſt,vt ab humani corporis affectionibus pēdeat,atque adeo illis remotis intercidat, quod nō eſt aſſerēdum. Sextò, ſi rationalis anima eſſet forma informans,tunc ſaltem ex accidēti diuiſibilis eſſet: quod.n.eſt in materia quāta,illius extēſione extendi neceſſariò dēt: ſed rationalis

Vide Iandu. lib 3.de Anima.q.5 alioſque Auer.ſectatores. Arg.primū. Secundum. Card.Beſſario argumētum hoc validiſſimū iudicauit. Tertium. Quartum. Quintum. Sextum.

Septimum.

Octauum.

anima eſt indiuiſibilis;ergo non poteſt eſſe forma informans. Septimò, Si rationalis animæ ſubſtantia humanum corpus, veluti forma informans, perficeret, ſequeretur, vt manus, vel alia quæcunque humani corporis pars intelligere poſſet:hoc autem abſurdiſſimum eſt; igitur à ratione quoque alienum eſt dicere, rationalem animam eſſe formam informantẽ. Probant conſequentiam:quoniam animæ facultas protinus in ſuamet ſubſtantia, tanquã in fundamento ſubſiſtit:vbicunque igitur rationalis animæ ſubſtantia manet, ibidem quoque intelligendi facultatem reperiri neceſſe eſt:ſed ponendo, rationalem animam eſſe formam informantem, in ipſa quoque manu eiuſdem animæ ſubſtantia ineſt; ibidem ergo inerit & intelligendi facultas, atque ita manus intelligere poterit, quod videtur abſurdum. Octauò, Anima rationalis eſt per ſe ſubſiſtens; igitur humano corpori ceu forma informans vniri nequaquam poteſt. Conſecutio eſt conſpicua:omnis enim forma, quæ materiam perficit, ita indiget ope materiæ, vt citra illam conſiſtere nequeat; ſed, ab ea diuulſa, ſtatim corruat; at verò in hominis obitu, rationalis anima ſeruatur incolumis; non eſt igitur forma, quæ humanum corpus, informando perficiat. Plures aliæ huius generis rationes & apud Iandunum, loco ſupra citato, & apud alios recentiores philoſophos videri poſſunt: iam enim puto me validiores adduxiſſe, quarum ſolutiones, ad cæteras quoque diluendas, facilem aditum patefacient.

### *Auerrois opinio Ariſtotelis autoritatibus confirmatur.* *Cap. V.*

Ad cõfirmãdam Auerr. ſñiam prima Ariſt. autoritas ex 1. de Ani. tex. 82.

Secunda autoritas ex eodem lib. t. 92

Tertia autoritas ex 2. li. de Anima, tex. 11.

SEd præter iam allatas rationes, eandem Auerrois ſententiam pluribus quoque Ariſtotelis autoritatibus confirmare nituntur. Adducunt 1, Ariſtotelis autoritatem ex 1. lib. de Anima tex. 82. deſumptam, vbi, intellectum antiquiſſimum eſſe, philoſophus aſſerit, & ſecundum ſuam ipſius naturam diuinum quippiam appellat: non eſſet autem antiquiſſimus, inquiunt ipſi, nec diuinitatem redoleret, ſi mortalis hominis forma exiſteret, eidemque ſubſtãtiale eſſe impertiret. Addunt deinde textum 92. eiuſdem libri, vbi Ariſtoteles diſertè fatetur, ne fingi quidem poſſe, quam corporis partem occupet intellectus, atque poſſideat: quib. verbis ſignificare viſus eſt, rationalem animam non eſſe formam informantem, ſed aſſiſtentem, atque à materiæ ſordibus penitus abiunctam. Adhibent tertiò contex. 11. ſecundi eiuſdẽ operis libri, vbi Ariſtoteles ait, aliquam eſſe animæ partem, quæ nullius corporis eſt actus: & per animam intelligit eam, quæ rationis particeps eſt: nam paulò ſuperiùs duas alias. ſ. vegetalẽ, & ſentiẽtem, actus corporis, ac proinde à corpore inſeparabiles eſſe, affirmauit. Vt igitur voluit, has eſſe formas informantes, quia ſunt corporis actus, & à corpore inſeparabiles; ita contra, quia rationalis anima neque vllius corporis eſt actus, neque à corpore inſeparabilis; ideo non eſſe illam formam informantem aſſeuerauit, ſed aſſiſtentem; quanuis non adhuc id ibi aſſerat eſſe manifeſtum. Addunt quartò text. 21. eiuſdem libri, vbi intellectum aliud quoddã genus animę eſſe, eumque ſolum à corpore, ſicut perpetuum à diſſolubili ſeiungi poſſe, Ariſtoteles docet: ſeparari autem à corpore nequaquam poſſet, ſi forma, corpus ipſum informans, atque perficiens ſtatueretur. Afferunt quintò quartum, & ſextum contextum tertij libri de Anima, vbi Ariſtoteles humanum intellectum immiſtum eſſe, atque à materiæ commercio alienum fatetur: quod certè non aſſeruiſſet, ſi ipſum informantem formam eſſe exiſtimaſſet. Adiungunt poſtremò caput tertium ſecundi libri de Animalium generatione, vbi Ariſtoteles diſertiſſimis verbis oſtendit, rationis participem animam, non ſicut cæteras, de materiæ poteſtate deduci, ſed extrinſecùs accedere, eam ſolam diuinam eſſe, nihilque cum eius actione, actionem corpoream communicare. Noluit igitur, eam eſſe formam informantem, ſed aſſiſtentem, atque extrinſecùs hominem, iam conſtructum, perficientem.

Quarta autoritas ex eod. lib. tex. 21.

Quinta autoritas ex 3 lib de Ani. tex 4 & 6.

Sexta autoritas ex 2. lib. de Gene. animal cap 3.

Alias quoq; autoritates huc ſpectantes videre poteris apud Zabar. li. de humana mẽte, cap. 5.

### *Auerrois opinio validiſſimo, inſolubiliſque argumento confutatur.* *Cap. VI.*

Auer. in cõſtãtia, eiuſq; ſectatorũ de illius opinione diſcordia.

DIfficillimam nunc prouinciam aggredimur, Auerrois iam explicatam, & confirmatam opinionem confutaturi: nam certè vnicuique, rem diligenter conſideranti, ea ipſa omnino inexpugnabilis videbitur; non quia re vera demonſtratione aliqua ſe ipſam ſuſtineat; ſed quia neſcimus propriè quò tela dirigere, cùm nec Auer. ſemetipſum ſatis explicarit (fuit enim vbique ſibi ipſi diſſimilis, quotieſcunque hac de re locutus eſt) neque illius ſectatores inter ſe fuerint de eius opinione concordes: quot enim capita fuerunt, tot etiam diſtinctæ eiuſ-

dem

dem opinionis explicationes extiterunt. Sed hæc ipſa varietas, tantaque diſſimilitudo, Auerrois ſententiam, tanquam falſam, & inanem condemnat: veritas enim vna eſt, quam omnes facilè obtinent, qui rectè ratiocinantur: nec vllum euidentius eſt alicuius opinionis falſitatis indicium, quàm eiuſdẽ opinionis defenſorũ diſſenſio. Sed quomodocunq; res ſe habeat, duo ſaltẽ elicimus ex Auer. opinione: alterum eſt, rationalẽ animam non eſſe formam informantem, ſed aſſiſtentem: alterum, eandem vnam tñ numero in omnibus hominibus exiſtere. Duo hæc, de quibus nulla eſt apud Auerroiſtas dubitatio, ſumus nos ordine pro viribus impugnaturi; quamuis prioris confutationẽ, poſterioris ſtatim diſſolutio ſequatur. Cùm n. rationalem animam non aſſiſtentẽ, ſed informantem formam eſſe probauerimus; eandẽ illico non vnam numero in pluribus hominibus, ſed multiplicẽ eſſe, conſtabit. Quò aũt confutatio, quoad eius fieri põt, validiſſima ſit, nos quoque, & rationibus vtemur, quibus Auerrois ſntiam penitus à veritate aberrare oſtẽdemus: & autoritatibus, quibus perſpicuè eandẽ ipſimet Ariſtot. aduerſari probabimus. Multæ ſunt rationes, quæ à varijs Philoſophis, & præſertim recentioribus, ad Auer. opinionem euertendam, proponuntur, quarum tñ præcipuas ex Doctoribus Scholaſticis, præſertim e D. Thoma prima parte quæſt. 76. art. 1. & opuſculo 16. Ex Alberto tractatu de vnitate intellectus contra Auerroiſtas: Ex Scoto 4. Sent. diſt. 43. q. 2. ar. 1. Ex Ægidio quæſtione de intellectus patientis pluralitate: Ex Durando 2. Sent. diſt. 17. q. 1. atque ẽt ex alijs pluribus excepерũt: licet multos noſtrę tẽpeſtatis Philoſophos non citare modo, verum etiam legere Scholaſticos Doctores valde pudeat. Sed ad rem. Primum argumẽtum validiſſimum illud quidem, quodque aduerſus Auer. firmiſſimam arbitror demõſtrationem, eſt hoc. Quemadmodum tranſmutatione nota fit materia, ita operatione elucet forma, quæ propriè rem in eſſe conſtituit, & qua res illa ab alia quacunque diſtinguitur: ſed intelligere eſt propria hominis operatio, qua à belluis diſtinguitur: igitur intelligere pẽdet à forma, quæ hominem in eſſe conſtituit, & qua homo à cæteris animantibus diſiungitur; huiuſmodi forma eſt rationalis anima; igitur rationalis aĩa non eſt forma aſſiſtens, ſed informans. Maior propoſitio eſt de ſe manifeſta, & ab omnibus conceditur. Minor ẽt non longa indiget explicatione: niſi n. intelligere propria eſſet hominis operatio, quonam modo illę obſecro, diſtaret à belluis? Etenim belluæ obiectas ſibi imagines apprehendunt: cogitatione fingunt: recordantur, & id genus alias operationes edunt, quæ ipſis cum homine ſunt cões: opus igitur eſt, vt, pręter haſce operationes, aliqua alia inueniatur, quæ ita homini propria ſit, vt cæteris animantibus minimè conueniat; hanc aũt profectò nullam aliam eſſe dixeris, niſi ipſum intelligere. Quod ſi tanquam verum ab Auerroiſtis conceditur, neceſſariò ſequetur, vt rationalis anima nõ ſit forma aſſiſtens, ſed informans: nam huiuſmodi operatio ſi hominis eſt propria, à forma aliqua pendere dẽt, quæ hominem in eſſe hominis conſtituat: quæ nam igitur erit huiuſmodi forma? Non cogitatiua facultas, vt ipſi putant, ex ſemine orta; quia ſi hęc intellectionis principium eſſet; bruta quoque animantia dubio procul intelligerent, cùm & ipſa eadem facultate prędita ſint: erit igitur rationalis anima, atque adeo non erit forma aſſiſtens, ſed informans. Negabit fortaſſe Auerroiſta aliquis, per rationalem animam, hominẽ in eſſe hominis conſtitui: ſed dicet, conſtitui per facultatẽ cogitatiuam, quæ tñ perfectior ſit, quam quæcunque cogitatiua brutorum. Suaue ſanè effugium. Si ità eſſet, non plus homo differret à belluis, quàm belluæ differant inter ſe. Nam cogitatiua canis eſt perfectior cogitatiua aſini, & cogitatiua accipitris eſt perfectior cogitatiua anſeris; & nihilominus omnia hæc ſunt animalia, ratione carentia: nec facultas vlla cogitatiua, quantumuis perfecta, intellectionis principium eſſe poteſt. Quare ſi cogitatiua hominis cæterorum animantium cogitatiua perfectior eſt; nihil aliud planè ſequetur, niſi hominẽ belluam eſſe cæteris animantibus perfectiorem: vt hinc fortaſſe eliciamus, cogitatiuam Auerrois omnium perfectiſſimam extitiſſe. Sed reſpõdebit Auer. inter hominis, & belluarum cogitatiuam hoc pręcipuè diſcriminis intercedere: nam cogitatiuę hominis intellectus aſſidet, cuius ſplendore illuſtratur, idque potiſſimùm in cauſa eſt, cur homo intelligat. Bellue verò intelligẽdi munus non exercent, qm̃ præter cogitatiuam facultatem, nullum habent intellectum aſſiſtẽtem. Verùm inanior eſt hęc reſponſio ſuperiore: quis. n. dicere audebit, nauim intelligere, quia homo rationis, & cõſilij particeps, illi aſſiſtit? Profectò intellectio propriè homini, non naui tribuetur. Similiter ſi Dęmõ ex. gra. cani aſſiſteret, nunquam verum eſſet dicere, canem intelligere, ſed Dęmonem in ca-

Vnde Auerroicæ opinionis falſitas maximè deducatur.

Duo pcipua ex Auer. opinione eliciũtur, quorum vtrumq; impugnatur.

Confutationis methodus.

Docto. Scholaſtici preſertim i tractandis queſt nõ aſpernẽdi: vt enim Græci interpretes i sperieda Ariſto. mẽte. ſic iſti i difficultatibus ppõnendis, & diluendis, omnibus ſũt anteferendi.

Primũ argumentũ cõtra opin. Auer.

Reſponſio p Auer.

Confutatio.

Auer. reſponſio, & fundamentum.

Euerſio.

ne. Ita in re noſtra, ſi rationalis anima homini tantummodo aſſiſtat, & homo propriæ formæ virtute, ac beneficio non intelligat, nunquàm propriè dicemus, hominem, ſed aſſiſtentem animam intelligere. Non erit igitur intelligere propria hominis operatio, id quod ſupra omniũ conſenſu poſitum eſt, ſed animæ aſſiſtentis.

### *Ianduni reſponſio pro Auerroe, atque eiuſdem confutatio.* Cap VII.

Ianduni rñſio lib. 3. de Ani. q. 5.

IOannes de Ianduno, loco ſuperiùs citato, defendens, hanc veram eſſe propoſitionem, hominẽ nimirũ per ſe, propriè, & (vt aiunt) formaliter intelligere; iam ita intelligendam eſſe putauit, vt. ſ. per hominem, aggregatum quippiam ex ipſomet, atque intellectu accipiatur: tunc. n. inquit, verum eſt dicere, hominẽ intelligere.

Confutatio.

Sed falſa, & erronea eſt huiuſmodi reſponſio: nam aut per hoc aggregatum intelligitur aliquid, ex duarũ rerum coniunctione proficiſcẽs, quemadmodum ex coniunctione materiæ, & formæ ignis, oritur ipſe ignis, (quanuis hoc potius totum quoddam per ſe, quàm per aggregationem dicatur) aut duæ res intelliguntur, quarum vna alteri aſſiſtat, atque ad illam applicata ſit: ſi in prima ſignificatione aggregatum accipiamus; tunc id, quod eſt verè homo, ex coniunctione intellectus cum natura corporea orietur: & quemadmodum ignis, ob informantem formam, quam cõtinet, propriè, & per ſe comburere, & calefacere dr̃, ita homo, ob rationalem aĩam, tanquam informantem, non aũt aſſiſtentem formam, propriè, & per ſe intelligere dicetur. Si verò in altera ſignificatione aggregatum accipiamus, quemadmodum falſum eſt dicere, Cęlum propriè intelligere, quia illi Intelligentia præſto adeſt; ita falſum erit aſſerere, hominem propriè intelligere, quia ei aſſidet intellectus.

Explicatio reſpõſionis Ianduni.

Reſpondebit Iandunus, Cęlum ſeorſum acceptum, non intelligere quidẽ, ſed quatenus mens illi extrinſecùs adiuncta eſt. Reuoluimur eodẽ: nam ita dicere poſſumus, cathedram legere, quia Doctor, in ea aſſidens, legit.

Euertitur firmiore argumento.

Sed aduerſus hanc rñſionem firmiore adhuc vtamur argumento. Illa dr̃ propria alicuius rei operatio, quæ illi conuenit, omni eo remoto, quod non eſt de illius ſubſtantia, nec ad eiuſdem conſtitutionem aliquo modo pertinet: quemadmodum vrere eſt propria ignis functio, & operatio; quia ſi omne id, quod non eſt de ignis ſubſtantia, ab eodem amoueamus, adhuc ignis vret, atque in proximum combuſtibile propriam vim, & operationẽ exercebit; qm̃ huiuſmodi operatio à propria ignis forma proficiſcitur, qua remanente, ſemper erit ignis. Iam verò homo, ſm̃ Auer. per facultatem cogitatiuam in eſſe hominis conſtituitur:

Punctus notabilis cõtra Auerroem.

quæro nunc (& quæſo lector diligenter attende) homo ſic conſtitutus, & remoto quocunq; extrinſecùs ad illum pertinente, intelligere ne põt, an non? ſi poteſt, ſuperuacaneus igitur erit intellectus aſſiſtens: & ipſam illam formam, ratione cuius homo intelligit, aut intelligere põt, ita nos rationalẽ animam informantem appellabimus; ſicut appellat Auer. facultatẽ cogitatiuam. Si aũt homo, per hanc virtutem cogitatiuam in eſſe hominis conſtitutus, citra intellectus aſſiſtentis appulſum intelligere nequaquam poteſt; ergo ſequitur, vt non ſit intelligere propria hominis operatio. Conſecutio eſt conſpicua; quoniam, remoto intellectu aſſiſtente, qui ad interiorem hominis rationem minimè pertinet, intelligere homo nunquam poterit, vt iam conceſſum eſt.

### *Bacchoni, & aliorum reſponſiones pro Auerroe adducuntur, atque reijciuntur.* Cap. VIII.

Ioã. Baccon. Auerroiſtarũ princeps explicat rñſionẽ Auer.

IOannes Bacchonus, vir in Auerrois doctrina eruditiſſimus, atque adeo Auerroiſtarũ princeps iure optimo nuncupatus, lib. 2. Sent. diſt. 19. qõ vnica in fine explicans opinionem, & fundamentum Auerrois, ait, hominem in eſſe hominis per intellectum patientẽ cõſtitui, qui materialis eſt, & proprio nomine cogitatiua virtus ab Auerroe ſolet appellari. Hęc virtus cogitatiua, cùm quacunque belluarum cogitatiua perfectior ſit, efficit, vt ipſe homo ab omnib. belluis ſpecie diſtinguatur: duæ. n. ſpecificæ differẽtiæ æquè perfectæ eſſe non poſſunt. In hoc aũt humanæ cogitatiuæ perfectio, ſm̃ Auer. potiſſimùm conſiſtit; quia ſi præſto illi adſit intellectus, idonea ſtatim redditur ad intelligendum; quod quidem munus nulla brutorum animantium cogitatiua, quantuncunque perfecta, eſto etiã eidem intellectus aſſiſtat, obire nunquam põt.

Confutatio.

Optimum ſanè diuerticulum, ſed tamen diuertentem à propoſita iam difficultate non reddit immunẽ. Accipio. n. hominem, per hanc perfectiſſimam cogitatiuã in eſſe hominis conſtitutum, & vrgeo priore argumento: põt ne homo ſic conſtitutus quocunq; eo extrinſecus accedẽte remota, intelligere, an nõ? ſi poteſt, igitur hæc cogitatiua virtus nihil aliud

re ipſa

re ipſa erit, niſi anima rationalis informans, quam nos ponimus; nec homini ad intelligēdum vllo aſſiſtente intellectu opus erit. Si non poteſt; igitur intellectio non erit propria hominis operatio. Quid ergo aget homo, per illam perfectiſsimam cogitatiuam in eſſe hominis conſtitutus? (non enim intelliget, vt dictum eſt) Aut nihil aget, atque ita eius conditio belluarum conditione inferior erit; aut cogitabit, & recordabitur, quemadmodum & brutæ animantes faciunt, ſed tamen perfectiore modo; & tunc nihil aliud erit homo, quàm nobiliſsima quædam, & honorabiliſsima bellua. Dixerunt alij pro prædicti argumēti ſolutione (quia re vera maximum illis negocium faceſſit) intellectum, ſecundum Auerroem, homini per phantaſmata vniri, atque ita fieri, vt intellectu homini iam vnito, intelligente, ipſe pariter homo verè, & propriè intelligere dicatur. Verùm nec firma eſt iſthæc reſponſio, ponendo, intellectum ſeparatam eſſe ſubſtantiam, atque homini tātummodo aſſiſtere. Primò quia vnio intellectus cum phantaſmatibus maximè impropriè vnio appellatur, ſicut etiam impropriè dicitur lumèn cum coloribus vniri. Sed demus, eſſe propriam vnionem; ob eam rem tamen non ſequitur quod illi animo intendunt: tunc enim homo verè, & propriè intelligere diceretur, ſi phantaſmata, veluti agentia quædam, ad ipſam intellectionem efficiendam cum intellectu copularentur: eo modo, quo aliquis propriè nauim trahere dicitur, qui duobus, vel tribus ad illam trahendam adiungitur; nam & ipſe vt efficiens ad opus illud concurrit. At verò phantaſmata, vt efficientes cauſæ, ad intellectionem edendam minimè concurrunt, ſed tātummodo veluti obiecta quædam ad intelligibilem ſpeciem educendam. Vt igitur color, ob lumen ſibi iunctum, non efficitur videns, ſed ſolum obiecti munere fungens, viſibilem ſpeciē gignere dicitur: ita phantaſmata, ab intellectu aſſiſtente illuminata, non dicuntur intelligentia, ſed tantummodo obiectorum vicem gerentia, ad intelligibilem ſpeciem effingendā concurrere perhibentur. Neque igitur huiuſmodi reſponſione tueri quiſpiam poteſt, quo nā pacto intelligere ſit propria hominis operatio, ſi rationalis anima ponatur aſſiſtens.

Aliorū Auerroiſtarū ſolutio, præſertī Zimaræ, & Sueſſani.

Confutatio.

Vnio intellectus cū phantaſmatib. impropria eſt, ſicut luminis cum coloribus.

Phantaſmata in ratione efficiētis cauſæ intellectionē, non cōcur, ſed intelligibilem ſpēm in rōne obiectū. Vide Ariſtot. 3 lib. de Anima, vſq; ad tex. 39.

*Franciſci Piccolominei pro Auerroe reſponſio, atque eiuſdem confutatio.* *Cap. IX.*

FRanciſcus Piccolomineus, inter recentiores philoſophos celeberrimus, lib. 2. de Huma. mente c. 17. & 18. alium excogitauit modum, quo, ſecundum Auerroem, intellectionem propriam eſſe hominis operationem, tueri poſſimus, eumque ex eodem, li. 3. de Anima com. 20. elicuit. Duobus, inquit, modis nobiſcum nectitur mens, vno quidem modo per operationem, alio modo per naturam. Nectitur mens per operationem nobis adultis iam factis; tunc enim adſunt phantaſmata, & mētis beneficio intelligimus. Nectitur autem per naturam nobis infantibus: hoc eſt, cùm primùm homo in eſſe hominis conſtitutus eſt; propter mentis vnionem, perfectiorem, & eminentiorem gradum acquirit, quàm priùs habebat. Etenim proprium eſt hominis ſibi ſimile procreare: procreat autem ſibi ſimilem hominem per cogitatiuam, ſeu phantaſiam, tanquam per informantem formam conſtitutum. Hucuſque hominis virtus, atque facultas in procreando extenditur. Quicquid igitur ſic procreatum eſt, dicitur homo; ſed in gradu quodam humili, atque remiſſo: quoniam ſola phantaſia non eſt aptus ad intelligendum. Iam verò cùm primùm homo ita conſtitutus eſt, tunc illi mens per naturam vnitur, quippe quæ vnio maior eſt, atque intimior, quàm ſit vnio materiæ cum forma. Nam abſque vlla extenſione ſit hæc mentis cum phantaſia connexio, ob quam quidem connexionem redditus iam eſt homo intelligens, non quidem per eſſentiam; quia ſola mens intelligit per eſſentiam, ſed ſolum per participationem: habet enim id, quo redditur ad intelligendum idoneus, cumque primùm perfectiſſimum, atque eminentiſſimum hominis gradum adeptus eſt. Subtiliſſima quidem eſt huiuſmodi excogitatio; ſed tamen quæ clariorem expoſceret explanationem. Multa dicta ſunt, & perpolitè quidem ab Excell. viro explicata, quę tamen an probata fuerint, aliorum ſit iudicium. Diſcerem enim ego ab illo libentiſſimè, aut ab Auerroe, vnde ea omnia fuerunt excerpta, quæ nam ſit hæc vnio per naturam, qua mens homini, vel phantaſiæ iungitur? Etenim niſi vnio ſit iuxta poſitio, aut alicuius rei ad rem quampiam illapſus, quæ veræ, & propriæ vniones appellandæ non ſunt; non video, quo nam pacto vere, & propriè aliqua inuicem vniri poſſint, niſi illa inter ſe actus, & potentiæ relationem aliquam habeant, vt ex illarum vnione compoſitum aliquod, aut ſaltem miſtum coaleſcant. Sic materia, & forma propriè ad conſtituendum compoſitum vniuntur, ſeque habent inuicē,

Fran. Piccol. Auer. hac in diſput. ſectator.

Duobus modis nobiſcū mens, ſecundum Auerr. iungitur.

Piccolominei reſpōſionis euerſio.

Quæcunque propriè vniūtur, relationem inter ſe actus, & potentiæ habere debent. Nota hæc exempla.

vt actus, & potentia. Sic ſubiectum, & accidens propriè iunguntur, ad conſtituendum compoſitum accidentale. Subſtantiæ pariter elementorum, tametſi in ſuo genere perfectæ ſint, ſuiſque ſe viribus ſuſtineant; nihilominus mutuam quandam actus, & potentiæ relationem obtinent, quatenus viciſſim alterationem ſubeunt, ſicque mutatæ propriè inuicem vniuntur: ex quarum intima vnione, mutuaque complexione, miſtum denique ipſum coagmentatur. Hæ à Peripateticis verè, & propriè dictæ vniones appellari ſolent. Iam verò quocunque horum modorum intellectus homini vniri dicatur, ſequetur ſemper, illum non aſſiſtentem, ſed informantem eſſe. Nam ſubſtantiale compoſitum, quod eiuſmodi eſt per materiæ, & formæ coniunctionem, cùm exit ad opus, virtute ſuæ formæ ſubſtantialis, atque illius quidem informantis, operatur. Similiter id, quod ex accidente, & ſubiecto conflatum eſt, tametſi non eſt huiuſmodi per eſſentiam; nihilominus per accidentalem formam informantem operatur. Exempli gratia, ferrum ignitum, calidum eſt, non per eſsentiam quidem, ſed per participationem; calore nihilominus calefacit, qui non illi aſſiſtit, ſed eius eſt accidentalis forma. Eadem ratione miſtum, quod ex elementorum vnione conſurgit, dum quippiam agit, per propriã formam informantem agit. Quare ſi mens homini per naturam vnita eſt, atque hæc vnio verè vnio dicenda ſit, opus eſt fateri, intellectum veram hominis formam informantem eſſe, vt propriè homo intelligere dicatur. Si autem illi tantummodo aſſiſtit: neque propriè cum illo iunctus eſſe dicetur; neque magis homo, quàm canis, aut aſinus, cui Dæmon aliquis aſſiſtat, vt ſupra dictum eſt, intelligere perhibebitur. Sed obijciet fortaſſe Piccolomineus, me perfectiſsimum vnionis modum omiſiſſe, qui ad Auer. ſententiam confirmandam momentũ maximum affert. Etenim peruulgata ſatis propoſitio eſt, ex Intelligentia, & orbe magis vnum fieri, quàm ex materia, & forma: & tamen intelligentia non eſt forma informans, ſed aſsiſtẽs. Facilè tollitur huiuſmodi obiectio. Propoſitio illa veluti commune quoddam axioma à multis quidem pronunciatur, à nemine verò (quod ego videtim) rectè probatur. Cùm enim orbis nullam ad Intelligentiam tanquam propriam formam recipiendam poteſtatem habeat; ſed ſit in eo tantummodo exterior quædam habilitas, ea ratione, quã rotunda figura præditus eſt, vt in orbem cieatur; dubio procul inter orbem, & Intelligẽtiam non maior erit vnio, quã inter nautam, & nauim: quis autem ſanæ mentis fatebitur, ex nauta, & naui magis vnum fieri, quàm ex materia, & forma? Negandum igitur abſolutè eſt, ex Intelligẽtia, & orbe aliquid per ſe vnum conſtitui; cùm vtrunque ſit ens in ſuo genere perfectum; tantum abeſt, vt fiat ex ipſis magis vnum, quàm ex materia, & forma. Quod verò aſſerit Piccolomineus, hominem, ob illam mentis, & phantaſiæ vnionem, perfectiſsimum, ac eminentiſsimum gradum acquirere; hoc, eius pace dixerim, arbitror eſse falſiſsimum. Species enim ex 8. Metaph. contex. 10. ſunt ſicut numeri, atque in indiuiſibili conſiſtunt, in quo quidem indiuiſibili omnem perfectionem habent, quam, vt tales ſpecies ſunt, habere poſsunt. Quòd ſi qua ſubſtantialis perfectio adijciatur, illicò ſpecies mutatur, eo modo, quo per vnius numeri acceſsionem, ſpecies ſtatim præcedentis numeri variatur. Iam verò ſi homo, vt de Auer. ſenſu Piccolomineus elicuit, per phantaſiam, tanquam per propriam, & ſpecificam formam, iam in eſſe hominis cõſtitutus eſt; cùm mentis acceſsione gradus eminentior illi adiungitur, aut huiuſmodi gradus eſt quid pertinens ad ſubſtantiam, aut eſt aliquod accidens. Si detur primum; tunc ſpecies hominis ſtatim mutabitur: aut dicendum eſt, priùs conſtitutum non fuiſse hominem. Si detur ſecundum; tunc gradus ille accidentalis non ſatis erit, vt homo illud efficiat, quod priùs propriæ formæ virtute efficere nõ poterat, hoc eſt, vt propriè, & per ſe intellectionem edat. Nec dicat hic aliquis, magis, & minus ſpeciem non mutare, vt frequenter Iacobus Zabarella dicere conſueuit: hoc enim verum eſt in accidentibus, quæ natura ſua magis, & minus recipiunt, vt in qualitate, quæ eadem ſpecie cum maiori, vel minori gradu manere poteſt; non habet autem locum in ſubſtantijs; quæ neque intenſionem ferunt, neque remiſſionem, vt latiſſimè in diſputatione de elementorum miſtione pateſeci. Plures etiam ſunt modi, quibus Auerrois opinio ab alijs defenditur, quos tamen tanquam leues omitto: ſatis enim in hoc primo argumento, nos arbitror eſſe verſatos.

Perpende vim argumẽtationis.

Operatio quælibet informãti formę operatiis eſt accepta, referẽda.

Tacita obiectio.

Solutio.

Falsũ eſt id, quod cõiter aſſeritur, nimirum ex Intelligẽtia, & orbe magis vnum fieri, quàm ex materia, & forma. Quære diſput. de Animatiõe cæli.

Reiicit Piccolominei ſnia de hõie eminẽnte.

Arg. efficax.

Occupatio.

*Auerrois opinio tribus alijs argumentis euertitur.* *Cap. X.*

EX ſupra iam citatis doctoribus Scholaſticis, recentiores Philoſophi alia inſuper argumenta,& ea quidem validiſſima,ad Auer.opinionem euertẽdam,elicuerunt. Itaque argumentum in ordine ſecundum eſt huiuſmodi; Animantium ſpecies,vt inter ſe materia conueniunt,ita ſpecifica forma,atque illa quidem informante diſtinguuntur: atqui homo à cæteris animantibus potiſſimùm intellectu diſtinguitur;igitur intellectus eſt forma hominis informans,non autem aſſiſtens.

Secundũ argumẽ. præcipuum cõtra opin. Auer.

Dicent Auerroiſtæ,hominem à cæteris animalibus non intellectu;ſed ſola cogitatiua differre.

Auerroiſtarum rñſio.

Reijcit hanc rñſionem Iacobus Zabarel. nam cùm in belluis pariter cogitatiua reperiatur, tunc homo ab ipſis nequaquam differret. Sed infirma eſt huiuſmodi cõfutatio;quoniam in aſino etiam,& equo cogitatiua reperitur; nihilominus animalia hæc inter ſe ſpecie diſtinguuntur.

Confutatio Zabarel quę debilis eſt.

Aliter ergo prædicta reſponſio reijcienda eſt,nimirum ſi ſola cogitatiua facultas hominem in eſſe hominis, ceu ſpecifica quædam forma ſtatueret;ſequeretur,vt homo eſſet quædam belluæ ſpecies, à cæteris diſtincta, vt nos ſupra argumentati ſumus.

Confutatio autoris.

Tertium argumentum illud eſt Ariſt.2.cap.2.libri de Anima colligens,atque iterum explicans animæ definitionem,ait,eam eſſe actum primum,ſeu formam,qua viuimus,ſentimus,loco mouemur,& intelligimus:quibus verbis rationalem,quoque animam, qua nos præcipuè intelligimus,apertiſſimè complexus eſt. Quemadmodum igitur vegetalis anima eſt ſubſtantialis forma,quæ dat eſſe plantis; & anima ſentiens eſt ſubſtantialis forma; quæ dat eſſe belluis;ita rationalis anima dicenda eſt ſubſtantialis forma,quæ dat eſſe homini.

Tertium argumentum.

Accedit quartum argumentum,niſi.n.rationalis anima eſſet vera forma informans,quę dat eſſe homini,ſequeretur,vt ea,prout eſt in corpore,dum intelligit,à phantaſmatibus minimè penderet:ſed conſequẽs eſt falſum;neceſſe eſt.n.intelligentẽ phantaſmata ſpeculari; vt 3. lib.de Anima tex.39.aſſerit Ariſt.ergo & antecedẽs. Probatur conſequẽtia: ſi.n.intelligendi munus ad ipſam rationis participem animam pertinet, quid obſecro cauſæ eſſet; cur abſque phantaſmatibus intelligere illa non poſſet, ſi homini tantummodo aſſiſteret? Dubio procul non eſſet neceſſe, vt homo omnem ſuam cognitionem à ſenſibus hauriret; cùm anima,in eo exiſtens,omnẽ cognitionem ex ſemetipſa elicere ſatis commodè poſſet. Quare cùm manifeſtum ſit,rationalem animam,ſaltem quoad operationem, maiori ex parte à corpore pẽdere; ſequitur neceſſariò,vt ipſa ordinem aliquem ad corpus habeat,ſitque inter vtrunque naturalis illa connexio,quæ inter quamlibet formam informantem, & corpus per ipſam conſtitutũ, reperitur.

Quartum argumentum.

Innumera alia argumenta,hoc idem oſtẽdentia proponuntur: nimirum,ſi rationalis anima homini tantummodo,vt nauta naui,vel Intelligentia orbi iungeretur;tunc homo per rationalem animam non viueret;illius abſceſſu,adhuc ſuperſtes maneret:corporé male affecto,anima ab eius functionibus non impediretur, quemadmodum ob aliquẽ nauis defectum,recta nautæ intellectio non impeditur; & alia inſuper ſequerẽtur abſurda, quę tamẽ libens omitto; cũ ea omnia virtute in primo argumẽto,à nobis iam propoſito, contineãtur.

Plura abſurda, quæ ex Auerr opin. deduci poſſunt.

*Auerrois opinio apertiſſima Ariſtotelis autoritate reijcitur.* *Cap. XI.*

HActenus Auerrois ſnĩam firmiſſimis,ni fallor,rationibus confutauimus:nunc aũt oſtẽdendum eſt,eã ipſimet Ariſt.penitus aduerſari. Multæ Ariſt. autoritates ex libris moralis philoſophiæ,ex problematis,ex opere dę Phyſico auditu,& ex alijs etiam locis elici poſſent,quibus exiſtimaſſe ipſum,rationalem animam,non eſſe formam aſſiſtentẽ,ſed informantem,oſtẽdere nullo negocio poſſemus. Verùm omnes adducere,laborioſum nimis,& fortaſſe &t moleſtum eſſet. Tres tantummodo,& eas quidem perſpicuas ex præcipuis libris deſumptas adducam:vnam ex opere de Anima:alteram ex libris de Generat. animalium:tertiã ex libris diuinæ philoſophię:quibus id ipſum,quod quærimus, vnicuique exploratiſſimum fore confido.

Ex multis, quæ adduci poſſent Ariſt autoritatibus, tres pcipuæ ad Auer. ſententiam euertendam ppo nuntur.

Ex primo libro de Anima,& præſertim ex proœmio,multæ à varijs autoribus ad rẽ hanc oſtendendam,autoritates eliciuntur:ego verò nullam ex eo proœmio autoritatem afferre volui;exiſtimo.n.multa ibi ab Ariſt.proponi quidem; nihil tamen ab eodem re vera concludi, vt inde aliquid certi de illius ſnĩa nobis haurire liceat.

In proœmio lib de Anima multa ab Ariſt. proponi ſolùm, nihil tñ cõclud.

Sumo igitur primam autoritatem ex toto primo cap.ſecundi libri de Anima,vbi ex induſtria de ea re,quam modo tractamus, Ariſt.diſputauit. Definiẽs ibi animam vniuersè ſpectatam,ait,eam eſſe actum primum

Prima Ariſ.

corpo-

autoritas, & ea quidē validiſſima cō-tra opin. Auer. elicita ex 7. lib. de Anima, cap. 1.

corporis phyſici, potentia vitam habentis. Actus primus, vt ipſemet in eodem capite explicauit, eſt forma, & veluti habitus quidam: actus ſecundus eſt operatio. Tunc liceat ſic argumentari; Rationalis anima, quæ ſub communi animæ definitione comprehenditur, ſecūdum Ariſtotelem, eſt actus primus corporis phyſici, ergo eadem homini nō ſecundum operationem, & per ſolam aſſiſtentiam, ſed per informationem, & ſecundum ſubſtantiam adiungitur. Cōſecutio eſt manifeſta; quoniam nauta, qui naui aſſiſtit, nunquam actus primus ipſius nauis eſſe dicetur: eius enim actus primus eſt forma illa, ſeu figura, qua in eſſe nauis cōſtituitur. Quare ſi rationalis anima eſt vere primus humani corporis actus, opus eſt, vt ad illud non vt nauta ad nauim, ſed vt forma, & figura quædam ad eandem, ſe habeat: hoc eſt, vt quemadmodum forma nauis nauem in eſſe nauis: ita rationalis anima hominem in eſſe hoīs conſtituat.

Reſponſio ꝑ Auerroiſtis.

Audire mihi videor Auerroiſtam aliquem reſpondētem, communem animæ definitionem, ab Ariſtotele traditam, non vniuocam, ſed æquiuocam eſſe, & propterea quamuis rationalis anima primus etiam ſit humani corporis actus, non eo tamen modo actum primum illam eſſe putandum eſt, quo anima ſentiens actus eſt primus belluarum, & vegetalis plantarum: hæ enim informantes formæ ſunt, illa verò tantum aſſiſtens. Dicitur autem hoc modo actus primus; quoniam homo in actum ſecundum, ſibi proprium, qui eſt operatio, ſeu intellectio, exire nunquam poteſt, niſi illi rationalis anima, veluti actus quidam primus, præſto adſit.

Confutatio.

Contra hanc reſponſionem argumentor, verbis ipſiuſmet Ariſtotelis, loco ſuperiùs citato, oſtendendo, rationalem animam, ea potiſſimùm ratione, qua primus eſt humani corporis actus, non eſſe formam aſſiſtentem, ſed informantem. Etenim Ariſtoteles communem quam definiuit animam, formam primùm, mox ad maiorem explicationem, actum appellauit: quē quidem actum nomine potiſſimùm endelechiæ ſignificauit. Iam verò endelechia non eſt actus abſolutus, aut forma quædam per ſe exiſtens, atque in continua operatione manens: talis enim energiæ nomine ſignificatur, vt frequenter apud ipſum videre licet: ſed eſt perfectio & abſolutio corporis, aut rei, cui adiungitur. Sic igitur argumentor, Rationalis anima, ſecundum Ariſtotelem, eſt actus, & forma illa humani corporis, quæ appellatur endelechia; igitur non eſt ſubſtantia per ſe exiſtens, quæ humano corpori præſto adſit; ſed eſt humani corporis perfectio, & abſolutio, eſtque id, ratione cuius corpus illud, cui eſt annexa, humanum & eſt, & appellatur, atque adeo eſt forma informans, & non ſolùm aſſiſtens.

Nota drīam inter actum, qui dr̄ endechia, & actū, qui dr̄ energia.

Vide hæc eadē fuſius explicata c. 17.

Alia Auerroiſtarū rñſio. Vide Mirād. lib. 33. euer. ſing. cer. ſec. 2. & 6.

Dicent Auerroiſtæ, rationalem animam hominis quidem perfectionem eſſe: ab ea enim homo perfectiſſimum recipit gradum, qui ei competit, quà homo eſt, vt aſſerit Mirandulanus lib. 33. Euerſionis ſingularis certaminis, ſect. 2. & 6. non ideo tamen ſequitur, vt eadem ſit forma informans: nam & nauta nauis perfectio dicitur, quæ ſine ipſo abſque vlla recta operatione vbique iaceret; & Intelligentia dicitur perfectio cæli, quod abſque illa torpens, & immobile maneret, nec rerum inferiorum cauſa, per eius motum, exiſteret: tamen neque nauta eſt forma nauis informans, neque Intelligentia eſt forma, quæ det eſſe cælo.

Confutatio.

Poſſem ex eis hanc reſponſionem refellere, quæ proximè ſatis multis probaui: nimirum, hominem ea ratione, qua homo eſt, magis, nec minus ſuſcipere non poſſe; & propterea ſi per aliud quippiam, quàm per rationalem animam, in eſſe hominis conſtitutus eſt; nullam amplius ab aliquo alio perfectionem recipere poteſt, ad rationem hominis pertinentem. Nihilominus, quia nunc in Ariſtotelis autoritatibus verſamur, hanc ipſam reſponſionem eiuſdem Ariſtotelis verbis infringere libet, nec à iam citato capite diſcedemus.

Expenditur text. 7. lib. 2. de anima.

Etenim in tex. 7. apertiſſimis verbis docet, non eſſe quærendā cauſam, cur ex anima, & corpore fiat aliquod per ſe vnum; & rationem ſtatim reddit, quia. ſ. anima eſt actus, corpus verò potentia: quæcunque igitur vt actus, & potentia, vt forma, & materia inuicem ſe habent, hæc, ait Ariſtoteles, aliquod per ſe vnum conſtituunt.

Argūm ex eodem cōtextu deductum.

Arguamus nunc ſic, ex humano corpore, & rationali anima aliquid per ſe vnum conſtituitur; ergo rationalis anima eſt forma informans, non autem aſſiſtens. Probatur conſequentia; quia ex nauta, & naui non fit aliquid per ſe vnum: nauis enim per ſe ipſa eſt aliquid vnum, & pariter nauta. Similiter ex Intelligentia, & orbe non fit aliquid per ſe vnum; quoniam tàm orbis, quàm Intelligentia in ſe ipſis perfecta quædam entia ſunt, nec alterum ad alterius conſtitutionem, & abſolutionem neceſſariò exigitur. Cùm igitur ex rationali anima, & humano corpore fiat aliquod per ſe vnum, iam planè ſequitur, non eſſe illam formam aſſiſtentem, ſed informantem.

Ariſt. exemplū in eodē contex. 7. ad

Sed præterea accipiamus exemplum, ab ipſomet Ariſtotele in textu 7. iam citato, propoſitum:

poſitum:

poſitum: non eſt, inquit, quærenda ratio, cur ex cera, & figura fiat aliquid per ſe vnum; quoniam hæc inuicem, vt actus, & potentia ſe habent. Iam verò figura ceræ non eſt aliquid aſſiſtens, ſed eſt aliquid ei annexum, ſaltem veluti quædam illius accidẽtalis perfectio: figura.n. eſt accidens de genere qualitatis. Ad hæc in 8.tex. eiuſdem libri adhuc cõem hanc explicans animæ definitionem, animam eſſe, ait, quod quid erat eſſe huiuſmodi corporis; ponitque exẽplum ſecuris, quæ ſic dicitur, ob inciſionis figuram, qua prædita eſt, & qua pereunte, non remanet amplius ſecuris: modò illa figura, ad incidẽdum apta, non aſſiſtit ſecuri, ſed illam informat. Denique in tex.9. adducit exemplum oculi, qui, veluti aliquid per ſe vnum, ex corpore organico, vidẽdique facultate conſtitutus eſt. Hæc quippe videndi facultas eſt forma, quæ oculum in eſſe oculi conſtituit, non aſſiſtens illa quidem: quia abſcedente ipſa, adhuc integer, & incolumis oculus permaneret, ſed informans; quia, ipſa pereunte, non amplius oculus, niſi æquiuocè manet. Attulit Ariſt. hęc exempla, vt cõem animæ definitionẽ explicaret, ſub qua & rationis particeps anima continetur. Quare cùm ex ipſa, & humano corpore fiat aliquod per ſe vnum; dicendum neceſſariò eſt, eam non aſſiſtentem formam, ſed informantem eſſe.

ductũ, Auer ſn iam max mè labefactat.

Exẽplũ aliud in contex 8. eiuſdẽ libri propoſitum.

Tertiũ exemplum allatũ in contex. 9. rẽ planè aperit, & confirmat.

*Auerrois opinio duabus alijs autoritatibus confutatur.* *Cap. XII.*

SEcundam autoritatẽ elicio ex ſecundo libro de Animalium generatione cap.3. vbi Ariſto. apertiſſimis verbis aſſeruit, hominem in eſſe hominis per rationalem animam, tanquam per informantem formam conſtitui. Ne autem illius autoritatem arbitratu noſtro cõmentari videamur, ipſa eius verba in medium afferemus. Cùm.n. in illius capitis initio vegetalem animam, quæ forma informans eſt, quæque vitam ſtirpibus impertitur, in illis recipi docuiſſet, hoc idem de duabus alijs animæ ſpeciebus explicaturus, ait, ***Senſualem etiam qua animal eſt, tempore precedente recipi, & rationalem, qua homo eſt.*** Ex hiſce verbis duo potiſſimum aduerſus Auer. elicere poſſumus. Alterum eſt, hominem in eſſe hominis, non per cogitatiuam, vt ipſe exiſtimauit, aut veriùs, ſomniauit, ſed per rationis participem animam, & ſecundum Ariſt. ſn iam, & ſecundum rei veritatem, conſtitui. Alterum eſt, rationalem animam non aſſiſtentem formam, ſed informantem eſſe. Vt.n. antè diximus, nauta, qui naui aſſiſtit, illam in eſſe nauis non conſtituit: neque Intelligentia, quæ cæleſti orbi pręſto adeſt illum in eſſe ponit: non igitur per rationalem animam homo in eſſe hominis ſtatueretur, ſi eadẽ forma poneretur aſſiſtẽs. Tertiam autoritatem excipio ex 12. Metaph. tex. 17. quę certè aduerſus Auer. ſn iam validiſſima eſt. Diſtinxerat Ariſt. cauſas in efficiẽtes, quas, & mouẽtes pariter appellauit, atq; formales. Efficientes cauſas, veluti antea ortas, ante cõpoſitũ exiſtere perhibuit; nanq; ædificator, qui eſt cauſa efficiens domus, prius exiſtit, quã domus conſtructa ſit. Similiter Intelligẽtiæ, q̃ ſunt cãe, celeſtes orbes mouẽtes, & per eũ motũ cõplura in hoc ſublunari mundo efficiẽtes, ante quodcunq; compoſitum exiſtunt: ſunt.n. ſecundum Ariſt. æternæ. Cauſæ vero formales, quæ ſunt veluti rationes compoſitorum, hoc eſt, illæ, quæ eſſe concretis rebus impertiuntur, & quarum ope ſubſiſtunt; nulla ratione ante compoſita exiſtunt, quę per ipſas conſtituta ſunt; ſed ſimul omnino ſunt cum compoſitis, quæ conſtituũt. Exem. gratia, ſanitas non prius eſt, quàm corpus ſanum ſit: ſic ſphæra non prius eſt, quàm ſit ſphæra ænea, aut lignea, aut huiuſmodi. Omnis igitur forma, quæ eſt veluti ratio, ſeu quodquid erat eſſe compoſiti, ſimul omnino cum ſuo compoſito exiſtit. Id cùm Ariſt. in contex. 16. ſupra citati libri concluſiſſet, quærit deinde in tex. 17. num aliquæ iſtarum formarum, quæ dant eſſe compoſito, poſt ipſum compoſitum diſſolutum manere queant: & reſpondet, de quibuſdam hoc aſſerere, nullum incommodũ eſſe: anima.n. diſſoluto animali, remanet ſuperſtes; non quæcunque, ſed ſola rationalis, dũ homo intercidit. Videmus igitur apertiſſimè, Ariſt. in eo tex. rationis participem animam in illarum formarum numero, quæ rationes compoſitorum dicuntur, hoc eſt, quæ dant eſſe compoſitis, potiſſim collocauit. n. ſepius; ſubſtantialem alicuius rei formam, illius rei rationem, ſeu quod quid erat eſſe nuncupare. At verò forma, quæ dat eſſe rei, non eſt aſſiſtens, ſed informans: igitur rationalis anima, quę ſm Ariſt. in eo tex. eſt forma, quæ dat eſſe rei, non eſt forma aſſiſtens, ſed informans. Confugiunt nonnulli Auerroiſtæ ad ſuam cogitatiuam, aiuntque; Ariſt. in eo tex. per intellectum, cogitatiuam facultatem, non etiam rationalem animam ſignificaſſe: illa.n. ibi forma, quæ dat eſſe homini, atque adeo forma informans appellatur. Sed falluntur; quoniam affirmauit Ariſt. intellectum manere, diſ-

Secunda Ariſtote autoritas elicita ex 2. lib. de Gener. ani c 3.

Verba Ariſt. notabilia cõtra Auer.

Tertia Ariſt. autoritas eruta ex 12. Metaph tex tu 17

Explanatio contex. 16. li. 12. Metaph.

Aliqua forma, quæ dat eẽ cõpoſito, puta rõnalis ala, põt manere poſt cõpoſitum diſſolutum.

Auerroiſtarum effugium.

Confutatio.

Sueſſani rñſio in 12. Metaph. cõ. 17.

ſoluto compoſito, puta homine: facultas autem cogitatiua, occidẽte homine, ſtatim extinguitur. Auguſtinus Sueſſanus lib. 12. Metaph. in com. eiuſdem contex. putauit, ex Auerrois ſnĩa Ariſ. per intellectum neutiquam rationalem animã, quatenus à vegetali, & ſentiente diſtinguitur, intellexiſſe: ſed vnam partem rationalis animæ, ab ea parte diſtinctam, quæ ex materiæ gremio, & poteſtate deducitur. Exiſtimauit. n. ex Auer. ſnĩa, rationalem animã eſſe quippiam ex duabus partibus, vid. ex ſentiente, & intelligente conflatam. Pars ſentiens ortum ducit, ait ipſe, ex ſemine; fitque veluti ſubiecta quędam materies, ad partem intelligentem, recipiendam idonea, quę eſt veluti forma eius, extrinſecùſque illi accidit. Pars illa ſentiens multiplex fit in pluribus hominibus: pars verò intelligens vna numero manet in omnibus indiuiduis. Cùm igitur Ariſt. aſſeruit, animam, diſſoluto compoſito, permanere, non omnem, ſed intellectum, ſignificauit, non totam animam rationalem in hominis occaſu manere, ſed tantummodo rationalem partem, quæ vti ex nulla materia orta eſt, ita nulli interitui obnoxia dicitur; ſed cùm extrinſecùs accedat, vna numero eſt, atque æterna.

Confutatur Sueſſani rñſio interpretũ autorit.

Verùm hęc Sueſſani reſponſio & communi omnium expoſitioni, & ipſiuſmet Ariſt. ſenſui penitus aduerſatur: omnes enim interpretes, immò, & Alexãder ipſe, qui rationalem animam morte mulctauit, per intellectum in eo textu rationis participem animam, prout eſt à vegetali, & ſentiente diſtincta, interpretati ſunt. Sed aduerſus Sueſſani reſponſionem rationibus vtamur.

Confutatur rationibus.

Et primò, monſtrum aliquod in philoſophia eſſet, ponere, rõnalem animam quippiam eſſe ex ſentiente, atque intelligente parte, tanquam ex materia, & forma, concretum: quam enim, obſecro, habilitatem, aut propenſionem haberet pars illa ſentiens, ad partem intelligentem recipiendam? Aut quo nam pacto rationalis anima, per ſe vna, ex duabus partibus conſtitui poſſet, quarum altera à materia ortum ducat, altera verò extrinſecùs accedat? Sed quomodocunque res ſe habet, rationalis anima (ait Sueſſanus) ſic conſtituta, eſt vera hominis forma, hominemque in eſſe hominis conſtituit:

Arg. efficax contra Sueſſanum.

tunc argumentor ego ſic; forma, quæ dat eſſe compoſito, non priùs eſt, quàm compoſitum exiſtat, per Ariſt. loco citato: Sed rationalis anima, ſic conſtituta, eſt forma, quę dat eſſe homini; ergo rationalis anima ſic conſtituta, non priùs eſt, quàm ſit homo, atque adeo pars illa intelligens non erit æterna, vt vult Sueſſanus. Non minus igitur inanis eſt hęc Sueſſani reſponſio, quàm ſit ipſiuſmet Auer. excogitatio.

### *Non eſſe vnam numero in omnibus hominibus rationalem animam. Cap. XIII.*

IAm abundè ſatis, & commodè aduerſus Auerr. rationalem animam non aſſiſtentem formam, ſed informantem eſſe probauimus: ex quo etiam, non eſſe illam in omnibus hominibus numero vnam, concludi facile poſſet. Nam ſi quilibet homo per propriam formam, nimirum per rationis participem animam, eſt homo; neceſſariò ſequitur, vt quot ſunt numero homines, tot ſint pariter numero animæ rationales. Addemus tamen nonnulla, ad maiorem Auerroicæ ſententiæ confutationem; probabimuſque, nulla ratione fieri poſſe, vt vna numero in omnibus hominibus rationalis anima reperiatur. Hac de re integra opuſcula S.

Vide S. Tho. in opuſc. 16. Aegid in q. de intel poſ. plura. & prę cipue Magn. Alb. in trac. de vnitate intellectus cõtra Auer.

Thomas, & Romanus Ægidius conſcripſerunt; ſed potiſſimùm Magnus Albertus, qui triginta & ſex argumentis Auerrois ſententiam de vnitate intellectus euertere conatus eſt. Nolo nunc Alberti argumenta proponere: multa enim illorum ſunt, in quibus nonnullarum propoſitionum exquiſitior deſideraretur probatio; propterea Auerrois ſententiam ad quædam abſurda, & incommoda deducere pro viribus enitar. Omnes homines, ait Auerroes, per cogitatiuam, tanquam per propriam formam, in eſſe hominis conſtituuntur; attamen perfectam hominis rationem, per rationalem animam, aſſiſtentem accipiunt, quæ vna numero in omnibus reperitur.

Sũma opin. Auer ex qua potiſſimum quatuor abſurda ſequũtur.

Ex hac ſententia quatuor potiſſimum incommoda oriuntur.

Primum abſurdum.

Primum eſt, vt idem numero intellectus, eandem omnino rem & intelligat, & ignoret. Probo, quia idem intellectus, vt aſſiſtens Petro, aliquid intelligere poteſt: illud autem ipſum, prout aſſiſtit Antonio, poterit ignorare: abſurdum autem eſt, eandem numero animã, eandem omnino rem ſimul ſcire, atque ignorare.

Secundum.

Secundum, vt idem numero intellectus vnam, & eandem rem oppoſito modo intelligat, atque eiuſdem rei oppoſitam, atque omnino contrariam cognitionem pariat. Conſecutio eſt conſpicua: multi enim ſunt philoſophi, qui, eadem de re diſputantes, oppoſitas, & planè diuerſas opiniones ſequuntur, ſuam quique veriſſimam exiſtimantes.

Tertium.

Tertium, vt idem numero intellectus circa vnam, & eandem rem, plu

res intellectiones, numero diſtinctas, vno, eodemque tempore edat: fieri enim poteſt, vt plures homines eodem tempore, eandem rem tractent, atque intelligant, quòd ſi vnus in illis numero intellectus exiſtit, ſequitur, vt ille ipſe, vno, & eodem tempore, eandem rem pluribus intellectionibus intelligat, quod videtur abſurdum. Nam fieri quidem poteſt, vt quis ex. gra. pluribus iteratiſque tangendi actibus, rem aliquam tangat: at verò, vt hoc idem vno, eodemque tempore efficiat, contingere nulla ratione poteſt. Quartum, vt Intellectus hic vnus numero nihil vnquam rectè percipere poſſit: ſed ob rerum varietatem, in quibus continuò, vt multis hominibus aſſiſtens, verſatur, confuſus ſemper, ac perturbatus maneat. Aut enim finitus eſt hic intellectus, aut infinitus. Si infinitus, tunc eſſet Deus, quemadmodum poſuit Alexander, cuius tamen opinionem, tanquam abſurdam reprobauit Auerroes, Si finitus; non ergo tot ſimul rebus poteſt vno, eodemque tempore operam nauare, vt. ſ. in vno homine res tractet ad mathematicam pertinentes: in alio, ad naturalem philoſophiam: in alio ad Theologiam: in alio, ad Morales diſciplinas, & ſic de alijs facultatibus dicendum eſt: maxima enim ſcibilium rerum confuſio, & perturbatio fieret, quæ veram illi ſcientiam, atque cognitionem impediret. Scio, Auerroiſtam aliquem hiſce obiectionibus, hoc fortaſſe modo, obuiam iturũ eſſe; nimirum abſurdum non eſſe, vt vnus, idemque numero intellectus diuerſa munia in diuerſis hominibus obire poſſit, idque propter diuerſam ipſius cum phantaſmatibus coniũctionem: experimur enim quandoque in nobiſmet ipſis, intellectum benè operari, cùm aliquid rectè, & facilè intelligimus: quandoque minus rectè cùm illud idem nullo pacto percipere valemus: quod certè nulla alia ratione accedit, niſi ob diuerſam phantaſmatum diſpoſitionem. Quod autem in nobiſmetipſis accidit, idem in omnibus hominibus contingere putandũ eſt, in quibus non vna, & eadem ſemper manet phantaſmatum diſpoſitio: hincque id fit, vt intellectus in vno indiuiduo aliquid intelligat, in alio verò illud idem ignoret, vel oppoſito modo intelligat. Verùm huiuſmodi reſponſio ea, quæ contra dicta ſunt, nequaquam diluit: etenim intellectio, ſecundum omnes philoſophos, non tranſiens, ſed immanens actio eſt, & propterea non eo modo intellectus ad phãtaſmata, quo Sol ex. gra. ad lutum, & ad ceram ſe habet: eodem enim calore hæc liqueſcit, obriget illud. Quid ita? Quia eius actio tranſiens eſt in obiecta, non eodem modo affecta. At verò intellectio non eſt trãſiens in phantaſmata, nec phãtaſmata ad intellectionem edendam concurrunt, ſed tantummodò ad ſpeciem intelligibilẽ, vt antè dictum eſt; & propterea ſiue hoc, ſiue alio modo in diuerſis hominibus diſpoſita ſint, & ſiue hoc, ſiue illo modo intellectus cum eiſdem copuletur; nihilominus ſemper verum erit dicere, intellectum ſimul, & eodem tempore aliquid intelligere, & illud idem ignorare, vel perperam intelligere; cùm eius actio in ipſomet maneat, nec in exteriorem materiam tranſeat. Aut igitur hæc abſurda in doctrina Auerrois admittenda ſunt; aut negandum omnino eſt, vnam numero rationalem animam in omnibus hominibus reperiri. Poſſemus etiam alia abſurda de voluntate proponere, ſicut de intellectu propoſuimus. Vna enim, & eadem numero voluntas poſſet vnum, & idem numero obiectum diligere, & odiſſe. Ab eadem numero voluntate virtutes ſimul, & vitia eodem tempore proficiſcerentur. Eadem numero voluntas eſſet propter virtutes præmio afficienda, & propter vitia pœna mulctanda: quæ omnia à recta ratione penitus abhorrent. Sed hæc iam ſatis contra Auerroem.

Speculare hoc diligenter, ſi vis efficacitatẽ percipere.

Quartum.

Reſponſio pro Auer vid. Achil'ł Bononienſem quo lib. 3. dub 2.

Reſponſio.

Intellectio nõ eſt actio trãſiens, ſed immanens.

Abſurda quædam de volũtate, quæ Auerr. opinionem conſequuntur.

### *Antonij Bernardi Mirandulani opinio breuiter explicatur.* *Cap. XIV.*

NVnc cum Antonio Bernardo Mirãdulano pugna nobis capeſſenda eſt, atque illius ſententia, quæ magis impia, atque fraudulenta eſt opinione Auerrois, pro viribus euertenda. Quò autem id omnibus perſpectum ſit, quod potiſſimùm impugnaturi ſumus, totã eius ſententiam hoc capite breuiter, & compendio perſtringere non pigebit. Putauit ipſe lib. 33. euerſionis ſingularis certaminis, ſect. 2. & 6. hominem per duplicem formam informantẽ cõſtitui. ſ. per facultatem cogitatiuam, quæ ad hominum multiplicationem multiplicatur; & per rationalem animam, quæ vna numero eſt in omnibus hominibus. Cogitatiua facultas conſtituit quidem hominem, ait ipſe, in animalis ſpecie, à brutis animantibus diſtincta; ei tamen perfectam hominis rationem minimè impertitur: hanc enim affert altera forma informans. ſ. anima rationalis. Neque id Mirandulanus abſurdum arbitratur; quoniam ſicuti vna numero eſt materia in omnibus rebus compoſitis, quarum eſt ſubſtantialis pars; ita fieri po-

Homo ſecundum Mirãd. duplici forma informãte conſtituſ.

Vt materia è vna numero in omnibus

*compoſitis. ita ſecũdum Mirand. rõnalis anima eſt vna nume ro in oĩbus hominibus. Cur nõ etiã indiuidua eodẽ modo intelligãt, quã uis in omnibus ſit idem intellectus.*

teſt, vt rationalis anima ſit vna numero in omnibus hominibus, quæ ſit illorum ſubſtantialis pars, atque illis perfectiſſimum eſſe largiatur. Ponendo autem, hanc vnam numero rationalem animam eſſe formam informantem, optimè ſeruare poſſumus, aït iſte Doctor, intellectum in vno indiuiduo intelligere, in alio autem, aut non intelligere, aut modo penitus diuerſo intelligere; non eſt enim intellectus, qui intelligat, ſed eſt indiuiduum, puta Petrus, aut Ioãnes, qui anima, tanquam forma, ipſum informante, intelligit. Quòd autem non omnia indiuidua eodem modo intelligant, quamuis vnam, & eandem numero rationalem animam poſſideant, hoc accidit, ſicut etiam aſſerit Auerroes, propter variam ipſius cum phantaſmatibus copulationem, ſeu cum ipſamet cogitatiua virtute, quæ in omnibus hominibus non eadem eſt, ſed variam in ſingulis affectionem habet. Hæc eſt ſummatim tota Mirandulani ſententia.

### *Eiuſdem ſententiæ confutatio.* Cap. XV.

*Vide Tolet. contra hunc Docto. multa dicenté.*

HAnc autem ſententiam, tametſi longa ſatis reprehenſione indigeret, nihilominus quàm breuiſſimè confutabimus; tùm quia in Auerrois opinione refellenda, multa diximus, quæ huic pariter ſententiæ confutandæ accommodari poſſunt; tùm etiam quia Card. Toletus eam ipſam multis, & ſatis quidem efficacibus argumentis inceſſit. Primò igitur cõtra huiuſmodi ſententiam ſic argumentor. Aut cogitatiua facultas indiuiduum conſtituit determinatæ ſpeciei, aut non: ſi non conſtituit; igitur illa non eſt forma informans. Probo conſequentiam; quia proprium formæ informantis eſt conſtituere indiuiduum determinatæ ſpeciei, vt in omnibus manifeſtum eſt. Si cõſtituit; ergo ſuperuacanea erit anima rationalis: aut ſaltem illa non erit forma informans. Hoc patet; quia forma, conſtituens indiuiduum determinatæ ſpeciei, ponit illud in eſſe perfecto: quod autem alicui aduenit poſt eſſe perfectum, eſt accidens; igitur rationalis anima, cogitatiuæ facultati adueniens, erit accidens. Dicet Mirandulanus, indiuiduum, per cogitatiuam conſtitutum, non dum eſſe perfectum habere, ſed per aduenientem rationalem animam perfici. Contra, hoc indiuiduum, per cogitatiuam facultatem, tanquam per informantem formam conſtitutum, eſt ne homo, an bellua? ſi eſt homo; ergo maiorem perfectionem ſubſtantialem acquirere non poteſt; quia ſubſtantialis perfectio conſiſtit in indiuiſibili, & nulla ſubſtantia poteſt ſuſcipere magis, nec minus, vt aliàs ex Ariſtotelis ſententia demonſtraui: rationalis igitur anima poſt adueniens, nullam illi indiuiduo ſubſtantialem perfectionem addere poteſt, ad rationem hominis pertinentem. Si autem illud indiuiduum, per cogitatiuam facultatem conſtitutum, eſt bellua; & per alteram inſuper formam informantem, nimirum per rationalem animam, poteſt fieri homo; ergo eadem ratione & equus, & bos, & quæcunque bellua poſſet fieri homo; quia ita rationalis anima cum facultate cogitatiua iſtorum animalium coniungi poſſet, ſicut cum facultate cogitatiua illius indiuidui iungitur, quod appellatur homo. Reſpondebit fortaſſe Mirandulanus, Auer. principijs ſubnixus, facultatem cogitatiuam brutorum animantium, nullam ad rationalem animam propenſionem, habilitatemve habere; neque vllo pacto illi ſubditam, vel (quod aiunt) ſubordinatam eſſe: facultatem verò cogitatiuam hominis ad rationalem animam propenſionem habere, atque illi eo modo ſubiectam eſſe, quo miſtionis forma vegetali animæ, aut etiã ſentienti ſubijcitur. Sed contra, quia quotieſcunque ſunt duæ formæ, quarum vna ad alterã ordinem habet, eique ſubdita eſt; illæ nõ ſunt formæ eiuſdem rationis, ſed eſſe diuerſum proprio con poſito largiuntur: forma enim miſtionis indiuiduum in eſſe corporis conſtituit: anima verò vegetalis, aut ſentiens, quæ poſt aduenit, & cui miſtionis forma ſubdita eſt; illud idẽ ad eſſe viuentis, aut animalis promouet, ac perducit: ſed, ſecundum Mirandulanum, tã facultas cogitatiua, quam rationalis anima indiuiduum in eſſe hominis conſtituit; igitur vna alteri ſubdita eſſe non poteſt, ac deinceps illarum altera ſuperuacanea erit. Aut igitur rationalis anima accidens erit, vt ſuperiùs probabam, aut illa ſola, non item cogitatiua facultas forma informans eſſe dicetur. Cæterùm, ſi rationalis anima eſt forma informans, vt verè eſt; nõ poteſt illa quidem vna tantum numero in omnibus hominibus exiſtere; eſto etiam ſubſtantialis ſit pars, quemadmodum materia prima, vt dicebat iſte Doctor: quoniam ſi prima materia in omnibus concretis rebus vna tantum numero eſt, hoc ideo accidit, quia ipſa eſt in plures portiones diuiſibilis: rationalis autem anima eſt vſquequaque indiuiſibilis; nõ igitur vna

*Argu. primũ Autoris.* (beside "tus eam ipſam multis")

*Mirandulani reſponſio.* (beside "minatæ ſpeciei")

*Confutatio.* (beside "per aduenientem")

*Quære diſp.° de miſtione cap. 7.* (beside "Ariſtotelis ſententia")

*Alia Mirandulani reſpõſio.* (beside "indiuidui iungitur")

*Confutatio.* (beside "ſentienti ſubijcitur")

*Secundũ argumentum.* (beside "informans eſſe dicetur")

nume-

numero in omnibus hominibus eſſe poteſt. Præterea ſi eſſet vna numero in omnibus hominibus, atque rurſus forma informans; tunc eadem res finita, naturæ viribus, ſimul in pluribus locis reperiri poſſet, quod philoſophis omnibus aduerſatur. Probatur conſequentia: faciamus enim Petrum eſſe Pataui, & Franciſcum Romæ; tunc eadem numero anima ſimul erit Patauij, & Romæ. Dices, animam loco contineri non poſſe, quia non eſt quanta. Hoc nihil intereſt; quia tametſi non ſit in loco, ita vt locum repleat, eſt tamẽ ſecundum naturam ſuam, atque ſubſtantiam ita huic loco præſens, atque addicta, vt nõ alij; quod appellant Scholaſtici eſſe in loco definitiuè. Cùm verò Mirandulanus dicebat, optimè ſeruare ſe poſſe, eandẽ numero aiam eodẽ tẽpore, & intelligere, & nõ intelligere; ponẽdo, ipsã eſſe formã informantẽ; quia nõ eſt ipſa, quæ intelligat, ſed homo, habens ipsã. Certè fallit eum ratio, nec vllo modo contradictionem euitare poteſt: nam ſaltem eadem numero anima, vno, & eodem tempore erit principium intelligendi, puta in eo, qui intelligit, & non erit principium intelligendi, ſ. in eo, qui non intelligit. Dicet, non eſſe abſurdum, eandem numero animam eſſe principium intelligendi in vno indiuiduo, in alio verò non item; idque propter diuerſam phantaſmatum, aut cogitatiuæ facultatis affectionem. Hoc fortè rectiùs ſecundum Auerrois ſnĩam defendi poſſet, qui rationalem animam tantummodo aſſiſtentem eſſe putauit: quemadmodum etiam dicere poſſemus, eundem numero ambientis calorẽ, aut idem frigus, pro varia recipientium corporum affectione, varios quoque ac penitus diuerſos effectus edere. At ſecundum Mirandulanum, qui rationalem animam informantem formã exiſtimauit, hoc idem affirmari nequaquam poteſt: nam eſſe principium intelligendi, ſeu, vt Scholæ inquiunt, intelligere, vt quo nihil aliud profectò eſt, niſi intelligentem facultatem in obiectum intelligibile ferri, & cum eodem arcto quodam vinculo coniungi: nihil aliud eſt, niſi rationalem potentiam oblatam ſibi intelligibilem ſpeciem in ſeſe recipere, vt inde poſtea intelligendi actus, ſeu intellectio ipſa oriatur, quæ indiuiduo intelligenti, tanquam præcipuo agenti, accepta refertur. Iam verò ſi eadem numero anima eſt in Petro intelligẽdi principiũ, in Franciſco non item; cùm vtriuſque forma informans, & in vtroque vna numero ſit, ſequẽtur neceſſariò, vt eadem numero anima cum obiecto intelligibili iungatur, atque ſimul ab eodem diſtrahatur. Rurſus eadem numero anima eandem in ſeſe, intelligibilem ſpeciem reciperet, & non reciperet, atque adeo duo contradictoria vno, & eodem tempore de vna, & eadẽ re, tanquam vera affirmabuntur, quod eſſe nullo modo poteſt. Sed his ſubtilitatibus omiſſis, addo poſtremum argumentum, quo prædictæ ſnĩæ vanitatem demonſtraturum me puto. Fieri põt, vt vno, eodemque tempore mille homines naſcantur in mundo; quæro, vnde nam illis anima rationalis accedit? Recẽs ne oritur, an ante exiſtebat? Si dicat Mirandulanus, animam recẽs oriri, tunc eadem numero res ſimul eſſet, & non eſſet. Probo, quia, ſecundum Mirandulanum, in hiſce hominibus recens ortis, & in omnibus hominibus, antè exiſtẽtibus, vna numero rationalis anima reperitur, tanquam forma informãs: ſed nunc primùm in mille hominibus, nuper editis adeſt anima rationalis, quæ ante non erat; ergo eadem res numero ſimul eſt, & non eſt; erat quidem procreata rationalis anima in omnibus hominibus, ante exiſtentibus; & illa eadem numero non eſt procreata, ſed recens inducitur in mille hominibus, nuper ortis. Si verò dicat Mirandulanus, in hiſce nouis hominibus, rationalem animam nũc primùm procreatam non eſſe; tunc aut de corporibus in corpore migrabit, quod dici non poteſt, quia eſt vna numero, & manet iam eadem in tot hominibus, antè exiſtẽtibus; aut illa eadem ad homines nuper ortos perficiẽdos extendetur; & tunc rationalis anima erit extẽſibilis. Sed ne modò de rationalis animæ extenſione diſputemus. Si ab vno corpore ad aliud anima rationalis extẽditur, aut illa eadem numero erit in intermedio ſpacio, aut non: ſi non; igitur diuerſa, atque ita non vna numero, continua, & extenſibilis. Si vna ſit numero,ocioſa igitur ibi erit, cùm corpus non habeat, quo, vt inſtrumẽto, ad ſuas operationes exercẽdas, vti queat. Ad hæc, ſi hoc modo extenſibilis, aut extenſa eſt anima rationalis, quæri poterit de eius determinata quantitate; cùm. n. finita ſubſtantia ſit, opus eſt, vt certis limitibus coerceatur, atque ita definita quantitate prædita ſit; quam quidem neſcio, an ita facilè Mirandulanus præſcribere poſſet. Hæc igitur, & alia multa ex ea opinione oriuntur abſurda, quæ rationalem animam eſſe formam informantem, atque vnam numero in omnibus hominibus eſſe decernit: quæ omnia facilè euitabimus, ſi, ſecundum Ariſt. & ſecundum rectam philoſophiam, immò

Tertium argumentum.

Reſponſio.

Confutatio.

Quartum argumentum.

Mirandulani reſponſio.

Confutatio.

Quintum argumentum.

Augetur vis refutationis

etiam ſecundum Fidei Catholicę veritatem, quemlibet hominem ſuam rationis participem, animam, tanquam formam informantem habere, ſtatuerimus; id, quod in ſequentibus capitibus oſtenſuros nos eſſe, profitemur.

*Vera ſententia duabus Ariſtotelis propoſitionibus explicatur. Propoſitio prima.* *Cap. XVI.*

Vera ſententia, in hac diſputatiõe defendenda.

POſt acrem & cum Auerroe, & cum Mirandulano habitam diſputationẽ, qua validiſſimè probatum eſt, neque vnam numero in omnibus hominibus rationalem animam exiſtere, neque eandem eſſe formam aſſiſtentem: quæ nam ſit veritas in hac diſputatione declarãda, quæ opinio defendenda, liquidò iam conſtare vnicuique poteſt. Ea autẽ eſt; Omnes homines ſuam quenque rationalem animam, tanquam informantem formam habere; à qua primùm eſſe hominis accipiunt, atque in rationalium aĩalium numero collocantur. Subdifficile autem eſt oſtendere, hanc eandem ipſiuſmet Ariſtotelis ſententiam extitiſſe; non ſanè quòd ipſe hac de re vel hæſitarit (apertiſſimè enim multis in locis, vt videbimus, animã omnem, atquę adeo rationalem formam informantem eſſe, confeſſus eſt) Sed quia nõnulla, quæ nos de illius ſententia defendimus, ægrè cum huiuſmodi opinione cohærere poſſe, videntur; nimirum rationalem animam ad numerum hominum multiplicatam eſſe, eandéque ex materiæ poteſtate minimè deduci, ſed extrinſecùs accedere, immortalitateque gaudere. Conabimur tamen (Deo bene iuuante) ea omnia ſimul ita conciliare, vt Ariſtotelis de rationali anima informante ſententia omnibus apertiſſima ſit; omneſque pariter dilucidè cognoſcant, rationali animæ pluralitatem, eiuſdemque immortalitatem; huic eidem ſententiæ minime repugnare. Iam verò ad id oſtendendum, lubet methodum à Iacobo Zabarella mutuare, qui, duabus propoſitionibus, Ariſtotelis ſententiam ita apertè explicauit, vt eius lucubrationibus vix quicquam addi poſſe videatur. Prior propoſitio ea eſt; Quotieſcunque Ariſtoteles & 1. lib. de Anima, ſecundum veteres philoſophos, & 2. lib. ſecundum propriam ſententiam de anima diſputauit; nunquam ab ijs diſputationibus rationalem animam excluſit, ſed de anima potiſſimum vniuerſè accepta locutus eſt, prout eſt quoddam genus, tres ſub ſe ſpecies, vegetalem nimirum, ſentientem, & intelligentem animam comprehendens. Propoſitio hęc perſpecta eſt magis, quàm vt vlla probatione indigeat: etenim ſi totum primum de anima librũ aĩo percurramus, inueniemus, Ariſtoteli aduerſus veteres philoſophos de humana potiſſimũ anima diſputationem eſſe; quia de ea ſola primi illi philoſophiæ proceres præcipua verba fecerunt: ſentientem perquam breuiter perſtrinxerunt: vegetalem penitus neglexerunt. Ideò Ariſtoteles in textu 7. eiuſdem libri iſtos philoſophos reprehendit, vt pote qui humanam tãtum animam conſiderandam aſſumpſerint, ac ſi omnes animę eiuſdem eſſent ſpeciei. Ex quo hactenus apertiſſimè elicimus, Ariſtotelem in primo eius operis libro de rationali anima potiſſimum verba feciſſe, tantum abeſt, vt eam ab animæ contemplatione ſecluſerit. Verũ quoniam ex propria ſententia, in ſecundo eiuſdem operis libro; de anima generatim primũ diſputaturus erat; ideo duabus animabus, rationali nimirum, & ſentienti, tertiam addidit. ſ. vegetalem, quam veteres neglexerunt, quaſi in ea vix vllum animæ veſtigium conſpiceretur. Has igitur tres animas conſiderandas propoſuit, quas omnes ſub vno communi genere concluſas eſſe exiſtimauit; & Idcirco in tex. 8. primi libri monuit, conſiderandum maximè eſse, an animabus omnibus vna, & eadem ratio, ſeu definitio communis ſit, & quaſi affirmatiuam partem, tanquam veram defendens, initiò ſtatim ſecundi libri tex. 1. diſputatione iam cũ veteribus abſoluta, & de anima, ſecundum propriam ſententiam, diſputaturus, explicandum, inquit, eſse, quid anima ſit, communiſſimamque eius definitionem inueſtigandam, quippe quæ animabus omnibus congruenter aptari poſſit. Igitur Ariſtoteles ſibi tunc quaſi ante oculos ſtatuit animam vniuerſè ſpectatam, cuius definitionem indagaturus erat. Sed quod nã aptius teſtimonium ad rem hanc oſtendendam inueniri poteſt, quàm verba, quę ipſemet Ariſtoteles in tex. 7. eiuſdem libri apertiſſimè adſcripſit? vbi ſic habet, *Si autem aliquid commune in omni anima oportet dicere, erit vtique primus actus*, *&c.* Vnicuique certè intelligenti conſpicuum eſt, Ariſtotelem hiſce verbis ſignificaſse, animæ definitionem, ab ſe inuentam, communem eſse; atque omni prorſus animæ, nimirum vegetali, ſentienti, & rationis partici pi conuenire. Rurſum in con tex. 8. hoc idem affirmans, ait, *Vniuerſaliter igitur dictum eſt, quid ſit anima.* Non egiſset autem de anima generatim, & vniuerſè, ſi humanam omiſiſset; immò

Vt veriſſimè ita difficilimè veritas hæc ex Ariſt. deducitur.

Quæ videantur in Ariſt. difficultatem afferre.

Vide Zabar. lib. de humana mẽte, c. 2.

Ariſt. ſententiam lucidiſſimè aperientem.

Prima ꝓpoſitio.

Probatio ex 1. lib. de anima.

Ari. in toto 1. li. de anima, vniuersè diſputauit.

Probatio ex 2. lib. de anima.

Verba Ariſt. quæ animæ definitionẽ cõem eſſe declarant.

immò maiore, quàm veteres philoſophi reprehenſione dignus eſſet: ipſi.n. de anima agentes, ſolam vegetalem neglexerunt, Ariſt. autem rationalem abieciſſet, niſi illam ſub anima, quam definiuit, incluſiſſet. Aliud teſtimonium, & illud quidem euidentiſſimum, ex tex. 13. eiuſdẽ libri elicere poſſumus, vbi Ariſt. animã, latiſſimè ſumptã, in quatuor veluti gradus diſtinxit, nimirum in vegetatiuum, ſenſitiuum, loco motiuum, & intellectiuum: de duobus primis gradibus egit in ſecundo libro: de duobus vltimis in tertio, vbi potiſſimùm rationalem animam, tanquam partem, ſeu gradum, aut ſpeciem animæ, latiſſimè ſumptæ, conſiderauit. Prima igitur hæc propoſitio veriſſima eſt. ſ. Ariſt. cùm de Anima diſputauit, eiuſque definitionem aſſignauit, ipſam vniuerſè, prout quoddam commune genus eſt, ſub ſe vegetalem, ſentientem & rationalem animam comprehendens, conſideraſſe.

Teſtimoniũ aliud euidentiſſimum.
Probatio ex 3. lib. de ani.

### *Propoſitio altera.* Cap. XVII.

Altera propoſitio ea eſt, Omnis anima, quæ ſub cõi animæ definitione concluditur, ſecundum Ariſt. ſnĩam, eſt forma, quæ materiam perficit, ac informat; quæ animato corpori eſſe ſpecificum tribuit; quæque ipſum ſub ſpecie aliqua corporis naturalis cõſtituit. Hãc propoſitionem probat egregiè Iacobus Zabar. pluribus Ariſt. autoritatibus, quas ante ipſum in medium attulit Herueus quodlibeto 1. q. 11. art. 2. Ariſt. igitur lib. 2. de Anima tex. 2. cùm iam ante, animam ſubſtantiam eſſe ſtatuiſſet; inueſtigare volens, quæ nam ſubſtantia illa ſit, & ſub quo nam ſubſtantiæ membro collocetur; diſtinctionem ipſius ſubſtantiæ in materiam, formam, & compoſitum attulit; materiamque non re ipſa hoc aliquid, ſed poteſtate tantum eſſe docuit. Videas, ibi de nulla alia materia Ariſt. locutum eſſe, niſi de ea, quæ eſt ſubſtantialis compoſiti pars, quæque ab informante forma perfectionem recipit: alia.n. quæcunque materia, ſi hanc excipias, rectè hoc aliquid appellari poteſt. Rurſus, formam id eſſe aſſeruit, per quam hoc aliquid eſt in actu. Hæc proprietas, ſi rem attentè conſideres, nulli alij formæ, præterquàm informanti, conuenire poteſt: nam per formam aſſiſtentem non eſt hoc aliquid in actu: nauis enim, ante aduentum nautę, eſt iam hoc aliquid in actu, ac proinde per propriã formam informantem. Pręterea diuiſit Ariſt. actum in primum, & ſecundum. Actum ſecũdum dixit eſſe operationem: actum verò primum appellauit formam, cuius appulſu res primò conſiſtit, fitque ens determinatæ ſpeciei. Iam verò animam eſſe pethibuit, non actum ſecundum, ſed actum primum, quem vocauit endelechiam: quod quidem nomen non actũ abſolutè ſignificat, cuiuſmodi eſt Intelligentia, ſeu ſeparata ſubſtantia, operationi ſemper addicta, hęc.n. vt ſupra diximus, ſolet propriè energiæ nomine nuncupari (tametſi Ariſt. 12. Diuinorum tex. 49. lato ſatis vocabulo, & vt ait Zabarella, etiam improprio, primam Intelligẽtiam endelechiæ nomine ſignificauerit) ſed actum perficientem, hoc eſt, abſolutam, ſubſtantialemque rei perfectionem indicat. Nunc autem forma, quæ rei eſt ſubſtantialis perfectio, non eſt aſſiſtens, ſed informans: nam Intelligentia, quæ orbi aſſiſtit, non eſt ſubſtantialis orbis perfectio; cùm ipſe per ſe, vt antè dictum eſt, eſſe perfectum, & abſolutum habeat. Cùm igitur anima ſit forma, quę actus primus, endelechia, atque ſubſtantialis corporis perfectio nuncupatur; ſequitur apertiſſimè, vt ipſa non ſit forma aſſiſtens, ſed informans: & cùm animã dico, omnem animam, vel ipſam rationalem intelligo, vt ex iam ſuperiùs probatis manifeſtum eſt. Ad hæc, Ariſt. in eodem libro tex. 7. dixit, rationem non eſſe quærendam, cur ex corpore, & anima fiat vnum per ſe; quoniã anima eſt actus, corpus verò potentia: anima eſt forma, corpus verò materia: ex materia autem, & aſſiſtente forma aliquod per ſe vnum fieri minimè poteſt: etenim ex auriga, & curru, ex nauta, & naui, ex Intelligentia, & orbe non fit vnum per ſe. Quare cùm ex anima, & corpore aliquid per ſe vnum coaleſcat; concludẽdum neceſſariò eſt, animam ex Ariſt. ſnĩa, non aſſiſtentem formam, ſed perficientem, ac informantem eſſe. Cæterùm apertiſſimis verbis hoc idem in contex. 8. Ariſt. docuit, vbi adhuc explicans animæ definitionem, ſuperiùs poſitam, aſſerit, aĩam eſſe ſubſtantiam, rationem, & quod quid erat eſſe corporis animati. Hæc quidem verba ad rem, qua de agimus, oſtẽdendam ſatis eſſent: nulla.n. aſſiſtens formã quod quid erat eſſe illius rei, cui aſſiſtit, dici poteſt; cùm nec pars illius ſit, nec ad eius naturam intimè pertineat. Sola igitur forma informans, quæ potiſſima eſt quidditatis pars, quod quid erat eſſe illius rei, cuius eſt forma, dicenda eſt. Quòd ſi hac de re quiſpiam dubitaret, attẽtè obſecro exemplum, ab Ariſt. in eodem contex. poſitum,

Secunda propoſitio.
Vide Zabar. loco ſuperius citato, & Herueum quoli. 1. q. 11. ar. 2.
Probatio prima.
Probatio ſecunda.
Probatio tertia.
Endelechia habet ſignificationem reſpectiuã, & dr̃ tã de forma, quàm de operatione. Energia hẽt ſignificationem abſolutam, & dr̃ tãtũmodo de operatione, quæ ab operante ſubſtãtia diſtinguitur. Vide Zabarellam.
Probò quarta.
Caue à cõi dicto Auer. niſi in alio ſenſu intelligatur.
Probò quinta.
Probatio ſexta.

conſideret, vbi docet, ita animam animati corporis formam eſſe, ſicut figura, ad incidendum apta, eſt forma ſecuris: conſtat autem; figuram hanc non eſſe formam aſſiſtentem, ſed informantem. Hoc idem repetit tex. 9. inquiens, quemadmodum facultas videndi eſt forma oculi; ita anima totius organici corporis: facultas autem videndi non eſt forma aſſiſtens, ſed informans: igitur ipſa quoque anima non erit forma aſſiſtens, ſed informans. Non deſunt alia complura apud Ariſtotelem teſtimonia, ex quibus aptè, animam omnem de eius ſententia eſſe formam informantem deducere poſſumus. Sed iam & ex iis, quæ in Auerrois opinionis confutatione diximus, & ex iis, quæ nunc attulimus, ſententiam hanc ſatis cõmodè arbitror eſſe probatam.

Probatio ſeptima.

*Veram ſententiam de rationali anima informante Ariſtotelis doctrina de eiuſdem immortalitate minimè repugnare. Cap. XVIII.*

DIfficilius quiddam remanet explicandum, quodque hactenus à nemine tentatum eſſe reperio, quonam modo veritas hæc de rationali anima informante, Ariſtotelis principiis, eiuſdemque decretis conueniat. Si enim rationalis anima eſt forma informans, numerũ igitur hominum quemadmodum cæteræ formæ numerum ſuorum compoſitorum, obtinebit; ac deinceps materialis erit, teſte Ariſt. 5. Metaph. tex. 12. & 12. eiuſdẽ operis lib. tex. 49. longe aũt abeſt à materiæ commercio aĩa rationis particeps, eodẽmet Ariſ. autore, initio tertii lib. de Ani. & li. 2. de Gen. ani. c. 3. Præterea ſi indiuiduorũ multitudinis cauſa eorũ dẽ imbecillitati, celeri cõmutationi aſſignatur (cùm n. ipſa perpetua non ſint, miſertus eſt Deus, iuſſitq; vt generationis beneficio, eorũ ſaltẽ ſpecies perpetuò ſeruarentur: hincque fit, vt planta generet plantam, bos bouem, homo hominem, & ſic de cæteris; ita ſcribit Ariſtoteles 2. lib. de Anima tex. 45.) Quid opus igitur erit, rationalem animam, quæ ex Ariſtotelis ſententia immortalis eſt, vt alia diſputatione demonſtrabo, in ſua ſpecie multiplicem fieri, cùm ſat ſit, vnicum ipſam eſſe ſuæ ſpeciei indiuiduum, quemadmodum Sol, Luna, cæteraque cæleſtia ſidera? Sed fac, rationis participem animam multiplicabilem eſſe, atque ad hominum, iam editorum numerum, multiplicatam; quomodo infinitum re ipſa exiſtentium animarum numerum euitabimus, qui Ariſtotelis dogma de mundi æternitate, atque eiuſdem ſententiam de rationalis animæ immortalitate, cõſequitur? Quod autem omnium difficillimum eſt, quomodo tueri poterimus, humanam animam, cæterarum inſtar, eſſe formam informantem; de materiæ autem poteſtate minimè deductam, neque vlli interitui obnoxiam?

Prima difficultas ſuſtinenda ſecundum Ariſ. rationalem animam eſſe formam informantem.
Secunda difficultas.
Tertia difficultas.
Quarta difficultas.

Prioribus difficultatibus nunc omiſſis, quæ in ſolutione argumentorum Auerrois infra à nobis ſatis commodè explicabuntur, in poſtrema difficultate, hoc capite tantummodo verſabimur; id potiſſimùm oſtenſuri, quonam pacto hæ duæ propoſitiones inter ſe conueniant, nimirum rationalem animam eſſe formam informantem, atque eandem immortalitatis prærogatiua gaudere. Etenim, vt ſcribit Ariſtoteles lib. 2. de Anima tex. 34. naturaliſſimum eſt viuentibus ſibi ſimile generare: planta generat plantam, bos bouem, homo hominem, & alia eodem modo: hæc autem ſimilitudo non propriè in materia, ſed in forma conſiſtit; alioquin res omnes ſublunares, quæ ex eadem materia conflatæ ſunt, inter ſe ſimiles eſſent. Quemadmodum igitur tota planta, totuſque bos generationis beneficio in rerum natura poſitus eſt: ita pariter totus homo hoc eodem modo, videlicet generatione, in lucem editus eſt; totus autem homo ex corpore, tanquam ex materia, & rationali anima, tanquam ex informante forma cõſtitutus eſt: igitur rationalis quoque anima generationis beneficio in lucem edita erit, ac deinceps, quemadmodum forma plantæ, & forma bouis diſſolubiles ſunt; ita etiam rationalis anima diſſolubilis erit, ſi forma informans nuncupanda eſt. Validiſſimum quidem eſt hoc argumentum, & Auerroem coegit ad vnicam in omnibus hominibus aſſiſtentem animam ſtatuendam; eã tamen immortalem: Alexandrum verò ad plures informantes; omnes tamen caducas, interituique obnoxias.

Tres priores difficultates ſoluentur infra in ſolutione argumentorum Auer.
Expenditur, & augetur quarta difficultas, hoc capite, diluenda.

Dicam ego, quod longa ſatis meditatione, prò illius ſolutione, cogitaui; eſt autem hoc. Non repugnare, hominem ſibi ſimilem hominem generare; nihilominus rationalem animam neque generatione editam, neque paſſibilem, aut aliquando interituram eſſe. Quod me facilè oſtenſurum, non diffido, ſi modum generationis brutorum animaliũ conſiderandum breuiter propoſuero. Bos igitur ex. gra. ſibi ſimilem generat bouem: a boue autẽ generante ſemen tantummodo fluit, in quo, tota erraret via, qui diceret, ſentientem bouis

Soluitur ab Autore quarta difficultas.
Nota modũ generatiõis brutorũ animalium.

animam energia, vel, vt aiunt, actu contineri: non enim ſemen reapſe animal eſt; ſed tantum modo poteſtate, vt lib. 2. de Ortu animalium cap. 3. Ariſt. docet. Semen igitur corpus eſt, non ſimplex illud quidem, ſed ex quatuor elemẽtorum commiſtione conſurgens; in quo tamẽ vis quædam reperitur, qua ſenſim elaboratum, tandem ad perfectionem accedit, fitque in proxima quadam affectione, ad ſentientem animam recipiendam. Hæc porrò ſentiens forma non eſt à boue genitore in bouem genitum, vi generationis, infuſa, ſed, vt aliàs docuimus, vbi ſeminis materia optimè elaborata, proximeque affecta eſt; ſtatim virtute naturalis agentis (ſiue illud Cœlum ſit, ſiue alius quiuis formarum dator) forma illa ſentiens in affectam illam, præparatamque ſeminis materiam, vi illius affectionis, ſiue præparationis, introducitur. Hac igitur ratione bos genitus generanti boui ſimilis dicitur; quia ambo formam habent eiuſdem ſpeciei. Poſſet etiã fortaſſe aliqua ſimilitudo aut in corporis figura, aut in colore, aut in alijs id genus accidẽtibus contingere; ſed de hac modò nihil refert. In re noſtra, homo ſibi ſimilem hominem procreat: in ipſa autem generatione homo generans ſuæ prolis animam cum ſemine nõ infundit, ſed in ſemine tantummodo vim quandam obtinet, qua continuò perficitur illud, & elaboratur, idque vbi iam perfectè concreuit, inſtrumentiſque idoneis ornatum eſt, quaſi propenſionem quandam, & habilitatem habet ad rationalem animam, tanquam ad ſubſtantialem hominis formam recipiendam. Quæ quidem anima extrinſecùs, hoc eſt à Deo, in præparatum corpus, organiſque inſtructum immittitur, eo modo, quo brutorum animantium animæ a naturali agente in affectam præparatamque materiam inducuntur. Neque alia eſt differentia, niſi quòd hæ formæ vi affectionum, quæ in materia reperiuntur, à naturali agente neceſſariò procreantur; & propterea ad illas recipiendas, materia verè propenſionem, &, vt aiunt, aptitudinem habet. Rationalis verò anima organorum vi minimè educitur, ſed à Deo liberè, nec nulla neceſſitate compulſo procreatur: & idcirco elaboratum iam ſemen, aut organis inſtructum corpus, non verè, & propriè, ſed quodammodo propenſionem ad rationalem animam recipiendam habere dicitur: nulla .n. propenſio re vera eſt, ſed potius quædam inter vtrunque ordinis poſitio, vt .ſ. priùs natura, & tempore corpus organis præparatum eſſe debeat, poſtea verò rationalis anima, cum quadam habilitate ad corpus hominis informandum, à Deo liberè, & contingenter procreetur. Quòd ſi fortè id Ariſt. non expreſſerit, neque omnino cum ſuis principijs conſentire videatur, ex ijs tamen, quæ ipſemet ſcripſit, elici facillimè poteſt. Animas .n. hominum non eſſe æternas, docuit 12. Metaphyſ. tex. 16. & eaſdem de poteſtate materiæ non oriri, lib. 2. de Generatione animalium cap. 3. aſſeuerauit. Commune eſt autem apud ipſum axioma, id, quod neceſſariò editum eſt, alterum eſſe; propterea Intelligentiæ, & vniuerſum ipſum, quòd à Deo, de illius ſnĩa, neceſſariò pendeat, æternitate dicitur gaudere. Nunc autem ſi oppoſito modo ratiocinemur, id, quod quærimus, facilè inueniemus: quod enim à Deo proximè pendet, nec ex æternitate, editum eſt, id liberè & contingenter procreatum eſt: ſed huiuſmodi eſt hominis anima, illa igitur liberè, & contingenter procreata eſt. Sed illuc redeat, vnde diſceſſit oratio. Homo genitus ideo generanti homini ſimilis dicitur, quia ambo formam habent eiuſdem ſpeciei; præter alias ſimilitudines, quæ aut in corporis forma, ſeu figura, aut in facie, aut in alijs huiuſmodi accidentibus contingere poſſent, vt de brutis animantibus dictum eſt. Dum ergo homo generat hominem, vis, atque facultas hominis generantis certos, ac definitos ſuæ extenſionis terminos habet: vbi enim eò peruenit, vt .ſ. materiam præparet ad rationalem animam recipiendam, ſtatim languesc t, & nihil amplius agit: quemadmodum etiam vis generationis brutorum animantium eò tantùm tendit, vt materiam paret, ad ſentiẽtem formam recipiendam. Hoc vi affectionis, & organorum, vt dictum eſt, à naturali agente neceſſariò educitur: illa liberè, contingenter, & abſque vi alicuius affectionis ab agente ſupernaturali procreatur. Hæc, quia ortũ ducit à materia, diſſolubilis, atque mortalis eſt: illa, quia nullum habet cum materia commercium, indiſſolubilis, & immortalis.

Anima ſentiens à generãte aiale in genitum alal nõ infundit.

Quo homo ſibi ſimilem hominẽ generet.

Quæ differẽtia ſit inter rõnalis animæ, veterarumq; formarum productionem.

Verus mod' productiõis animæ rõnalis ab Ariſt. elicitur, tam etſi planè ab eodẽ nõ fuerit expreſſus, neq; penitus cũ ſuis principijs conſentiat.

Quouſq; hominis, aut cuiuſcunq; generantis virtus in ipſamet generatione extendatur.

*Soluitur primum argumentum, pro Auerrois opinione propoſitum, nonnullaq; breuiter de principio indiuiduationis tractantur. Cap. XIX.*

SEntentia noſtra de rationali anima informante validiſſimis iam rationibus munita, apertiſſimiſque Ariſt. autoritatibus confirmata, tempus exigere videtur, vt argumenta, pro

Auer.

Primũ argu. pro Auer ad ductum mal te validiſſimum, atq; in doctrina Ariſto. inſolubile viſum eſt.

Auerrois opinione propoſita, diluamus. Primum argumentum nonnihil roboris præſeferre videtur, & multi eo perterriti, ne quippiam fortaſſe aduerſus Ariſtotelem dicere cogerentur (continet enim primam difficultatem, ſuperiore capite à nobis propoſitam) ceci in ipſiuſmet Auerrois foueam ceciderunt. Adducuntur in eo argumento duæ Ariſtotelis autoritates, ex Metaphyſicæ libris deſumptæ, quib. plerique probãt, quicquid ſm numerũ multiplicatũ eſt, illud quidẽ materia præditũ eſſe, non aũt ſpiritualem, intelligibilemq; naturã redolere. Nonnullorũ inſcitia in hiſce autoritatib. interpretandis, multos in varios, grauiſſimoſq; errores deduxit: nec mirũ, quia, vt philoſophus ait 1. Phyſ. tex. 10. vno abſurdo conceſſo, plura ex eodẽ oriri neceſſe eſt; & propterea autoritates illas ad mentem Ariſtotelis explanare, operepreciũ eſſe exiſtimaui: ijs enim rectè explicatis, tota difficultas, in hoc primo argumento poſita, diluetur.

Explanatur tex. 12. lib. 5. Metaph.

Quod igitur ad primam autoritatem attinet, Ariſtoteles 5. Metaph. tex. 12. quatuor vnitatum genera propoſuit: alia enim, inquit, ſunt vnum proportione: alia genere: alia ſpecie: alia numero.

Nota quatuor vnitatum genera.

Habent vnitates iſtæ ſuam quæque definitionem.

Vnũ proportione.

Illa ſunt vnum proportione, quæ ad rem aliquam relationem habent, vt Medicina, & vrina ad ſanitatem: hæc in ratione ſigni: illa in ratione cauſæ.

Vnum genere.

Vnum genere ſunt, quæcunque in aliquo prædicamento cõueniunt, vt albedo, & nigredo, & alia huiuſmodi.

Vnũ ſpecie.

Specie verò vnum illa dicuntur, quibus vna ratio, ſeu definitio, aut quidditas communis eſt: vt omnes homines, vnum ſpecie dicuntur; quia in natura quadam communi, puta in humanitate conueniunt: ſic omnes equi in equinitate, & eodem modo de alijs.

Vnum numero.

Illa denique vnum numero appellantur, quorum materia eſt vna. In tribus prioribus vnitatum modis, ſeu generibus explanandis, omnes interpretes conueniunt: in quarto eſt difficultas, & multi, in eo intelligendo, à veritate receſſerunt.

Quartus vnitatis modus à multis perperam explicatus.

Putarunt enim, per materiam ibi, materiam partis, quæ eſt altera pars compoſiti, Ariſtotelem intellexiſse; illaque vnum numero eſse, quorum materia, quæ eſt altera pars compoſiti, vna numero eſt. Verùm autores iſti in denſiſſima erroris caligine verſantur;

Ratio:

quoniam ſi hoc eſset verum; tunc res omnes, ex materia, & forma conſtantes, vnum numero dicerentur; cùm rerum omnium generabilium, atque mortaliũ vna numero materia ſit.

Reſponſio.

Nec eſt, quòd dicat aliquis, materiam in plures portiones diſtributam eſse:

Confutatio.

accipio enim vnam portionem materię, quę ſit ex. gra. in aqua, fiatque ex aqua ignis, atque denuo ille ignis vertatur in aquam: manebit ſemper eadem numero materiæ portio; nihilominus quis affirmare audebit, aquam, ex igne genitam, & aquam, ex qua ignis genitus eſt, vnum numero eſſe?

Quõ Ariſto. locus de numerali vnitate ſit explanandus. vide Sco li. 5. Metaph. com. 12

Sic igitur prædicta propoſitio intelligenda eſt, Illa dicuntur vnum numero, quorum materia eſt vna; hoc eſt quorum indiuidualis proprietas, quæ ad eam, quam vocant quidditatem, materiæ, ſubiectique rationẽ habet, dicitur eſſe vna. Fiet res exemplo dilucidior. Petrus vnum quippiam numero dicitur; quia habet materiam vnam. Sed quæ nam eſt illa materies? ea eſt indiuidualis ipſius Petri proprietas, quæ ad formam totius, puta ad humanitatem relata, materiæ modum, ſeu rationem ſubit, atque paſſim totius materia nuncupatur.

Nota hęc ad indiuiduationis principiũ attinentia.

Pro huius rei clariore explicatione, aduertendum eſt, quemadmodum datur forma partis, & forma totius, ita etiam dari materiam partis, & materiam totius.

Quid ſit forma partis.

Forma partis eſt altera pars compoſiti, vt anima, quæ eſt pars animalis.

Quid forma totius.

Forma totius eſt ipſa quidditas, à qua compoſitum denominationem ſumit, vt humanitas, à qua homo denominatur.

Quid materia partis.

Materia partis ea eſt, quæ opponitur formæ partis, quæq; vnà cum ipſa conſtituit compoſitum per ſe vnum, vt ex anima, & corpore fit animal, quod eſt vnũ per ſe.

Quid materia totius.

Materia verò totius illa dicitur, quæ opponitur formæ totius, hoc eſt ipſi quidditati, quia. ſ. eidem ſubijcitur, atque cum ea iungitur ad compoſitum aliquod Metaphyſicũ efficiendum; & hæc materia à quibuſdam differentia, ſeu proprietas indiuidualis, ab alijs indiuiduationis principium appellari ſolet.

Ex materia totius, & forma totius cõſtituitur compoſitum metaphyſicum, eſtque materia totius verũ indiuiduationis principium.

Vt enim ex anima, & corpore conſtituitur animal, quod eſt compoſitum phyſicum; ita ex differentia indiuiduali, ex. gra. Petri, hoc eſt, vt ita loquar, ex ipſa Petreitate, tanquam ex materia totius; atque ex humanitate, tanquam ex forma totius, conſtituitur hic homo, nimirum Petrus, qui eſt compoſitum metaphyſicum, & verum indiuiduum. Nec terreant fortaſſe aliquem huiuſmodi nomina: nam & ipſemet eloquẽtiæ parens lib. 3. Epiſtolarum familiarium, epiſt. 16. & Appietatem ab Appio, & Lentulitatem à Lentulo deduxit. Sed de his plura in præcipua diſputatione de indiuidui conſtitutione dicturi ſumus.

Plures ſunt res, quàm no

Hæc tantum tetigiſſe volui, vt intelligeremus, poſſe quidem aliquid ſecundum numerum multiplicatum eſſe; nec tamen neceſſe eſſe, vt illud idem materiam habeat,

quæ

quæ altera ſit phyſici compoſiti pars: ſed ſat eſt, ſi materiam illam habeat totius, quæ reſpondet formæ totius, quæque pars eſt compoſiti Metaphyſici, ex quidditate ipſa, tanquam ex forma, & ex differentia indiuiduali, tanquam ex materia, conſtituti. Non eſt autem abſurdum (vt ad rem noſtram propius accedamus) rationalem animam carere materia Phyſica, & habere hanc materiam Metaphyſicam, quæ differentia indiuidualis appellatur: anima enim, quæ eſt in Petro, conſtituta eſt ex quidditate animæ, & ex differentia indiuiduali, contrahente ipſam ad eſſe hoc, & ſic de alijs dicendum eſt. Erat altera autoritas, ex 12. eiuſdem operis libro tex. 49. deſumpta, vbi Ariſt. oſtēdit, primũ motorem ideo vnum numero eſſe, quia materia caret. Ex hac quoque autoritate elicuerunt aduerſarij, rationalem animam non eſſe numero multiplicatam; alioquin ex materia cōſtaret. Verum vt primam, ita etiam hanc ſecundam autoritatem haud rectè animo ſunt aſſecuti: etenim Ariſ. ibi non ſolùm materiam, quæ eſt altera compoſiti pars, a principe motore ſecreuit, vt illam oſtēderet indiſſolubilem eſſe; verùm etiam ab eodem materiam illam ſeparauit, quæ indiuiduationis principium appellatur; hoc potiſſimùm conſilio, vt ſignificaret, illum ex ſe vnum numero eſſe, non item per aliquid aliud, ipſi additum, vt omnibus alijs cōtingit, quę ab eodem diuerſa ſunt, & in quibus eſſe ab eſſentia diſtinguitur. In primo autem motore, eſſe, & eſſentia ſunt vnum, & idem; & propterea non habet ille naturam ſpecificam, quæ per aliquam indiuidualem differētiam ad ſingulare aliquod deducatur, ſed (vt ſcholæ inquiunt) eſt de ſe hic, & ideo iure optimo ab eodem Ariſt. omnem penitus materiam ſecreuit. Satis, opinor, hæc erunt ad primi argumēti ſolutionem: cuius ſi expeditiorem ſolutionem habere vellemus, dicere poſſemus, multiplicem varietatem fieri ratione materiæ, non ſolùm quæ ſit alicuius rei ſubſtantialis pars, verùm etiam cui res aliqua, veluti forma perficiens, ſit adiuncta; & propterea nullum abſurdum eſt, rationalem animam multiplicem fieri; nam tametſi illa non habeat materiam, tanquã, ſui partem; habet tamen materiam, cui, veluti forma perficiens adiungitur, & talis materia eſt corpus humanum.

mina, propterea cùm non ſuppetant, li cet ea fingere.

Nō repugnat rōnalē aīam carere materia phyſica, & habere materiam metāphyſicā; rōne cuius vna numero dr; hincq; intelligas ſolutū argumētum.

Explicatur locus Ariſt. in 12. Metaph. tex. 49 aduerſariis non ſa tis perſpectus.

Primus motor non per al quam indiuidualem differentiā, ſed ex ſe ſingularis eſt: in eo enim eſſe ab eſſentia non diſtinguitur.

Expeditior huius primi argumēti ſolutio.

## *Solutio ſecundi, tertij, & quarti argumenti.* Cap XX.

AD ſecundum argumentum, quod tertiam continet difficultatem, ex ſuperiùs propoſitis, quodque manifeſtam in Ariſt. dictis repugnantiam oſtēdit, reſpondendum eſt, Ariſtot. optimè quidem animaduertiſſe, infinitam reapſe animarum multitudinem, mundi æternitatem, ab ſe poſitam, conſequi neceſſariò debere: verùm ſicut hoc in cauſa fuit, cur ipſe ſuã de animæ immortalitate ſniam non omnino expreſſerit, ſed ex induſtria occultarit; ita hoc idem in cauſa fuit, quare hanc quæſtionem apertè non dirimeret; vna ne tantum ſit in omnibus hominibus anima rationalis, an eadem potius ſecundum numerum hominum multiplicata ſit, tametſi, vt oſtēdimus, verè hanc poſteriorem partem amplexus eſt. Docuimus enim ſupra, has duas propoſitiones, abſque vlla repugnantia, ſimul manere poſſe; rationalem animam eſſe formam informantem, atque eandem nunquam interituram eſſe: tertiam autem propoſitionem comitem admittere nequaquam poſſe, mundum ſ. ab æterno conditum eſſe: mundi enim æternitate conceſſa, infinitus re ipſa animarum numerus vitari non poteſt, quẽadmodum in diſputatione de mundi æternitate, cōtra multos apertiſſime demonſtraui. Nō eſt igitur mirũ, ſi & Cardinalis Beſſario, & multi etiam alij doctiſſimi viri ſecundum hoc argumentum maximi fecerint, atque validiſſimum, immò etiam inſolubile iudicarint. Ad tertium, ita minor diſtinguenda eſt, Intelligere vniuerſalia non competit niſi facultati, à materia abiunctæ, hoc eſt, ſeorſum manenti, adeo vt nullius corporis perfectio exiſtat, & in hoc ſenſu eſt falſa. Intelligere vniuerſalia non competit niſi facultati, à materia abiunctæ. i. quæ nulli organo corporeo ſit affixa, & in hoc ſenſu eſt vera. Iam verò humanus intellectus dicitur forma, à materia abiuncta, non quia non ſit actus, & humani corporis perfectio, ſed quia eſt facultas nulli organo corporeo affixa; & propterea optime, ſicut quælibet abſtracta ſubſtantia, res ipſas vniuerſales intelligere poteſt. Ad quartum, neganda eſt hæc conſecutio, ſi rationalis anima recens educeretur, illa eſſet diſſolubilis. Et cùm probatur, quia, quod cœpit eſſe, non poteſt eſſe perpetuum: verum eſt de eo, quod cœpit eſſe generatione, quodque ex aliqua materia factum eſt, quemadmodum aſtruebat Plato, conditum eſſe mundũ, contra quẽ primo de Cœlo locis citatis, Ariſt. argumentabatur; huiuſmodi autem non eſt anima rationalis.

Ad ſecūdum argumētum.

Cur Ariſt. ſuã de animę immortalitate ſnīam apertè non expreſſerit. Vide plura in diſput. de ani. imor.

Poſita mundi æternitate, & rōnalis animæ imortalitate, infinitus re ipſa animarũ numerus vitari non poteſt.

Ad tertium argumētum.

Ad quartum argumētum.

Vberius eiuſdem argumẽti ſolutio.

nalis. Verum quoniam ad hoc idem argumentum ſecunda illa difficultas pertinet, quam 18. cap. propoſuimus; propterea vberiore id ipſum videtur explicatione ſoluendum. Dicebamus ibi, ea, quæ æterna, & indiſſolubilia ſunt, non egere, vt in ſuis ſpeciebus multa fiant; ſed vnicum indiuiduum vnicuique ſpeciei ſufficere; afferebamuſque de Sole, Luna, cæteriſque ſideribus exemplum: rationalis igitur anima ſi indiſſolubilis eſt, vnicum quoque erit ſuæ ſpeciei indiuiduum, atque adeo non erit forma informans, ſed aſſiſtens.

Solutio ſecũdæ difficultatis 18. c. propoſitæ.

Ad hanc difficultatem, quæ certè maximi momenti eſt, reſpondeo, ea indiuidua, quæ indiſſolubilia ſunt, atq; in ſuis ſpeciebus vnica, non ea potiſſimùm ratione in propria ſpecie vnica eſſe, quia indiſſolubilia ſunt; ſed quia perpetuitate gaudent: quod enim ſemper fuit, & ſemper erit, non habet in ſe illam inditam propenſionem, vt aliquid ſibi ſimile gignat, quemadmodum habent animalia, & plantæ, propterea quòd ſemetipſa infinita duratione ſeruare non poſſunt. Igitur cæleſtia ſidera, quia ꝑpetua ſunt, ac deinceps indiſſolubilia, ideo in ſuis ſpeciebus vnica ſunt, ſicq; ad vniuerſi perfectionem, & conſeruationem ſufficiunt.

Cur celeſtia ſidera ſub ſuis ſpeciebus vnica ſint.

At verò rationalis anima quanquã indiſſolubilis eſt, non eſt tamen perpetua; ſed occaſione humani corporis efficitur, cuius eſt forma, actus, ſubſtantialiſque perfectio: ea effectione, quam Ariſtoteles vel neſciuit, vel explicare noluit: ſed eam tantùmmodo corporis extrinſecus accedere, ſeu deforis venire, atque obrepere, aſſeuerauit.

Rõnalis anima tametſi ĩdiſſolubilis eſt, nihilominus eſt neceſſariò multiplex.

Cùm igitur plura ſint humana corpora, quæ ad vniuerſi perfectionem neceſſaria ſunt, plures quoque rationales animas, quæ ſint illorum formæ, reperiri neceſſe eſt. Neque verò eſt anima, quæ ab anima procreetur, atque ita in ſua ſpecie multiplex fiat: indiſſolubilis enim eſt anima, de qua loquimur, & propterea nullam, ad prolem edendam, propenſionem habet, ſed, vt dixi, plures animę occaſione plurium corporum, quorum ſunt ſubſtantiales formæ, procręantur.

### *Reliqua argumenta, pro Auerrois opinione propoſita, diluuntur.* Cap. XXI.

Ad quintum argumentum.

AD quintum argumentum, concedendum eſt antecedens de forma informante, quę vi naturalis agentis educitur: hæc enim à ſenſibilibus materiæ affectionibus quodammodo accerſitur, atque ab illis neceſſariò pendet; propterea mirum non eſt, ſi illis remotis, ſtatim corruat. Falſum eſt autem antecedens de ea forma informante, quę extrinſecus accedit, nulliuſque naturalis agentis ope procreatur, cuius generis eſt anima rationalis.

Affectiones in materia repertæ, ſubſtãtiam rõnalis animæ nõ reſpiciunt, ſed eius tantummodo cũ humano corpore coniũctionem.

Etenim affectiones, in materia repertæ, animæ quidem cùm corpore coniunctionem reſpiciunt, quia ſtatim, vt humanum corpus perfectè organis inſtructum eſt, aĩa extrinſecus orta, cũ eo iungitũ, tamen affectiones illæ rationalis animæ ſubſtantiam non reſpiciunt; alioquin & ipſa, ſicut cæteræ formæ, de materiæ poteſtate educeretur. Non erit igitur diſſolubilis anima rationalis, quamuis etiam ſenſibiles materiæ affectiones remoueantur; ſed tantummodo illarum remotionem rationalis animæ ab humano corpore ſeparatio illicò conſequetur.

Ad ſextũ argumentum.

Ad ſextũ neganda eſt conſecutio. Ad probationem reſpondetur, quicquid eſt in materia quanta, atque ex eadem, tanquam ex ſubſtantiali parte, factum eſt, vtique ad illius extenſionem neceſſariò extendi: rationalis autem anima, tametſi eſt in materia quanta, corpuſque humanum veluti forma informans perficiat; nihilominus quia neque ex materiæ poteſtate deducta, neq; ex eadem, tanquam ex ſubſtantiali parte facta eſt, ideò ad illius extenſionem non neceſſariò extenditur, ſed in eadem modo quodam indiuiſibili manet.

Aĩa ſentiens ex poteſtate materiæ cordis ſecũdum Ari. & Alex. deducitur.

Cæterarum animãtium animæ, vt ex. gra. ſentiens, ex poteſtate materiæ cordis primùm oritur, teſte Ariſtotele lib. 3. de Partibus animalium capp. 3. 4. & 5. & Alex. 1 lib. de Anima, c. vltimo, perque totum cordis corpus illius ſubſtantia diffuſa eſt: eius autem vis, atque facultas per omne corpus animalis extẽditur.

Aĩa vegetalis ſecũdum ſubſtantiam in radicibus, aut in medulla diuiſa manet.

Vegetalis etiam anima aut in medulla, aut in radicibus, aut in quouis alio, quod cordi proportione reſpondeat, ſecundum ſubſtantiam, & quaſi in proprio domicilio diuiſa, atq; extenſa manet, tanquam in ea parte, de cuius poteſtate primùm deducta eſt: eius autem virtus per truncum, per ramos, ramuſculos, immò etiam & folia diffunditur.

Anima rationalis nullam habet in humano corpore partẽ, ex-

At verò rationalis anima nullam habet in humano corpore partem, ex cuius materię poteſtate primùm deducta ſit; & propterea rectè dicebat Ariſtoteles lib. 1. de Anima tex. 92. ne fingere quidem nos poſſe, quam partem corporis occupet intellectus. Erit igitur tota rationalis anima in toto humano corpore, & tota in qualibet parte, atque ita cùm non ſit forma, de materię poteſtate de-

ducta;

ducta, in ipſa materia, hoc eſt, in humano corpore citra vllam diuiſionem permanebit. Ad ſeptimum reſpondendum eſt, ſi in manu reperirentur organa, non quidem ad intellectionem proximè edendam, ſed ad ea, quæ neceſſariò ante exigit intellectio, vtique dicere poſſemus, quanuis impropriè, manum intelligere: quemadmodum, & caput ipſum intelligere dicimus, non quia propriè intelligat. Sed quia in eo, tanquam in anguſto fornice, phantaſmatum concurſu, ſpecies intelligibiles fabricantur, quæ ad intellectionem efficiendam neceſſariæ ſunt. Anima enim in corpore exiſtens, ipſius copulationis vi, ſenſibus tàm exterioribus, quàm interioribus, indiget, vt ſuo modo ad intelligendum concurrat. Non igitur propriè caput intelligit, immò neque anima, vt docet Ariſt. 1. de Anima tex. 64. Sed homo anima, quæ verũ eſt intelligendi principium. Quare mirum non eſt, ſi manus non intelligat, quanuis anima rationalis totum humanum corpus ſecũdum propriam ſubſtantiã, veluti forma perficiat. Octauũ argumentum ſubdifficile eſt, & eo facilè poſſet quilibet, philoſophica tantùm ſuperficie contentus, circunueniri: ſi enim rationalem animam per ſe ſubſiſtẽtem eſſe negemus; tunc illam, in hominis occaſu, incolumen non ſeruabimus: ſin autem formam illam per ſe ſubſiſtentem admittamus: eandem informantem humani corporis formam dicere non poterimus; propterea haud pingui minerua hoc argumentum percurrẽdum eſt, ſed ſubtiliter explicandum. Puto igitur pro illius ſolutione dicendum, rationalem animam neque in eius eductionis momẽto, neque dum in humano corpore manet, formam eſſe per ſe ſubſiſtentem (non enim eſt anima veluti intelligentia, quæ nullius corporis eſt forma, & ideo per ſe ſubſiſtit) ſed ab eius effectore Deo, ex nulla materia, cum duplici propenſione, condita eſt; altera ad humanum corpus informandum, quæ propenſio ſtatim expletur, vt ipſa in lucem edita eſt: altera ad per ſe ſubſiſtẽdum, quæ non niſi eadem à corpore ſoluta, ad energiam reduci poteſt. Ceteræ formæ materiam informantes, neque per ſe ſubſiſtunt, neque citra materiam ſubſiſtere poſſunt; quia à materia pendent, neq; vllam ad per ſe ſubſiſtẽdum propenſionem habent. Rationalis autẽ anima, dum re ipſa humanum corpus perficit, per ſe quidem non ſubſiſtit, quia cum materia coniuncta eſt; per ſe tamen, diſſoluto corpore, ſubſiſtere poteſt, tùm, quia à materia non pendet, tùm etiam quia ab ſummo Opifice, cum eiuſmodi propenſione ad per ſe ſubſiſtendum effecta eſt.

*Ad quæ, veluti ex materia deducat, propterea in materia quanta non extenditur, cum omnino indiuiſibilis ſit.*

*Ad ſeptimũ argumẽtum. In quo ſẽſu hõis caput intelligere dicatur.*

*Ad octauum argumẽtum.*

*Rõnalis aĩa cum duplici propenſione ab eius opifice procreatã eſt.*

## *Ariſtotelis autoritatibus, pro Auerroe adductis, ſatisfit.* *Cap. XXII.*

SOlutis iam rationibus, quæ ad tuendam Auer. opinionem adductæ ſunt, reliquum tandẽ eſt, vt Ariſt. autoritatibus, pro eadem propoſitis; ſatisfaciamus. Ad primam, ſumptam ex 1. de Anima tex. 82. reſpondendum eſt, Ariſt. ibi ad hominem, vt aiunt, aduerſus Empedoclem argumentari; qui animam ex elemẽtis conflatam eſse exiſtimauit: Arguebat Ariſt. quoniam ſi elemẽta ſimul iuncta manent, opus eſt, vt ab vnico aliquo id fiat, atque elemẽta ipſa quodammodo continente: iam verò continens eſt ſemper contento nobilius, nihilque anima nobilius eſse poteſt; cùm illa ſecundum Empedoclem, alioſque veteres philoſophos antiquiſſima ſit, atque diuina. Quicquid igitur Ariſtoteles in eo tex. aſſeruit, non fuit ſecundum propriam, ſed ſecundum veterum philoſophorum, atque potiſſimùm Empedoclis ſentẽtiam: conſtat enim apud Ariſtot. rationalem animam ante humanum corpus nullam eſse, vt ſupra ſæpius ex 12. Metaph. tex. 16. demonſtrauimus. Ad ſecundam, quæ ex eodem primo libro de Anima tex. 92. ſumpta erat, reſpondendum eſt; iure optimo Ariſt. ibi aſserere, non poſse quidem fingi, quam partem corporis occupet intellectus; quoniam non eſt intellectus virtus organica, quemadmodum videndi facultas, quæ oculum occupat: neque etiam rationalis anima de vllius materiæ poteſtate deducta eſt, ſicut anima ſentiens, quæ in animalibus, ſanguine præditis, occupat, cor, aut anima vegetalis, quæ in ſtirpibus, radices obſidet, aut medullã. Nihil igitur aliud docere in eo textu Ariſt. voluit, niſi intellectum non eſse facultatem organicam. Ad tertiam, erutam ex 11. contex. ſecundi libri de Anima, reſpondeo ex eis, quæ ſcripſi in illius difficilis contextus explanatione, nolle ibi Ariſtotelem docere, rationalem animã non eſſe actum corporis, atque adeo nec formam informantem; alioquin ſibiipſi aduerſaretur, cùm iam ſæpe ſuperiùs definitionem animæ animabus omnibus communem eſſe docuiſſet: ſed eius inſtitutum eſſe docere, rationalis animæ facultates non eſſe actus corporis, hoc eſt, nulli organo corporeo affixas eſſe, vt inde quaſi hoc argumentum eliceret: quemad-

*Ad primam autoritatem*

*Ad ſecundã.*

*Ad tertiam.*

*Breuis explanatio cõtex. 11. lib. 2. de Anima.*

modum

modum vegetātis, & ſentientis animę facultates ſunt actus partium corporis, hoc eſt coporeis organis ſunt affixæ, hincque ſequitur, vt anima vegetalis, atque etiam ſentiens à corpore penitus inſeparabiles ſint; ita quia rationalis animæ facultates nullius corporis ſunt actus, hoc eſt, nullis corporeis organis ſunt affixæ, manifeſte ſequitur, vt ipſa rationalis anima à corpore ſeparabilis ſit. In ſequentibus autem verbis non ea fuit Ariſtotelis mens, vt docere voluerit, rationalem animam eſſe planè formam corporis, ſicuti nauta eſt forma nauis; vt inde eliceremus, eſſe tantummodo formam aſſiſtentem: ſed dixit, ex iam tradita animæ definitione non adhuc manifeſtum eſſe, an anima vniuersè accepta, quemadmodum eſt forma informās, ita etiam ſit forma aſſiſtens, ſicut nauta naui: infra enim, cùm de rationali anima ſermo fiet, liquidius apparebit, animam vniuersè conſideratam, ſaltem ſecundum aliquam ſui ſpeciē, ſeu ſubiectiuam partem, hoc eſt, ſecundum animam intelligentem, non ſolum informantem formam, verùm etiam aſſiſtentem eſſe. *Ad quartam autoritatem.* Ad quartam, elicitam ex 21. contex. eiuſdem ſecundi libri, reſpondendum eſt, rationalem animam aliud quidem animæ genus, à cæteris diſtinctū eſſe, loquendo de genere Phyſico, quia eſt reliquis longè præſtantior; atque rurſus à corpore, vt perpetuum à diſſolubili, ſeparabilem eſſe: negandum tamen eſt, ex hiſce verbis elici, Ariſtotelem rationalem animam formam tantummodo aſſiſtentem eſſe, poluiſſe. Etenim formā informans, quæ de materiæ poteſtate deducta non eſt, à corpore quidem ſeparari poteſt; & quanuis ſeparata non ſit amplius forma; ſubſtantia nihilominus indiſſolubilis manet. Anima igitur rationalis tantiſper dum re ipſa corpori coniuncta eſt, anima dicitur, & propriè forma: quoniam verò ex materiæ poteſtate deducta non eſt; ideo à corpore ſeparabilis eſt: cùm autem ſeparata eſt, non amplius anima dicitur, ſed ſolum ſimplex quædam ſubſtantia, velut Intelligentia, eſt, & appellatur. *Ad quintam autoritatem.* Ad quintam, ſumptam ex 4. & 6. context. tertij libri de Anima, reſpondendum eſt, Ariſtotelem in ijs contextibus duo potiſſimùm docuiſſe. Alterū eſt, rationalem animam in ſeſe materiam, vt ſui partem minimè continere; propterea à ſubiecto, vt Scholæ inquiunt, immiſtam eſse. Alterum eſt, eandem animam nullum prorſus in ſeſe, tanquam ſibi naturale obiectum includere, & propterea eſse etiam immiſtam ab obiecto. Non negare tamen Ariſtotelem, hanc eandem animam cum corpore coniunctam eſse, eoq; modo materiam perficere, quo actus, & forma quælibet ſubſtantialis cum ſua materia coniuncta eſt, veluti perficiens cum eo ipſo, quod perficitur. *Ad ſextam autoritatem.* Ad vltimam, ductam ex 2. lib. de Ortu animalium c. 3. reſpondendum eſt, nihil aliud ibi Ariſtotelem inferre, niſi rationalem animam non eſse formam informantem, eo modo, quo anima vegetalis, aut ſentiens, hæ enim ex ſpumoſo, craſſoque ſemine, & ex natura corporea originem trahunt, illa verò extrinſecùs accedit, diuinituſque procreatur; eius autem mentem fuiſse, ſtatuere, rationalem animam eſſe formam informantem, ex ſuperioribus verbis eiuſdem capitis apertiſſimè elicitur: vbi docet, animam omnem priùs eſſe poteſtate in ſemine, quàm re ipſa, & expreſſam mentionē facit de anima ipſa rationali, qua homo eſt. Illa autem forma, qua homo eſt homo, nō eſt quidem ſimpliciter aſſiſtens, ſed potiſſimùm informans.

# DE ANIMI IMMORTALITATE,

## Diſputatio Vigeſimaprima.

### *Tractanda in hac diſputatione.* *Caput Primum.*

Scribēdi cōſilium.

DE animi noſtri immortalitate, poſt innumeros, ac celeberrimos Philoſophos, fruſtra me acturum exiſtimaſſem niſi & meæ vitæ ratio id expoſceret, qui publico Philoſophiæ docendę muneri in hac illuſtri Academia Patauina ſum addictus, & nouæ identidem contentiones erumperēt, quibus res omnium ſumma, & è qua pendet æternitas, in diſcrimen adducitur: niſi item officium hoc debuiſſem ijs, qui liquidiorem de me aliquam, ſed ſolidiorem in tanto negocio, pro ſuo captu, notitiā quæſiuiſent. Sanè Dei Eccleſia, non ſolùm naturalium, verùm etiam cæleſtium luminum illuſtrata ſplendore, modum huic potiſſimùm diſputationi impoſuerat, ne luxuriantia ingenia, eiuſmodi altercationibus, pergerēt, in laxam vitæ improbę licētiam, in defectionem aduerſus legitimos Principes in hæreſes in ipſum adeo Atheiſmum ruere. At meis quorundā male ſana, nihil quantumcūq; inde germinat dāni, cunctata, haud ceſſat aīos adoleſcentum infauſtis opinionibus imbuere, vt, qui obuiam, cùm poſſit, depaſcēti flammæ non ierit, is Deo, & Chriſtianæ Reipub. grauiſſimam ſit rationem redditurus. Agam igitur, Deo ipſo aſpirāte, quam puto certiſſimam eſſe viam huius tractationis. Mox quid hac voce IMMORTALITATIS deſignetur. Deinceps qui nam pro illa, ſiue item aduerſus ipſam ſcripſerint, aut ſenſerint. Præterea aduerſantium immortalitati, quæ maioris videantur ponderis eſſe, argumēta, ſoluam omnia, cùm verè ſolubilia ſint, eorundemque fundamēta, tanquam inania, & ab Ariſt. mēte abhorrentia, penitus euertam. Demum, vbi ſnīam meam de Ariſt. ſententia deprompſero, & aduerſariorum obiectiones refutauero, diſſeram, num animi noſtri immortalitas ſola queat naturali ratione monſtrari.

Ordo in diſputatiōe ſeruandus.

### *Modus agendi in hac diſputatione.* *Cap. II.*

Veritas ſcopus debet eſſe cuiuſcūq; ſcriptoris.

EXpedit nihil magis cuique ſcriptori, qui rem aliquam ſyncerè tractare planèque, conficere cupit, quàm vt initio veritatem ipſam, tanquam primum, atque præcipuum ſuę tractationis ſcopum, ante oculos ſibi conſtituat. Id ſi in reliquis tractationibus requiritur, in hac certè de humani animi immortalitate diſceptatione pernecеſſarium eſt: in qua potiſſimùm anceps, & obſcura Ariſt. ſnīa autores pleroſque in varios, grauiſſimoſque errores deduxit. Tā grauem igitur diſputationē aggreſſuro, ſedulo mihi opera danda eſt, vt ea omnia euitē, quæ nobis ad veritatem aditum quo quomodo intercludere poſſunt. quod tribus præcipuè obſeruatis, facilè aſſequi me poſſe confido. Primum eſt, ne inter diſputandum, vlli me prorſus addicam autori: ſic.n. libera, ſolutaque erit philoſophandi ratio, nec eò me trahet beneuolētia, vnde ratiocinatio deducit. Alterum eſt, vt ſingula Ariſt. loca, quæ paſſim in hac quæſtione pro vtraque parte adducuntur, ita explicem, non vt à me ſponte eius philoſophiæ principijs accōmodata videātur (hoc.n. perſæpe veritati tenebras offundit, vt in tractationis curſu plamum fiet) ſed vt omnes, non verba ſolùm, verùm etiam ſnīas, & integra Ariſt. capita conſiderātes, omnino iudicēt, ea aliter explicari non potuiſſe: decet.n. interpretem, qui veritatis amator eſt, non autoris adulator, docere liberè, quid autor ipſe re vera ſenſerit, non quid forſan ſuis principijs innixus, dicere, aut ſentire debuerit. Tertium eſt, vt non erubeſcam, ſi quæ à viris celebratiſſimis, huc ſpectantia, tradita fuerint, ad veritatem planius aperiēdam, atque etiam ad meam ſnīam confirmandam, citato tamen autore, in medium proferre, his.n. à me obſeruatis, ſpero fore, vt qui nō vnum, aut alterū hinc inde ſelectum caput leuiter percurrerit, ſed totam diſputationem ęquo, attentoque animo perlegerit, facilè ſit in tàm lubrica, difficilique materia, optatam veritatem conſecuturus.

Non eſt iurādū in verba Magiſtri.

Quonam pacto explicanda ſint Ariſ. loca.

Cum vna ſit Veritas, facilè eſt pluribus autoribus in eandem incidere.

*Immortale quot modis dicatur.* *Cap. III.*

Immortale accipitur tribus modis.

DEclarare in primis operæpretium eſt, ad omnem euitandam homonymiam, id, quod ab alijs quoque animaduerſum eſſe video, quam.ſ.hoc loco ſignificationem obtineat vox illa, ſeu particula, IMMORTALIS, multum enim intereſt, vno ne, an altero modo intelligatur. Immortale igitur tametſi pluribus poteſt accipi modis, tamen, quod ad præſens negocium attinet, tres poteſt intellectus habere. Primò enim ſignificare poteſt illud, quod ſecundum ſuam naturam immortale eſt, nec per vllam potentiam aliquando aboleri, extinguive poteſt; quinimò ipſum non eſſe, contradictionem inuoluit. In hoc ſenſu, ſolus Deus eſt immortalis; neque enim vllam interiorẽ mortis cauſam ſecum defert, neque exterior aliqua cauſa reperitur, quæ ipſi mortem inferre valeat. Poteſt ſecundò ſignificare id, quod ſecundum ſuam naturam immortale quidem eſt, vt pote quia ex nullis contrarijs rebus conflatum ſit; exteriorem tamen ſui interitus cauſam habet, quia illud Deus arbitratu ſuo perdere, atque ad nihilum redigere poteſt. Sic cæleſtium orbium motrices mentes immortales ſunt; quinimmo cælum ipſum hoc modo immortalitate dicitur gaudere. Poteſt tertiò ſignificare id, quod cùm vi propria ne minimam quidem durationem habeat, ratione tamen cuiuſdam adhæſionis, immortalitatis & ipſum beneficio fruitur. Hoc modo omne accidens, quod in ſubiecto aliquo immortali inhæret, immortalitatis particeps fit: igitur lumen Solis, atque abſtractarum mentium intelligibiles ſpecies, immortales dicuntur, non quidem propria natura, ſed quia ab immortalibus ſubiectis ſuſtinentur; ſolentque hæc immortalia per accidens nuncupari. Nos in hac diſputatione immortale in ſecunda ſignificatione accipimus, vt aliquid nobis circunſcribit, quod habuerit eſſe poſt non eſſe, quodque ſecundum ſuam ipſius naturam, interitum omnem, atque perniciem, ſeu mortem ipſam effugiat; & quærimus, vtrum anima rationis particeps (de hac enim eſt diſputatio) quæ humani corporis forma & perfectio ſtatuitur, vnà cum corpore intereat, an potius extincto corpore, adhuc ſuperſtes remaneat.

In quo ſẽſu accipiatũ immortale in pſenti diſputatione.

*De animi noſtri diuturnitate, veterum philoſophorum placita.* *Cap. IV.*

Poſſunt hæc eadẽ videri apud Conimbr. tracta. de Ani. ſepar. diſput. 1. art. 1. & Pet. Martinez in trac. de aiæ imor. circa initiũ.

Phærecides Syrius primus fuit, qui de animorũ immortalitate diſputauit.

Platonici, Stoici, & Pythagorici animæ immortalitatem variè diſputarunt.

Epicureorũ opin. de animæ immortalita. quos ſecutus ẽ Plinius, & alij pleriſque.

TAntæ diſceptationis excellentia, quæſtioniſque difficultas expoſcit, vt non priùs in eius profundum deſcendamus, quàm intellectum noſtrum quibuſdam veluti rudimẽtis illiniamus, eundemque ad rei veritatem capeſſendam præparemus. Id optimè fiet, ſi quæcũque de animi noſtri diuturnitate veteres philoſophi protulerunt, hoc capite quàm breuiſſimè aperiemus: non enim conſilium meum eſt, aliorum dictis volumina implere, ſed in eis, quæ maximè difficilia ſunt, contemplatione verſari, & ſi quæ à me excogitata fuerint, eadem ad communem ſtudioſorum vtilitatem proferre. Ergo inter primos philoſophos, qui de animorum immortalitate diſputare cœperunt, fuit Phærecides Syrius, qui publice docuit, humanos animos perennis eſſe, immortalitateque potiri: hunc primò eius diſcipulus Pythagoras, deinde Mercurius Triſmeg. Zoroaſter, Diogenes, Thucidides, Thales Mileſius, Anaxagoras, Plato, omnes denique Platonici; atque etiam Stoici ſecuti ſunt. Fuit tamen inter illos nonnihil diſcriminis: nonnulli enim verè immortalem humanum animum eſſe conceſſerunt, eundem videlicet perpetuò duraturum. Alij nõ animam ſolùm rationis participem, ſed beluarum etiam animas, hoc eodem immortalitatis priuilegio donatas eſſe cenſuerunt. Alij ex Pythagorica familia ita immortales animas crediderunt, vt cùm illarum certus quidam, & determinatus numerus eſſet, de corporibus aliquando in corpora, tranſmigrarent. Alij è Stoicorum ſecta humanos animos ita immortales tradiderunt, vt eos nequaquam cum corporibus extingui putarint, ſed paulò poſt à corpore ſolutos, paulatim debilitari, atque tandẽ perire; hoc tamen diſcrimine, quòd eò diutius animæ permanerent, quò fortiter virorum ſapiẽtum extitiſſent: quinimmò arbitrati ſunt, ſapientum animas vſque ad vniuerſi conflagrationem perſeuerare, aliorum autem hominum ſenſim deficere; penituſque tandem aboleri. Ex aduerſa parte fuit vniuerſa Epicureorum turba, quos plurimi cùm Græcorum, tum Latinorum ſecuti ſunt, præſertim Plinius lib. 7. naturalis hiſtoriæ c. 55. qui humanos animos interitui obnoxios eſſe defendunt, vtpote qui de materiæ poteſtate educti ſint, ac proinde eos vnà cum ipſis corporibus occidere putant. Vtinam hæc opinio temporibus etiam noſtris multos

non

non habeat ſectatores. Non defuerunt alij, qui humanam animam in duas partes diſtinxerunt, quarum alteram immortalẽ, perpetuòque duraturam, alteram verò vna cum corpore intercidere ſtatuerunt. Ad haſce opiniones cæteræ aliẹ, quæ ſuper hac re hactenus emerſerunt referri facilè poſſunt. Duo tamen fuerunt celeberrimi philoſophi, quorum opiniones non dum ſatis ab omnibus perſpectæ ſunt: alter fuit Galenus, alter Ariſt. ille quidẽ ob varios loquẽdi modos; hic verò ob nimiam ſcribendi obſcuritatẽ. Dubitauit Galenus, deq; natura aĩæ valde anxius fuit, nũ ſubſtãtia illa, ſiue potius qualitas, aut ex pluribꝰ qualitatib. cõſurgẽs tẽperamentum ſit: ideo ſi quis legat librũ illum, ita inſcriptũ, *Quod animi mores corporis tẽperaturam ſequãtur*, inueniet, ipſum potius mortalitatẽ, quã ĩmortalitatẽ ſtatuiſſe; cũ præſertim Platonẽ ibi arguat, quòd aĩam ĩmortalẽ eſſe defenderit. Oppoſitũ aũt lib. de Tremore, & rigore aſſerere videtur, vbi eñ affirmat minimè deceptum iri, qui animam ſubſtantiam eſſe dixerit, quæ per ſe moueri queat, quod apertiſſimum eſt apud Platonicos, immortalitatis argumẽtum. Locutus eſt interdum Galenus de aĩa rationali, interdum de ſentiente, & vegetali: ſed in tanta dicendi varietate Euſtachius Rudius, Philoſophus, & Medicus celeberrimus, eius præcipua ſenſa in ſuo lib. de Anima clariſsimè aperuit. Ariſ. ſñĩam infra examinabimus. Hę ſunt breuiter opiniones præcipuæ, veterum Philoſophorũ, qui de animi noſtri diuturnitate, quod idem eſt dicere, de mortalitate, vel immortalitate, locuti ſunt. Si quis plura deſiderat, legat Cælium Rhodiginum lib. 1. cap. 23. & 24. Lactantium Firmianum lib. 2. cap. 15. Diogenẽ Laertium lib. 8. in Pythagora, Tertulianum in lib. de Anima, Ciceronem libro de Somnio Scipionis, & prima Tuſculana, Plutarchum lib. 4. de placitis Philoſophorum ca. 7. & lib. 5. cap. 1. Mirãdulanum lib. 4. examinis cap. 8. Ioan. Ferrarieñſem lib. de Animæ immortalitate, Franciſcum Piccol. lib. 2. de Humana mẽte cap. 1. ſed inter cæteros Eugubinum lib. 9. de Perenni philoſophia: multa .n. apud hos autores de animę immortalitate, illiuſque ſtatu poſt corporis ſolutionem, atque alia etiam huc ſpectantia, elegantiſſimè ſcripta reperiet.

Galeni, & Ariſ. de animæ ĩmortalitate opiniones ambiguæ.

Euſtachius Rudius.

Autores varij apud quos multa legũtur de animæ immortalitate, iuxta veterũ Philoſophorum documenta. Cælius Rodiginus. Lactãtius Firmianus. Dioge. Laertius. Tertullianus. Cicero. Plutarchus. Ant. Bernar. Mirand. Io. Ferrarienſ. Fran. Piccol. Eugubinus.

*Illorum opinio explicatur, qui animum ſecundum Ariſtotelem mortalem eſſe ſtatuerunt.*

*Caput V.*

HIs præmiſſis, ad illud nunc, quod eſt maioris momẽti, & de quo etiam huius ſeculi philoſophi tanta inter ſe contẽtione decertant, accedamus, nẽpe quid Ariſt. de humano animo ſenſerit, mortalem ne illum, an potius immortalẽ eſſe voluerit? Qua de re cùm varij varia ſenſerint, agè vniuſcuiuſque ſñĩam expẽdamus. Prima verò illa eſt, Ariſt. humanũ animum mortalem exiſtimaſſe, ita Ariſtoxenus, atque etiam Dicæarchus ipſius Ariſt. auditores, ita Alex. Aphrod. eiuſdem operum interpres ſæpius affirmarunt. Idẽ aſſeruit Plutarchus lib. 5. de placitis philoſophorum cap. 1. Galenus in hiſtoria philoſophica, atque ex recẽtioribus Card. Caiet. lib. 3. de Anima cap. 2. Petrus Pomp. in tractatu de Animę immortalitate, qui primus opinionem hanc ab Alex. tanquam ab eius principe, & quaſi inuẽtore traditam, inſtaurauit, & veluti poſtliminio reuocauit. Simon etiam Portius libello de humana mẽte, & nonnulli alij noſtri temporis philoſophi. Creditur idem etiam ſenſiſſe Federicus Pẽdaſius (ſi habenda fides eſt eius diſcipulis) nam & Polus Lauredanus, & alij complures, qui ipſum audiuerunt, hãc Alexandri opinionẽ defendunt. Audiui tñ ego à viris celebratiſſimis, & fide dignis, Federicum Pendaſium eo tẽpore, quo publicè Patauij philoſophiam profitebatur, contentionis æſtu, Alexandri opinionem ſecutum eſſe: tunc .n. erat in eodem Gymnaſio, qui Auer. ſñĩam ſectabantur: poſtea verò cum Bononiæ philoſophiam docere cæpit, omnibus Ariſt. locis maturiùs conſideratis, ſinguliſque rationibus diligẽtiùs expenſis, palinodiam ceciniſſe, arbitratumque eſſe, Ariſt. in animi immortalitatẽ propẽſum fuiſſe: ita doctiſſimi viri ab eodem Pendaſio ſe excepiſſe affirmarunt, & hoc idem ẽt eius Filius, qui nunc Bononiæ, publico ſtipẽdio philoſophiam docet, teſtatus eſt. Sed præter hos philoſophos non defuere inter Patres, qui hoc idẽ de Ariſt. exiſtimarunt, vt Iuſtinus philoſophus, & Martyr in ſua Paręneſi, Theodoretus lib. de Natura hominis, Gregorius Nyſſenus lib. de Anima, Gregorius Nazianzenus diſputatione contra Eunomium, Origenes, & alij complures. Quorum autoritati cùm magnopere videantur tribuere, qui mortalitatem animi cupiunt è libris Ariſtotelis (vti opinantur) aſtruere, rationes itẽ adiungunt. Quarum prima, quam Petrus Pomponatius maximi fecit, ex ipſius animæ definitione, initio ſecundi libri de Anima, ab Ariſt. tradita,

Ariſtoxenus. Dicæarchus. Alex. Aphr. Plutarchus. Galenus. Card. Caiet. Petrus Pomponatius. Simon Portius. Feder. Pendaſius.

Nota de Pẽdaſio.

Iuſtinus. Theodoret. Greg. Niſſe. Greg. Nazi. Origenes. Argũ ab autoritate.

Prima ratio.

ſumpta eſt, vbi ita ſcribit; Anima eſt actus corporis phyſici, organici, potentia vitam haben-
tis. Sumpta igitur hac definitione animæ, tanquam maiore propoſitione ſyllogiſmi, ita ſub-
dit Pomponatius minorem: ſed actus corporis phyſici citra corpus phyſicum, quod perficit,
conſiſtere nequit; igitur, homine extincto, rationalem quoque animam, quæ illius actus, for
Secunda rō. ma, atque perfectio exiſtit, pariter aboleri, neceſſe eſt. Secunda ratio ab eodem elicitur ex ijs,
quæ 1. de Anima tex. 12. & ſequentibus Ariſtoteles ſcribit, vbi eius naturam, vires, operan-
dique modum conſiderans, ſyllogiſmum quendam hypotheticum, ſeu conditionalem ingere-
re nititur, cuius maior propoſitio hæc eſt; Si intellectus citra imaginationem operari poteſt,
tunc nulli eſt affixus materiæ, ſed ab ea disiungi ſine ſui interitu valet: ſi, contra pro ſuo obeū
do munere ope phantaſmatum, & imaginationis indiget; per ſe ipſe quidem conſiſtere ne-
quit: minorem deinde, inquit, huius ſyllogiſmi propoſitionem 3. de Anima tex. 39. Ariſtote
les expreſſit, vbi aſſeruit, ſine phantaſmatum adminiculo intellectum ſuam virtutem expro-
mere non poſſe; quinimmò, intelligentē phantaſmata ſpeculari neceſſe eſt: ſequitur ergo (ait)
concluſio, ab ipſomet Ariſtotèle tacitè pronunciata, intellectum. ſ. humanum ſeorſum à cor
pore conſiſtere non poſſe, niſi ipſum perpetuò deinceps feriari, aſſerere velimus, quod philo
Tertia. ſophi omnes abſurdum maximum arbitrantur. Tertia ſumitur ex 1. lib. de Cælo tex. 126. v-
bi hanc vniuerſalem propoſitionem viſus eſt Ariſtoteles protuliſſe, Quicquid ortum eſt, oc-
cidere illud ipſum aliquando neceſſe eſt; ſicut contrà, quod nullum ſui ortum agnouit, nullū
etiam vnquam patietur interitum: ſed (vt ipſemet docuit 12. Metaph. text. 16.) humana aīa
initiū aliquādo habuit: ſimul enim cum corpore, cuius eſt forma, in rerum natura conſiſtere
Quarta. cæpit: eadem igitur vnà cum eodem corpore aliquando diſſoluetur. Quarta eruitur ex 1. lib.
Ethic. c. 10. vbi Ariſtoteles in Solonem inuehitur, quòd hominem poſt mortem vera, perfe-
ctaque felicitate perfrui, aſſeruerit: fundamentum autem, quo Ariſtotelis reprehenſio niti-
tur, aliud certè non eſt, niſi quia humanus animus, ad quem beatitudo, atque felicitas perti-
net, poſt mortem manere non poteſt, quemadmodum ipſemet 3. eiuſdem operis libro c. 6. lu
cidiſſimis verbis confirmauit, dum dixit, poſt mortem nec boni quicquā homini accidere,
Quinta. nec mali. Quinta elicitur ex 12. lib. Diuinorum tex. 39. vbi diuinam felicitatem perpetuam
eſſe, humanam verò non admodum diuturnam Ariſtoteles aſſerit: hoc autem eſſe nō poſſet,
niſi mortalem humanam animam cenſuiſſet; alioquin cum perpetuitate ſubſtantiæ ipſius a-
nimæ, perpetuitas quoque felicitatis iuncta eſſet. Præter has rationes, ex varijs Ariſtotelis lo
cis deſumptas, alias quoque huius ſententiæ ſectatores ex eiuſdem Ariſtotelis principijs eli
cuerunt, quibus ſuadere nituntur, Ariſtotelem immortalem humanam animam ſtatuere
Sexta. non potuiſſe, ſi ſibi ipſi conſtare, ſuiſque principijs reſpondere voluerit. Erit igitur ſexta ra-
tio huiuſmodi, Ariſtoteles & 1. lib. de Cælo, & 8. de Phyſica auſcultatione, aduerſus oēs phi
loſophos mundi æternitatem omnibus quibus potuit, medijs, demonſtrare conatus eſt: ſi po-
tuiſſet autem hominum animas immortales eſſe, tunc omnes etiamnum perſiſterent, quæ ha
ctenus editæ ſunt: at infinitę animę editæ ſunt, ſi mundus eſt æternus; infinitus nunc igitur re
ipſa numerus animarum reperiretur: dari autem infinitum re ipſa, repugnat Ariſtotelicæ do
ctrinæ 3. lib. de Phyſico auditu; igitur ſi ab Ariſtotelis principijs diſcedere nolumus, opus eſt,
vt mortalem humanam animam eum cenſuiſſe dicamus; niſi fortaſſe Pythagorica illa ani-
marum migratio in diuerſa corpora ſuccedentium, inducatur, quod à Peripatetica philoſo-
Septima. phia nihilominus abhorret. Septima ratio eſt huiuſmodi, ſi immortales animos Ariſtoteles
ſtatuiſſet, eoſdem quoque a Deo creatione educi exiſtimaſſet; nihil eſt autē, quod magis Pe-
ripateticę philoſophię aduerſetur, quam creatio, quæ alicuius eſt ex nihilo productio, igitur
Ariſtoteles immortales humanos animos non iudicauit. Conſecutio eſt manifeſta: quæcun-
que enim immortalia ſunt, ſicuti aboleri nequeunt, niſi à Deo in nihilum redigantur; ita ne-
que effici poſſunt, niſi diuinitus ex nihilo procreentur. Falſitas pariter conſequētis nulla pro
batione indigere videtur: etenim Ariſtotelē creationem non agnouiſſe, ex eo potiſſimū ſua-
deri poteſt, quia cùm ipſe, agere Deum impulſu quodam, & neceſſitate naturæ crediderit, ſi
à Deo creari animas exiſtimaſſet, dubio procul, eas omnes ab æterno editas eſſe aſſeruiſſet;
quod tamen cum ijs, quæ lib. 12. Metaph. tex. 16. ſuperiùs citato ſcripſit, minimè conſentit,
vbi humanum animum initium habere perhibuit: non igitur Ariſtoteles rerum creationem
conceſſit, nec, quod hinc ſequitur, animorum immortalitatem defendit. Alij hoc idem ratio-

cinium

cinium ſub hac forma proponunt;ſi anima incepit eſſe,vel de poteſtate materiæ educta fuit, vel non;ſi fuit educta;ergo in eſſe à materia pẽdet, nec ab ea poterit aliquo modo ſeiungi: ſi non fuit educta;ergo creata eſt,quod tamen principijs Ariſt.aduerſatur. Octaua, ſi anima à corpore ſeparabilis eſt; mobilis igitur illa erit, atque ita de loco ad locum concitabitur: id autem omne diuiſibile eſt,quẽadmodum lib.6. Phyſ. Ariſt.docet; igitur vel anima diuiſibilis erit,quod nullus ſanæ mẽtis concedet:vel ſi indiuiſibilis eſt, neutiquã à corpore poterit ſeparari. Deinde mouebitur ne ſursũ,an deorſum?vel ad quã loci differentiã? ſi quis rationẽ aſſignare poterit,ad quã loci differentiã aĩa,dum decedit à corpore, moueat; facile quoq; eandẽ immortalem eſſe is idem vnicuique poterit ſuadere. Nona,ſi qua forma ſuum compoſitum diligit, cuius eſt forma, ea certè eſt rationis particeps anima, quæ ſi fieri poſſet,nunquam ſuum compoſitum deſerere vellet, vt in hominis interitu experiri vnicuique licet; manet igitur rationalis aĩa in humano corpore naturaliter,tanquam in eo,in quo ſuas omnes operationes exercere põt,cùm ſit illud inſtrumẽtis innumeris exornatum. Hoc ſi ita eſt,vt verè eſt, ſequitur,animam extra corpus nullum ſtatum naturalẽ habere,ſed extra illud, vbicunque ponatur, inuitam detineri: nullum aũt violentum eſt perpetuum, ex Ariſt.doctrina 2. de Cælo tex.18.igitur ſi concedere nolis, humanam animã vna cum corpore mori; neceſſariò ſaltem concedes,eandem poſt aliquod tẽporis ſpatium aboleri. Sed dicas quæſo, eo temporis curriculo,quo à corpore ſeiuncta manet,quas nam operationes edet? Nebit forſan,aut texet? Certè cùm abſque cogitatione,corporeiſq; organis,nihil operari poſſit,ocioſa torpeſcet,& veluti inſinuatis manibus feriabitur, quod tanquam philoſopho indignum, penitus reijciendum eſt. Vnà igitur cum corpore,aut ſaltẽ paulò poſt, anima intercidet, niſi,vt Pomponatius ait, vel ad Democriti reſurrectionem,vel ad Pythagoræ tranſmigrationem confugiamus,quod tãquã valde fabuloſum à grauioribus philoſophis exiſtimatur. Poſtrema,ſi Ariſt.immortalem humanam animam cenſuiſſet, dubio procul aliquid de illius ſtatu poſt hominis obitum docuiſſet:at de hoc ne verbum quidem;non ergo conſilium eius fuit,ipſam immortalẽ ſtatuere. Conſecutio eſt manifeſta: qui fieri.n.poſſet, vt Ariſt.qui tàm diligẽs fuit naturæ operum rimator,cæteris de rebus adeo copioſè,ſubtiliterque ſcripſiſſet,vt nihil,quod ad illarum perfectam cognitionem attineat, deſiderari poſſe videatur:in hoc autem maximo negocio.ſ.de ſtatu animæ,poſt hominis obitum,penitus tacuiſſet,de quo tñ plures philoſophi verba fecerunt,qui immortalem humanam animam eſſe crediderunt? Quare cùm nullum hac de re Ariſt.ſermonem habuerit; apertiſſimum argumentum eſt,mortalem ipſum humanam animã cenſuiſſe. Has exiſtimo validiores eſſe rationes,quæ pro animæ mortalitate adduci ſolent.

Octaua. Nona. Decima.

*Animæ immortalitas apud Ariſt. & autoritatibus, & rationibus oſtenditur.* *Cap. VI.*

Oppoſita autem ſñia, Ariſt.ſ.immortalem humanam animam cenſuiſſe, non ſuis iacet patrocinijs deſtituta,ſed doctiſſimorum hominum autoritatibus,firmiſſimiſque ex Ariſtot.fonte rationibus hauſtis ſeſe tuetur,ac fulcit. Ad autoritates quod attinet,ſi cui vnquam ſcriptori hac in re fides habẽda eſt,pleniſſima certè Theophraſto haberi poſſe videtur;qui ex Themiſtij relatione,non Ariſt.modò diſcipulus,ſed chariſſimus quoque eius conſanguineus fuit: veriſimile quidem eſt,eum in tanta difficultate ſæpius Ariſt. præceptorẽ ſuum adijſſe, atque tandẽ ex multis ſermonibus cum eo habitis,ipſius ſñiam expiſcatum eſſe:at verò Theophraſtus omnis interitus expertẽ humanam animã ſtatuit;hanc igitur eandẽ ipſiuſmet Ariſ. ſñiam fuiſſe,exiſtimandum eſt. Verùm non Thophraſtus modò inter Græcos ſcriptores,immortalem animam ex Ariſt.ſñia defendit,ſed & alij complures,ſi eorum volumina perlegãtur:in hanc.n.ſñiam Themiſtius(licet ipſe cum Auer. vnã in omnibus animam eſſe putauerit) Priſcianus Lydus,Theodorus, Philoponus, Ammonius, Porphyrius, Olympiodorus, atque alij plures Ariſt.interpretes conceſſerunt,qui tunc in Græcia vigebant,quibus neſcio cur fides abroganda ſit,vt vni tantum Alex.habeatur. Inter Arabes etiam eiuſdem ſñiæ fuit Auicẽna,in peripatetica philoſophia nõ parùm exercitatus,& inter Latinos Albertus Magnus, qui vniuerſam Ariſt. philoſophiam ingenij ſui ſplendore colluſtrauit. San. Thomas primus poſt Auer.illius operum interpres. Ægidius Romanus, non minus in Ariſtotelica philoſophia,quàm in ſacra Theologia eruditiſſimus, atque ex recẽtioribus philoſophis quamplurimi. Si igitur apud oppoſitæ ſñiæ ſectatores, argumẽtum ab autoritate alicuius momenti eſt,

Argũ ab autoritate. Theophraſ. Ariſ. diſcipulus, & cõſanguineus. Themiſtius. Priſcian. Lydus. Theodorus. Philoponus. Ammonius. Porphyrius. Olympiod. Auicenna. Alb. Magn. S.Thom. Ægid.Rom.

multò magis me arbitror hanc ſniam hiſce autoritatibus, quàm illi oppoſitam, allatis iã teſtimonijs confirmaſſe. Sed eſt præterea aliud argumẽtum, quod tametſi ſuaſoriũ eſt, à pleriſque tñ doctiſſimis viris plurimi factum eſſe video: etenim legat quis Ariſt. quantum velit, nullum vnquam apud ipſum expreſſum verbum reperiet, quo animæ mortalitatẽ fateatur, ſed id ſolùm aduerſarij, per obliquas conſecutiones violẽter extorquent. Contrà verò animæ immortalitatem multis locis (vt videbimus) ita perſpicuè, cõceſſit, vix vt clarius edoceri quicquam poſſe videatur: quod argumẽto certè omnibus eſſe deberet, ipſum Ariſt. ſi non omnino animæ immortalitatem demonſtrare potuit, ſaltem in hanc partem maximè fuiſſe propẽſum. Innumeræ autem ex varijs ipſius locis rationes elici poſſent, quibus vnicuiq; immortalitas animæ euidentiſſimè ſuadeatur: at nolo ego hunc modò laborem ſubire, cùm præſertim Franciſcus Piccol. Vir excellentiſſimus, lib. de humana mẽte, omnes ferè rationes, quæ ex Ariſt. operibus elici poſſunt, in vnum congeſſerit, atque eaſdẽ optimè declarauerit. Ego communiora afferam teſtimonia, quæ paſſim in Scholis audiuntur, eo potiſſimùm conſilio, vt oſtẽdam, ſolutiones, quibus eis reſiſtere aduerſarij nituntur, nullius eſſe roboris, neque momẽti: quod quidem ſequenti capite præſtiturus ſum. Primum igitur teſtimonium elicitur ex 1. lib. de Anima textibus 65. & 66. vbi aſſerit Ariſt. mentẽ ſubſtantiam quandam exiſtentem innaſci videri, & non * interire. Rurſus amare, cogitare, & ſimilia, vnà cum corpore perire; intellectum autem noſtrum diuinum quippiam, interitus, & paſſionis expertem appellat: neſcio, an Ariſt. clarioribus verbis animæ noſtræ immortalitatem explanare potuiſſet. Secundum teſtimonium non minus apertum habetur 2. de Anima tex. 21. vbi Ariſt. poſtquã cæteras animæ partes diligẽter conſiderauit, ait, Intellectum, qui ſpeculatur, eſſe aliud quoddam animæ genus, à ſentiente, & vegetante diſtinctum, quod ceu perpetuum, & indiſſolubile ab eo, quod interit, ſeiungi, ſepararique poteſt. Tertium educitur ex 3. lib. de Anima tex. 20. vbi conceptis verbis aſſerit Ariſt. intellectum in actu (de eo. n. intellectu ibi loquitur, vt clarè in illius contextus explicatione patefeci) quo contemplamur, ſecundum id, quod eſt. i. ſecundum ſuum eſſe, & ſecundum ſuam ſubſtantiam immortalem eſſe. Quartum ſumitur cũ ex tertio libro de Anima tex. 4. & 6. tùm ex 1. de Partibus animalium, cap. 1. vbi humanum intellectum immaterialem eſſe Ariſt. affirmauit, ac proinde ipſum à phyſica conſideratione ſecluſit: cùm autem omnis immaterialis potẽtia interitus ſit immunis, ſequitur, humanum intellectum, ea ratione, qua materia caret, immortalitatis prærogatiua gaudere. Quintum elicitur ex 12. Metaph. textibus 16. & 17. vbi Ariſt. de formis ſermonem habens, ait, formas mouẽtes, cuiuſmodi ſunt Intelligentiæ, ante ſingularum rerum generationẽ exiſtere: eas verò, quæ ad alicuius rei conſtitutionem pertinent, non priùs eſſe, quàm compoſitum ipſum cõſiſtat. Quærens deinde, an aliqua iſtarum formarum poſt diſſolutum cõpoſitum manere poſſit, ſcribit, in quibuſdam nihil prohibere, veluti ſi anima talis ſit, non quidẽ omnis, ſed ea tantum, quæ rationis particeps eſt. Sextum elicitur ex 2. de Gen. animalium cap. 3. vbi rationalem animam ex ſpumoſo, & craſſo ſemine non oriri, quemadmodum ſentientẽ, & vegetalem, quæ ex poteſtate materiæ educuntur, Ariſt. docet, ſed extrinſecùs corpori accedere, diuinituſque produci: immortalis igitur ipſa eſt, alioquin eius ortus ab aliarum animarum procreatione nequaquam differret. Septimum ex ijs elicitur, quæ Ariſt. & 1. Ethic. & alijs frequẽter moralibus libris ſcripta reliquit: vbi hominem ad vltimum finem, ſiue ad felicitatẽ, quæ, eo autore, in perfecta ſubſtantiarum abſtractarum cognitione, ſiue in perfectiſſimo ſapiẽtiæ habitu conſiſtit, deſtinatum eſſe aſſeruit: ſi mortalis aũt eſt rationis particeps anima, nunquam homo vltimum illum finem, ad quem à natura deſtinatus eſt, cõſequi poterit, Ecquis. n. eſt, qui in hac vita perfectum hunc ſapiẽtiæ habitum acquirat, quique tantum ſciat, & intelligat, quantum ſcire, & intelligere poteſt? Nullus, opinor, quinimmò appetitus cognitionis in hac vita infinitus eſt: vt. n. quiſque doctiſſimus eſt, & plurimarum rerum ſciẽtia præditus, ita maximè ſcire deſiderat: nullus igitur in hac vita ſuum vltimum finem obtinere vnquam poterit; cum tota hominis ætas ad vnam tantum ſcientiam perfectè acquirẽdam nequaquam ſit ſatis: atque adeo rationalis anima mortalis non eſt, niſi naturalẽ hominis ad felicitatem appetitum, fruſtra ipſi inditum eſſe concedamus, quod non Ariſt. modò, verùm etiã philoſophis omnibus aduerſatur. Octauum ex ijs ſumitur, quæ 3. & 9. Ethic. libris Ariſto. ſcripſit: vbi docuit, hominem pro patria, pro bono publico, atque ẽt pro amicis mortẽ eligere.

Argũ ſuaſorium ſatis efficax; ad oſtẽdendam animæ immortalitatem ex ſententia Ariſt.

Vide Franc. Piccol. in li. de humana mente.

Primũ teſtimonium pro animæ imortalitate ex 1. de Anima.

* Caue à deprauatis codicibus, qui loco nõ interire habent interire, & lege tex Græcũ, optimaſque verſiones.

Secũdum teſtimoniũ ex 2. de anima.

Tertium teſtimoniũ ex 3. de anima.

Quartum teſtimoniũ ex 3. de ani. & 1 de partib. animal.

Quintum teſtimoniũ ex 12. Metaph.

Sextum teſtimoniũ ex 2. lib. de gener. animal.

Septimum teſtimoniũ ex 1. Ethico.

Octauum teſtimoniũ ex 3. & 9. Ethi.

re,ſeque virum fortem oſtendere debere,cui mortem contemnendam eſſe præcipit:ſi autem humanus animus mortalis eſt,tunc nulla in re,quanuis maxima, mors homini optanda eſſet,immò quodcũque vel nefandum ſcelus perpetrare potius,quàm mortem ſubire deberet: at hoc eſt contra Ariſtotelem locis adductis,immò contra naturam ipſam: nos enim,natura,iſta,etiam pro ſua ipſorum vita tuenda,facientes,odio habemus;eos autem,qui cõtrà omnia faciunt,diligimus,& laudamus:quod certè non accideret,niſi humanus animus immortalitatis titulo gauderet. Hæc ſunt præcipua teſtimonia,quibus communiter animi immortalitas apud Ariſtotelem ſuadetur,quæ tamen ex ijs,quæ ſequenti cap.dicturi ſumus,& clariora apparebunt,& ſolidiora.

### *Aduerſariorum reſponſiones ad duas primas Ariſtotelis autoritates adducuntur, & confutantur.* Cap. VII.

HAs autem Ariſtotelis autoritates parui omnino æſtimant mortalitatis animæ defenſores;quinimmò aiunt,ſuam ipſorum ſententiam magnum ex illis robur,& fundamentum accipere,ſi tamen verus,atque germanus ſenſus ipſis attribuatur. Quare ad primam autoritatem reſpondent,Ariſtotelis ſermonem ibi eſſe tantum de intellectu agente,qui ſubſtãtia quædam æterna eſt,indiſſolubilis,impaſſibilis,& diuina:non enim aliud eſt,inquiunt,intellectus agens,quàm Deus ipſe,quemadmodum Alexander arbitratus eſt. O Ariſtotelicæ philoſophiæ perturbatores,eſt ne Deus ſubſtantia quæpiam,quæ alicui innaſcatur? Forſan dicet,eũ quodãmodo per irradiationẽ,ſeu colluſtrationẽ innaſci. At hæc ipſa colluſtratio nõ eſt ſubſtãtia inexiſtens,& permanens,ſed accedit,& recedit. Deinde quis nã modus loquẽdi eſſet iſte,ipſum intelligere,marceſcit,quodam interius corrupto, Deus aũt diuinum quippiã & impatibile eſt? Quis ignorat,Deum diuinum aliquid,& impatibile eſſe? Sed dicant,obſecro,cur Ariſtoteles apposuit illam particulam,*fortaſſis*? Dubitauit forſan,Deum diuinũ aliquid,& impatibile eſſe? Neminem certè arbitror reperiri,qui apertiſſimè non cognoſcat,Ariſtotelem in ijs contex.de Deo minimè fuiſſe locutum:immò ne de intellectu quidem agente, ponendo cum alijs peripateticis,ipſum differentiam quandam animæ eſſe,ab intellectu patiente diſtinctam:nam vix de anima ſermonem inceperat,nec dum planè,ad quod genus ipſa pertineat,definierat:id autem lib.3.oſtenſurus eſt,vbi de vtroque intellectu,agente.ſ.& patiente cumulatiſſimè diſputabit. Si quis igitur contextus illos,quinimmò totum illud caput perlegerit,inueniet,Ariſtotelem de anima,& potiſſimùm rationis participe locutum eſſe:ait enim tex.64. *Melius enim fortaſſis eſt,non dicere animam miſereri,aut addiſcere,aut cogitare,ſed hominem anima.* Volebat probare aduerſus Platonicos,animam à ſe ipſa non moueri,oſtenderatque ſupra,eam & motu ad locum,& motu alterationis immobilem eſſe; ideo innuit,ipſam quoque interitu carere. Et quoniam aliquis obijcere poterat,ipſum intelligere,ac deinceps intellectum,ſiue rationalem animam aliquando marceſcere; ſoluit obiectionem,aitque ipſum quidem intelligere aboleri:non tamen intellectu,ſed aliquo intus manente diſſoluto,quod neceſſariò ad intellectionem ante requiritur;illud autem eſt phantaſia, ſine qua non poſſe intellectum noſtrum quicquam operari,ſæpius Ariſtoteles aſſeuerauit,eo modo,quo ſuo loco patefaciemus:intellectus autem impatibilis,indiſſolubilis,immortalis, & fortaſſe diuinum quippiam eſt. Ita ille Ariſtotelis locus,quoruncunque ſapientum iudicio,explanandus eſt. Cur autem Ariſtoteles illam particulam,*fortaſſe*,appoſuerit,explicabo inferiùs,dum meam de animi immortalitate ſententiam,de Ariſtotelis ſententia deprompſero. Ad ſecundam autoritatem,dum dicebat Ariſtoteles intellectum,ſicut perpetuum à diſſolubili,ſeparari poſſe:reſpondent,locum illum de ſeparatione quantum ad operationem intelligendum eſſe,quia.ſ.intellectus in operando,organo corporeo non vtitur,& propterea interire non põt,eo interitu,quo virtus organica deſtructo organo extinguitur: non tamen inde ſequitur,vt intellectus ſimpliciter à corpore ſeparabilis,atque abſolutè indiſſolubilis ſit. Optima ſanè reſponſio,ſed quæ ſententiam noſtram maximè probet,atque omnino confirmet:enimverò ſi intellectus,quantum ad operationẽ ſeparabilis eſt,quia.ſ.nulli organo corporeo affixus eſt,ſed eſt omnino immiſtus,vtpote qui ex ſubiecto nullo conſtet,nec obiectũ vllum veluti congenitum habeat,vt lib.3.de anima tex.19. Ariſtoteles fatetur;ſequitur procul dubio,ipſum quoque quantum ad eſſentiam,& ſubſtantiam à corpore ſeparabilem eſſe:

R.ſio ad primam autoritatem.

Confutatio.

Vera explanatio tex.65 & 66.1.libri de Anima.

R.ſio ad ſecundam autoritatem. Vide Scotũ in 4.diſt.43. q.2.

Confutatio.

non enim video, quod illi ad hanc rem impedimento eſſe poſſit, ſi nullam à corpore pendentiam habet. Sed, obſecro, Ariſtotelis contextum diligenter conſideremus: Ait philoſophus, ſpeculatiuam potentiam videri aliud genus animæ eſſe, quod ſolum, ſicut perpetuum à diſſolubili ſeparari poteſt. Si hæ ſeparatio quoad operationem intelligeretur; igitur operatio intellectus perpetua eſſet: quod tamen eſt falſum, quia in corpore non modò intellectus operatio perpetua non eſt, ſed ne continua quidem: cùm frequenter impediatur. Intellexit igitur Ariſtoteles, totam ſubſtantiam ipſius ſpeculatiuæ potentiæ, perpetuam, & indiſſolubilem eſſe, quæ ab eo, quod mortale, & diſsolubile eſt, nimirum à corpore ſeiungi facile poſſit. Quòd autem hæc ſit vera huius loci interpretatio, manifeſtum vnicuique fiet, antecedentia verba conſideranti: ita enim, & non per tranſennam Ariſtotelis contextum legere, atque eiuſdẽ mẽtẽ expiſcari oportet. Definiuerat animam eſse principium, quo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus: duplicémque deinde quæſtionem diſcutiendam propoſuerat: Alterã, num hæc quatuor, nempe vegetatiuum, ſenſitiuum, loco motiuum, & intellectiuum (ſic .n. illa appellat) eſsent animæ partes diſtinctæ, an potius vnius, & eiuſdem animæ facultates: alteram; eſto ſint vnius, & eiuſdem animæ facultates, non autem partes, ſeu animę diſtinctæ; hæ facultates ſola ne ratione, definitioneve diſſideant; an potius ſint inter ſe loco, atque ſubiecto diſcluſæ. Soluit hanc quæſtionem, & ait, in aliquibus non eſse difficile videre, facultates illas loco, & ſubiecto minimè diſcluſas, ſed duntaxat ratione diſtinctas eſse. Id in plantis conſpicitur, quarum partes diſcluſæ, vim vegetalem, atque altricem retinent, ea potiſſimũ ratione, quia anima plantæ, atque eius vires, & facultates per totum corpus æquabiliter diffunduntur. Lacerta pariter, ſi in duas partes diuidatur, motum adhuc retinebit, & ſenſum, quos cogitatio, & appetitus ſequũtur. Ex quo elicimus, facultates has in lacerta definitas ſedes nõ habere; ſed per eius membra, & artus vndique expanſas eſse. His explicatis, reliquum erat, vt Ariſtoteles propoſitam quæſtionem, etiam quo ad rationalem facultatem explicaret: an ſcilicet, illa in humano corpore certam, & determinatam ſedem habeat, ab alijs facultatibus diſtinctam. Huius autem quæſtionis ſolutionem difficilem eſse aſserit tex. 20. quia non dum conſtat, quæ nam facultas ſit rationalis virtus, organica ne, an ab organo ſeiuncta? Ideo quaſi explicans id, quod ſubodoratus eſt, & rationalem animam ab aliarum facultatum numero quodammodo excludens, videri ſibi illam eſse, ait, quoddam animæ genus, quod perinde ac perpetuum, & indiſſolubile, ab eo, quod interit, ſeparari facilè poteſt. Si igitur non dum conſtat, ſit ne organica rationalis facultas, nec ne, vt Ariſtoteles fatetur: ſequitur, eos perperam contextum illum interpretatos eſse, qui aſserunt, Ariſtotelem de ſeparatione, quo ad operationem, non etiam quo ad ſubſtantiam, verba fecisse: non enim poſteriora verba prioribus reſponderent.

Explanatio 20 contextu 2. de anima.

An animę facultates ſint loco, & ſubiecto diſcluſæ, an ſola rõne diſſideant.

## *Confutantur aduerſariorum reſponſiones ad tertiam, & quartam Ariſtotelis autoritatem. Cap. VIII.*

Rñſio ad tertiam autori.

AD tertiam autoritatem, quæ ex 20. contex. tertij libri de Anima ſumpta eſt: vbi intellectum, quo contemplamur, quique vnum, & idem cum re intellecta omnino euadit, immortalem, atque perpetuum Ariſtoteles appellat; reſpondent vulgari illa reſponſione, ibi Ariſtotelem de intellectu agente locutum eſſe. Cùm enim ſuperiùs naturam intellectus patientis explicaſſet, ibi de intellectu agente diſſerendum propoſuiſſe: immò totum illud caput, quod eſt in ordine tertium, de intellectu agente inſcriptum fuiſſe: modò fatentur & ipſi, intellectum agentem, qui non eſt aliud, quàm Deus ipſe, immortalem, atque perpetuum eſſe. Hæc reſponſio ijs omnibus ſatisfaciet, quibus tantum curæ eſt Ariſtotelis verba, aut verſiculos obiter percurrere, non etiam integras eiuſdem ratiocinationes, germanamque ſententiã planè aſſequi: & fortaſſe dum alijs ſe ſatisfacere arbitrãtur, neſcio, an ſibimetipſis ſatisfaciãt. Facillimum quidem eſset omnes obiectiones ita diluere, niſi Ariſtotelis contex. haberemus, ex quo rei veritatem, ipſis inuitis, elicere poſsumus. Sanè meliorem modum huiuſmodi reſponſiones confutandi non inuenio, quàm verba contextus diligenter perpendere, vt ſi ipſi noluerint, ſaltem alij euidenter intelligant, quid re vera Ariſtoteles ibi explicare in animo habuerit. Si abſque tædio integram illius contex. explanationem hic inſerere poſsem, arbitrarer certè, me plurimis hac in re ſatisfacturum eſse: ſed nimis lõga eſset expoſitio, quæ aliquã

Confutatio.

do,

do, Deo annuente, cum integris commentarijs in lib. de Anima in lucem prodibit. Afferam nunc quæ neceſſaria ſunt, & ſine quibus aduerſariorum reſponſionis falſitas percipi nequaquam poteſt.

Breuis explanatio cõtex. 17.18.19. & 20. tertij li. de Ani. qua præpoſita ad uerſariorum reſponſio cõfutatur.

Intellectus humanus, cuius naturam Ariſt. lib. 3. de anima potiſſimùm contemplatur, in tres veluti gradus partitus, diſtributuſque eſt. Primus eſt, cùm ipſe, veluti naſcens, nuda quædam quaſi tabella eſt, in qua nullius rei pictura deſignata ſit; ſed hoc modo ad rerum tantum ſpecies, ſiue imagines recipiendas poteſtatem habet; hunc, intellectum patientem Latini, Græci verò intellectum potentiæ nuncuparunt. Secundus gradus eſt, cùm hic idem intellectus, quaſi adoleſcens, intelligibilium ſpecierum appulſu, ita afficitur, vt arbitratu ſuo intelligendi munus obire poſſit: iam.n. habitum conſecutus eſt, tuncque intellectus in habitu, vel intellectus adeptus appellatur.

Tres gradus intellectus humani.

Verùm quoniã intellectus, ſpeciebus iam intelligibilibus in ſeſe receptis, quodammodo feriari dicitur, quia (vt ait Simplicius) non extra ſe progreditur, ſed intra ſe ipſum manet, nullumque opus de ſe promit; idcirco alius ei ſtatus aſſignandus eſt; tertiuſque illius gradus oritur, qui eſt, cùm re ipſa aliquid operatur, hoc eſt, intellectionẽ, vel alicuius rei ſciẽtiam parit, atque progignit: tũc enim perfectionẽ, & abſolutionem ſuam adeptus eſt, atque intellectus ſecũdum actum appellatur. Sed quorſum hæc intellectus partitio? Vt clarè oſtendã, de quonã intellectu in vigeſimo illo contex. Ariſt. ſermonem habuerit: in hoc.n. totius difficultatis noſtræ ſumma conſiſtit.

Lege q̃ſo diligenter totã hanc explanationem, ſi cupis rẽ pulcherrimã percipere ad animæ imortalitatem attinentem.

Legat quicunque voluerit, ſed attentè, non oſcitanter, tertium librum Ariſtotelis de Anima, inueniet que, eum ab initio libri vſque ad contextũ octauum, de eo tantùm intellectu verba feciſse, qui pura potentia, & abſolutè patiens nuncupatur; quatenus ille quidem in ſpirituali natura gradum poſſidet, ſed non dum tñ intelligibilibus ſpeciebus decoratus eſt; ſed illas tãtum recipiẽdi poteſtatem habet. A textu verò 8. vſque ad 17. inueniet, eum de ſecundo gradu intellectus humani, hoc eſt de intellectu patiente locutum eſſe, qui non amplius purè patiens, eſt, ſed iam intelligibiles ſpecies, immò etiam habitum quendam, quo intellectionem ipſam educere valeat, adeptus eſt. Reliquum autẽ erat, vt, pro abſoluta totius intellectualis naturæ declaratione, tertium quoque gradum intellectus humani depromeret: id aũt in textu 17. præſtare incipit, & perperam caput illud ab aliquibus de intellectu agẽte inſcriptum eſt: nam de eo tantum obiter ibi Ariſt. loquitur, vt mox aperiam: neque rurſus per capita, immò neque per tex. libros ſuos diſpoſuit. Sed ad rem. Diſputaturus erat Ariſt. de Intellectu ſecundum actum, hoc eſt de eo, qui acquiſito iam habitu, proprium quaſi partum edit, in intelligẽdique actum erumpit. Verùm quemadmodum in omni natura, quicquid producitur, ex duobus ſimul iunctis, ortum habet, quorum alterum materiæ, efficientis alterum rationem ſubit; ita optimè cognouit Ariſt. nobiliſſimum hunc intellectus partum, nimirum intellectionem ipſam, abſque duorum copulatione, quæ agentis, & patientis relationem inter ſe habeant, in lucem emergere non poſſe. Quamobrem in contex. 17. concluſit, in ipſa quoque anima has eaſdem differẽtias exiſtere neceſſe eſſe, ſi opus aliquod illa edere, atque ex ſe promere debeat: eæ autem ſunt intellectus agens, & patiẽs, quos differẽtias in anima exiſtentes appellauit.

Ex cõtex. 17. 3. lib. de ani. elicit̃ aduerſus Alexandræos, intellectum agentem non eſſe Deum, eũ ſit dña in anima exiſtens.

Videant hinc Alexandræi, an, ſecundùm Ariſt. intellectus agens ſit Deus, animæ aſſiſtẽs: dùm eum eſſe differẽtiam animæ, ab intellectu patiente diſtinctam, apertè docuerit. Sicut igitur patiens intellectus aĩæ nõ aſſiſtit, ſed in ipſa vt dña quædã inexiſtit: ita pariter de intellectu agẽte dicendum eſt. De hoc itaq; intellectu agẽte obiter tm̃ tex. 18. Ariſt. loquitur, ipſius munus patefaciendo, qđ eſt oĩa facere, hoc eſt, illuſtrare phãtaſmata, & oĩa, quę poteſtate intelligibilia ſunt, actu, & reipſa intelligibilia reddere. Hunc quoq; intellectum tex. 9. aſſerit immiſtum, & ſeparabilẽ eſſe, hoc eſt, nulli organo corporeo affixum, ſicut nec intellectum patientẽ.

Ex contextu 19 eiuſdem libri malè eliciunt Alexandræi intellectus agẽtis immortalitatem, quanuis re vera & ipſe ſecundum ſubſtantiam imortale ſit, quẽadmodũ intellect' patiens.

Eliciunt ex hoc tex. Alexnd. ſolum intellectum agentem immortalem eſſe. Re vera non loquitur Ariſt. in hoc tex. de ſeparatione intellectus à corpore, ſed de ſeparatione facultatis ab organo, vt vnicuique rectè intelligenti patere facilè poteſt. Sed fac, loqui ibi Ariſt. de ſeparatione intellectus à corpore, ſtatuereque intellectum agentem immortalem eſſe; quod nam clarius, aut validius argumentum ad ſniam noſtram confirmandam habere poſſumus, hoc eſt ad probandum intellectum patientem, qui propria hominis forma ſtatuitur, immortalẽ eſſe? Legant ſequentia verba eiuſdem contex. dum ait. Ariſt. *ſemper.n. honorabilius eſt agens patiẽte, & principium materia.* Vtitur Ariſt. hoc argumento, quo vult oſtendere, agentem intellectum ſeparabilem, & immiſtum eſſe: intellectus patiens ſeparabilis, & immiſtus eſt, vt ſu-

periùs

periùs tex. 4. 6. 12. & alijs demonſtratum eſt; igitur intellectus quoque agens ſeparabilis, & immiſtus eſt. Probat conſecutionem, quia quod minus nobili conuenit, nobiliori quoque conuenire videtur; ſed intellectus agens eſt nobilior intellectu patiente, ſicut quodcunque principium eſt nobilius materia; ergo intellectus agens, & patiens eiſdem proprietatibus gaudent. Suo ſe igitur Alexandræi gladio iugulant, dum ex hoc textu agẽtis intellectus immortalitatem elicere contendunt: ſed nullum ictum hic timeant, quia, vt dixi, de ſeparatione facultatis ab organo ibi Ariſtoteles loquitur; & huius quoque rei ipſos Alexandræos ſibi conſcios eſſe certò ſcio. Sed hoc obiter. In tex. autem 20. præſtare incipit Ariſtoteles, quod pollicitus eſt, dum ait, *Idem autem eſt ſecundum actum ſcientia cum re ipſa.* Cõmunis eſt expoſitorum ſententia, Ariſtotelem per ſcientiam ſecundum actum, tertium intellectus gradum intellexiſſe, hoc eſt, intellectum humanum, qui actu intelligit, reſque intelligibiles quaſi in ſemetipſum transformat, adeo vt vnum, & idem penitus cum illis euadat. Aperit Ariſtoteles differentiã huius gradus intellectus ab alijs, dum ſcribit, *Qua verò ſecundum potentiam tempore prior in vno eſt.* In vno, & eodem indiuiduo, inquit, prius tempore eſt intellectus abſolutè patiens, quàm ſit intellectus ſecundum actum: enimverò pueruli, vix dum à matre rubentes, intellectum illum patientem habent; tamen quia nondum ille intelligibilibus ſpeciebus decoratus eſt, ideo non intelligit; procedente autem tempore, tertium hunc gradum acquirit, in intelligẽdique actum erumpit. Sed præterea, in vno, & eodem indiuiduo ſecundus gradus intellectus, quàm tertius tempore prior eſt; nam fieri poteſt, vt intellectus intelligibiles formas in ſe habeat, & nihilominus nullum intelligendi actum educat: ideo rectè dicit Ariſtoteles, aliquando quidem eum intelligere, aliquando verò non item. *Separatus autem, eſt ſolum hoc, quod quidem eſt, & hoc ſolum immortale eſt, atque perpetuum.* Conſiderent quæſo veritatis amatores, an verba hæc intellectui agenti aptari aliquo modo poſſint: hucuſque enim, vt aperui, de intellectu in actu Ariſtoteles locutus eſt, eius differentiam ab intellectu purè patiente, & ab intellectu in habitu declarauit; nunc autem ſermonem non interrumpit, ſed abſque aliorum verborum ambitu, vnum ſtatim illius præcipuum attributum patefacit, quod eſt, ipſum ſolum perpetuum, atque immortalem eſſe. Quinimmò illa particula, *ſolum*, ſatis eſt, ad demonſtrandum, immortalitatem intellectus in actu concludere hic Ariſtotelem voluiſſe. Etenim intellectus in habitu, vt talis eſt, non ſemper operatur: intellectus purè patiens nunquam operatur; quia non poteſt operari: at vero intellectus in actu, qui vnũ, & idem cum re intellecta iam euaſit, ſemper operatur, & ſemper intelligit: propterea dicit Ariſtoteles hunc intellectum, vbi ſeparatus eſt, ſolum eſſe id, quod eſt, hoc eſt puram ſubſtantiam, ac veluti ſimplicem quidditatem; & hoc ſolùm ipſum quod eſt, perpetuum, & immortale eſſe. Hanc autem verã eſſe, atque germanam huius loci interpretationem, ex verbis ſequentibus elicere poſſumus, dum ait, *non reminiſcimur autem, &c.* Poſſet quis Ariſtoteli obijcere, ſi tu ponis hunc intellectum in actu immortalem, atque perpetuum eſſe, quid eſt cauſæ; cur poſt mortem non reminiſcamur? (de reminiſcentia enim poſt mortem loquitur, quia clarũ eſt, nos, dum viuimus, reminiſci) ſoluit philoſophus hoc dubium, aitque, nos poſt mortem non reminiſci, quoniam ad reminiſcentiam aliqua neceſſaria ſunt, quæ intellectum moueant, nimirum phantaſmata: poſt mortem autem non adſunt phantaſmata; quia nec adeſt phantaſia, quam hic vocat intellectum paſſiuum, quemadmodum & lib. 2. de Anima text. 155. & alibi frequenter appellauit: hic autem intellectus paſſiuus, ſiue phantaſia, diſſolubilis eſt, & ſine ea nihil anima intelligere poteſt: neceſſe enim eſt, intelligentem phantaſmata ſpeculari. Quare poſt mortem manet ſolùm intellectus ſemper intelligens, & nunquam reminiſcens: quaſi velit Ariſtoteles docere, intellectum ſeparatum, ſolis acquiſitis ſpeciebus in continuo intelligendi actu verſari. Nec eſt, quòd mordicus, & peruicaciter hic aliqui tueantur, per paſſiuum intellectum, intellectum potentiæ, quam Scholæ appellant poſſibilem, Ariſtotelem intellexiſſe: quoniam verba illa ſequentia eius mentem apertiſſimè explicant, dum ait, *& ſine hoc nihil intelligit anima.* inanis nãque eſſet iſtiuſmodi probatio: quis enim ignorat, abſque intellectu potentiæ nihil animam intelligere poſſe? Per intellectum igitur paſſiuum, intellexit Ariſtoteles phantaſiam, quæ eſt veluti officina quædam, in qua intelligibiles ſpecies intellectus ipſe agens fabricatur, ſine quibus intellectus potentiæ proprium partum edere, hoc eſt, ipſam intellectionem gignere nulla ratione poteſt. Hac breui horum contextuum

Pondera horum verborum explanationem.

Quo ordine humanus intellectus tres ſupra dictos gradus recipiat.

Explicat hic apud Ariſto. immortalitas intellectus in actu.

Hunc intellectũ ſeparatũ Ariſtot. 1. de Part. anima. c. 1. in extremo, à phyſica conſideratione ſecluſit, propterea quod nõ eſt natura, & ille eſt locus notabilis pro animæ immortalitate in doctrina Ariſt.

Cur poſt mortẽ nõ reminiſcamur.

Phantaſia quo rationalẽ vi quodãmodo imitetur, ab Ariſt. intelligentiæ larga appellatione cõprehenditur.

Intellectus in actu cum à corpore ſeiũctus eſt, non [illegible]...

ex-

explanatione, iã ſatis dilucidè aperuiſſe mihi videor, aduerſariorũ reſpõſionẽ ad tertiã Ariſt.
autoritatẽ, ineptiſſimam eſſe, neq; illis verbis illo modo accõmodari poſſe. Ad quartã autori **Reſpõſio ad quartam autoritatem.**
tatẽ, qua rationalis aĩa ideo immortalis eſſe dicebatur, quia materia caret; negãt huiuſmodi
conſecutionem: nam tametſi rationalis anima materia careat, quæ ſit eius pars; materiam ta-
men poſſidet, in qua recipitur: hoc autem ſatis eſſe, inquiunt, vt aliquid occidere poſſit. Dum
enim Ariſt. 7. Metaph. contex. 22. materiam deſcribens, illam eſſe ait, qua res eſſe, & non eſ-
ſe poteſt; vtroque modo id intelligi voluit, nimirum tam de illa re, cuius materia eſt pars,
quàm de illa, quæ in materia recipitur; alioquin forma ignis, aut id genus alia, quia ex mate-
ria non conſtat, nunquam interiret; interit tamen, & illud eſſe, quod habebat, amittit, quod
certè nulla alia ratione fieri putant, niſi quia in materia recipitur. Cùm igitur rationalis ani-
ma ſit forma in materia recepta, ſequitur, vt ipſa quoque diſſolubilis, atque mortalis ſit. Quã **Confutatio.**
uis non nihil difficultatis illius propoſitionis interpretatio contineat. ſ. materia eſt, qua res po
teſt eſſe, & non eſſe; tamẽ ne extra rem propoſitam diuagemur, contra iſtam reſponſionem
hoc argumentum dirigo, quo humanam animam, & ſi in materia recepta eſt, nihilominus
indiſſolubilem, & immortalem eſſe, probare contendo. Argumentor itaque tali pacto: Om-
nis forma, quæ à materia depellitur, ſenſim contrarijs qualitatibus, & accidentibus ad inte-
ritum præparatur, quemadmodum in generatione ignis ex aere contingit: aer enim oppoſitę
formæ qualitatibus afficitur, ſenſimque eius forma quodammodo langueſcit, atque tandem
aboletur, noua ignis forma in materiam ſuccedente. Addo nunc minorem propoſitionem;
ſed rationalis anima nullis qualitatibus affici põt, quæ ipſam ad interitum præparent: nihil
enim cum eius actione corporea actio communicat, vt lib. 2. de Ortu animalium cap. 3. Ari-
ſtot. aſſerit; igitur quanuis anima in materia recepta ſit, nequaquam tamen interire, aboleri-
ve poteſt. Sed obijciet aliquis, ſi anima à materia depelli non põt; homo igitur immortalis **Obiectio.**
erit. Reſpondeo longè alia ratione humanam animam à corpore depelli: ipſa enim in hu- **Solutio.**
mano corpore ob communionẽ illam, quam cum inferioribus facultatibus habet determi-
natam quandam affectionem expoſcit, citra quam in corpore conſiſtere nequit: eò vſque igi
tur in corpore manet, quouſque in illo ſuas functiones obire poteſt; obire autem ſuas fun-
ctiones non poteſt, cùm illa corporis affectio, & conſtitutio diſſoluta eſt.

*Confutantur aduerſariorum reſponſiones ad quintam, & ſextam Ariſtotelis autoritatem.*
*Cap. IX.*

AD quintam autoritatem ex 12. Metaph. tex. 17. deſumptam, vbi Ariſt. rationalem ani- **Reſpõſio ad quintam autoritatem.**
mam, diſſoluto compoſito, ſuperſtitẽ eſſe affirmauit, reſpondẽt Alexandri ſectatores,
ibi Ariſt. non de anima rationis participe, ſed duntaxat de intellectu agente diſputare: quod
ex ijs ipſis Ariſtotelicis verbis elicere ſe putant: non enim ait Ariſt. diſſoluto compoſito, ma-
nere animam; ſed intellectum: per intellectum autem, clarum eſt, inquiunt, apud omnes, agẽ-
tem intellectum intellexiſſe. Audiui ego hanc reſponſionem à multis, quibus cum frequẽter
mihi hac de re diſputatio fuit; & profectò aliam reſponſionem ad meam ſñiam validius fir-
mandam non optabam: hic enim & ratione, ex eiſdem Ariſt. verbis eruta, & autoritate, non **Confutatio.**
aliunde, quàm ab ipſomet Alexandro petita, apertiſſimè oſtẽdere volo. Ariſt. eo loco de ra-
tionali anima, non item de intellectu agẽte locutum eſſe. Etenim Ariſt. duobus illis contex. **Expoſitio**
16. & 17. aduerſus Platonis ideas diſputans, quærit, num formæ antequàm compoſitum ſit, **tex. 16. li. 12.**
exiſtere poſſint; diſtinguitque formas in mouentes, & in eas, quæ dant eſſe, quas informantes **Metaph.**
appellant. De formis mouẽtibus, cuiuſmodi ſunt Intelligẽtiæ, clara, inquit, res eſt: tanquam
enim antea ortæ exiſtunt: formæ verò, quæ dant eſſe, non prius exiſtunt, quàm compoſitum
ſit: cùm enim ſanus eſt homo, tunc etiam ſanitas eſt: & forma, inquit, ænea ſphæra, ſimul eſt,
atque ænea ſphæra. Hoc totum dicit Ariſt. tex. 16. Inquirit deinde tex. 17. vtrum aliqua illa-
rum formarum, quæ dant eſſe, poſt diſſolutum compoſitum manere poſſit. Et reſpõdet hiſce **Expoſi. tex.**
verbis, *In quibuſdam enim nihil prohibet, veluti ſi anima tale ſit; non omnis, ſed intellectus.* **17. eiuſdẽ lib.**
Hic per intellectum Ariſt. non quidem intellectum agentẽ, ſed animam rationis participem, **quo oſtẽdit**
à duabus alijs, naturali. ſ. & ſentiente diſtinctam, intellexit, quod ſic oſtẽdo. Ariſt. enim in eo **ibi Ariſt. nõ**
textu de formis informantibus loquitur, quæ dant eſſe compoſito, quæque à formis mouen- **de intellectu agẽte, ſed de**
tibus diſtinguuntur, vt omnibus apertiſſimum eſt; nec ipſi Alexandrei certè negabunt: ſed **rationali anima locutum eſſe.**

intel-

intellectus agens, apud ipſos, non eſt forma, quæ det eſſe compoſito, cùm ſit Deus; igitur in eo textu Ariſtoteles non loquitur de intellectu agente. Si ſoluerint hoc argumentulum, acquieſcam. Sed addo præterea ipſius Alexandri autoritatem, qui apertiſſimis verbis affirmauit, Ariſtotelem in eo textu de rationali anima, vt à ſentiente, & vegetali diſtinguitur, locutũ eſſe, & ne Alexandri ſenſum commentatione videar expedire, ipſa eius affero verba, quę ſunt apud eum, lib. 11. Metaphyſicorum com. 9. nam apud Græcos 12. liber eſt liber vndecimus, habentque textus aliter diſtributos. Exponẽs igitur Alex. prædicta Ariſtotelis verba, ita ſcribit, *In quibuſdam tamen nihil prohibet: nam cùm animantium anima ſit forma, nihil obſtat, quominus anima quapiam, vt intellectus, ſiue anima rationis compos, maneat: expertes enim rationis mortales ſunt.* Videant nunc Alexandræi, quantum interſit, Ariſtotelis tantum verba dimiſſa ſententia, ad libidinem interpretari. Sed dicent fortaſſe, quomodo hoc apud Alexandrum conſtare poteſt, qui humanam animam mortalem eſſe putauit? Remitto eis hanc prouinciam, Alexandri dicta conciliandi; ſatis eſt mihi, ipſiuſmet Alexandri autoritate probaſſe, Ariſtotelem in eo textu de intellectu agente, quemadmodum ipſi dictitant, non eſſe locutum.

Ipſius Alexã dri autoritate oſtẽditur, Ariſto. in ſupradicto cõtex. non eſſe locutum de intellectu agente.

Verba Alexandri.

Difficultas in dictis Alex.

Ad ſextam autoritatem, ex 2. lib. de Ortu animalium c. 3. deſumptam, vbi Ariſtoteles, rationalem animam extrinſecùs corpori accedere, & diuinum quippiam, atque immortale eſſe, fatetur; mirantur, nos ex eo loco humanæ animæ immortalitatẽ deducere: nõ enim, inquiunt, ibi de anima Ariſtoteles loquitur, ſed de mente, quæ extrinſecùs homini accedit: nomine autem mentis frequenter Ariſtoteles intellectum agentem ſignificare conſueuit. Bone Deus, aut habent iſti Ariſtotelis codices ab ijs, qui paſſim leguntur, omnino diuerſos, aut ſi ſunt illi quidem, rem certè facilem, atque apertam pluſquam Cimerijs, vt aiunt, tenebris inuoluunt. Expende quæſo mecum, Lector amantiſſime, totum illud caput, aut ſaltem initium, vbi hac de re Ariſtoteles loquitur, videbis, num de intellectu agente, an de rationali anima ipſe philoſophus verba faciat. Diſcutiendum ibi proponit, vtrum in conceptu, ſiue in ſemine, anima reſideat, necne: ſemen enim animatum eſſe, nemo prorſus negabit: adeſt igitur in eo ſaltem anima vegetalis: cùm vita plantæ viuat: procedente autem tempore, illud idem ſentientem quoque animam, & rationis participem recipit. Hæc ſunt verba Ariſtotelis, *ſenſualem etiam, qua animal eſt, tempore procedente recipit, & rationalem, qua homo.* Hic obiter nota, Ariſtotelem dixiſſe animam rationalem, non intellectum agentem. Excuſat autem ſe Ariſtoteles, cur cauſam non explicet, quare vegetalis anima prius tempore in ſemine appareat, aliæ verò procedente tempore accedant: id enim aſſerit, ſe in libris de anima ſatis commodè aperuiſſe. Difficile verò, ait, eſſe, depromere, quonam pacto rationalis anima tempore procedente corpori accedat, & vnde eam recipiat, hiſce verbis, *Quamobrem de mente etiam quonam tempore, & quomodo, & vnde eam recipiant, qua principium id participant, plurimum dubitatur: ſed enitendum pro viribus, & quo ad fieri poteſt accepiſſe operæpretium eſt.* Ex ſolo verborum nexu, ſermoniſque continuatione elicere poſſumus, Ariſtotelem hic non de intellectu agente, ſed de anima rationis participe verba feciſſe. Sed præterea valde dubium eſſe, ait Ariſtoteles, vnde mens iſta oriatur, & quonam modo tempore procedente corpori accedat: nullum autem dubium eſſet, ſi mentis nomine, agentem intellectum intellexiſſet; quia ſi clarum eſt apud Alexandræos, intellectum agentem, qui eſt Deus, extrinſecùs homini accedere, hoc etiam clarum apud ipſum Ariſtotelem extitiſſet, neque hac de re ille quidem hæſitaſſet. Cùm igitur huius rei explicationem valde dubiam eſſe, Ariſtoteles aſſerat; ſignum euidentiſſimum eſt, ipſum nomine mentis non agentem intellectum, ſed humanã animam intellexiſſe. Cognouit enim tantæ difficultatis enodationem humani ingenij vires excedere, & propterea non pollicetur, ſe hanc rem planè, ſed quoad fieri poterit, explicaturũ. Concludit igitur, vegetalem animam in ſeminibus, ſiue conceptibus, poteſtate tantum, non re ipſa contineri, priuſquam. ſ. cibum illi trahant, & officio eius animæ fungantur: ęquè enim omnia principiò ſtirpis vitam viuere videntur. Nec vegetalem ſolùm, verùm etiam ſentientem, & rationis participem animam poteſtate in ſeminibus hiſce verbis aſſerit reperiri, *De anima quoque ſenſuali pari modo dicendum eſt, atque etiam de intellectuali: omnes enim potentia prius haberi, quam actu neceſſe eſt.* Vbi obſerua, Ariſtotelem non dicere de anima ſenſuali, & de intellectu agente, ſed de anima ſenſuali, atque etiam intellectuali. His ita diſpoſitis, & explicatis, conſtruit modò Ariſtoteles ſyllogiſmum quendam hypotheticũ disiũctiuũ;

Rñſio ad ſextam autori.

Confutatio.

Cõſideratio diligens verborum Arist. in 2. li. de Gener. animal. cap. 3.

Pondera hęc verba.

Ex his verbis elicitur, Ariſ. per mẽtem nõ intellectum agentem, ſed rõnalem animam ſignificaſſe.

Ariſt. cognouit quàm difficilè ſit de rationali aĩa diſputare.

Tres animę, vegetalis, ſẽtiẽs, & rõnalis poteſtate in ſeminibus continentur, non tñ vno, eodẽq; mõ.

Syllogiſmus

atque

atq; ita ratiocinatur;cum omnes prędictę aîæ, vegetalis, ſentiens, & rônis particeps poteſtate priùs in ſemine,quàm re ipſa contineantur,aut omnes ſemini accedunt,cùm antè non fuerint, hoc eſt, aliquod tantum eſſe in ſemine h abuerint, adeo vt de ſeminis poteſtate eductæ ſint;aut omnes accedunt,cum antè fuerint,hoc eſt,nullum ſui eſſe in ſemine habuerint;ſed iā antè ortæ,extrinſecùs ipſi acceſſerint: aut tertiò aliquæ iſtarum è ſemine proficiſcuntur,aliquæ verò extrinſecùs originem ducunt. Addit nunc minorem propoſitionem : ſed fieri non pôt,vt omnes animæ antè fuerint, extrinſecùſque corpori acceſſerint; quoniam illæ animæ, quarum actio corporea eſt,abſque corpore eſſe non poſſunt:actio autem vegetalis,& ſentiētis animæ corporea eſt;igitur illæ animæ abſque corpore eſſe non poſſunt:illæ igitur quodā modo neceſſariò in ſemine latent,atque ex illo iam affecto, & pręparato educuntur. Tandē ſtatuit huius ſyllogiſmi concluſionem, dum ait, *Reſtat igitur, vt mens ſola extrinſecùs accedat,eaque ſola diuina ſit: nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis.* Ac ſi diceret Ariſt.ſi aliæ duæ animæ, puta vegetalis,& ſentiens,eo quia actiones corporeas habēt,nec à corpore ſeiungi,nec extrinſecùs accedere poſſunt;ſed ex corpore neceſſariò oriuntur;ſequitur,vt rationalis anima cuius cum actione nulla corporea actio quicquam communicat,non ex craſſo,ſpumoſoque illo ſemine oriatur;ſed extrinſecùs homini accedat,eaque ſola,non itē vegetalis,& ſentiens,diuina,& immortalis ſit. Aperui iam veram,vniuſcuiuſque iudicio, Ariſtot.mentem;viderint Alexandræi,num vllo pacto hæc Ariſtot. verba ad intellectum agentem detorqueri poſſint.

hypothetic° ab Ariſt. conſtructus, ex quo rônalis animæ imortalitas elicit.

Verba Ariſt. apertiſſima pro animæ immortalitate.

*Confutātur aduerſariorum reſponſiones ad ſeptimam, & octauam, Ariſtotelis autoritatem.*

*Caput X.*

AD ſeptimam autoritatem, ex 1. Ethic. alijſque moralibus libris eductam, vbi aſſerit Ariſt.vltimum finem,quem homini natura præſcripſit, eſſe perfectā ſubſtantiarū abſtractarum cognitionem; quæ,ſi hominis anima,ſicut iumētorum, mortalis eſſet, nunquam haberi poſset. Reſpondet Petrus Pompon.lib.de Rationalis animæ immortalitate (quem rectius de eiuſdem animæ mortalitate inſcripſiſset) quemlibet hominem poſse quidem finē illum,qui homini in vniuerſum conuenit, obtinere : at verò illum, qui perfectiſſimæ parti,in vniuerſitate totius humanæ naturæ contentæ, competit, neque poſse quenlibet hominē obtinere,neque par eſse,vt obtineat. Quemadmodum,enim,inquit,totum animal plura in ſeſe continet membra,ad vnum finem vniuerſalem omnia deſtinata,qui eſt totius animalis conſeruatio;non tamen omnia eiſdem functionibus inſeruiunt,ſed ſingulorum diuerſa ſunt munera:alioquin ſi cordis,hepatis,cerebri,aliorumque inſtrumētorum,eadem omnino eſsent officia,non conſiſteret animal. Quemadmodum etiam res omnes totius vniuerſi, vltimo alicuipiam fini deſignatæ ſunt; nihilominus finis ille præcipuus, quem Intelligētia ex.gra.tanquā perfectiſſima vniuerſi pars conſequitur,non eſt neceſse,vt homini quoque conueniat:nec finis,qui homini proprius eſt,cum beſtijs,aut inanimatis rebus communicari dēt:ita propemodum in humano mundo contingit,cuius ſinguli homines, ceu partes quædam illius ſtatuuntur,& conſiderantur. Quod igitur alicui parti perfectiſſimæ,nimirum alicui homini conuenit, non dēt,inquit,ſingulis partibus conuenire:deformitas enim quædam in humano mundo cōſpiceretur,ſi omnes homines eadem omnino munia obirent, eiuſdemque omnino felicitatis participes eſsent. Quare cùm rerum pulchritudo in varietate conſiſtat; fit,vt inter homines, quidam reperiantur,maximè ſpeculationibus deditì;& hi ſunt, qui perfectum felicitatis gradum attingunt:alij,qui negotijs incumbentes,minùs ſpeculationibus vacant,ſed in varijs artibus ſeſe exercent, quibus victum ſibi comparent, & veſtitum ; & hi quoque ſuum habent, quanuis non ita perfectum,felicitatis gradum. Nec ideo tamē inter illos vlla oritur inuidentia ; nam quilibet eſt ſua ſorte contētus,ea præſertim,cuius eſt capax. Quemadmodum etiam nulla eſt inter terræ partes inuidentia,quanuis vna ſit altera cētro propior:non enim quælibet pôt eſſe cētrum mundi:ſic nec quælibet ignis particula Lunæ concauum attingere poteſt, niſi vt toti coniuncta eſt. Cùm itaq; felicitas omnis, quam hominibus natura deſignauit,haberi in hac vita haud difficile poſſit;fruſtra profectò felicitas in alia vita,vtpote quæ non detur,expectanda eſt;atque ita Pomponatius, humanam animam mortalem eſſe concludit.

Reſpōſio ad ſeptimam autoritatem.

Pōponatius li. de animæ immortalit.

Hæc Pomp.reſponſio,ſi rem attentè conſideremus,multos habet defectus. Primò, non ea-

Confutatio.

dem, aut par ratio eſt membrorum animalis, aut diuerſarum mundi partium, & ſingulorum, hominum ad totam humanam vniuerſitatem. Animalis membra ſunt partes, quæ ad ipſius integritatem pertinẽt; propterea neceſſe eſt, vt eorum munera diſtincta ſint; alioquin animal vitæ operationes exercere non poſſet; ſinguli autem homines non ſunt partes, quæ ad hominis integritatem pertineant, ſed quæ totius humanæ vniuerſitati ſubijciuntur; ideo ſingulorũ vnus eſt finis, qui eis competit ratione totius. Rurſus plura entia vniuerſi inter ſe cum ſpecie, tùm genere diſtincta ſunt, propterea mirum non eſt, ſi diuerſos illa fines ſortiantur; immò hoc ad vniuerſi perfectionem, atque decorẽ pernecẽſſarium eſt: at verò omnes homines eiuſdem ſunt ſpeciei, & idcirco alium finem non habẽr, quatenus homines ſunt, niſi eum, ad quẽ illos virtus propriæ ſpeciei propenſos reddit. Vnus ergo ſingulorum hominum finis eſt vltimus, ad quem impulſu propriæ naturæ feruntur; quanuis plures ſint fines ex electione, qui tãquam media quædam ad vltimum finem conſequẽdum, accommodati ſunt; & hoc eſt, quod dicit Ariſt. 9. & 10. Ethic. nimirum felicitatem communem eſſe debere, quæ certè non eſſet, niſi eadem, ſaltem ſecundum ſpeciem, potiri ſinguli poſſent. Sed faciamus, diuerſas eſſe felicitatès, ſicut dicit Pomponatius, quis vnquam in hac vita felicitatem illam obtinebit, quæ in perfecta ſubſtantiarum abſtractarum cognitione conſiſtit? Profectò nullus, cùm ipſemet Ariſtot. non ſe planè explicet, an intellectus corpori coniunctus, ſubſtantias abſtractas percipere poſſit, vt lib. 3. de Anima tex. 36. videre licet: immò 1. de Partibus animalium cap. 5. apertè aſſerit, intellectum humanum, corpori coniunctum, leuiter tantum ſubſtãtias abſtractas percipere poſſe; non igitur homo in hac vita gradum illum felicitatis, qui in perfecta cognitione ſubſtantiarum abſtractarum conſiſtit, acquirere poteſt, vt Pomponatius affirmat. Ad hęc, ſi darẽtur in hac vita hę diuerſæ felicitates, quas Pompo. poſuit, proculdubio omnes homines, tàm diuites, quàm pauperes, & cuiuſuis generis artifices, & agricolæ felices eſſent: at ſatis tritum illud eſt, & planè verum. Neminẽ eſſe ſua ſorte contentum, quantumuis diuitem, atque potentem; ſemper enim aliquid aliud eſt, quod anima expetit; non igitur felicitatès illæ ſunt, quas Pompo. finxit. Tandem contra illius reſponſionem ſic inſtare mihi poſſe videor; Demus aliquem, qui vnam ex his felicitatibus, à Pompo. poſitis, obtinuerit, ſitque ille ex. gra. Faber; quæro, illa felicitas, quæ in fabrili arte cõſiſtit, ei ne competat, quatenus homo eſt, an quatenus talis homo: ſi quatenus homo eſt; igitur omnes homines, qui felicitatem cuperent, fabrilem artem exercere deberẽt: ſi quatenus talis homo; ergo danda eſt alia felicitas, quæ ei conueniat, quatenus homo eſt, quæque omnibus hominibus communis ſit. Hæc autẽ, vt iam oſtendimus, & experientia docet, in hac vita haberi non poteſt, ſuntque ad illam omnes homines natura propenſi; igitur cùm naturalis appetitus non ſit fruſtra, hæc ipſa neceſſariò in alia vita expectanda erit: hincque rectè aduerſus Pomponatium concludere poſſumus, hominis animam non eſſe mortalem. Ad octauam, & vltimam autoritatẽ ex 3. & 9. Ethic. elicitam, vbi monet Ariſt. virum fortem pro patria, pro bono publico, atque amicis mortem eligerę debere, quod apertiſſimum eſt animæ immortalitatis argumẽtum: nam ſi mortalis eſſet anima, quodcunque ſcelus homines patrarent potius, quam mortem eligerent. Rñdet Petrus Pomp. conſecutionẽ hanc minimè valere: etenim cũ ex duobus malis minus eligendum ſit, vt habet Ariſt. 3. Ethic. quanuis mori malum ſit, maius tamen malum eſt cum infamia viuere, & propterea animæ mortalitate conceſſa, non eſt verum, homines quęcunq; potius ſcelera patrare, quàm mortem eligere debere: mortem enim vt minus malũ eligunt, qua quidem electione virtutem nanciſcũtur, cuius adeptionem felicitas, aut ſaltem magna pars felicitatis, tametſi parùm duratura conſequitur. Ad hęc porrò ſcelus aliquod edendo, vel vitam pro patria, & amicis, cùm opus eſt, non effundendo, immortalitatem non niſi forte ſecũdum infamiam acquirunt. Quare cùm omnino anima mortalis ſit, melius eſt, vt moriẽdo, bonum nomen poſteris relinquant, quàm vt ignominioſè primùm viuant, deinde verò cum infamia moriantur. Sapientes igitur, atque prudẽtes homines, qui & virtutis decorem, vt vitiorum deformitatẽ, optimè norunt, facilè ſe mortis periculo exponunt, viroſque fortes ſeſe præbent: homines verò vulgares, qui neque virtutis excellentiam, nec vitiorum fœditatem agnoſcunt, quoduis ſceleris genus patrarẽt potius, quàm morerẽtur; & propterea ad diras horũ hominum cupiditates refrenandas, & ſpes pręmij, & pęnę timor datus eſt; cùm tamen re vera poſt mortẽ nihil ſit, ſed vnà cũ corpore ipſa quoq; rationis particeps aĩa aboleatur. Hac rñſio

Singulorum hominũ vnus eſt finis vltimus, ad quẽ impulſu propriæ naturæ fructus, quãuis plures ſit fines ex electione.

Intellect. humanus corpore coniunctus nõ põt perfectè attingere ſubſtantias abſtractas, ex ſentẽtia Ariſtot. Hincq; ſatis euidenter elicit animæ immortalitas.

Neminem in hac vita felicẽ eſſe poſſe.

Ratio efficax contra rñſionẽ Pomponatij.

Nota ex Ariſtot. 1. Meta. oẽs homines natura ſcire deſiderant.

Reſpõſio ad octauam authoritatem.

Põponatius vbi ſupra.

Caue ab hoc peſt fero veneno.

Confutatio.

ne

ne Petrus Pomp. virus tandem ſuæ acerbitatis euomuit, de quo aliquid dicerem, qui labenâ hanc mortalitatis animi non tã ex Ariſ. quàm ex ſuo capite conatus eſt inuehære: at de hoĩe damnatæ memoriæ, quemque Dei eccleſia proſcripſit, vt impium, lubens, ac meritò taceo; viderit nunc ipſe, quomodo res ſe habeat. Oſtendamus nos interim, eius rñſionem nullius eſſe momenti. Etenim ſi eam diligenter conſideremus, inueniemus, quæcunq; ab eo dicta ſunt, ex animæ immortalitate verius, quam ex eiuſdem mortalitate elici poſſe. Magnum ſiquidẽ malum, eſt mori, quinimmò teſte Ariſtotele vltimum omnium malorum eſt mors; tamen ſi immortalis eſt anima, minus malum eſt mori, quam patriæ, & amicis non ſubuenire, aut aliquod facinus committere: quoniam mortem pro patria, atque amicis eligendo, ea ipſa electione virtus acquiritur, quæ in immortali anima, tanquam in ſubiecto reſidet: quam quidem virtutem aliqua pars felicitatis, ſemper duratura conſequitur. At verò ſi mortalem animam eſſe dicamus, nemo certè eſſet, qui pro quacunque re ſibi mortem eligere vellet: quę enim eſt vis illa virtutis, quæ ſtatim cum anima intercidit? Infima ſubſtantia quocunque accidente vel perfectiſſimo nobilior eſt; quis igitur eſſet, qui tota vitæ ſuæ ſubſtantia, virtutem emere vellet, quæ accidens eſt, breuiſſimo tempore duraturum? Fortaſſe Pomponatius, dicet, mortem propter bonum vniuerſitatis eligendam eſſe. Sed errat: nam expedit quidem vniuerſitati, aliquem propter commune bonum è vita tolli: ſingulari autem homini, ſi mortalis eſt anima, vitam pro alijs profundere, non expedit: vnuſquiſque enim magis ſe diligit, quam bonum commune, primaq; charitas incipit à ſe ipſo. Quòd ſi qui viri adeo fortes reperti ſunt vt pro bono publico propriam vitam poſuerint; hoc ideo fuit, quia immortalem illi animam crediderunt, tùmque primùm viuere arbitrati ſunt, cùm ex hoc mundo migraſſent. Quod verò dixit Pomp. nullum poſt hanc vitam virtutis præmium, nec vllam vitiorum pœnam expectandam eſſe; ſed datam eſſe tantummodo ſpem præmij, datum timorem ſupplicij, ad hominum cupiditates refrenandas; exicrandum certè illud, atque omnino deteſtabile eſt: non enim ſolùm fidei noſtræ Catholicæ veritatem labefactat, ſed Principum etiam regimini detrimentum maximum affert: ſi enim peſtifera hæc lues in aliqua prouincia graſſaretur, eſſentque ibi homines, qui mortalem omnino animam exiſtimarent, nullamque præmij ſpẽ, nec vllum ſupplicij timorem poſt mortem conciperẽt; bone Deus, quot ſcelera perpetrarẽt? Principum certè iura violarent, immò ipſoſmet Principes non modò contemnerent, verùm etiam odio haberent, quòd ſi impedimento illis eſſent, quo minus id felicitatis genus in hac vita conſequi poſſent. Valeat ergo cum hac ſua reſponſione Pomponatius.

Si immortalis eſt anima minus malũ eſt mori, q̃ patrię nõ ſubuenire, ſecus ſi ſit mortalis.

Pondera hãc rationem.

Pomponatij cauatio.

Optimi viri tùc viuere incipiunt, quãdo moriunt.

Sint principes oculati, ne morbus iſte peſtifer mortalitatis animæ populos ſuos inuadat.

*Soluuntur quinque priores rationes aduerſariorum, mortalitatem animæ ſuadentes.*

*Cap. XI.*

Confutatis iam aduerſariorum reſponſionibus ad Ariſtotelis autoritates, pro animę immortalitate confirmanda, à nobis in medium allatas, proximum hunc eſt, vt eorundem rationes, in oppoſitum adductas, diluamus. Argumentum illud ab autoritate nihil facio, nam & ego plures non minoris autoritatis viros addoxi, qui contrariam ſententiam cum Ariſtotelę defenderunt. Ad primam igitur rationem, tanti à Pomponatio æſtimatam, conceſſa maiore, quæ eſt animę definitio, diſtinguo minorem: actus enim, vel forma corporis, quæ & eiuſdem perfectio exiſtit, poteſt eſſe duplex, aut eſt forma de materiæ poteſtate deducta, quaſi eã præuijs ſuis affectionibus, elicuerit, & euocarit: aut eſt forma aliunde orta, & extrinſecus materiæ, vel corpori accedens, cuius ſubſtantialis perfectio futura eſt. Si de priori forma ſermo fiat, concedo, eam citra corpus phyſicum, cuius perfectio eſt, conſiſtere non poſſe: nullam n. actionem extra corpus edere valet. Si vero fiat ſermo de poſteriori forma, nego, ipſam citra corpus conſiſtere non poſſe: quoniam illius operatio à corpore non pendet. Iam verò anima vegetalis, atque pariter ſentiens, formæ ſunt corporis phyſici, quæ quidem è corporis poteſtate, tanquam ex materia educuntur: & quia illarum actio non niſi corporea eſt, ideo abſq; corpore illæ conſiſtere nulla ratione poſſunt. Rationalis autem anima, tametſi forma, perfectioque humani corporis eſt; non illa tamen è materia oritur, neque vlla eſt ei cum materia communio: idcirco nihil abſurdi eſt, illam à corpore ſeiungi poſſe; cùm præſertim nulla corporea actio, teſte Ariſtotele 2. de Ortu animalium c. 3. aliquid cum eius actione communicet. Ad ſecundam rationem, quæ eſt Alexãdræorum Achilles, nego minorem propoſitionẽ,

Reſpõſio ad primam rationẽ aduerſariorum.

Forma duplex.

Rõnalis aiæ eſt actus humani corporis nõ à materię affectionibus accerſitus, ſed diuinitus percreatus.

 ſci-

Rñſio ad ſecunda rõné.

ſcilicet ſeparatam animam nullum opus de ſe promere poſſe. Cùm verò probant, Ariſtotelis autoritate, animam ad intelligendum, phantaſmatum auxilio indigere. Reſpondeo, Ariſtotelem tunc de modo intelligendi verba facere, qui animæ competit, non abſolutè quidẽ, vt talis ſubſtantia eſt, ſed vt re ipſa forma corporis exiſtit. Enimuerò anima, dum in corpore manet, nullam aliam cognitionem, ſi quid Ariſtoteli creditur, niſi illam, quam ei ſenſus ſuppeditant, habere poteſt: in id enim ſenſus à natura dati ſunt, vt animæ ad intelligendum ſuppetias ferant. Non licet tamen ita argumentari, anima, vt eſt in corpore, nihil abſque phantaſmatibus intelligere poteſt; ergo eadem abſolutè ſpectata, & quatenus à corpore ſeiuncta eſt, eum ipſum ordinem in intelligendo ſeruabit: quoniam nobiliorem tunc habet intelligendi modum. Pro cuius rei maiore explicatione, animaduertere oportet, phantaſmata non neceſſariò ad ipſam intellectionem efficiendam concurrere, ſed priùs tantummodo ad ſpeciei intelligibilis eductionem requiri: vbi autem intelligibile obiectum, in ſua ſpecie refulgens, intellectui præſto eſt; tunc intellectus, abſque vllo phantaſmatum auxilio, in intelligendi actũ erumpere poteſt. Anima igitur à corpore ſeiuncta, quanuis nullum amplius commercium cũ phantaſmatibus habeat, immò nec habere poſſit; multas tamen intelligibiles ſpecies habet, quibus optimè ſuum intelligendi munus exerceat. Et verò ſi intellectio, quatenus intellectio eſt, phantaſmata neceſſariò requireret; dubio procul aut mentes abſtractæ otioſæ eſſent, aut non ſine phantaſmatibus intelligerent, quorum vtrunque vel apud ipſum Ariſtotelem, abſurdiſſimum eſt. Quis igitur prohibebit, quo minus ſeparatæ animæ ſuum intelligendi munus, inſtar ſubſtantiarum abſtractarum, obire poſſint? hoc ſolo diſcrimine, quod hæ per ſpecies intelligibiles, &, vt aiunt, connaturales, illæ verò per ſpecies acquiſitas, intelligunt: fitq; tunc ille intellectus in actu ſemper intelligens, perpetuus, atque immortalis, vt lib. 3. de Anima tex. 20. Ariſtoteles docet. Ad tertiam, explicanda eſt maior propoſitio, quicquid ortũ eſt, ſupple motu, & tranſmutatione, eſtque de materię poteſtate deductum, aliquando interibit: ita eo loco aduerſus Platonem Ariſtoteles argumentabatur, probando, ſi mundus, vt ipſe voluit, genitus eſt, illum indiſſolubilem eſse non poſse: quod verò recens ortum eſt, non motu, & tranſmutatione, ſed diuinitus procreatum, cuiuſmodi eſt rationalis anima, vt teſtis eſt Ariſtoteles locis ſuperiùs adductis, non eſt neceſse, vt aliquando intereat. Quomodo autem ſecũdum Ariſtotelis placitum, orta ſit anima, fuſius in progreſſu diſputationis aperiam. Ad quartam eſt communis, ſatiſque peruulgata reſponſio, illa Ariſtotelis loca de humana felicitate, de qua inter philoſophos diſputatio erat, intelligenda eſse, quæ, multorum ſententia, in opibus, externiſque bonis poſita erat: ideo iure optimo Ariſtoteles Solonem repræhẽdebat, qui huius generis felicitatem poſt mortem eſse contendebat. Ad illud verò tertij Ethic. dum dicebat Ariſtoteles, mortuo nihil boni, vel mali accidere poſse: reſpondẽdum eſt, dictum illud quantum ad alicuius virtutis operationem intelligi debere: ibi enim philoſophus de fortitudine loquebatur, dicebatque, virum fortem in mortis periculo timere; quia vltimum terribilium eſt mors: & mortuo nihil boni, vel mali accidere: quia. ſ. tunc terminatur operatio: non enim amplius fortitudinem exercere poteſt, & propterea nihil boni, vel mali, ſupple ad fortitudinem ſpectantis, mortuo accidere poteſt: non tamen ob eam rem ſequitur, animam, poſt hominis obitum, minimè remanere. vel dic, mortuo homini nihil boni, vel mali accidere poſſe; propterea quod vbi mortuus eſt, non eſt amplius homo; remanet tñ id, vnde præcipuè erat, & dicebatur homo. Quod tamen tanquã philoſophicè dictum accipias: nam ſanctiſſimę fidei Catholicæ veritate poſt mortẽ reſurget homo, idemq; aut perpetua felicitate fruetur, aut perpetuis doloribus cruciabitur. Ad quintam, qua Dei felicitas perpetua eſse dicebatur, noſtra verò non item; ſed paruo tempore manens, eſt quoque communis reſponſio, Ariſtotelem eo loco de ea felicitate loqui, quæ non ſoli animæ (hæc enim perpetua eſt) ſed toti coniuncto, ſcilicet homini ineſt: ea enim parùm durat, quia homo per ſeparationem animæ à corpore, diſsolubilis eſt.

Anima à corpore ſeiũcta vt intelligat, non indiget ope phantaſmatum.

Phãtaſmata ad ſpecies intelligibiles efficiẽdas in genere cauſę materialis neceſſariò cõcurrere: ad ipſam verò intellectionem prodeũdam, non item.

Tantũ abeſt, vt anima ſeparata otioſa maneat, vt perpetuò potius intellectiói ſit addicta.

Reſpõſio ad tertiam autoritatem.

Reſpõſio ad quartam rationem.

Poſt mortẽ nihil boni, vel mali pôt homini contingere, quõ ex Ariſt. ſententia intelligendum ſit.

Reſpõſio ad quintam rationem.

## *Nonnullorum reſponſio ad ſextam aduerſariorum rationem, eiuſdemque confutatio.* Cap. XII.

Sexta aduerſariorum rõ ſoluta difficillima.

SExta ratio erat, ſi anima eſt immortalis, & mundus, ſecundum Ariſtotelem, eſt æternus, datum iri re ipſa infinitum numerum animarum: quod tamen cum eius principijs minimè

mè conſentit. Huius rationis ſolutio mihi ſemper difficilis viſa eſt, nec vllam hactenus ſolutionem reperi, quæ ſatis intellectui meo facere poſſet. Sed nihil mirum eſt; quia, vt infra videbimus, hæc eadem ratio ipſi quoque Ariſt. difficillima fuit. Sunt tamen nonnulli, qui cã nullius põderis eſſe exiſtimarunt, ſatiſque validam ſolutionẽ ſe afferre arbitrati ſunt, ſi, quaſi retorquendo argumẽtum, dixerint, idcirco non dari infinitum numerum animarum, quia in dies nouæ aïæ procreantur, poſterioreſque prioribus adduntur: quare non ſequitur, inquiũt, mundus æternus eſt; ergo datur re ipſa infinitus numerus animarum: ratio eſt in promptu; quia infinitum accretionem nõ recipit. Multi ſolutionem hanc tanquam veram approbant; quia fortè veriorem inuenire non poſſunt: mihi tamen ea ſemper puerilis, & deridenda viſa eſt.

Aliorum ſolutio.

Confutatio.

Ab iſtis.n. diſputationis gratia, libẽtiſſimè quærerẽ, num animæ, quæ hactenus procreatæ ſunt, finitæ numero, vel infinitæ ſint? finitæ, ſtatim reſpondebunt; quoniam adiectionem accipere poſſunt. Tunc ego contra, ponamus nunc, mundum interire (hoc.n. in diſputatione vel à quocunq; peripatetico admitti facilè põt) tunc amplius animarũ procreatio nulla fiet, nec animæ iam editæ accretionem vllam accipiẽt; ergo ſi mundus æternus eſt, habetur iam re ipſa infinitus numerus animarum. Si autem res ita habeat, ponẽdo nunc, animabus iam procreatis, alias animas addi; id potius efficiet, vt quod re ipſa infinitum eſt, adiectionem accipere poſſit, quàm vt id, quod verè infinitum eſt, non ſit infinitum. Reſpondent ipſi, vnum me falſum in Ariſt. ponere, mundum.ſ. occidere poſſe.

Reſpõſio ad confutationem

Replica.

Puto, omnes animaduertere, quanti roboris ſit iſtiuſmodi ſolutio: quoties.n. Ariſt. ex abſurdo, immò etiam, vt ita dicam, impoſſibili cõceſſo, argumẽtari conſueuit? Non ne lib. 4. de Phyſ. auditu probauit, ſi daretur inane, duo corpora in eodem loco reperiri poſſe? & ſi duo, eadẽ ratione etiam infinita? In hoc igitur iſti decipiuntur, quia concluſionem illam, quæ rei veritatem conſequitur, putant quoque veram eſſe, mundi æternitate conceſſa. Etenim quia animarum numerum augeri continuò videmus; ideo rectè concludimus, illum re ipſa infinitum non eſſe: indeque aliam quoque veriſſimam concluſionem elicimus; mundum.ſ. ab omni temporum æternitate non extitiſſe.

Ex eo quod animarũ numerus continuò adiectionẽ recipit, rectè concludimus, nõ eſſe illum re vera infinitũ, non tñ poſita mũdi æternitate.

At verò mundi æternitate conceſſa, infinitus animarum numerus vitari nulla ratione poteſt, qui tamen ſi admittatur, pugnantiam quandam in Ariſtot. ſecum trahit: aut igitur animarum immortalitas, aut ipſius mundi æternitas neceſſariò neganda eſt. Et certè melius eſt, mundi ęternitatem negare; quinimmò, poſito hoc tanq̃ abſurdo, quodq; nunquã fieri poſſit, infinitũ.ſ. animarum numerũ re ipſa reperiri, apertiſſima inde conſecutione ſequetur, mundum à Deo ex æternitate condi non potuiſſe; non quia Deus eandem ſemper condendi poteſtatem non habuerit, ſed quia id contradictionem inuoluit, vt aliàs demonſtrauimus.

Vide Io. Grã mat. lib. 2. cõtra Proclum cap. 4.

Mundum ab æterno cõditũ fuiſſe, contradictionẽ implicat.

Redeamus ad nos, aliaque ratione prædictam ſolutionem à veritate alienam eſſe, oſtẽdamus. Conſideremus animas, quæ hactenus editæ ſunt, hæ ſi non ſunt infinitæ, finitæ igitur, per bonam conſecutionem, neceſſariò erunt: ſi finitæ, ergo certo aliquo, determinatoque numero concluſæ: aſſignet quis mihi nunc animarum numerum, hactenus editarum, ego ſtatim me illi victũ cõfitebor.

Alia improbatio principalis reſponſionis.

Sed reſpondebit fortaſſe quiſpiam, conſecutionem hanc minimè valere, animæ ſunt finitæ; ergò numerabiles: nam etiam ſtellæ Cęli finitæ ſunt, non tamen numerabiles.

Solutio.

Replica.

At vrgebo validiſſima ratione: aut.n. ſtellę Cęli natura ſua innumerabiles ſunt, aut noſtri imbecillitate, & impotẽtia: quia.ſ. illas numerare non poſſimus. Si detur primum, nullus igitur illas, atque adeo nec Deus ipſe poterit numerare: implicat.n. contradictionem, numerare illud, quod innumerabile eſt. Si detur alterum, ergo quanuis multitudine maxima contineantur, quæ nos impedit, quo minus illas numerare poſſimus, nihilominus natura ſua finitæ ſunt. Applicemus hoc idem animabus: aut animæ hactenus procreatæ, natura ſua innumerabiles ſunt, adeo vt à nullo intellectu, neque etiam diuino numerari poſſint, ce tuſque illarũ numerus inueniri, & tunc re ipſa infinitæ erunt: aut ſunt innumerabiles imbecillitate noſtri, quia.ſ. nimia illarũ multitudo numerandi nobis difficultatem inferat, & tunc erunt finitæ: nam ſaltem Deus certum, & definitum earum numerum habebit.

Si mũdus eſt ęternus, non poteſt haberi determinatus numerus aïarum, hactenus procreatarum.

Verùm, poſito Ariſt. dogmate de mundi æternitate, id cõcipi nulla ratione poteſt: faciamus.n. Deum centum annorum ſpatio, duo animarum millia procreaſſe: ſpatiò ducẽtorum annorum, quatuor millia: ſpatio mille annorum, decem millia, & ſic ſemper multiplicando: ſi mundus aliquando ortus eſſet, tandem ad certum aliquem, & determinatum procreatarum animarum numerum deueniendum eſſet: nam verum eſſet dicere, ante centum annos pauciores animas editas eſſe, quàm modò editæ ſint, &

adhuc pauciores ante trecentos annos, & rurſus pauciores ante mille annos; atque tandem ſic retrocedendo, ad primam animam procreatam, aut ſaltem ad primas, ſi plures ſimul editæ ſint, peruenire poſſemus. At verò ſi mundus, ſecundum Ariſtotelem, nunquam ortus eſt, quomodo vnquam determinatam animarum multitudinem habebimus? Fingamus cogitatione magnum quantum velimus animarum procreatarum numerum, ſi mundus eſt æternus, iam toto tempore præterito infinitæ animæ procreatæ ſunt: dogmate igitur de mundi æternitate conceſſo, infinitus re ipſa procreatarum animarum numerus vitari non põt: quod & multi, quibuſcum frequenter hac de re mihi diſputatio fuit, etſi inuiti, tacitè tamen poſt longam diſceptationem conceſſerunt. Neque habet hic locum perpetuitas illa, ſiue (vt aiũt) infinitas à parte ante, & a parte poſt; ea enim tantummodo infinito ſecundum durationem congruit, cuiuſmodi ſunt animæ noſtræ, immortales, & ſemper duraturæ: quæ tamen principium aliquando habuerunt. Numerus etiam eſt infinitus a parte poſt, quatenus in infinitum adiectionem recepit. At verò in infinito ſecundum exiſtentiam, nihil penitus valet illa diſtinctio, vt vnicuique rectè ratiocinanti exploratiſſimum eſt.

Infinitas à parte ante, & à pte poſt, conuenit tãtũmodo ei, quod eſt ſecundum durationem infinitum.

## *Alia communior ſextæ rationis ſolutio, atque eiuſdem reprobatio: vbi etiam diſſeritur, an infinitum re ipſa vllo pacto reperiri poſſit.* Cap. XIIII.

COnati ſunt alij prædictum argumentum de animarum infinitudine, alia ſolutione, cõmuniore quidem, ſed tamen minus valida, diluere. Dixerunt.n.nihil eſſe apud Ariſt. abſurdi, infinitum re ipſa animarum numerum ſtatuere: non enim quodlibet infinitũ re ipſa Ariſtot. negauit; ſed duntaxat illud à corporeis, materialibuſque rebus abiecit: quòd infinitum quoque locum, quo concluderentur, requirerent. In rebus autem à materia abiunctis, cuiuſmodi ſunt animæ, illiuſmodi infinitum concedere non dubitauit; propterea quòd ſimplices iſtæ res, ab omnique materia ſegregatæ, nullam loci capedinem expoſcunt. Hæc fuit reſponſio Cardin. Toleti lib. 2. de Anima q. 2. quam accepit a D. Tho. lib. 2. Contra gentiles c. 81. eſtque iam celebris reſponſio, cui omnes ij facilè ſubſcripſerunt, qui ſuis laboribus, & vigilijs fidei potius habitum, quàm veræ ſcientiæ ſibi comparare contenderunt. Res quidem philoſopho indigna: nam propriè ſcire, non eſt ſcire, quid alij dicant, ſed aliorum placita diligenter ſcrutari, atque ratiocinatione rem intelligibilem cum intellectu coniungere, qui nunquam eſt certè niſi apprehenſa veritate contentus. Poſſem ego huiuſmodi reſponſionem pluribus Ariſtotelis autoritatibus confutare; ſed volo modò ſinere, vt Toletus cum Auer. contendat: qui diſputatione prima contra Algazelem dub. 8. ad duo maximè abſurda, quæque nulla ratione conſiſtere poſſunt, eos deduxit, qui, ex Ariſtotelis ſententia infinitum animarum numerum ſtatuerunt. Primum abſurdum eſt hoc: ſi mundus eſt æternus, vt Ariſt. affirmat, tunc infinitum ſuſciperet maius. Probat, nam ſi nunc animæ infinitæ ſunt, plures certè erunt, poſt cẽtum annos: addamus poſteriores prioribus, ſtatim infinitum euadet maius. Alterum eſt, ſi infinitum poſſe ſuſcipere maius concedere nolimus, ſaltem eſſe partem æqualem toti concedamus oportet: nam cùm vnum infinitum altero maius nõ ſit, tunc animæ, quæ iam editæ ſunt, & animæ, quæ ſimul erunt poſt mille annos, tot omnino numero erunt: & tamen numerus animarum, quæ iam editæ ſunt, pars eſt illius numeri animarum, qui conſtat ex iam editis, & deinceps edendis. Si quis, ait Toletus, ſecundum rei veritatem, mundum non eſſe æternum tueretur, euadere hæc incommoda nullo negocio poſſet; & in hoc rectè dicit: ſed, vt ſui ingenij aciem magis patefaceret, hæc eadem incommoda, ab Auer. adducta, vel in doctrina ipſiuſmet Ariſtotelis euitare conatus eſt. Non inuenitur, inquit, alius locus apud Ariſtotelem, qui animarum infinitati aduerſetur, quàm ille, qui lib. 3. Phyſ. in vniuerſa de infinito tractatione habetur: vbi apertiſſimis rationibus oſtendit, infinitum re ipſa in rerum natura reperiri non poſſe. Iam verò locus iſte, infinitum animarum numerum apud Ariſtotelem minimè tollit; propterea quòd ipſe non quodlibet infinitum re ipſa negauit: mundum enim æternum putauit, & tamen quot dies præceſſerunt? non ne infiniti? quamuis quotidie noui addantur dies. Præterea quæ plura ſunt, num dies, an horæ? ſi horæ; ergo vnum infinitum dabitur altero maius: ſi neutrum alterum excedere dicatur; ergo pars dabitur æqualis toti. Quod igitur abſurdum in infinito animarum numero Auer. exiſtimauit, illud idem in infinito dierum numero neceſſariò fatebitur; immò nec illud ipſum declinare ipſemet Ariſtoteles poterit. Nolebam cer-

Cõis ſolio n rũm in incorporeis rebus nullũ eſſe abſurdũ infinitũ re ipſa ſtatuere.

Toletus. S. Thom.

Quonam pacto ſcientiæ habitus cõparandus ſit.

Duo abſurda ab Auer. adducta contra ſtatuẽtes infinitum numerum animarum.

Toletus ſoluere nititur abſurda ab Auerr. adducta.

certè cum Toleto diſputationem inire, ſed tamen non (ita me Deus amet) conuellẽdi ipſius gratia, ſed veritatis inueniendæ ſtudio, Auer. partes defendere cogor. Ait Toletus, ſi mundus eſt æternus, dies infiniti præceſſerunt; ergo datur infinitum re ipſa. Rurſus plures ſunt horæ, quàm dies; ergo vnum infinitum altero maius. Ita facile quidem eſt, infinitum cogitatione fingere, ſicut quod re ipſa conſiſtat, & citra vllam cogitationem reperiatur *ἀδύνατος*. Tempus æternum eſt, ſicuti, mundus. Admitto. Præceſſerunt infiniti dies. Detur hoc etiam. Ergo datur infinitus numerus dierum. Cogitatione, concedo. Immò, quod maioris eſt momẽti, fieri etiam poteſt, vt cogitatione vnum infinitum ſit altero maius. Quod ſic oſtendo; fingamus cogitatione, infinitas libras reperiri; tunc cùm quælibet libra duodecim contineat vncias, plures abſque dubio erunt vnciæ, quàm libræ, atque adeo vnum infinitum cogitatione quidem erit altero maius: ſed re vera vt vnum infinitum alterum excedere nequit; ita nullum prorſus infinitum, ad quantitatem pertinens, in rerum natura reperiri poteſt. Ad inſtantiam de infinito dierum numero, reſpondeo, tempus totum quoddam continuum eſſe, attamen in ſucceſſione poſitum; quia vt oſtendit Ariſtoteles 4. Phyſicorum, eius rei, quę tempus eſt, non niſi momentum habemus: quare non eſt abſurdum, vt in hoc toto continuo infinitum annorum, mẽſium, dierum, horarum, & minutorum numerum excogitemus: nihil tamen iſtorũ re ipſa exiſtit, ſed quodlibet iam præterijt, fitque ſola cogitatione diuiſum, & manet tantummodo vnum quaſi inſtans, quod ab ęterno vſque ad hunc diem continuatum eſt. Aliud igitur eſt loqui de infinito cogitatione, quod facilè admitti poteſt, quatenus illud proportionẽ aliquam cum infinito poteſtate habere dicitur, ſicut patet in exẽplis datis: & aliud eſt loqui de infinito ſecundum exiſtentiam, quod non habet eſſe ab anima, ſed re vera eſt: hoc autem in animabus reperiri falſum eſt; maxima.n. incommoda ſequerentur, ſi in mundo infinitæ numero animæ re ipſa iam exiſtẽtes ponerẽtur, vt ex ante dictis manifeſtum eſt. Sed cõtra hoc argumẽtatur Toletus, numerus dicit formam .ſ. multitudinem, & pluralitatẽ, & prętereà dicit materiam .ſ. res ipſas numerabiles, vt inter oẽs conſtat: hoc poſito, quęrit, repugnantia, cur non ſit infinitus numerus, ex forma ne, an ex materia oriat̃. Si ex materia iterũ petit, cur repugnet, eſſe res infinitas, rõne ipſarũ rerũ? Equidẽ nulla alia repugnantia aſſignari põt, niſi quia materia finita eſt, ex qua res infinitæ fieri non poſſunt; vel quia finitus eſt locus, qui infinita capere nequit. Hæc igitur repugnantia erit ſolùm in corporibus illis, quæ locum occupant, non etiam in ijs rebus, quæ per ſe locum non exigunt, cuiuſmodi ſunt puncta, accidẽtia, atque etiam animæ: nulla igitur erit repugnantia rerum, vt infinitæ animæ, re ipſa exiſtentes, reperiantur. Si autem à forma repugnantia oriatur, tunc, inquit, cùm formæ numeri in multitudine conſiſtat, profectò abſurdum eſſet dicere, res ipſas exiſtere, aut præterijſſe, ipſum tamen infinitum eſſe non poſſe: at Ariſt. conceſſit infinitos dies; ergo non quodcunque re ipſa infinitũ negauit, ſed corporum duntaxat, & partium, quæ ex continui diuiſione proficiſcuntur. Ad hoc argumẽtum reſpondeo, repugnantiam, cur non ſit re ipſa numerus infinitus, à forma exoriri: nam vt habet Ariſt. 3. Phyſ. numerus hac potiſſimùm ratione dicitur opponi continuo, quia quemadmodum continuum in infinitum diuidi põt, adeo vt quacunque parte diuiſa, alia ſemper in infinitum adhuc diuidenda ſuperſit; ita numerus accretionem in infinitum recipit, adeo vt quocunque numero dato, maior in infinitum reperiri poſſit. Quòd ſi naturæ atque eſſentiæ numeri id repugnat, vt ſit re ipſa infinitus, neque igitur res numeratæ re ipſa infinitæ erunt, atque adeo animæ, quæ hactenus editę ſunt, ſi iam omnes conſiſtunt, & numeratæ ſunt, infinitæ eſſe non poterunt. Etenim accipio numerum, quo animæ numerantur, ipſumque augeo, alterius numeri adiectione, tunc ſi numerus augeri põt; ergo & res numeratæ poterunt multiplicari; atque ita illæ, quæ priùs numerabantur, non re ipſa, ſed ſolùm poteſtate erant infinitæ. Satis Toleto arbitror, hac reſponſione factum fore, nec illam profectò impugnaret, cùm ipſemet lib. 8. Phyſ. q. 2. idem prorſus aſſeuerauerit: ibi enim ſolutionem quãdam S. Thomæ reijciens, qua concludebat, non eſſe abſurdum, apud Ariſt. infinitum re ipſa in rebus ſpiritualibus ſtatuere, habet hæc ipſa verba, *Sed hoc non videtur ſatisfacere: nam numerum infinitum actu non repugnat eſſe niſi ab intrinſeco, puta vt numerus eſt, vt patet ex ratione Ariſtote. quia infinitum non eſt numerabile: impertinens ergo eſt, quod ipſa vnitates ſint res ſpirituales, aut corporales.* hęc verba ijs apertiſſimè contradicunt, quę ab ipſomet lib. 2. de Anima, loco ſuperiùs citato ſcripta ſunt. Sed nihil intereſt: ſufficit mihi, reſponſionem, à

Autor defendit Auer. cõtra Toletũ.

Rõnes Toleti ſoluuntur.

Dari põt infinitum cogitatione, imò vnum infinitum, altero maius, nõ tñ re ipſa.

Replica Toleti.

Reſponſio.

Rationi formali numeri repugnat, vt ſit re ipſa infinitus ideo infinitæ res exiſtere non poſſunt.

Cõtradictio eiuſdẽ in dictis Toleti.

me paulò antè allatam, propria eius autoritate confirmaſſe, oſtendiſſeque, naturæ, &(vt aiunt) rationi formali numeri repugnare, quin re ipſa infinitus ſit. Sed obijciat hic aliquis, ſi naturæ numeri repugnat infinitas; ergo nec infinitus aliquarum rerũ numerus cogitatione quidẽ effingi pôt: quod tñ ſupra librarum, & vnciarũ infinitatis poſitione conceſſum eſt. Rurſus infiniti iam dies prҽterierunt, ſi mundus eſt ҽternus; ergo & ſi numero repugnet infinitas, nihil tamen obſtat, quo minus rerum numeratarum infinitas eſſe poſſit.

Subtilis obiectio.

Solutio primæ.

Ad primam obiectionem reſpondeo, valere quidem hanc conſecutionem, naturæ numeri, qua numerus eſt, repugnat infinitas; ergo non poteſt eſſe re vera, aut penes intellectum, benè ratiocinantem, numerus re ipſa infinitus: hoc ideo dico, quia numerus ab intellectu, vt ab efficiente cauſa gignitur: non valere tamen hanc conſecutionem, naturæ numeri repugnat infinitas, ergo numerum infinitum cogitatione fingere non poſſumus: multa enim effingimus, quæ tamẽ nec re ipſa, nec apud intellectum, rectè concipientem, exiſtere poſſunt. Repugnat aſino, qua aſinus eſt, volare, quemadmodum & loqui; tamen quid prohibet, quo minus volantem aſinũ, aut eundem etiam loquentem quis fingere poſſit? propterea ait Ariſtoteles 1. de Cælo, cogitationi non eſſe credendum.

Solutio ſecundæ.

Ad alteram dico, tempus quidem vt totum quoddam in ſucceſſione poſitum præterijſſe; illud tamen vnam tantum rem eſſe, quam nos cogitatione in infinitos dies, atque horas diuiſimus: hoc autem non eſt abſurdum, ſicut neque abſurdum eſt, infinitas partes continui, iam diuiſas, effingere; cùm tamen eæ nõ niſi poteſtate diuiſibiles ſint.

Prima ratio Toleti, qua oſtendere nititur, Ariſto cõceſſiſſe infinitum re ipſa.

Sed reuertamur ad Toletum: qui duabus alijs rationibus oſtendere nititur, Ariſtotelem infinitum re ipſa conceſſiſſe. Primò quia, vt ipſe docet 4. Phyſ. tùm tempus exiſtere dicitur, cũ vnum inſtans adeſt, quod ſimul temporis partes annectit; quo modo dicimus, nunc eſſe hũc diem, hunc annum, &c. cùm ergo totum tempus præteritum, atque etiam futurum præſenti momento contineatur, atque illud infinitum ſit; ſequitur, ſecundum Ariſtotelis principia, infinitum, de quo loquimur, in rerum natura reperiri.

Reſponſio.

Ad hoc reſpondeo, tempus, ſecundũ Ariſtotelis ſententiam, duratione infinitum & eſſe, & appellari; quia. ſ. ante quodcunque tẽpus fuit tp̃s, & poſt quodcũque tempus erit tempus. Exiſtit autem tempus ſolo momento, quod appellant nũc; quia de tempore non habemus niſi nunc: ea. n. pars temporis, quæ præterijt, iam fuit: pars aũt futura nondum eſt; ꝓpteà nõ habemus niſi nũc: quod quidem tam futurũ, quàm præteritum continet; quæ eo modo infinita ſunt, quo ſupra declaratum eſt. Et continet quidem, non per quandam quaſi complexionem, adeo vt futurum ſimul, & præteritum complectatur; ſed per quandam connexionem, quatenus. ſ. futurum cum præterito nectit: eſt enim nunc initium futuri, & finis præteriti.

Secunda ro Toleti.

Probat ſecundò idem autor ſententiam ſuam, quia ex Ariſtotele 6. Phyſ. in continuo ſunt re ipſa infinita puncta, non ſeparata quidẽ, ſed iam exiſtentia: non igitur omnem infinitum numerum Ariſtoteles negauit; immò nec infinitum animarum numerum ſtatuere, eius doctrinæ principijs aduerſari videtur.

Reſponſio.

Verùm in hoc vir alioquin eruditiſſimus hallucinatus eſt; quia nunquam Ariſtoteles aſſeruit, in continuo infinita puncta re ipſa exiſtentia reperiri; ſed eſt ipſum cõtinuum, quod re ipſa exiſtit, quodque vna ſola res eſt. Tantum igitur duo puncta re ipſa in continuo, vt in linea, reperiuntur: alterum, quod principij, alterum, quod termini rationem habet: poteſtate verò infinita ſunt puncta, cùm in plures illud partes in infinitum diuiſibile ſit. Etenim ex lineæ diuiſione, & quaſi diſſolutione, naſcitur punctus; immò cum continuum, vt linea, diuiditur, duo oriantur puncta neceſſe eſt: alterum, quod eſt terminus lineæ, à qua pars aliqua ſecreta eſt: alterum, quod eſt initium illius partis lineæ auulſæ. Vanum igitur eſt ex Ariſtotelis principijs aliquod re ipſa infinitum elicere; ac deinceps non ſapit Peripateticam doctrinam, infinitum animarũ numerum admittere; quod & ipſe Toletus poſtea animaduertens, aliam propoſiti iam argumẽti ſolutionem adduxit.

### *Vera ſexta aduerſariorum rationis explicatio.* *Cap. XIV.*

Inſolubile apud Ariſto. eſt argumentum de animarum infinitate.

Dicebam initiò, ſextum argumentum, ab aduerſarijs propoſitum, de animarum infinitudine, ſolutu difficillimum eſſe: ſi Ariſt. principia ſpectemus: nunc abſolutè aio, eſſe illud apud Ariſtotelem penitus inſolubile. Nõ eſt igitur, cur ſolutionem illam quis expectet, qua, ſecundum Ariſtotelis principia, validiſſimum illud argumentum proſternatur; ſed dabimus tantummodo explicationem quandam, vt ſaltem immortalitatis animæ defenſores ſciant,

quo

quo nã pacto hęc difficultas tractanda, & quo ſcuto tela reijcienda ſint; nè fortè, argumento ſtatim propoſito, animo concidant, & veluti elingues obmuteſcant. Dixerunt nonnulli, & pręſertim Toletus, Ariſt. re vera difficultatem hanc non animaduertiſſe (quod fortaſſe non eſſet abſurdum: non enim poteſt quilibet præſertim in rebus arduis occupatus, difficultates omnes, quę de re aliqua contingere poſſunt, pręuidere) poſteriores autẽ philoſophos illius dogmata quàm diligentiſſimè ſcrutatos eſſe, inueniſſeque has tres propoſitiones ſibi cohærere, difficillimè poſse, mundum. ſ. æternum eſse, non dari infinitum re ipſa, rationalemque animã immortalitate gaudere. Conati ſunt nihilominus ſuis quique expoſitionibus, tàm celebrem philoſophum à contradictione vindicare. Communis erat conſenſus, ſi mundus eſt æternus, & anima immortalis, neceſse eſse, vt infinitæ numero animæ re ipſa extiterent: quod quidem abſurdum vt euitarent; in grauiora incommoda per imprudentiam forſitan inciderunt.

Errores varij ex dogmate de mundi æternitate orti.

Auerroes mundum æternum, & immortalem animam cum Ariſtotele poſuit; negauit tamen, ſingulos homines propriam animam, tanquam ſubſtantialem formam poſſidere; ſed vnam numero animam omnibus hominibus ſufficere aſſeuerauit: atque ita prorſus animarum multitudinem, ne dum eorundẽ infinitum numerũ, hac ſua explicatione vitauit.

Error Auer.

Auicenna mundum pariter æternum, rationalemque animam nunquam interire defendit; negauit tamen apud Ariſt. abſurdum eſſe, in rebus, quæ partis rationem habent, quæque imperfectæ quodammodo ſunt, infinitam multitudinem ſtatuere: cùm igitur anima per ſe totũ quoddam completum non ſit, ſed pars tantummodo perficiens; nullum putauit eſſe incommodum, infinitas numero animas in rerum natura reperiri.

Error Auic.

Alij ne infinitam animarũ multitudinem admitterent, ad Pythagoricum illud dogma confugerunt, dixeruntque, finitas quidem animas numero editas eſſe, quò tamen pluribus hominibus ſeruire poſſent, conceſſum illis fuiſſe, vt de corporibus in corpora tranſmigrarent: & hoc modo non propriè corporibus inſeruiunt; ſed potius plura corpora eiſdem famulantur, quatenus illis, veluti inſtrumẽta quędam, ad ſuas functiones obeundas, pręſtò adſunt.

Error Pythagoricorum.

Alex. facilem modum reperit, prædictum incommodum euitandi: demus, inquit, mundum æternum eſſe; non eam ob rem ſequitur, infinitam re ipſa animarum multitudinem exiſtere; propterea, quòd omnes vnà cum corporibus occidunt: quot. n. numero ſunt viuẽtes homines, totidem etiã putauit rationales animas reperiri.

Error Alex.

Ex his elicere poſſumus, quàm turpe ſit iurare in verba Magiſtri, cùm præſertim is eſt, vt ipſum aliquando erraſſe, nullam contradictionem inuoluat. Ex hoc maximo abſurdo, nimirum ex animi mortalitate, facilè poterant iſti philoſophi, rectè ratiocinando, ad veritatẽ peruenire, atque huiuſmodi demonſtrationem conſtruere: immortalis eſt anima rationis particeps: infinitus numerus animarum dari non põt; ergo mundus non eſt, nec poteſt eſſe æternus. Nihilominus, ob tantam fidem, quam Ariſt. præſtiterunt, ne ipſius de mundi æternitate ſniam, quam tot medijs, eum confirmaſſe cognouerant, negligere viderẽtur; maluerunt, vnũ errorem multis ambagibus, alijſque erroribus obtegere, quàm liberi, atque ſoluti ad rei veritatem accedere.

Nõ eſt iurãdũ in verba Magiſtri.

Quidquid autem alij dicant, quod ad propoſiti iam argumenti explicationem attinet, putarim ego, pace Ariſt. dixerim (veritas enim eſt anteferẽda autoritati) duo hęc apud ipſum, veluti ſecum pugnantia, mundi. ſ. æternitatem, atque finitam animarũ multitudinem, conſtare non poſse; idque ſecundum eius principia defendẽdo, infinitum re ipſa nullo pacto reperiri poſse. Hanc autem pugnantiam aut fortè initio Ariſt. non vidiſse: aut ſi vidit, non admodum enixè in illam tunc incubuiſse, eandem poſtea plenius conſideraturum. Cùm enim de mundi ęternitate diſputauit, tàm auidè ſniam illam complexus eſt; tantoque ingenij ſui conatu, ad illam contra omnes philoſophos comprobandam, acceſſit, vt non cogitarit tunc, immortalem animam eſse non poſse, ſi mundus ſtatueretur æternus: nam ſi hoc animaduertiſset, certè cùm cęteris philoſophis mundi originem confeſsus eſset. Attamen apertè docuit, mundum ęternum eſse: quod ideo feciſse eum, credibile eſt; quia non dum apud ſemetipſum ſtatuerat, quid de aĩæ mortalitate, vel ĩmortalitate docturus eſset. Poſtea verò cũ ad aĩam explorandã ſeſe penitus applicuit, eamque re vera immortalem eſse cognouit; tunc apertiſſimè incommodum illud animaduertit, quod neceſsariò mundi æternitatẽ ſequebatur, oportere. ſ. infinitas numero animas in rerum natura conſiſtere; & propterea ne palinodiam caneret, ſententiam ſuam de animi immortalitate multis tegumentis, & inuolucris implicauit, eandemque, ne ab vllo intelligeretur, multis ambiguitatibus reſperſit. Sed hoc

Qua ratione argũm de animarum infinitate ſit explicandum.

paulò

Lege cap 9.

paulò inferius explicabimus luculentius: ſcio enim huiuſmodi explicationem ægrè à plurib. peripateticis latum iri.

*Septimæ aduerſariorum rationis explicatio, vbi diſquiritur, an inter creationem, atque de poteſtate materiæ eductionem aliqua media productio danda ſit.* Cap. XV.

ERat ſeptima ratio, ſi Ariſtoteles animorum immortalitatem faſſus eſſet, eidem quoque creationem concedendam neceſſariò fuiſſe: ſi enim anima, cùm è materiæ potentia educta non ſit; immortalitate gaudet, alium modum inuenire oportet, quo ipſa producta ſit: alium autem productionis modum fingere non poſſumus, niſi eam à Deo Opt. Max. creatam eſſe dicamus, quod Ariſtotelis principijs omnino aduerſatur. Hoc argumentum non eſt minus explicatu difficile, quàm ſuperiùs, & re vera tota vis huius difficultatis in hiſce duobus argumentis poſita eſt: nam ſi infinitam animarum multitudinem concedamus, vel in doctrina Ariſtotelis creationem admittamus; facilè omnino erit, illius ſententiam de animorũ immortalitate defendere. Contrà vero, poſita de eius mente animorum immortalitate, non ita facilè eſt, infinitam animarum multitudinem, atque earũdem pariter creationem ipſius principijs accommodare. Sed qui ſuperioris argumenti difficultatem, ni fallor, ſuperauimus, huius etiam (opinor) difficultatem euademus. Dicunt igitur, aut anima eſt educta de poteſtate materiæ, aut non: ſi eſt educta; ergo mortalis: ſi non eſt educta; ergo creata. Vt ad formam argumentationis reſpondeamus, dicendum eſt, id in doctrina Ariſtotelis maximè ratum eſſe, & abſque vlla difficultate, aut formidine concedendum, animam rationis participem è materiæ poteſtate eductam non eſſe, ſed extrinſecùs corpori accedere, & diuinum quippiam iudicari. Ad hæc, ipſam à corpore ſeparabilem eſſe, poſt corporis interitum ſuperſtitem manere; operationem à corpore ſeiunctam habere; facultatem non organicam continere, cuiuſmodi eſt intellectus, qui nulli organo corporeo affixus eſt. Ex his apertiſſime elicitur, animã neque materialem, neque corpoream ſubſtantiam eſſe, neque item ex aliqua materia, aut virtute corporea ipſam educi aliquo modo poſſe. Omnia hæc ex ipſius Ariſtotelis monumentis iam ſatis commodè ſupra elicuimus: fatemur tamen, nil horum apertiſſimè eum pronunciaſſe; ſed quædam duntaxat, rationibus à nobis, cùm ſuperiùs dictis, tùm infra dicendis, obſcurè docuiſſe, & quaſi tacitè explicuiſſe. Sed quid ad aliam prædictæ hypotheticæ propoſitionis partem dicendum eſt? Creata ne eſt anima rationis particeps, cùm ex materiæ poteſtate deducta non ſit? Sunt nonnulli, qui ad nomen creationis in doctrina Ariſtotelis euitandũ, medium quiddam inter creationem, atque de potentia materiæ eductionem ſtatuerunt. Pro cuius rei maiore explicatione præmittunt, id pro nunc illud creari dicendum eſſe, quod nunc primùm ortum eſt, & antè non erat; immò nec eius quicquam: ſi enim id verum eſſet, fateri neceſſariò cogeremur, formas omnes, cuiuſuis generis illæ ſint, vel in Ariſtotelis doctrina, creatas eſſe: quoniam formæ recens in materiam inducuntur, cùm priùs nec ipſæ eſſent, nec illarum quicquam in materia reperiretur; non tamen ob eam rem formæ creari dicuntur. Quo fit, vt eductio de poteſtate materię nil aliud ſit, quàm alicuius formæ productio, quę antè nõ erat, nec eius quicquam; ipſa tamen præexiſtenti iam, atque affectæ materiæ vnita eſt, à qua cùm in eſſe, vt aiunt, tùm in conſeruari pendere dicitur. Iam verò omnes iſtæ formæ, quæ de materiæ poteſtate educuntur, cùm à materia pendeant, nullam operationem, niſi cũ materia communem hr̃e poſſunt, & propterea neque à materia ſeiungi, nec ſeiunctæ ſeorſum conſiſtere, propriamque exiſtentiam habere queunt; ſed vna ſtatim perit, ac altera illi in materia ſuccedit. Porrò huic productioni oppoſitum inuenire, non ita facilè eſt (non enim interitus eſt, vt qui toti compoſito conueniat, quemadmodum & generatio: illud ſiquidem generari propriè dicitur, quod ex materiæ, & formæ coniunctione coaleſcit) niſi dicamus, hoc ipſum, quod eſt deſinere eſſe in materia, è directo eidem prædicationi aduerſari: nam neque annihilatio nuncupari poſſet, vt quæ creationem ipſam tanquàm proprium oppoſitum reſpiciat. Satis igitur iam explicatum eſt, quid ſit eductio de poteſtate materiæ. Creatio verò eſt alicuius formæ productio, quæ priùs non exiſtebat, nec aliquid antè, ad eius conſtitutionem quoquo modo pertinens, omnino erat; ſed quæ ſeorſum, citra alterius opem, conſiſtit. Hoc modo Angelus apud Theologos creari dicitur: eſt enim ſubſtantia per ſe exiſtens, quæ recẽs à Deo ex nihilo edita eſt. Inter has duas productiones modũ quiddã nonnulli, idq; pręcipuè

ob

Huius rõnis difficultas.

Soluitur ſeptima aduerſariorum rõ.

Nec materialis eſt anima rõnalis, nec ab vlla corporea virtute ortũ accipit ſuum.

Opin. aliquorum ponẽtiũ productionẽ mediã inter creationem, atq; de poteſtate materię eductionem.

Quid ſit eductio de poteſtate materiæ.

Quid ſit creatio.

Rõnalis aïæ

ob aĩam rõnis participẽ,ſtatuerũt; etenim recẽs quidem illa,vel ipſius Ariſ.teſtimonio,edita eſt;nõ eſt tñ vt cæteræ formæ,quæ tametſi ex nihilo factę ſunt,ĩ materia nihilominus,à qua vt dictũ ęſt, & in eſse, & in conſeruari pendẽt, productę ſunt; ſi,n.ex harũ formarũ numero eſset aĩa,de qua loquimur;tunc ſicut illæ formę pereunt,ita pariter illa periret,nec poſt diſſolutum compoſitum,vt aſserit Ariſt.remaneret. Non igitur rationalis anima de poteſtate materiæ educta eſt,neque etiam eo modo,quo Angelus,ipſa creata;quia non priùs anima edita eſt,q̃ præparato iam corpori ſit vnita;& propterea ſeorſum ipſa ſicut Angelus non conſiſtit. Quarę neceſse eſt,inquiunt,productionẽ aliquam mediam ſtatuendã eſse, vt dicamus,aĩam recens quidem,& ex nihilo in affecta,pręparataque materia, hoc eſt in humano corpore productam eſse;ab ea tamen illam nec in eſse,neć in conſeruari pẽdere. Hoc quippe ex eo maximè elicitur,quia temporis lapſu,mutatione materię,puta corporis, naturales quidem virtutes perficiuntur:nam puer,ex.gra.& quantum ad vires,& quantum ad partem vegetalem,& ſentiẽtem,temporis decurſu perficitur;quia materia mutatur,& robur acquirit: ſicut contra in ſenectute,langueſcẽtę quodammodo materia,labeſcunt etiam vires,& ſenſim deficiunt. At verò intellectus,mutatione materię, non perficitur,niſi accedẽtę ſtudio, atque doctrina; neque etiam langueſcẽte materia debilitatur;quod argumento eſt,animę ſubſtantiam in materia penitus defixam non eſse,adeo vt ab ipſa,aut in eſse, aut in conſeruari pendere dicatur; ſed ab ea penitus ſeparabilem eſse.

Productio media inter creationẽ, atque de potentia materiæ eductionẽ, à nõnullis ſtatuitur.

Intellectus non perficit mutatiõe materiæ, ſed ſtudio, atq; doctrina.

*Productionem mediam inter creationem, atque de poteſtate materiæ eductionem admittendam non eſſe.* *Cap. XVI.*

VErùm enimuerò quantum media hęc inter creationem, & de poteſtate materię eductionem productio,rationi,cõſentanea ſit,digreſſione nunc aperiamus. Et quod ad me attinet,puto,eos,qui mediam hanc productionem in Ariſt.ſtatuunt, totiſque viribus creationem auferre contẽdunt,non niſi de nomine decertare. Nam quęrerem ego rationalis anima ex aliquo ne, an ex nihilo facta ſit. Si ex aliquo;genita igitur eſt,aut ſaltem ex materiæ poteſtate deducta. Si ex nihilo;ergo creata:ita enim creatio definiri ſolet, vt ſit alicuius ex nihilo productio. Dicent fortaſſe, rationis participem animam ex nihilo quidem factam eſſe, tamen in aliquam materiam inductam,cum qua adeo cohæret,vt per ſe ſubſiſtere nulla ratione poſſit;idque ſatis eſſe,vt ipſa non creetur,eo modo, quo Angelos creari dicimus, qui ſunt ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtẽtes. Sed hæc reſpõſio difficultatem non aufert:nam aut materia,in quam anima introducitur, eſt aliquid ad ipſius naturam, atque ſubſtantiam aliquo modo pertinens:aut eſt aliquid,quod omnino extra illius ſubſtantiam contineatur; ſi detur primũ; ergo anima ex illa materia facta eſt. Cõſecutio eſt perſpicua:quoniã cùm materia,& forma res quædam ſint,quæ ad interiorem ſubſtantialis compoſiti conſtitutionem pertinẽt;neceſſe eſt,vt compoſitum ex ipſarum vnione conſletur:ſic igitur eſſet anima,ſi materia,in quam introducitur,ad ipſam interiùs pertineret. Si verò alterum admittatur,materiam.ſ.nullo modo ad animam pertinere,ſed eam tantum ante requiri,vt anima iam edita, in ipſam inducatur; quid aliud hoc erit,quàm animam creatam,aut ſaltem increatam.i.in aliquo,puta in corpore creatam eſſe fateri? Sed dicẽt,ſi animæ in corpore productio creatio nuncupatur,tunc cęteras quoque formas,in materia creatas eſſe: fateri neceſſariò oporteret,quia ne illæ quidem ex materia aliqua factæ ſunt (vnum enim principium non fit ex alio,vt habetur 1. Phyſic.) ſed ex nihilo in affectam,pręparatamque materiam inductæ,igitur creatæ. Argumẽtum hoc ſoluere neſciẽtes,mediam hanc productionem,inter creationẽ,& de potẽtia materiæ eductionem,ponere coacti ſunt,quæ quidem,apud eos,eſt rationalis animæ productio: ſermo.n.nũc eſt de productione formarum; alioquin dicere poſſemus, mediam productionem eſſe ipſam generationem;ſed hæc compoſitorum tantum eſt,formarum non item. Nos aũt,qui mediã hanc productionem non admittimus,propoſitum argumẽtum facilè diluemus;neque.n. nos fugit illius ſolutio. Reſpondemus igitur,latum eſse diſcrimen inter productionẽ animæ rationalis in corpore,& productionem aliarum formarum in materia. Anima rationalis ita producitur in corpore,vt quantuncunque affectum illud ſit, nihilominus nullam penitus habeat vim:vt vllius naturalis agẽtis ope, eadem in ipſum introducatur, ſed in eo ſolũ affectio talis requiritur, vt non niſi poſtquam perfectè organis inſtructum eſt, rationalem animam, à

Prædictę opinionis cõfutatio.

Aduerſariorum ſolutio.

Replica.

Aduerſariorũ obectio.

Solutio.

Rõnalis aĩa non vi affectionis, materia repertę ſed à Deo, ſi

berè procreatur.

Deo proximè, & abſque vlla præcedente affectione editum, in ſeſe recipere poſſit. Secus eſt in cæteris formis: nam dum materia certam aliquã affectionem adepta eſt, vi eius affectionis, naturale agens, quodcunque illud ſit, ſiue virtus cæleſtis, ſiue ſpiritus animę mundi, ſiue quiuis alius formarum dator, de quo nolo modò diſputare; ad inducendam formam illã in materiam, ad quam ipſa præparata erat, neceſſariò cogitur; & propterea huiuſmodi formæ creari non dicuntur: nam materia ad illarum eductionem vim aliquam habet, eique cum illis conuenientia quædam, & quaſi affinitas intercedit. Redeamus ad animam. Cùm corpus perfectè organis inſtructũ eſt, quanuis ex quadam pactione diuina (vt aiunt Theologi) Deus quodammodo ad animam edendam, eandemque in corpus, iam affectum, immittendam cogatur; re vera tamen nullam habet Deus neceſſitatem, ad animam procreandam; quia extrinſecùs, vt iidem aiunt, non neceſſariò, ſed liberè, & contingenter agit: quanuis philoſophi, ſupero lumine deſtituti, tueantur, ipſum neceſſariò agere, nihil tamen noui proximè condere, cùm omnia ex æternitate condiderit. Probabiliter igitur defendere poſſumus, ſi Deus quaſi manus contrahere, ab illoque generali, & legitimo concurſu deſiſtere vellet, permittere illum facilè poſſe, vt indiuiduum aliquod in humana ſpecie procrearetur, & illud idem abſque anima rationis participe in lucem prodiret: nam tametſi corpus illud requiſitis organis præditũ eſset; Deus tamen ſuo iure non creare animam, nec illam in præparatum corpus immittere poſset, & tunc indiuiduum illud, ſic procreatum, hominis quidem figuram præſeferret; rationali tamen anima deficiente, non eſset homo, ſed duntaxat operationes à vegetali, & ſentiente anima prodeuntes, veluti bellua exerceret: quanuis fortaſse, ratione temperamenti, præſertim quod ad facultates cognoſcentes attinet, perfectiores operationes edere poſset. Ecce igitur, quomodo abſolutè loquendo, non organorum vi, aut corporis affectionis; ſed ſolùm liberè à Deo rationalis anima procreatur; cùm tamen vi affectionis materiæ, quælibet alia forma à naturali agente in lucem proferatur, & propterea non creetur. Illud addo etiam, ſi organorum vi rationalis anima citra creationem educeretur, tunc id muneris naturale quoque agens obire poſset: hanc enim formam educeret ſicut alias: at verò id nullo modo facere poteſt; ergo ſignum eſt, rationalis animæ procreationem perfectiorem virtutem efficientis, quã ſit virtus naturalis agentis, requirere. Solus igitur Deus eſt, qui cùm infinita virtute prǫditus ſit, rationalem animam ex nihilo in pręparatum corpus producere poteſt; quod quidem nihil aliud eſse dixeris, quâm creare. Præterea, cùm anima per ſe ſubſtantia ſit, quæ tamẽ, ad corpus perficiendum, innatam ſibi habilitatem habet, quemadmodum Deus animam cum illa habilitate effingit, ita eandem abſque illa habilitate effingere, aut ſaltem habilitatem illam quaſi ſuſpendere poſset, & ſic edita anima, aliquid per ſe exiſtens diceretur. Nihil igitur virium habet corpus ad animæ procreationem, &, quod hinc ſequitur, impedimento non eſt, quo minus anima verè creetur, quia in ipſo eadem producatur.

Organis corpore inſtructo, ꝗ poſſet Deus ſua libertate nõ alẽ animam in illud non increare.

Ratio ꝓbãs rõnalem animam verè à Deo creari.

Alia ratio ad idem.

### *An in doctrina Ariſtotelis ſit admittenda creatio.* *Cap. XVII.*

QVid igitur dicendum eſt, ſi non datur hæc media productio inter creationem, & de potentia materiæ eductionem? eſt ne admittenda in doctrina Ariſtotelis creatio? Hęc eſt dubitatio, quæ diu clariſſimorum virorum ingenia torſit. Nolo ego hâc in re multus eſſe: afferam paucis aliorum opiniones, & dicam, vt potero, breuiſſimè, quid ſentiam. Tres igitur ſententiæ de propoſita dubitatione diuerſæ reperiuntur. Prima fuit Henrici Ganda. quolib. 8. q. 9. Gregorij Arim. lib. 2. Sententiarum d. 1. q. 1. Marſilij ibidem q. 1. ar. 2. Iand. 2. Metaph. q. 5. & aliorum, quos citat Franciſcus Suarez in diſputationibus ſuis Metaphyſicalib. diſp. 20. ſol. 1. nu. 24. Putarunt iſti, Ariſtotelem creationem minimè cognouiſſe, atq; in hanc ſententiam pluribus eiuſdem Ariſtotelis autoritatibus ducti ſunt. Primo, quia principium illud, quod apud omnes philoſophos, ſatis tritum, atque vulgare eſt. ſ. ex nihilo nihil fieri, *vbique* in ſua philoſophia cùm admittere, tùm etiam ponere videtur. 2. quia ſi potentiæ actiuæ definitionem legamus, quam 5. Metaph. c. 12. tradidit, inueniemus, illam in ordine ad paſſiuam potentiam definitam fuiſſe: ait enim, eam eſſe potentiam tranſmutandi aliud, quatenus aliud: qua quidem definitione ſignificauit, nullam actionem dari poſſe, quæ vel motum, vel mutationem coniunctam non habeat, cuiuſmodi non eſt creatio. Rurſus 2. Metaph. c. 1. remouet cauſam à rebus ſempiternis, & quæcunque nulli interitui obnoxia ſunt, quaſi per ſe

Opin. negãs creationẽ in doctrina Ariſtot. Henricus. Gregor. Marſilius Iandunuſ. Vide Franc. Suarez.

ne-

neceſſaria, æterna facit. Cùm igitur alium effectionis modum, quàm illum, qui cum motu, vel mutatione fit, Ariſt. non agnouerit, non videtur poſſe id cum eius principijs conſentire, vt. ſ. creationẽ ipſe, quæ modus quidam eſt producendi, & efficiẽdi, citra motum, & mutationẽ, aliquando conceſſerit. Oppoſitam omnino ſnĩam amplexati ſunt S. Thomas multis quidem locis, ſed præcipuè prima par. Summæ q. 44. Scotus in quolib. q. 7. Herueus tractatu de mundi æternitate q. 4. & alij complures. Multa habẽt doctores iſti, pro huius ſnĩæ confirmatione, ſolida fundamẽta. Primo, quia Ariſt. 2. Metaph. c. 1. ait, aliquod dari ens veriſſimum, & perfectiſſimum omnium, quod cæterorum cauſa exiſtat, ibique loquitur de cauſa efficiẽte. Deinde lib. 1. de Cœlo tex. 100. naturam quandam immortalẽ, atque diuinam ſtatuit, vnde cęteris, alijs quidẽ cla iùs, alijs verò obſcuriùs ipſum eſſe, viuereque pẽdeat. Ad hæc 12. Metaph. vnum ens eſſe concludit, quod inter omnia principẽ locum obtineat: ait. n. entia nolunt malè regi, vnus ergo princeps; non eſſet aũt princeps, niſi omnia ab eo, tanquam à principio pẽderẽt: quod ipſemet confirmat, dum aſſerit, Cęlum, & Naturam à Deo pẽdere, quę omnia abſque creatione fieri nullo modo poſſunt.

Opinio affirmãs creationem in doctrina Ariſt. S. Thom. Scotus Herueus.

Fuit tertia opinio inter duas iam dictas quaſi media, quæ in hac potiſſimum diſtinctione cõſiſtit: aut. n. de ea creatione loquimur, qua aliquid recẽs in lucem editur, cùm priùs omnino non eſſet: aut de ea, quæ fit per modum naturalis, & æternæ cuiuſdam emanationis à primo ente. Concedunt igitur nonnulli, Ariſt. poſteriorem hanc creationẽ agnouiſſe: poſuiſſeque, res omnes indiſſolubiles à Deo ex æternitate editas eſſe: priorẽ autem creationem omnino negant, eundem aliquando percepiſſe.

Opinio media nõ oẽm creationem Ariſtotelem agnouiſſe.

Minus Ariſt. hæc opinio à rei veritate ſeiungit, quàm ea, quæ ſtatuit, res omnes indiſſolubiles, cuiuſmodi ſunt Cęlum, & Intelligentiæ, à Deo tantum in genere cauſæ finalis, non itẽ efficiẽtis pendere (quod alia diſputatione tractabimus) caput tñ difficultatis, de qua nunc loquimur, non attingit.

Quære diſp. in quonã genere cauſę ęterna à Deo pendeãt.

Faciamus. n. Cęlum, & Intelligẽtias à Deo ab æterno, tanquam ab efficiẽte cauſa procreatas fuiſse, quid de rationali anima dicẽdum erit; cùm & ipſa, vt iam ſupra ex Ariſt. ſnĩa probauimus, indiſſolubilis, & immortalis ſit? Non. n. de materiæ poteſtate deducitur, ſed extrinſecùs corpori accedit, vt diſertiſſimis verbis lib. 7. de Ortu animalium cap. 3. Ariſt. aſserit: qua ergo productione producetur, ſi non creatur? Nec dicat quiſpiam, exiſtumaſse Ariſt. aĩas omnes ab æterno editas eſse, eaſdẽque poſtea in tẽpore corporib. adiungi: nam Ariſ. 12. Metaph. tex. 16. de formis diſputãs, quę exiſtentiã cõpoſito largiũtur, generatim aſserit, nõ priùs formã, quàm ipſummet cõpoſitum iã conſtitutũ exiſtere, & apertè ibi rationalem animã cõpræhendit, vt ſupra explicauimus.

Dubium notabile de rõnali aĩa, quo media nęc opinio reijcitur.

Si inter tot clariſſimos Viros ſnĩam meam pronunciare liceret, dicerẽ, opinionem illam, quæ ſtatuit, Ariſt. creationem agnouiſſe, longè quàm oppoſitam probabiliorẽ eſſe: plus tamen cum principijs philoſophi conſentire, non eſſe in eius doctrina creationem admittẽdam, quàm concedendam. Dicam dilucidius, vt omnes aſſequantur. Probabile quidem eſt, Ariſt. creationem agnouiſſe; ſed tamen non ita apertum, manifeſtumque eſt, eum ipſum creationem docuiſſe: cùm ex eius principijs totum oppoſitum eliciatur.

Autoris ſententia.

Sed vnde elicio, creationẽ Ariſt. cognitam fuiſſe? Elicio ex hoc, quia ipſe, vt ante dixi, animam immortalem, & illam diuinitus ſuam originem accipere exiſtimauit: quæ quidẽ origo aliter, quàm creationis interuẽtu eſſe nõ poteſt. Nam ſciſcitabor ab Ariſt. ſi rationalis anima, non vt ſentiens, & vegetalis, à materia originẽ ducit, ſed ortum ſuum à Deo accipit; ſitne illa ex aliquo, an ex nihilo? Si ex aliquo, cur ſubiectum illud, ex quo fiat, non aſſignauit, cũ iã eandẽ ex ſemine proficiſci negauerit? Si ex nihilo, nec in illius effectione motus aliquis cõſpicitur, quid aliud ergo erit eius productio, quàm creatio? Hæc igitur veritas de animæ immortalitate, ad hanc aliam veritatẽ percipiendam Ariſt. produxit, vt. ſ. aliquid à Deo ex nihilo effici, atque adeo creari poſſit.

Ariſt. veram creationẽ agnouit, eam tamẽ apertè non docuit.

Verùm quoniam ſicut decretum de animæ immortalitate non omnino cum illius doctrinæ principijs cõſentit, ita neque ea, quæ animæ immortalitatẽ conſequuntur, rectè eiſdem aptari poſſunt, in quorum numero eſt animarum creatio: propterea factum eſt, vt quẽadmodum parcè, & perobſcurè de animæ immortalitate Ariſt. locutus eſt; ita etiam perpauca de creatione dixerit, ſatiſque ipſi fuit, vt ex aliquibus eius doctrinæ locis eliceremus, ei vtrumque ſuboluiſſe. Hæc pro ſeptimæ rationis ſolutione ſint ſatis.

### *Soluuntur tres vltimæ aduerſariorum rationes. Cap. XVIII.*

OCtaua ratio erat de ipſius animæ mobilitate: ſi enim à corpore ſeiungitur anima, fit vt de loco ad locum transferatur, atque ita loco moueatur, quod eius indiuiſibilitati repu-

Reſpõſio ad octauam rõnem.

gnat:eſt enim in 6.lib.de Phyſico auditu ſatis peruulgatum axioma, indiuiſibile moueri nequaquã poſſe. Sed ſi diffusè de motu animæ rationis participis diſſerere vellemus, lõgius certè, quam par eſſet, diſputatio produceretur; multa.n.cum de loco, tùm de motu explicanda nunc eſſent, quæ nos extra propoſitam dubitationem deducerẽt: ſatis igitur erit, ſi ad formã propoſitæ argumentationis reſponderimus. Dicebatur, ſi anima à corpore ſeparabilis eſt, inde ſequi, vt illa mobilis ſit, atque adeo de loco ad locum moueatur, Id totum admitto. Sed hoc r pugnat Ariſtoteli 6. Phyſ. Nego. Ad probationem, cùm dicitur, indiuiſibile nullo modo moueri poſſe, Reſpõdeo, indiuiſibile duplex eſſe: alterũ de genere quantitatis, & eſt illud, quod habet poſitionem in continuo, ſicut punctus: alterum de genere ſubſtantiæ, & eſt illud quod materia caret, ratione cuius vnumquodque diuiſibile eſt: quod enim materiale eſt, protinus diuiſibile eſt: huius autem generis indiuiſibile eſt anima ipſa, quæ a materiæ commercio quàm longiſſimè abeſt. Cùm ergo dixit Ariſtoteles 6. Phyſ. indiuiſibile moueri non poſſe, id ſolùm intelligi voluit de indiuiſibili, ad genus quantitatis ſpectante; quod ideò moueri non poteſt, quia ea ratione qua indiuiſibile eſt, illi repugnat eſſe partim in termino, à quo, & partim in termino ad quem. Anima autem non eſt indiuiſibilis, ſicut punctus; cũ nullo modo ad genus quantitatis pertineat; & propterea eidem aliquo modo in loco eſſe, & de loco ad locum moueri non repugnat; quanuis Ariſtoteles, qui in ſenſibilibus rebus tantummodo explicandis, omnem ſuam curam, & diligentiam adhibuit, de huiuſmodi animæ loco, vel etiam motu, nullam omnino mentionem fecerit. Dicet fortaſſe quiſpiam, quiſnam locus; aut quænam ſpecies motus ſeparatæ animæ poterit aſſignari? Reſpondeo primum, animam, vt quãuis aliam ſeparatam ſubſtantiam, cùm alicubi ſit (neque enim eſt extra vniuerſum; cùm eſt extra corpus) neceſſariò in loco eſſe; locum tamen non replere, quia non eſt quanta. Quoniã verò ita eſt hic, vt non ſit alibi; idcirco definitum & determinatum locum habere dicitur, & hoc eſt, quod appellant Scholaſtici, eſſe in loco definitiuè: propria enim ratio eſſendi ſimpliciter in loco, non eſt quantitas, vt nonnulli arbitrantur (hæc.n.eſt ratio eſſendi in loco per repletionem, & ſecundum dimenſionem, non tamen ſimpliciter) ſed eſt relatio quædam præſentiæ locati ad ipſum locum. Sed de hoc alibi diſputaui. Deinde verò quod ad motum animæ pertinet, à corpore ſeiunctæ, ille non eſt motus phyſicus, quo res mobiles, dum mouentur, ſunt partim in termino à quo, & partim in termino ad quẽ; ſed eſt motus quidam Metaph. quo incorporeæ ſubſtantiæ relationem præſentiæ ad aliquem locum acquirunt. Sic igitur ſeparata anima de loco ad locum moueri poteſt; nec tamen momento, ſed breuiſſimo tempore motum abſoluit ſuum: antequam enim ad vltimum terminum perueniat, opus eſt, vt per medium ſpatium pertranſeat, eo modo, quo ſi Angelus, vt Theologi aſſerunt, de Cælo ad terram moueretur, neceſſe eſſet, vt per loca media pertranſiret; quia illius motus momento non fieret. De hoc autem Metaph. motu Ariſtoteles verba non fecit, ratione à me paulò ſuperiùs allata: motum enim ſenſibilium duntaxat corporum conſiderauit, quæ vel ſecundum naturam ſurſum, aut deorſum, vel exteriùs in orbem, vel ad libitum progreſſione ferũtur. Nona ratio erat, ſi diſſoluto corpore, perſiſteret anima; tũc ocioſam illam eſſe, & inuitam extra ſuũ naturalem ſtatum permanere; cùm ad corpus perficiendum, & informandum inſitam habilitatem habeat. Hæc quoque ratio maximi ponderis eſt, & multum facit ad corporum reſurrectionem, ſecundum veram philoſophiam concludendam, à qua certè non abhorret Catholica noſtra fides: quid tamen in Ariſtotele dicendum ſit, non ſatis omnibus manifeſtum eſt. Pythagoras, qui immortales animas eſſe putauit, ne ocioſas eas extra corpora faceret, ſuam illam animarum de corpore in corpus tranſmigrationem induxit, ad quam multi, vt Ariſtotelem defenderent, confugerunt. Auicenna putauit, vnicuique animæ naturalem quandam habilitatem, & appetitum ad corpus ſemel informandum inſitum fuiſſe; & propterea vbi ſemel appetitus ille expletus eſt, non amplius hoc idem illam expetere, hincque fieri, vt extra corpus violenter non maneat. Dixerunt alij, manere violenter extra aliquem locum, ſimplicibus tantummodo corporibus conuenire, vt cùm grauia ſurſum, & leuia deorſum vi aliquã detinentur; animam verò, dum extra corpus eſt, à nullo detineri; quinimmò veluti carcere ſolutam, ſui iuris factam eſſe. Neque enim priùs in corpore manebat, propterea quòd corpore indigeret; ſed quia corpus illius requirebat auxilium; atque adeo extra corpus ocioſa nõ manet, cùm extra illud nobiliores, atque perfectiores operationes edat. Hæc, quæ ab alijs dicta

ſunt,

Indiuiſibile duplex.

Anima ſeparata definitũ habet locũ, cui eſt præſens, abſque occupatiõe.

Quænam ſit propria, atq; formalis rõ eſsẽdi ſimpliciter ĩ loco.

Quis motus cõueniat animę ſeparatę.

Rñſio ad nonam rationẽ ſecundũ aliorum placita.

ſunt, pro huius argumẽti ſolutione, fortaſſe ſufficerent; nihilominus pro maiorẽ eiuſdem explicatione, nonnulla rurſus iam dictis adiungere libet. Trium difficultatum explanationem huiuſmodi argumentum, ni fallor, expoſcit. Prima eſt, An animæ, & corporis coniunctio naturalis ſit. Altera, ſi naturalis eſt iſthæc coniunctio, an vnius ab altero ſeparatio ſit violentá. Tertia, anima à corpore ſeiuncta, aliquod ne agat, an octioſa ſemper torpeſcat. His explicatis, optimè, opinor, argumẽtum ſolutum erit. Sciendum igitur eſt, rationalem animam, ex Ariſt. ſnia, ſubſtantiam eſſe, non è materia ortam, ſed diuinitus procreatam, ceu formam quãdam, humano corpori perficiundo ſatis idoneam, & accommodatam; quinimmò eandem occaſione corporis editam eſſe: cùm primùm.n.corpus omnia requiſita organa adeptum, dignumq; animæ receptaculum factum eſt, tũc anima illuc immigrat, atque cum eo arctiſſimo amoris, neceſſitudiniſque vinculo conſtringitur. Iam verò vbi anima humani corporis forma facta eſt, naturaliter quidem, nec vlla vi ab aliquo pulſa, in eodem continetur: tamen hæc naturalis animæ in corpore permanſio, non illi eſt ſimilis, qua grauia in centro, & leuia in lunæ concauo detinẽtur: etenim hæc ita ſecundum ſuam naturam in iſtis locis commorantur, vt ſi alibi detineantur, paruo ſint interuallo temporis peritura. Hinc fit, vt, ſi violenterè proprijs locis dimoueantur, & aliquando ſuæ naturæ relicta ſint, ſtatim grauia, magnis itineribus properent ad medium; leuia verò quàm maximo poſſunt impetu, in ſuperam regionẽ cõcedant. Quid ita? quia ad iſta loca, à quibus eorũ conſeruatio pẽdet, naturalem habilitatẽ habent. At verò rõnalis anima, cùm nullã à corpore ſuſpenſam rõnem habeat (neque.n.ab illo pendet in eſſe, nec, vt aiũt, ĩ cõſeruari) nõ ita in corpore manet incluſa, vt ſi ab eo ſeiungatũ, quã mox eadẽ peritura ſit: vt intelligamus, appetitũ animę ad corpus informandũ, cuiuſdam potius oblectationis, & iucundi motus, quàm merè naturalem eſſe. Iunguntur itaque, copulãturque inuicem anima, & corpus, quaſi duo chariſſimi, & fidiſſimi amici, qui maximam inter ſe conuenientiam habeant, quorunque alter alterius commodis inſeruiturus ſit. Hinc ſequitur, ſi animæ, & corporis coniunctio non omnino naturalis eſt; nec violẽtam vnius ab altero ſeparationem fore. Quid.n.anima, ob ſui à corpore ſeparationem amittit, quod ad ſui naturam, & ſubſtantiam, vel etiam ad conſeruationem neceſſarium ſit? Cæteræ formæ, quas præuiæ materiæ affectiones expromunt, cum materia, ijſdem affectionibus perſiſtẽtibus, naturaliter manent: vbi verò affectiones illæ mutatæ ſunt, ſtatim formæ pereunt, vtpote quæ ſeorſum conſiſtere nequeant. Rationalem autem animam nulla prorſus affingit corporis affectio: neceſſe quidem eſt, vt organis illud inſtructum, præparatumque ſit; anima tamen (vt antè dictũ eſt) illius præparationis virtute non educitur. Cur igitur cùm corpus vehemẽti aliquo morbo cõfractum eſt, illa confeſtim foras emigrat? Rationem pulcherrimam aſſignat Fernelius: quia tametſi à corpore non pẽdet: conuenienti tñ corporis mediocritate teneri deſiderat: quæ ſi parùm commutabitur, functionibus illa ſuis deſtituetur: ſin multum, tantam illam diſcrepantiã perhorreſcens, nec ferre potens, de corpore decedit. Vt.n.opifex, idoneis inſtrumentis inſtructus, ſi in tenebroſum, aut arctum conclaue contrudatur, quæ artis ſuæ ſunt, efficere nequit, ſic anima, vitioſo corpore, quod eſt tanquam domicilium coercita, quæ ſua ſunt munia, exequi non poteſt, & propterea nulla violentia, ſed libẽtiſſimè potius à corpore diſcedit. Huius autem diſceſſus difficultas, quæ in hominis morte conſpicitur, non ex anima oritur: nihil.n. ab eo detrimenti acceptura eſt, ſed à toto conſtituto, quod quemadmodum naturaliter perennitatem exoptat; ita interitum totis viribus reſpuere conatur. Libera igitur, & veluti ſoluta vinculis, anima à corpore ſecreta manet, nullaque vi extra corpus detinetur. Iam verò vt tertiam quoque difficultatem diluamus, quodnam opus anima, à corpore ſeiuncta de ſe promere valet, cùm inſtrumẽtis, ad proprias functiones obeundas neceſſarijs, deſtituta ſit? Dixi ſuperius, Ariſtoteliſque autoritate firmaui, animam non eſſe facultatem organicam, adeo vt alicui organo corporeo neceſſariò affixa ſit, ſine quo operari nequaquam poſſit. Etenim omnia organa, quibus humanum corpus præditum eſt, non ipſius animæ, ſed totius hominis gratia comparata ſunt: ipſe.n.erat, qui prius ſentiebat, intelligebat, aliaſque id genus operationes edebat, non autem anima, vt 1. libro de Anima tex. 64. Ariſt. docet: propterea non ociatur anima extra corpus conſtituta, ſed eſt perpetuò intellectionibus addita. Dicet, ne Ariſtoteles, feriari Intelligentias, quòd organa ad intelligendum non habeant? Minimè verò, propterea quòd non verſantur illæ in obiectis, quæ poteſtate, ſed quæ re ipſa intelligibilia

Autoris ſolutio, tres difficultates explicans, quæ in argumẽto continẽtur.

Rationalis anima occaſione corporis edita eſt.

Quo intelligendum ſit, aiæ, & corporis coniũctionem, naturalem eſſe.

Animę à corpore ſecretio non eſt violenta.

Cur animæ, cõfracto, aut vitiato corpore, foras emigrat, ſi ab eius affectionibus nõ pẽdet.

Difficultas ſeparationis animæ à corpore vnde proueniat.

Non feriari animã extra corpus cõſtitutam.

bilia ſunt. Eodem igitur modo operabitur anima a corpore ſeiuncta, res ſolùm tractando, quæ purè intelligibiles ſunt, quæque vt intelligantur, nullum exigunt inſtrumentū: quinimmò erit tunc ſemper intelligens, vt 3. li. de Anima tex. 20. ipſemet Ariſ. rotundo ore fatetur. Non video quid prætere a pro prædicti argumenti ſolutione, aut addi debeat, aut poſſit. Soluamus nunc vltimum argumentum, quod aduerſarij mirantur, cur, ſi immortalem humanā animam Ariſtoteles exiſtimauit, non aliqua ſaltem de illius ſtatu, poſt hominis obitum, diſſeruerit? Si Ariſtoteles reuixiſſet, nec aliquid nobis de ſtatu, & loco rationalis animæ, poſt egreſſum à corpore, retuliſſet; maxima vtique reprehenſione dignus cenſendus eſset; quid mirum autem eſt, ſi ea nō docuit, quæ docere nullo modo potuit? Quam plurimos philoſophos (aiunt) hac eadem de re multa verba feciſse, vt apud Platonem, Mercurium Triſmeg. Diogenem Laert. Ciceronem, Macrobium, Heſiodum, Homerum, & alios videre licet, qui locum, & ſtatum rationalis animæ, poſt hominis obitum, pulcherrimè deſcripſerunt. Neſcio, an aduerſarij noſtri vera eſse credant, quæcunque ab iſtis philoſophis tradita ſunt: vtinā crederent, quia mortalem humanam animam non exiſtimarent: ſed certò ſcio, nullam omnino fidem iſtorum philoſophorum dictis illos habere, & iure quidem: quoniam multa dixerunt, pauciſſima tamen probarunt. Quæcunque ab eis de ſtatu, & loco animæ, poſt hominis obitum, enarrarunt, partim fabulæ ſunt; quas ipſimet effinxerunt, partim per traditionem ab Aegyptijs acceperunt: qui multa, diuinitus eis reuelata, ſciuerunt, quæ tamē poſteriores philoſophi non planè perceperunt; & propterea eadem ipſi, multis inuolucris implicata, cæteris enunciarunt. Ariſtotelis verò conſuetudo fuit, ea tantum docere, quæ non ſuaſorijs modò rationibus probare, verùm etiam euidentiſſimis demonſtrationibus confirmare poterat: omnē ſuam cognitionem à ſenſibus ipſe hauſit, & propterea de ijs, quæ nec ſe ipſis, nec eorum effectibus obuia ſenſibus fiunt, diſſerere non curauit. Non eſt igitur, cur quiſquam admiratione afficiatur, ſi Ariſtoteles de ſtatu, aut loco animæ, poſt hominis obitum, non diſputarit; quoniā certa illius rei cognitio nunquam haberi poteſt, niſi diuinitus reuelata ſit: ſatis ipſi fuit oſtendiſſe, rationalem animam extra corpus non feriari; ſed ſemper circa obiecta, re ipſa intelligibilia, verſari, vt paulò ſuperiùs dictum eſt.

Rāſio ad vltimam rationē aduerſariorum.

Philoſophi, qui de ſtatu animæ poſt hominis obitū locuti ſūt.

Cur Ariſto. nihil de loco animæ à corpore ſeiūctæ diſputarit.

*Autoris opinio circa Ariſtotelis ſententiam de Anima immortalitate,* Cap. XLX.

TEmporis opportunitas iam poſtulare videtur, vt poſt longam cum aduerſarijs habitā diſputationem, relictis argumentorum anfractibus, omniſque verborum ambitu reciſo, quid tandem de animæ mortalitate, vel immortalitate re vera in Ariſtotele ſentiendum ſit, dilucidè aperiamus. Aliàs dum naturali philoſophiæ operam nauarem, idque non docendi, ſed addiſcendi tantum gratia, eam opinionem ſecutus ſum, quæ doctiſſimis quibuſque viris, atque in peripatetica philoſophia haud parum exercitatis, maximè probata eſt, præſertim Io. Scoto lib. 4. Sent. d. 43. q. 2. art. 1. Herueo quolib. 1. q. 1. & lib. 1. Sent. d. 1. q. 1. Aug. Sueſſano opuſculo de animæ immortalitate c. 1. atque etiam alijs: qui omnes, cùm rationes, in vtranque partem adductas, diligenter expediſſent; Ariſtotelisque verba multis locis ambigua eſſe, animaduertiſſent; exiſtimarunt, nihil vnquam certi hac de re ipſum protuliſſe; ſed in hac difficultate dubium ſemper extitiſse, modoque hoc, modò illud, ſicut magis ei congruum viſum fuit, pronunciaſse; ita ego quoque ſuperioribus annis exiſtimaui. Verùm poſtquam paulò diligentius Ariſtotelis volumina perlegere cæpi, quod mihi pro meo munere neceſsarium fuit, ſententiam omnino mutaui: turpe enim mihi quodammodò videbatur, Ariſtotelem mi-nus rei ignarum facere, quam alij philoſophi cumulatiſſimè cognouerunt, & turpius dicere, eundem in re tanti momenti ſemper hæſitaſse: nam cùm illius ingenium, quod raro lumine à natura inſignitum fuit, quodque in res altiſſimas, & valdè abſtruſas maximè penetrauit, nō fuiſset in tanta quæſtione, cuiuſmodi eſt hæc de animæ immortalitate, ſola dubitatione contentum; cùm præſertim conſtet, dubitationem ignorantiæ ſobolem eſse. In eam igitur, poſt multam meditationem, ſententiam veni, Ariſtotelem in difficillimo hoc de animæ immortalitate negocio, initiò quidem hæſitaſse, tamen vbi rem ipſam poſtea diligentiſſimè conſiderauit, immortalem prorſus humanam animam cenſuiſse. Verùm quoniam apertiſſimè cognouit, veritatem hanc de animæ immortalitate, ſuæ philoſophiæ principijs penitus aduerſari, præſertim dogmati de mundi æternitate, ex quo infinita animarum multitudo neceſsa-

Scotus, Herueus, Sueſſanus, & alij de animæ immortalitate Ariſ. dubiū fuiſſe exiſtimarūt.

Contumelioſè agunt in Ariſt. qui dicunt, eum in ſuo alias perfectiſſima dubiū extitiſſe.

Vera Ariſt. de animæ immortalitate ſententia, quam etiam tetigiſſe viſus eſt Scot. in quolib. q. vltima prope fi.

riò conſequitur; ideirco, ne iterum philoſophiam, iam ab eo multis fundamẽtis ſtabilitam, exædificare cogeretur, ſtudioſos maluit de ipſius ſnĩa, quæ ad eam rem pertineret, dubios, atque incertos, eſſe, quàm vel noua philoſophiæ principia, & fundamẽta inducere, ijs cõtraria, quę iam ab eo poſita erant, vel aliquem ſuum errorem, à paucis forſitan animaduerſum, detegere. Quemadmodum.n. Ariſt. ingenij ſui acumine, animæ immortalitatem venatus eſt; ita forſitan eadem perſpicacitate mũdi originem indagaſſet: & quis affirmare audeat, ipſum quoque mundi originem non agnouiſſe? quam tamen aperire noluerit, quòd ſibi nimis durũ, atque difficile, id retractare videretur, quod tanta aſſeueratione, atque argumentorum multitudine, aduerſus omnes philoſophos defenderat. Hinc factum eſt, vt quotieſcunque ſeſe obtulit occaſio, aut de origine, aut de perpetuitate rationalis animæ, diſputandi, aliquã ſemper particulam, aut conditionis, aut dubitationis verſutè ſatis appoſuerit, modo, ſi, interdum, *Fortaßis*, quandoque, *Videtur*, & multa id genus alia, vt pluribus locis apud ipſum videre licet. Primo.n. lib. de Anima tex. 65. ait; *Intellectus autem videtur innaſci ſubſtantia quædam, &c.* ibidem tex. 66. ſcribit; *Intellectus autem fortaßis diuinius quid, & impaßibile eſt*, 2. de Anima tex. 20. dicit, *Speculatiua potentia videtur eſſe aliud genus animæ.* 12. Metaphyſic. tex. 16. de formis diſputans, quæ poſt diſſolutum compoſitum manent, ita habet, *Veluti ſi anima talis ſit*, & multa alia paſſim apud ipſum reperiuntur, quæ omnia argumento ſunt, non eum quidem hac de re dubium extitiſse; ſed id potius in animo habuiſſe, vt. ſ. dubitationem de eo, quod ſentiebat, in addiſcentium animos induceret; cùm tamen animæ noſtræ immortalitas ipſi re vera exploratiſſima fuerit.

Cur Ariſ. cũ de rationali anima, locutus eſt aliquã ſemper aut conditionis, aut dubitationis particulã appoſuerit.

Dicet fortaſſe quiſpiam, vnde nam tuam hanc ſnĩam elicis, aut quibus illam fundamẽtis confirmas? Iam ſatis apertè ſuperiùs demonſtraui, nullum eſſe in Ariſt. locum, quo ipſe non modò non apertè, ſed etiam ne obſcurè quidem animæ mortalitatem expreſſerit. Demonſtraui etiam multos eſſe locos, quibus ipſe apertiſſimè animæ immortalitatem confeſſus eſt, & quaſi ſub aſpectum ſubieci, non de ſolo intellectu agente, ſed de anima rationis participe, vt à ſentiente, & vegetali diſtinguitur, ijs locis locutum eſſe. Quid aliud ergo ex Ariſt. mente haurire poſſumus, niſi ipſum immortalem omnino animam cenſuiſſe? Ex alia parte, eius philoſophiæ principia, & fundamenta præcipua, cogitatione complector, in quibus ſunt hæc, mundum. ſ. æternum eſſe, atq; ex nihilo nihil fieri: ex quibus principijs, vt ſupra ſatis luculenter oſtẽſum eſt, animæ immortalitas deduci nullo modo poteſt. Si.n. quicquid fit, ex aliquo fit; oportet, vt ipſa quoque anima rationis particeps ex aliquo facta ſit: ſi ex aliquo facta eſt; generatione igitur edita eſt: quod autem generatione editum eſt, neceſſariò peribit. Rurſus ſi mundus æternus eſt, & immortales ſunt humanæ animæ, iam dabitur infinita multitudo animarum, re ipſa exiſtentiũ, quod alteri Ariſtotelico principio aduerſatur, quod eſt, numerum re ipſa infinitum reperiri non poſſe, vt 3. Phyſ. probatum eſt. Ex his igitur concludo, ſi Ariſtotelicæ philoſophiæ principia dũtaxat ſpectemus, immortalem animam ſtatuere nulla ratione nos poſſe. Si ea verò, quæ de anima disertè Ariſt. ſcripſit, diligenter attendamus; neceſſe omnino eſſe, vt immortalem illam fateamur.

Auerrois ſẽtentiæ confutatio.

Denique cùm mecum ipſe reputo Ariſt. ſcribendi modum, qui hac de re parcè, ſemper, & obſcurè locutus eſt: qui verbis ambiguis, ſnĩam ſuam pronunciauit: qui tandem in hac ſcribendi ratione, vbique ſibimet ipſi conſtitit; non poſſum non exiſtimare, cũ nõ ſolùm ad veritatem hanc de animæ immortalitate, ingenij ſui acumine perueniſſe, verùm etiam eundem optimè intellexiſſe, veritatem hanc ex ſuæ philoſophiæ principijs deduci minimè poſſe, & propterea vt vnà cum ingenij ſui acumine, calliditatem quoque maximã pfæ ſeferret, ſuam ipſius ſnĩam, tot verborum ambiguitatibus obnubilare voluiſſe.

Ariſtot. ingenium, atque verſutia.

Euidentiſſimum teſtimonium, ſilentio minimè prætereundum, elicitur ex contex. 36. tertij lib. de Anima, quo vnuſquiſque apertè conuincitur, Ariſt. ſuam de animę immortalitate ſnĩam dedita opera occultaſſe. Quærit ibi philoſophus, an intellectus, corpori coniunctus, ſeparatas ſubſtãtias attingere poſſit: hãc autem quæſtionem non ſoluit, ſed hoc, inquit, poſterius conſiderandum eſse. Cur putas, obſecro, dubitationem iſtam Ariſt. non ſoluiſſe? Quia in quancunq; partem declinaſſet, ſua ipſius de animæ mortalitate, vel immortalitate ſnĩa aperta protinus extitiſſet. Erat peripateticorum, & aliorum quoque philoſophorum opinio, hominis felicitatẽ in perfecta ſubſtantiarum abſtractarum cognitione conſiſtere, hominemque ad felicitatem iſtam, tanquam ad vltimum finem, naturalem appetitum habere, qui fruſtra eſse non poteſt.

Euidentiſſimũ teſtimonium, quo oſtendit, Ariſt. ex induſtria ſuã ſententiã de animæ immortalitate occultaſſe.

Iam verò ſi Ariſtoteles naturalem hunc hominis appetitum in hac vita, aut ſaltem in vltimo termino, vitæ explere dixiſſet, vt Alexander Pomponatius, eiuſque ſectatores exiſtimarunt; animę pariter mortalitatem confeſſus eſſet: quid enim aliud anima extra corpus actura eſſet, ſi iam in hac vita vltimum ſuum finem obtinuit? Si contrà, intellectum corpori coniunctum abſtractas ſubſtantias perfectè concipere non poſſe, aſſeruiſſet; ſeſe ſtatim immortalitatis animæ defenſorem præbuiſſet: nam ſi homo in hac vita vltimum ſuum finem adipiſci non poteſt, opus eſt ſanè, vt alius aſſignetur ſtatus, in quo illum perfectè conſequatur, ne naturalis ad eum finem appetitus fruſtra illi inditus eſſe cenſeatur. En igitur quomodo ex eo, quod Ariſtoteles propoſitam difficultatem declarare noluit, facilè elicimus, ipſum de induſtria ſuã de animæ immortalitate ſententiam quibuſdam quaſi tenebris inuoluiſſe. Non ita certè feciſſet, ſi mortalẽ humanam animam credidiſſet: hanc.n. ſententiam optimè ex ſuæ philoſophiæ principijs deduci poſſe cognouiſſet, & propterea illam planiſſimè, nulliſq; integumẽtis implicatam, enunciaſſet. Dicent fortaſſe aduerſarij, hoc ideo Ariſtotelem non feciſſe ob inquiſitionis periculum, quæ tunc temporis erat in Græcia. Sed inanis eſt huiuſmodi excuſatio; quoniam veluti lege apud illius temporis Græcos ſancitum erat, mundum principiũ habuiſſe, multaque Idola reperiri, quibus preces effunderentur: nihilominus Ariſtoteles contra eiuſmodi religionis decreta, publicè & mundum æternum, & vnum tantum eſſe Deum, pronunciauit: quamobrem etiam exilio, vt ferunt, multatus eſt. Non igitur ſui temporis religionem timuiſſet, ſed publicè vt mundi æternitatem, ita animæ mortalitatem docuiſſet, ſi mortalem illam eſſe putauiſset.

Occupatio.

### *Notabilis obiectio contra ſententiam Autoris, atque eiuſdem ſolutio.* Cap. XX.

EXæſtuant hic magnopere nonnulli, qui ſe pluſquam peripateticos profitentur, iniuriamque maximam peripateticorum Principi fieri autumant, imponendo ei, quòd in aperto illa protulerit, paſſuſque ſit in vulgus emanare, quæ apertiſſimè philoſophiæ ſuæ principijs aduerſari cognouerit. Non ſuſtinet, inquiunt, grauitatem philoſophiæ, hæc de tanto philoſopho publicè pronunciare, in quem doctiſſimi quique viri atteſtantur, ſuas omnes naturam vires quodammodo effudiſse. Qui alios docuit ſcientiarum methodos, ipſe in earundẽ ignoratione verſabitur? Scripſit Ariſtoteles vniuerſam philoſophiam, non temerè ille quidem, & confusè, ſed longa præmeditatione tàm pulchrè eam, & artificioſe digeſſit, tot ſolidis fundamentis ſtabiliuit, vt nihil præterea ad veram, perfectamque ſciẽtiam deſiderari poſse videatur. Quod ſi ita eſt, vt omnium eſt philoſophorum aſseueratione conceſsum, qui fieri vnquã poteſt, vt Ariſtoteles volens, & ſciens ſibimetipſi in ſcribendo contrarius extiterit, incertamque nobis, & perturbatam philoſophiam reliquerit? Sed vt ad rem propiùs accedam, ita argumentantur; Cùm Ariſtoteles de mundi æternitate diſputauit, aut animam tunc immortalem eſse ſciebat, aut non: ſi ſciebat; falsò igitur docuit, mundum æternum eſse: cùm propter infinitam re ipſa animarum multitudinem, quæ mundi æternitatem neceſsariò conſequitur, duo hæc ſimul vera eſse non poſſint, Mundi. ſ. æternitas, & animę rationalis immortalitas: ſi non ſciebat, imprudentiæ igitur, atque ſimul temeritatis, & ſocordiæ culpandus eſt, quippe qui religionis, omniumque illius temporis philoſophorum dogma, inconſultè, & temerè peruerterit: horum autem vtrunque ab inſigni hoc philoſopho quàm longiſſimè abeſt; igitur ſicut ipſe firmiſſimè mundi æternitatem promulgauit; ita eum de rationali anima opinionem illam defendiſse, putandum eſt, quæ mundi æternitatem conſequitur; ea autem eſt, ipſam eſſe mortalẽ. Quòd ſi fortaſse huiuſmodi deductio haudquaquam probatur, quiduis aliud potius concludendum eſse cenſent, quàm confitendum, Ariſtotelem ſibi ipſi, aut ſuæ philoſophiæ principijs contrarium extitiſse. Non poſsum equidem non illorum temeritatem, atque inanem arrogantiam vehementer deplorare, qui nulla prorſus ratione ducti, nec vllis fundamentis ſubnixi, ſed ſola fide, autori cuipiam habita, liberè tanquam veriſſima pronunciare audent, quæcunque vel ab autore illo ſcripta ſunt, vel quæ ab eodem excerpere aliquo modo poſsunt. In horum albo deſcripti ſunt eorum plurimi, qui ſe vniuerſales profitentur, quique cùm multum ſe ſcire credant, multa potius temerè, ac fortuito credere perhibentur. Hi ſi fortè autorem, quem valde ſuſpiciunt, ac admirantur, in re aliqua lapſum offendant, nefas eſse, aiunt, eundem erroris condemnare, quaſi Deus aliquis ille fuerit, qui errare nulla ratio

Suaſoria. efficax eſt ratio contra opin. Autoris.

Solutio.

Digreſſio cõtra eos, qui nimiã fidem autoribus habent.

ne potuerit. Sed quid vis aliud potius cauſantur, aut lectoris imperitiã, qui rem abſtruſam percipere minimè queat: aut impreſſoris incuriam, qui rem aliter impreſſerit, quàm ab autore ſcripta eſt: aut aliquorum inſcitiam, qui addendo, vel minuendo, veteres codices deprauarint. Non aliunde hoc oritur, niſi ab immodica fide, quam illi autori tribuunt, cuius veſtigijs ſemper inſiſtunt: nam ſi apud alios, vel exiguum errorem depræhendant; illorum labores planè negligunt, eoſque ſtatim in dicta cauſa, abijciunt, & reprobant. Vocare hos ego ſoleo ſciẽtiarum perturbatores, veritatiſque obſcuratores, nec id quidem iniuria, hi enim cùm rerum varietate, de quibus loquuntur, tàm lepido quodam dicendi genere, multitudinis primùm animos ad beneuolentiam alliciunt: vbi dein apud diuites, vulgareſque homines fama celebres facti ſunt; quęcunq; videantur, ſuo arbitratu pronũciant: autores alios cõmendant: alios condẽnant: dictorũ, Sñiarumve aliorũ cenſores ſe exhibent; quaſi ij ſoli, propterea quod recõditarũ literarũ cultores vocitenẽ, rerũ oĩum iudices, honorarijq; arbitri ſint cõſtituti. His vulgus, his iuuẽnes, nulla prorſus habita rõne, oĩ diſcrimine remoto, oĩa credũt, iuxta vera, ac falſa: quę tanq̃ firmiſſima, & cõſtantiſſima cũ cęteris poſtea cõicant, ac ſi eadẽ ab ipſius veritatis ore percepiſſent. Hinc perſæpe audias, autorẽ aliquem à ſexcẽtis hominib. condẽnatum, quẽ fortè nullus vnquam illorum legit, nec (ſi Deo placet) illius ſuperficiem aſpexit: ſnĩam rurſus acerrimè reprobatam, quam tamen totius vitæ ſuæ ſtudio nunquam fortè intellexiſſent. Cur id obſecro? quia hęc in colloquijs ab aliquo huius claſſis viro perceperunt, atque eadem cæteris veluti per manus tradiderunt. Ita latet in tenebris demerſa veritas, pauciſſimis quidẽ hominibus explorata: ita iuuenibus primis iſtis impreſſionibus, ad veram doctrinam capeſſendam aditus intercluditur. Quid plura? omniſcientes iſti eò temeritatis peruenerunt, nimioque multitudinis applauſa, adeo tumidi facti ſunt, vt illos non diſpudeat, vel grauiſſimorum in quaque ſcientia doctorum ſnĩas apertè corrigere, quorum certè ineptiſſimi eſſent auditores. Sed hæc hactenus. Veniamus ad Ariſt. quem viri iſti, incognita fortaſſis æſtimationis cauſa, ſed ſolùm, vt ab alijs doctores iudicentur, ſummis laudibus vſque ad Cœlum extollunt. Nefas, inquiunt, eſſe, docere, eũ, aut ſibi ipſi, aut ſuę philoſophiæ principijs pugnantia protuliſſe. Si quis eſt inter philoſophiæ cultores, qui Ariſt. ſuſpiciat, me certè, fateor, maximum illius ingenij æſtimatorem eſſe: veruntamen tantum illi laudis, & nihil plus, tribuendũ eſſe cenſeo, quantum ipſe verè promeritus eſt. Maximas illi gratias debemus, quòd non philoſophiam modò, ſed cæteras, quoque artes, & diſciplinas, ab alijs obſcurè traditas, in multiſque voluminibus diſperſas, in vnum ipſe congeſſerit, atque ad faciliorem intelligentiam reuocarit. Scimus tamen incertam eſſe eius philoſophiam, vtpote quam innumeris aliorum philoſophorum placitis reſperſerit; nec ſatis conſtat, ab eo ne, an ab alijs ea omnia, quæ ſcripſerit, elaborata ſint. Scimus, eum gloriæ maximè auidum extitiſſe, atque vt Alexandri potiſſimum Macedonis gratiam faciliùs aucuparetur, aliorum philoſophorum famam turpiter depeculatum eſſe. Scimus, eius intentionem fuiſſe alijs luminibus extinctis, ſolo doctrinæ ſuę lumine vniuerſum mundum colluſtrare, & propterea veterum ſcriptorum ſnĩas, tametſi veras, optimiſque rationibus confirmatas, ipſe ex induſtria impugnauit; & ne ab aliquo vnquã aut defendi, aut explicari poſſent, eorum volumina igni cremari curauit. Quid mirum igitur erit, Ariſt. in tantis cogitationibus occupatum, tamque varijs opinionibus perturbatum, aliquando à ſeſe, aut à ſuæ philoſophiæ principijs diſceſſiſſe? Nolo amplius ſuaſorijs rationib. vti, vtar demonſtratiuis. Potuit ne Ariſt. ſibi ipſi contrarius eſſe, atque in opinionibus commutabilis, an non? Homo fuit, &, ſi D. Auguſtinus, D. Thomas, alijque celebres, & Sanctiſſimi viri, nõ modò ingenij acumine prędíti, verùm etiam diuino lumine inſigniti, re maturiùs conſiderata, ſnĩam mutarunt; multò quidem melius id Ariſt. aſſidere potuit, qui ſola natura duce, in rerum notiones incubuit. Si igitur potuit, quid eſt, cur tàm grauiter accuſent, tanque ĩncleméter damnent eos, qui pro patefacienda veritate, id ipſum de eodem enunciant. Potuit, inquiunt, non tamen fecit: id. n. neceſsarium non fuit: neque id conſpicitur in hoc de animæ mortalitate, vel immortalitate negocio: vbi, ſi Ariſt. dogmata accuratè conſideres, ſecum omnia cohærentia videbis: cuncta. n. antequam quicquam ſcriberet, intus diſpoſuerat, diligentiſſimoque examine librauerat. Rideo hæc; quoties ſcripturo accidit, vt initio de re aliqua ita ſeatiat, & nihilominus inter ſcribendum, cùm ad rem illam explicandam propiùs accedit, ſnĩam mutet? In multis hoc idem, & Ariſt. accidere potuit; ſed præſertim in ardua hac

Quantũ laudis ſit Ariſt. tribuendum.

Expẽde hãc rationem, & vide Platonem in dial. de Rep. dicẽtem, nullum eſſe hominẽ, qui non hallucinetur.

Aduerſariorum effugiũ.

Replica. in qua opinionis Autoris fundamentũ conſiſtit.

3 de

de animæ immortalitate diſputatione; Non erat ei res hæc facilis explicatu, nec illius; ſicut cęterarum rerum cognitionem a ſenſibus deducere poterat: propterea dubius quandoq; fuit; nonnunquam ad vnam partem, interdum ad aliam declinauit: quouſque tandem, omnibus ſimul expenſis, rei veritatem, velut in ſepulchro iacentem, & dumis vndique ſeptam, indagauit. Somnio? Audi Hermiam Eunuchum, cuius magna amoris erga Ariſtotelem teſtimonia extant, quippequem apud ſe triennio benignè, & humaniter habuit; eique, vt Franc. Patricius narrat, ſeu filiam, ſeu nepiem in matrimonium tradidit. Hic Hermias, referente Suida, de animæ immortalitate conſcripſit; qua de re, Ariſtotelem fatetur, ſententiam ſuam ita dubiam reliquiſse, vt nulla omnibus eius libris incertior iudicari poſſit. Non eſt igitur abſurdum, nec à philoſopho alienum, qui non popularem optat applauſum, ſed rei veritatem inquirit, dicere, & publicè pronunciare, Ariſtotelem, cùm de mundi æternitate diſseruit, aut incertum de animæ immortalitate fuiſse; aut mortalem tunc illam, immortalem verò poſtea credidiſse; aut ſaltem argumentum illud de animarum infinitudine non animaduertiſse. Iniuriam putant eſse hanc Ariſtoteli illatam; & non vident, illius potius ingenium ex hoc maximè extolli, quòd. ſ. ad veram animæ originem, ad illius naturam, ſubſtantiam, atque perennitatem, ſolo naturæ lumine penetrarit. Repeto, quæ, paulò ſuperius dixi, & legat totam diſputationem, qui cupit tantę difficultatis explicationem habere. Oſtendi, nullum eſse in Ariſtotele locum, ex quo rationalis animæ mortalitas, multa tamen, ex quibus eiuſdem immortalitas verè, & apertè eliciatur. Dilui omnes rationes, aut ſaltem præcipuas, quæ pro aïæ mortalitate adduci ſolent. Aperui, ea omnia Ariſtotelis loca, in quibus animę immortalitatem cõfitetur, de tota rationali anima, non de ſolo intellectu agente intelligenda eſse. Monſtraui, propter argumentum illud de infinita animarum multitudine, duo hæc ſibi cohærere minimè poſſe, mundum æternum eſſe, & animam immortalem; Reddidi cauſam, cur hac in re Ariſtoteles ſibi diſſimilis fuerit, ſententiamque ſuam ita dubiam, atque incertam nobis ex induſtria reliquerit: quam quidem cauſam veram, aut ſaltem maximè probabilem exiſtimo. Si quis aliter opinetur, meliorem proferat ſententiam; ego enim me illi quàm libentiſſimè ſubſcribam.

Vide Franc. Patric. li. 12. diſcuſ. peri pat. to. 1.

Ariſto. ingenium laude dignum.

Totius diſputationis epilogus.

### *An rationalis animæ immortalitas ſola naturali ratione concludi poſsit.* Cap. XXI.

Quàm neceſſaria ſit huius q̃ſtionis explicatio.

VT tandem huic noſtræ diſputationi finem imponamus, reliquum eſt id definire; atq; explicare, quod à nobis poſtremo loco propoſitum eſt, an. ſ. ſolo naturæ lumine, rationalis animæ immortalitas perueſtigari poſſit. Dubitatio quidem pernecesſaria, quæ diſſoluatur: ſi enim conſtaret, huiuſmodi veritatem lumine tantum fidei apprehendi poſse, totius quàm mox ædificij noſtri fabrica rueret, quæ iam abſoluta, atque ad optatum finem perducta eſt: neque enim Ariſtoteles, neque alij philoſophi, qui, fidei lumine deſtituti, velut in tenebris ambularunt, rationalis animæ immortalitatem vnquam cognoſcere potuiſsent. Antequam autem vlterius progrediamur, hoc declarare operæpretium exiſtimo, quod multũ intereſt in propoſita diſputatione, nimirum aliud eſse quærere, an rationalis animæ immortalitas naturali rationi aduerſetur; & aliud eſse, in dubium vocare, an rationalis animę immortalitas rationibus naturalibus demonſtrari poſſit. Nolo modò ſecundam hanc quæſtionem diſputare: habet enim illa pro vtraque parte defenſores acerrimos, ſed ſat erit mihi oſtendere, multas eſse rationes, ab intellectu, ſolo naturæ lumine conſtructas, quibus facillimum vnicuique erit, huic veritati de rationalis animæ immortalitate penitus aſsentiri. Sed audio aliquem obijcientem; ſi fides noſtra catholica nos compellit, vt huic eidem veritati firmiter aſſentiamur, quorſum aliunde rationes petendæ ſunt? Reſpondendum eſt, à Theologis ſæpius, ad confirmandos articulos fidei, rationes à natura ſumptas adduci ſolere, non quidem vt illis id, quod priùs ignorabamus, euidenter cognoſcamus; ſed potius, vt inde intelligamus nos ea non credere, quæ eſse nulla ratione poſsunt. Sic S. Tho. Scotus, & alij rationes adducunt, quibus oſtendunt, in vnitate diuinæ ſubſtantiæ, diuinarum perſonarum trinitatem reperiri. & multa huius generis alia, vt apud ipſos videre licet. Addi poteſt, articulos fidei eſse in duplici differentia, quidam ſunt merè crediti, & apud quos naturalis ratio peruenire non põt; in quorum numero eſt articulus de trinitate Perſonarum. Alij ſunt partim crediti, & partim naturali ratione veſtigati, vt eſt articulus de exiſtentia, & vnitate Dei; & horum quidẽ cogni-

Nota hoc diligenter.

Obiectio.

Solutio.

Cur Theologi naturales rationes adducant ad cõfirmados articulos fidei.

Articuli fidei ſunt in duplici diſcrimine.

nitionem humanus intellectus vi propria parere poteſt: ideo Ariſtoteles & ratione motus in 8. Phyſ. & ratione optimi regiminis in 12. Metaph. vnum tantum eſse rerum omnium opificem Deum, apertiſſimè demonſtrauit. Ad hos igitur articulus quoque de animæ immortalitate pertinebit. Illud etiam animaduerſione dignum exiſtimo, in quo plures noſtri temporis philoſophi defecerunt, nimirum ea omnia, quæ nos, fidei lumine colluſtrati, vera eſse credimus, veræ philoſophię principijs non aduerſari. Per verã aũt philoſophiã, nõ Ariſ. aut alterius cuiuſpiã philoſophi doctrina, ſed doctrina aliqua, recta ratione. i. intellectu rectè affecto, aptoque lumine illuſtrato, acquiſita, intelligenda eſt: quomodo quis rectè philoſophando, mundi originem, & alia etiam plurima, quæ nunc ſola fide percipimus, venari poſſet. Si igitur verum vero non aduerſatur, & quæ fides noſtra catholica nos docet, vera ſunt, vt nulla ratione dubitandum eſt; ſequitur, vt nec vera philoſophia catholicæ fidei, nec catholica fides veræ philoſophiæ principijs aduerſetur. Nec eſt quòd dicat aliquis, ad ea, quæ fide tenemus, ratio peruenire non poteſt; igitur ea quæ fide tenemus, rationi repugnant: non. n. valet huiuſmodi conſecutio, niſi fortaſſe adderemus, ea ipſa repugnare rationi, non abſolutè conſideratæ, ſed maiori lumine deſtitutæ, quod ei ad illarum rerum apprehenſionem neceſſarium eſt.

Quæ fide tenemus, veræ philoſophiæ non aduerſare.

Quænam ſit vera philoſophia.

Obiectio.

Sed inſtabit aliquis, nam Ariſt. lumine fidei deſtitus fuit; igitur ſuo intellectu ad ea peruenire non valuit, quæ intellectum magis affectum, maiorique lumine colluſtratum expoſcunt, atque adeò, ſola natura duce, animæ immortalitatem inueſtigare non potuit.

Solutio.

Dixi paulò ſuperius, non omnes articulos fidei eſſe vnius, & eiuſdem modi, ſed quoſdã merè creditos, ad quos nullus ĩtellectus, quãtũuis perſpicax, peruenire põt: alios partim creditos, partim naturali rõne veſtigatos. His aũt articulis non omnes peræque homines aſſentiuntur: quidam enim ſunt rudes, obtuſoque ſatis ingenio, qui nunquam horum articulorum veritatem apprehendere poſſent, niſi ſupernaturali lumine adiuuarentur. Alij verò ſunt, qui excellentiore, acutioreque ingenio pollent, & iſti abſque alterius luminis auxilio, ſed ſolo ſuo intellectu, ita affecto, in huius generis ſublimiora penetrare poſſunt. Quanuis igitur rationalis animæ immortalitas, in articulis fidei comprehendatur: (qui enim credit mortuorum reſurrectionem credit pariter, animam eſſe immortalem) nihilominus quià non eſt ex articulis fidei merè creditis, idcirco Ariſt. ingenium adeo per ſe affectum, atque ſufficiens fuit, vt ad illam percipiendam, ſupernaturali lumine non indiguerit. Hoc igitur tanquam firmum, & conſtans habendũ eſt, nec veram philoſophiam fidei, nec fidẽ veræ philoſophiæ aduerſari: hincque perperam Petrum Pomponatium docuiſſe, rationalem animam immortalem quidem ſecũdum fidem, mortalem verò ſecundum philoſophiam cenſendam eſſe: expreſſa enim Lateranenſis Concilij autoritas habetur, ſub Leone Decimo, ſeſſione octaua, vbi damnatur hæreſis, qui ſecundum philoſophiam dixerit, rationalem animam eſſe mortalem. Defendendo igitur, nullam eſſe rationem naturalem, quæ rationalis animæ interitum demonſtret; immò nullam eſſe rationem, pro ea re cõprobanda, quæ facilè non ſoluatur; defendẽdo et animæ immortalitatẽ naturali rationi, veræque philoſophiæ non aduerſari; rationes aliquas afferam, quas non contendam modo demonſtratiuas, atque ad aſſentiendum neceſſarias eſſe, ſed ſolùm valde probabiles, & ſuaſorias, atque etiam dignas, quibus benè moratus quiſque in rationalis animæ immortalitatem inclinet. Latiſſimus mihi pateret campus, in quo poſſem ratiocinando vagari, ſi aliorum argumentationes tranſcribere; atque in medium adducere vellem: poterit quicunque voluerit, Eugubinum legere lib. 9. de Perenni Philoſophia: is enim multas ad hanc rem rationes vnicuique ſuppeditabit. Poterit etiam legere Curſum Conimbr. tract. de Anima ſeparata diſput. 1. art. 3. necnon Franciſcum Toletum lib. 3. de Anima quęſt. 16. qui huiuſcemodi quæſtionẽ multis, & ijs quidem validiſſimis rationibus, ab eodem Eugubino decerptis, exornarunt.

Pomponatij error.

Autoritas cõcilij Lateranenſis.

Cuiuſmodi ſunt, animam ſpiritum eſſe, quemadmodum Intelligẽtiam & propterea immortalẽ, ſicut illam. Rurſus omnium corporum capacẽ eſse, ac proinde omni corporea natura nudatam, & quod hinc ſequitur, indiſſolubilem. Præterea ſi diſſolueretur, aliquid in illius interitu generari neceſſe eſſe, cùm tamen nihil appareat. Ad hæc, appetitũ eſse in hõie ad vitã ſempiternã, & ꝑpterea neceſſe eſſe, vt aliquid in hõe ſempiternũ ſit, non corpus, ergo aĩa. Nullũ deniq; in hac vita bonũ eſse, quo aię appetitus expleri poſſit; quare concluditur, aliũ ipſius ſtatum dandum eſse in quo ſũmo, atque infinito bono infinitis ſeculorũ ætatib. perfruat. Plures alię huius generis rõnes fuſius apud citatos autores videri põt.

Suaſoriæ rationes, ꝑ aĩæ immortalitate cõprobãda, & apud Eugubinum, Col. Conimbr. atq; Toletum videri poſſunt.

*Tres validiſſimæ rõnes, quib. rõnalis aĩa immortalitas naturali lumine ſuadetur. Cap. XXII.*

Prima ratio, qua ſuadet Autor aiæ immortalitatem.

TRes ego ſemper rõnes, naturali lumine fabricatas, magni feci, quibus rationalis aĩæ immortalitatem ſuadere ſolitus ſum: quarum prima eſt hæc. Rationalis aĩa omnium philoſophorum aſſeueratione, ſimpliciſſima eſt, ab omniq; miſtione, & cõpoſitione aliena, interire igitur nunquam poteſt. Conſecutionẽ ſic probo: quod.n. in perniciem ire aliqñ videmus, illud certè vel miſtum eſt, quod in elementa diſſoluitur, vel ſaltem compoſitum, quod ꝓꝑ formę à materia ſeparationẽ intercidit: rõnalis autem aĩa, cùm ſimplex quædam natura, atque ſubſtantia ſit, ex nullis rebus concreta eſt, in quas diſſolui queat, nec eadem ſemetipſam dirimere, atq; diſtrahere põt: nunquam igitur interibit. Dicet fortaſſe quiſpiam, hac eadem rõne

Aliquorũ reſponſio.

probare nos poſſe, quãcunq; formã indiſſolubilẽ eſſe; qm̃ omnis forma, quatenus forma, ſimplex eſt, neque.n. ipſi, ſed ſoli miſto, & cõpoſito interitus attribuitur. Rñſionem hanc famoſa

Confutatio.

illa Ariſ. propoſitione, quã & in Analiticis poſter. & aliis & locis ſcriptam reliquit, refellere poſſumus, vbi hẽt, ſicut affirmatio eſt cauſa affirmationis; ita negatio eſt cauſa negationis. Iã verò ſi probauerimus, rõnalem aĩam iis potiſſimùm carere, quę in cauſa ſunt, cur cęterę formę neceſſariò pereant: non ne ſtatim vis, & energia nr̃æ argumẽtationis conſpicua fiet? Cęteræ formę, vt ſupra c. 18. pateſecimus, à materia ortũ ducunt, ſuntq; ab eiuſdẽ affectionib. ac ceſſitę; cùmq; per ſe ſubſiſtere nequeant, eouſq; cũ materia cõiunctę manẽt, quouſq; affectiones illę perſiſtũt: ijs aũt ab cõtrario aliquo ꝑmutatis, ſtatim pereũt. At verò rõnis particeps aĩa, vt ibidẽ Ariſ. autoritate probauimus, nec à materia ortũ ducit, nec ab aliquib. materię affectionib. accerſitur; ſed extrinſecus ĩ humanũ corpus intruditur, nullũq; cum corporeis, alteratricibuſve qualitatib. cõmerciũ hẽt; nullã igĩ ſui interitus cauſã continet, atq; adeo indiſſolubilis atq; immortalis eſt. Secũda ratio, Quæcunque aliqñ aboleri, atq; extingui videmus,

Secunda rõ.

ea ſuæ procreationis initiò, maximum robur, & firmitatem habere; atq; cum ad occaſum vergere incipiunt, eadem langueſcere, & mirum in modum debilitari cernimus: id non in animalibus modò, & plantis quotidie experimur; ſed in rebus quoque animæ expertibus, vt in veſtimentis, in ædificiis, & alijs rebus, quas temporis iniuria, & diuturnitas demolitur: quanto enim aliquid ſuæ generationis principio vicinius, tantò etiam robuſtius eſt: quantò verò,

Rõnalis aĩa nunquam ſeneſcit.

longius ab eodem principio diſtat, tantò etiam vires debiliores habet: rationalis anima nunquam ſeneſcit, nunquam langueſcit, ſed iiſdem ſemper viribus prædita eſt: Fatetur enim Ariſtoteles 1. de Anima tex. 65. ſi ſenex haberet oculum iuuenis, eum videre ſicut iuuenis: ſignum igitur eſt, corpus, quod veluti animæ inſtrumentum exiſtit, continuò quidem extabeſcere, atque in perniciem ruere; animam verò, quæ ipſa virtus effectrix eſt, ſemper incolumẽ, ſuiſque viribus integram, & conſtantem permanere: quod cum ita ſit, non video, cur tanquã maximum illius immortalitatis indicium, & argumentũ, à quocunque non habeatur. Tertia

Tertia ratio.

ratio, Viuunt beſtiæ, viuunt homines: ſentiunt hi, ſentiunt illæ: ambo delectabilia, & iucunda perſequuntur, noxia verò, atque moleſta declinant, atque inſuper eadem aliquo pacto cognoſcunt: nihilominus hoc præcipuè homines diſcriminantur à beſtiis, quòd ratiocinatione vtuntur: futura præuident, ſaltẽ coniectura quadam: in vniuerſalium, atque æternarum rerũ

Quo hõies differãt à beſtijs, fiant diuinitatis cõſortes.

notiones incumbunt, aliaq, huius generis munia obeũt, quibus quantum à beſtiis diſtare dicuntur, tantundem ad ſuperas mentes accedere, & quadantenus diuinitatis participes fieri videntur. Iam verò ſi Deus Opt. Max. & omnes abſtractæ mentes, quæ in eiſdem aut ſimilib. ſe rebus perpetuò exercent, immortalitate gaudent; cur non itẽ rationalem animam, omniũ iſtiuſmodi operum effectricem, perpetuam, atq; immortalẽ eſſe, dicemus? His iam videor difficillimam hanc de rationalis aĩæ immortalitate diſputationem ad exitum perduxiſſe, atque

Sceleſtiſſimi quique viri mortalẽ humanã animã ſtatuerũt: Sanctiſſimi verò homines nõ ſolum Theolog, ſed etiã & Philoſophi, tandem immortalem exiſtimarũt.

ea oĩa, quę initiò pollicitus ſum, dilucidè, ni fallor, explicaſſe. Supereſt, vt candidi, beneuoliq; lectores in ſe nunc paulìſper deſcendant, idque potiſſimùm cum aĩo ſuo reputent, vtrum cum Ariſtippo, Lucretio, Diagora, Atheo, Sardanapalo, alijſque impijs, flagitioſiſque hominib. turpiſſimis morib. præditis, omniq; ſcelerum, & vitiorũ labe coinquinatis, mortalẽ humanã animã exiſtimare: an cũ iuſtiſſimis, ſanctiſſimiſq; viris, nõ de ſacra Theologia ſolũ, verùm etiã de philoſophia optimè meritis, Auguſtino, Hiero. Baſil. Thoma Aquin. Bonau. & alijs ſ excẽtis, qui prẹter ſcientiã à Deo reuelatam, maximã quoq; rerũ cognitionẽ ſuo ingenij acumine, proprijſq; laboribus acquiſiuerũt, eandẽ immortalem pronunciare malint. Hæc ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, Deiparæque Virginis, de præſenti diſputatione ſint ſatis.

# DE INTELLECTV AGENTE,

## Diſputatio Vigeſimaſecunda.

### *Tractanda in hac diſputatione.* *Caput Primum.*

Intellectus agens, & patibilis duæ ſunt rationalis animæ facultates.

RAtionis participem animam duabus potiſſimùm intelligendi facultatibus præditam eſſe, lib. 3. de Anima ſæpius Ariſt. affirmauit; quorum alteram patibilem intellectum, agentẽ alteram nuncupauit. Patibilem intellectum, quam Scholæ poſſibilem paſſim appellant, primæ rerum materiæ Ariſt. comparauit; eumque purã eſſe potẽtiam in genere formarũ intelligibiliũ aſſeruit, ſicut materia prima eſt pura potẽtia in genere formarum materialium. Quemadmodum ergo materia prima nullam habet congenitam formam, ſed natura ſua, ad quancunq; recipiendam indifferens eſt; ita patibilis intellectus nullam habet congenitam intelligibilem ſpeciem, ſed propẽſionẽm habet ad quancunque recipiendam. Nunc præterea intellectum in tres gradus diſtinxit: quorum primus eſt, cùm nullam adhuc intelligibilem ſpeciem obtinuit; ſed eſt ſicut nuda quædam tabella, in qua nullius rei deſignata pictura ſit, tuncque intellectus potẽtiæ à Græcis philoſophis appellatur. Secundus eſt, cùm iam intelligibiles ſpecies conſecutus, ad intelligendum idoneus factus eſt; tametſi re ipſa nihil contempletur; tuncque à nonnullis vocatur intellectus adeptus: ab alijs verò intellectus in habitu. Tertius eſt, cùm in intelligendi actum erumpit, reſque intelligibiles tractat; & tunc intellectus in actu, immò ab hoc intelligendi officio verè intellectus appellatur: quò, quò ad ſubſtantiam ſuam, perpetuus, atque immortalis eſt, &, à corpore ſeiunctus, ſemper intelligit. His quippe gradibus Ariſtot. patibilis intellectus naturam adeò dilucidè patefecit, vt nihil præterea ad illam aperiendam deſiderari poſſe videatur. De agẽte verò intellectu, qui, quà agens eſt, intellectum patibilem nobilitate antecellit, obiter tantùm, & quaſi per trãſennam diſſeruit; obſcurèque adeò locutus eſt, vt non modò eius naturã nõ aperuerit; ſed potius difficultates nõ paucas, ad illum pertinẽtes, apud intellectus quamplurimos excitauerit. Quoniam verò, qui ſeipſum ignorat, cætera intelligere nequit; ideò Doctores varij, vt nobiliſſimæ huius, atque in nobis recon ditæ facultatis naturam intelligerent, vehemẽter elaborarunt; & quæſtiones innumeras, ex multis Ariſt. locis elicitas, propoſuerunt: quarum ego præcipuas hac vnica diſputatione concludere decreui, in tres potiſſimùm partes diſtributa. Primò. n. quæremus, Deturne in anima noſtra facultas hæc, quæ intellectus agẽs appellatur? Scrutabimur deinceps, quidnam ſit intellectus agens, & quonam diſcrimine a patibili diſſideat? Demùm eius præcipua munia inueſtigabimus.

Intellectus patibilis primæ materiæ comparatur.

Tres gradus intellectus paſſibilis. Primus.

Secundus.

Tertius.

Parcè, & obſcurè de intellectu agẽte Ariſt. locutus eſt.

Diſputatiõis occaſio.

Ordo in diſputatiõe ſeruandus.

### *Deturne in rationali anima intellectus agens.* *Cap. II.*

A Primo igitur exorſi, in dubium vocamus, an in rationali anima neceſſe ſit ponere intellectum agentem, vt abſque illo. ſ. nec intelligibiles ſpecies è phantaſmatibus elici, nec ab intellectu patibili intellectiones edi, vlla ratione poſſint. Affirmatiuam partẽ tuetur Ariſtot. lib. 3. de Anima cap. 3. cuius autoritas, ad eam probandam, ſatis eſſe deberet; nihilominus, agẽtis intellectus neceſſitatem oſtenſurus, eam ipſam afferam rationem, qua Ariſt. loco citato tex. 17. vſus eſt; quę ita habet. In omni natura, hoc eſt, vt Simplicius, & grauiores interpretes exponunt, in omni effectu, & re producta, ſicut eſt aliquid, quod habet rationem materiæ, & ad omnes illius generis formas poteſtatẽ habet; ita efficiens aliquod in eo genere ſtatuendum neceſſariò eſt, quod materiæ aliquo modo reſpondeat; hoc eſt, quemadmodum materia formas omnes recipere poteſt; ita efficiens formas omnes aut de materia educat, aut in eandem inducat. Vniuerſaliſſima eſt hæc Ariſt. propoſitio, quæ ex eo etiam confirmari poteſt, quòd nimirum Deus, & natura nihil faciunt fruſtra: quare, ſi in rebus eſt aliquid, quod ad perfectionem acquirendam poteſtatem habet, idque per euocationẽ de potentia ad actũ; dubio procul illa potẽtia ad actum fruſtra indita illi fuiſſet, niſi aliquid eſſet, quod ipſum ad actum reuocaret; conſtat enim, idem ſeipſum de potẽtia ad actum reuocare non poſſe, alioquin

Ariſt. opin.

Ratio Ariſt. qua probat, dari intellectum agentem.

Perpende viriuſce propoſitionis, q̃ eſt fundamẽtum Ariſtotelicæ rõnis.

quin ſimul eſſet, & non eſſet, quod contradictionem inuoluit. Veriſſima igitur eſt hæc Ariſt. propoſitio, nimirum in omni natura, id eſt in omni re producta, aliquid inueniri, quod omnia recipere poſſit, vt materia: aliquid verò, quod poſſit omnia producere, vt efficiens. In re-

Oſtenditur veritas huius propoſitionis in rebus naturalibus. bus naturalibus hoc certè oſtendere, haud difficile eſt: quandoquidem eæ omnes materia cōſtant, quæ, cùm natura ſit imperfecta, apta eſt ad rerum omnium formas recipiendas: hoc autem ad naturalium rerum procreationem non ſatis eſſet, niſi, præter materiam, quæ vniuerſale principium eſt, daretur etiam vniuerſaliſſimum efficiens, quod rerum ſpecies, ſeu formas ederet, & cum materia coniungeret; quod quidem vniuerſaliſſimum efficiens, alia diſputatione, ex Ariſt. ſententia, oſtendimus eſſe Cælum, ac præterea id, quod eſt primum omnia mo-

Eadē probatur in rebus artificioſis. uens. In rebus etiam artificioſis id ipſum apertiſſimum eſt: vt enim ſe habet naturale agens ad propriam cuiuſuis generis materiam, in rebus naturalibus; ita ſe habet ſingula ars ad propriam materiam, in rebus artificioſis: & propterea ſicut in rebus natura conſtantibus debet dari vnum, quod efficiat, id eſt quod formam, ad quam recipiendam materia parata erat, cū ipſa materia coniungat; ita in rebus artificioſis, præter materiam, vt ferrum, lignum ſaxum, ex qua multa confici poſſunt, debet dari ars, in mente artificis exiſtens, quæ rationē habeat

Cōcluſio Ariſtotelicæ rationis. efficientis; eiuſque beneficio res artificioſæ in lucem edantur. Quòd ſi in rebus omnibus, vbi datur materia, quæ eſt apta omnia recipere, datur neceſſariò agens, quod materiæ poteſtatē, ſua efficientia, ad actum reuocet; cur non etiam in rationali anima, vbi datur patibilis intellectus, qui rationem ſubit materiæ, quatenus natura ſua poteſtatem habet, vt omnia fiat; hoc eſt, vt rerum omnium intelligibiles ſpecies in ſe recipiat, dabitur etiam intellectus agens, qui ſpecies intelligibiles gignat, & in patibilem intellectum imprimat, illumque adeò de poteſta-

Alia rō probans neceſſitatem intellectus agentis. te ad actum reuocet? Et profectò niſi in rationali anima daretur intellectus agens, nihil vnquam intelligi poſſet: fit enim intellectio, intelligibilium ſpecierum interuentu, quæ ſanè, cū ſpirituales ſint, & extra conditionem, & ordinem rerum materialium, ab aliquo ſpirituali, nō item materiali gigni debent: nihil enim vltra vires proprias agere poteſt: phantaſma autem materiale quiddam eſt; ab eo igitur intelligibiles ſpecies gigni non poſſunt. Multò minus gigni poſſunt ab intellectu patibili; propterea quòd ea potiſſimùm ratione patibilis dicitur; quia intelligibiles ſpecies in ſeſe recipit; dandus eſt igitur neceſſariò intellectus agens, qui huiuſmodi ſpecies è phantaſmatibus eliciat, & patienti intellectui intelligendi materiam ſub-

Lege Conimbricenſ. 3. de Anima c. 5. q. 1. & Toletum ibid. q. 13. & 14. miniſtret. Sunt qui negent omnino intellectum agentem, vt Durandus, & Iſaach Narbonenſis, quorum rationes vnà cum earum ſolutionibus apud alios legi poſſunt.

## *Quid ſit intellectus agens, opiniones variæ.* Cap. III.

AGentis intellectus neceſſitate iam patefacta, nunc ad illius naturam explorandam paulò propiùs accedendum nobis eſt; quærendumque, quidnam ſit hic intellectus agens, de quo tanta & ab Ariſt. & à cunctis Peripateticis mentio fit. Sit ne aliqua ſeparata ſubſtantia, quæ, quaſi errabunda, nunc huic, nunc illi homini aſſiſtat? An aliqua ex iis intelligentijs, quæ cæleſtes orbes continenter cient? An ipſemet Deus, qui rebus cunctis illabitur, iuxta illud, Iouis omnia plena? An ne potiùs particula quædam, ſeu facultas interior animæ rationalis, in id à natura comparata, vt intelligibiles ſpecies è phantaſmatibus eliciat, eaſdemque in intellectum patibilē imprimat? Dubitatio non vulgaris, quæ diù grauiſſimis philoſophis, Græcis, Arabibus, & Latinis negocium maximum exhibuit. Pro eius itaque faciliore explicatione, varias primùm philoſophorum ſententias referemus. Deinde, alijs opinionibus dimiſſis, in vna Alexandri ſententia contemplanda, atque reijcienda verſabimur. Denique

Opin. Alex. Latinorum ſententiam, tanquam cæteris veriorem, enodabimus. Fuit igitur prima ſentētia Alexandri Aphrodiſienſis, lib. 2. de Anima c. 20. & 21. qui putauit, agentem intellectum ſeparatam eſſe ſubſtantiam, intellectumque vniuerſalem omnium cōditorem; hoc eſt eſſe pri-

Opi. Marini & Arabum. mam intelligentiam, vel, vt apertè loquamur, Deum ipſum. Secunda fuit ſententia cuiuſdā Græci, nomine Marini, cuius meminit Philoponus, qui exiſtimauit, intellectum agentē non eſſe Deum, ſed mentem quandam ſeparatam, Deo inferiorem: quam ſententiam omnes ferè Arabes ſecuti ſunt; præſertim Auempaces in epiſtola de luce, & lumine: Auicenna 9. Metaph. c. 4. qui ſeparatam illam ſubſtantiam, Arabico idiomate, Colcodæam appellauit, & A-

Opi Simpli. uerroes libello de beatitudine animæ, c. 5. & in Epitome Metaph. tract. 4. Tertia fuit ſententia

tia Simplicij, qui tres exteriores in homine intellectus conſtituit: quorum primum putauit rerum vniuerſalium cognitionem parere; alios verò duos eandem cognitionẽ perficere; atq; ex his duobus alterum materialem vocauit, propterea quòd materialium rerum notitijs immiſceatur: atque adeò non ſe ipſum, ſed ſenſibilia tantùm, atque materialia intelligat, alteri verò, quòd in actu ſemper ſit, & in ſe ipſo, ſcientiæ perfectionem attribuit. Quarta fuit ſententia Plotini, qui putauit, intellectum agentẽ non eſſe ſubſtantiam aliquam ſeparatam, ſed in nobis inexiſtẽtem; & cuique ſuam propriam aſſignauit: duas.n. ſubſtantias in nobis reperiri perhibuit: alteram, quæ ſemper intelligat, quàm dixit eſse intellectum agentem: alteram, quæ non nunquam ocietur, & hanc appellauit intellectum patibilem. Quinta fuit ſnĩa Plutarchi, atque Philoponi, qui exiſtimarunt, intellectum agentẽ eſſe ipſammet animam, quatenus re ipſa contemplatur: nec vllam aliam ſubſtantiam in anima poſuerunt. Vltima fuit ſnĩa Latinorum, qui putarunt, intellectum agentem eſſe virtutem, & facultatem quandam animæ, quæ cum phantaſmate intelligibiles ſpecies edit; atque eaſdem in intellectum patibilem imprimit.

Opi. Plotini.

Opi. Plutarchi, & Philoponi.

Opi. Latino.

*Alexandræorum ſententia de intellectu agente.* *Cap. IV.*

HIſce varijs de intellectu agẽte opinionibus hinc inde collectis, & tanquam quibuſdam proluſionibus, ad veram ſnĩam intelligendam faciliorem aditum munientibus, præmiſſis, nunc ad Alexandræos noſtra conuertatur oratio: qui exiſtimarunt. Intellectum agẽtem non vnam, eandemque cum intellectu patibili ſubſtantiam conſtituere; ſed ab eo prorſus diſtinctum, atque diuerſum eſſe. Quò autem illius naturam dilucidiùs patefacerẽt, tres concluſiones ſtatuerunt, vt apud Iacobum Zabarellam, libro de Mẽte agente, cap. 11. legere licet, qui hac in re acerrimum Alexandri defenſorem ſe præbuit. Prima igitur concluſio eſt huiuſmodi; Neceſſarium omnino eſt, vt intellectus agẽs ſit forma, per eſſentiã à materia abiuncta. Hanc concluſionem probarunt primò, argumẽto, ab intellectu patiente deſumpto: nanque intellectus patiẽs aut eſt forma, à materia ſeiuncta, nec hominis naturam conſtituẽs, vt putauit Auerroes: aut eſt forma informans, vt ipſemet Alexander, & alij etiam arbitrati ſunt. Si eſt forma, à materia ſeiuncta; ergo multò magis intellectus agens forma, à materia ſeparata, dicetur; cùm ſit intellectu patiente nobilior. Si autem intellectus patiẽs eſt forma informans, quæ dat eſse homini; & intellectus agens hunc ipſum nobilitate præcedit; neceſse igitur eſt, vt hac eius imperfectione careat; atque adeò ſit forma, à materia penitus ſeparata. Deinde Ariſt. in contex. 19. tertij libri de Anima, apertiſſimè docuit, intellectum agentem eſse impatibilem, immiſtum, & ſeparatum; abeſt igitur à materiæ cõmercio. Rurſus, in formis materialibus operatio eſt diſtincta ab earum eſsentia: ſed operatio intellectus agẽtis non eſt diſtincta ab eius eſsentia; quoniam intellectus agens, ſecundum eſsentiam, eſt actio, vt loco nuper citato Ariſt. docuit; ergo intellectus agens eſt forma penitus immaterialis. Denique Ariſt. lib. 3. de Anima, tex. 20. loquẽs de intellectu agẽte, dixit, eum ſemper intelligere, & eſse id, quod eſt: quibus verbis nihil ſanè aliud ſignificauit, niſi eum eſse actum puriſſimum, ſimpliciſſimamque ſubſtantiam: atque adeò formam, à materia ſeiunctam. Secundà concluſio; Cùm intellectus agens ſit ſubſtantia ſeparata, non poteſt eſse, niſi ex earum numero, quæ cæleſtes orbes continenter mouẽt. Putarunt Alexandræi, concluſionem hãc in Ariſt. ſatis perſpicuam eſſe: quoniam Ariſt. præter Intelligẽtias, cæleſtiũ orbium motrices, nullas alias ſeparatas ſubſtantias, illis inferiores, cognouit: dæmones.n. ipſe negauit; & propterea intellectus agẽs non poteſt eſſe, aut dæmon aliquis, aut alia quæuis ſubſtantia, quæ in hoc inferiore Mũdo diuagetur: ſed, cùm ſit ſeparata mens, neceſſe eſt, vt ſit aliqua illarum, quæ cæleſtibus orbibus aſſiſtunt. Et quanuis diſputatio de ſeparatis ſubſtantijs ad diuinum philoſophum pertineat, vt ipſemet Ariſt. lib. 1. de Partibus Animalium, c. 1. teſtatus eſt; tàmen, ob ſciẽtiarum affinitatem, abſurdum non eſt, interdum in vna ſciẽtia de re aliqua ſaltem leuiter agere, cuius diſputatio alterius ſcientiæ propria ſit: & propterea Ariſt. de intellectu agẽte, qui ſeparata ſubſtantia eſt, in 3. lib. de Anima leuiter, & quaſi obiter diſputauit, quatenus. ſ. eius cognitio ad explicandum munus intellectus patibilis. ſ. intellectionem, neceſſaria erat. Tertia concluſio; Intellectus agens non poteſt eſſe alia intelligẽtia, niſi omnium prima, hoc eſt Deus ipſe. In hac concluſione tota vis Alexandri ſnĩæ de intellectu agente poſita eſt, cùm enim iam

Iacobus Zabarel. hac in re Alexãdr defenſor.

Prima concluſio Alexãdræorum.

Prima ratio.

Secunda rõ.

Tertia ratio

Quarta rõ.

Secunda cõcluſio.

Cõfirmatio concluſionis ex Ariſt.

Tertia cõcluſio.

oſtendiſſet, intellectum agẽtem eſſe ſubſtantiam ſeparatam, & eſſe neceſſariò vnam ex illis, quæ cæleſtibus orbibus præſtò adſunt; tandem elicit, non poſſe eſſe aliquam ex inferioribus intelligentijs; quippe quæ particulares virtutes ſint, ſingulíſque mouẽdis orbibus addictæ: ſed neceſſariò eſſe primam intelligẽtiam, quæ non ſolùm primum orbem, ſed totum ſimul cæleſtem globum, immò vniuerſum Mũdum mouet, & regit; eſtque prima rerum omnium cauſa, omnia virtute ſua gubernans, omnia perficiens, omnia conſeruans. Cuius quidem virtus tametſi rebus omnibus adſit; non omnibus tamen, ſed ſoli homini, ſeu humano tantùm intellectui, qui patibilis dicitur, intelligendi facultatem prębet. Putauit.n. Alex. lib.2. de Anima, cap.4. humanum intellectum eſſe veluti inſtrumentum intellectus diuini, ad intellectionem edẽdam; hincque fieri, vt cùm lumẽ hoc intellectus diuini humano intellectui adiungitur: tũc verè homo intelligere dicatur, Adiungitur quidem id ipſum etiam lumen cęteris rebus; quæ tamen non intelligunt, quia apta intellectionis inſtrumẽta, eſſe non poſſunt. Sol etiam vno, eodemque calore ceram liquefacit, & lutum indurat, ob diuerſam recipiẽtium affectionẽ. Propoſita igitur concluſio ab Alexandræis multipliciter probatur.

Humanus intellectus Alex. eſt inſtrumentũ intellectus diuini ad intellectionem edẽda.

Prima ratio pro tertia cõcluſione.

Primò, intellectus agens, ex Ariſt. ille eſt, qui res omnes poteſtate ĩtelligibiles, actu intelligibiles facit: ſed ſolus Deus eſt, qui res omnes actu intelligibiles facit; ergo intellectus agẽs non poteſt eſſe niſi Deus. Probát minorem: quemadmodum.n. id, quod eſt ens per participationem, debet fieri ens ab eo, quod eſt maximè ens: & id, quod eſt bonum per participationem, debet fieri bonum ab eo, quod eſt bonum per eſſentiã, & maximè bonum; quod etiam eſt viſibile, dẽt fieri viſibile ab eo, quod eſt maximè viſibile, cuiuſmodi eſt lumen Solis: ita quoque in genere intelligibilium debet dari maximum intelligibile, ſeu intelligibile per eſſentiam, à quo cætera omnia, quæ poteſtate intelligibilia ſunt, actu intelligibilia reddantur: id autẽ, quod eſt primò intelligibile, & maximè intelligibile, non eſt niſi Deus; ergo a Deo cuncta intelligibilia fiunt, atque adeò Deus eſt intellectus agens.

Secunda.

Secundò, proprium, & præcipuum munus intellectus agentis eſt omnia facere, vt 3. de Ani. tex. 18. Ariſt. affirmat: ſed hoc attributũ nulli alij cõuenire poteſt, niſi Deo; ergo intellectus agens non poteſt eſſe, niſi Deus.

Tertia.

Tertiò, intellectus agens eius eſt naturæ, atque conditionis, vt ſit propria actio; hoc eſt, vt ſua actio ſit ſua ſubſtantia; quemadmodũ 3. de Anima tex. 19. Ariſt. docet: ſed nihil eſt, cuius actio ſit propria ſubſtantia, niſi Deus; igitur intellectus agens nulla alia ſubſtantia eſſe poteſt, niſi Deus.

Quarta.

Quartò, intellectus agẽs dicitur ſemper intelligere, vt ait Ariſt. 3. de Anima tex. 20. nulla autem eſt animæ noſtræ facultas, quæ ſemper intelligat; ſed ſolus eſt Deus, qui nunquam feriatur, nec vnquam præſtantiſſima eius operatione, quæ intellectio eſt, vacare dicitur; ille igitur eſt quem Ariſt. agentem intellectum appellauit.

Quinta.

Quintò, comparauit Ariſt. intellectum agentem arti, ad res arte factas: conſtat autem, artem non eſſe intra res arte factas, ſed quippiam ab illis ſeparatum: quare, & intellectus agens ab intellectu patibili ſeparatus erit, qui eſt veluti materia quædam, in qua res cognitæ recipiuntur: hęc autem ſubſtantia ſeparata omnes habet diuinas conditiones, diuina igitur eſt, atque ita nihil eſt aliud, niſi Deus.

Sexta.

Poſtremò, in vno, & eodem ſubiecto actus, & potẽtia ſimul eſſe non poſſunt: ſed in anima, quæ veluti quoddam ſubiectum eſt, reperitur potẽtia, nimirum intellectus patiens: igitur in eadem non poteſt ſimul eſſe actus, ſcilicet intellectus agens: quare cùm intellectus agens non ſit aliquid in anima; ſequitur, vt ſit ſeparata ſubſtantia, eaque diuina, vt dictum eſt.

### *Alexandræorum ſententia de intellectu agente reijcitur; primoque planum ſit, intellectum agentem non eſſe formam, à materia abiunctam; aduerſariorumque argumenta, oppoſitum oſtendentia diluuntur. Cap. V.*

HÆc Alexandræorum ſententia à Schola noſtra prorſus abijcienda eſt, tùm quia impietatem maximam redolet: tùm etiam quia grauiſſimorum errorum, veluti ſeminarium quoddam cenſetur, multos enim in errorem induxit, non in philoſophia ſolùm, verùm etiam in catholica noſtra fide. Quò igitur eius abſurditas faciliùs deprehẽdatur, tres omnino oppoſitas concluſiones ſtatuemus: quarum prima ea erit, intellectus agens, ſecundum ſuam eſſentiam non eſt forma, à materia abiũcta. Pro cuius explicatione ſciendũ eſt, apud nos agentẽ, & patibilẽ intellectũ eandẽ oĩno rem, ſm ſubſtantiã eſſe, atq; inter ſe definitionibus tantummodo, aut deſcriptionibus, vel, vt inquiunt Scholæ, formali diſtinctione diſſidere: vna enim

Prima cõcluſio cõtra Alexandreos.

ræ ipſa eſt ſubſtantia animæ rationis participis, duabus hiſce intelligendi facultatibus prædita, nimirum intellectu agente, atque intellectu patibili; ac propterea, quemadmodum rationalis anima materiæ adiacet, ſcilicet humano corpori, cuius ſubſtantialis forma ſtatuitur, ita neceſſe eſt, vt æquè agens, & patibilis intellectus materiæ pariter accumbant, nec formę ſint omnino ſeparatæ, atque immateriales, vt Alexandræi exiſtimarunt.

Intellectus agens, & patibilis in vnã, & eandẽ ſubſtantiam coeunt.

Illud tamen verum eſt, agentem intellectum, atque etiam patibilem, immò totam rationalem animam immaterialem formam appellari poſſe, quatenus nec in ſui ſubſtantia materiam vllam, tanquam partẽ includit, nec ex vllis materiæ affectionibus ortum ducit. Nam & forma equi in eo ſenſu immaterialis dici poteſt, quia ex materia, tanquam ex ſubſtantiali parte non cõſtat: tamẽ quia ex præuijs materiæ affectionibus ortum ducit; icirco materialis forma nuncupatur. Intellectus aũt agens vnà cum tota rationali anima poſtrema hac, vt diximus, cõditione caret; atq; adeò per ſe immaterialis eſt; & in eo tantùm ſenſu materialis dicitur, quatenus vnà cum intellectu patibili eſt humani corporis forma, eidemque tanquàm materiæ ſubnititur.

Intellectus agens, quo materialis & immaterialis forma dici poſſit.

Hæc ſic explicata concluſio, nulla alia probatione indiget; ex ijs enim, quæ paulò infra, ſecundum Latinorum ſententiam, dicturi ſumus, ſatis perſpicua reddetur. Interim Alexandræorum, ac potiſſimùm Zabatellæ argumenta, oppoſitum probantia, diluamus.

Rñſio ad primum argũ pro prima cõcluſione Alexandreorum adductum.

Ad primum, ſumptum ab intellectu patibili, reſpondendum eſt, intellectum patibilem non eſſe formam, à materia ſeparatam; ſed eſſe formam cùm materia, hoc eſt cùm humano corpore coniunctam. Cùm verò ait Zab. neceſſariò hinc ſequi, vt intellectus agens ſit forma, à materia penitus ſeiuncta; ea conſecutio prorſus neganda eſt. Ad probationem reſpondendum, intellectum agentem non ideo patibilem intellectum nobilitate præcellere, quia hic coniuncta, ille verò forma ſeparata ſit; ſed cùm reipſa in vnam, eandemque ſubſtantiam coeant, agentem intellectum, ea potiſſimùm ratione, qua agens eſt, nobiliorem eſſe intellectu patibili, ea ratione, qua patiens, vel patibilis dicitur; cùm abſolutè agere, quàm pati nobilius ſit.

Ad ſecundũ.

Ad ſecundum admittimus, intellectum agentem impatibilem, immiſtum, & ſeparatum eſſe. Cùm verò inde elicitur, fore vt abſit à materiæ commercio; Conſecutionem concedimus, ſi ita intelligatur, vt intellectus agens nec in ſui ſubſtantia materiam vllam, vt partem includat, nec ab vllis materiæ affectionibus ortus, aut accerſitus ſit: eam verò negamus, ſi ita intelligatur, vt intellectus agens materiam nullam, vt forma perficiat.

Ad tertium.

Ad tertium neganda eſt minor, videlicet, operationem intellectus agentis ab eius eſſentia diſtinctam non eſſe. Ad probationem, cùm intellectus agens, ex Ariſtotele, ſecundum ſubſtantiam actio eſſe dicitur; Reſpondendum eſt, ijs verbis Ariſtotelem docere voluiſſe, naturam intellectus agentis per operationem optimè exprimi, ſicut natura intellectus patibilis, optimè exprimitur per receptionem: Vt enim intellectus agẽs operatur, intelligibiles ſpecies efficiendo; ita intellectus patibilis patitur, eaſdem recipiendo: non tamen inde ſequitur, vt ſubſtantia intellectus agentis ab eius actione non differat, atq; adeò ille immaterialis ſubſtantia penitus ſit.

Ad quartum.

Ad quartum negamus, Ariſtotelem in 20. contex. 3. lib. de Anima, de agente intellectu locutum eſſe: dicimus enim, ſermonem ibi eſſe de intellectu in actu: qui cum ſeparatus eſt, hoc eſt corpore, veluti carcere ſolutus; tunc eſt ſolũ id, quod eſt, nimirùm pura quidditas, ſimplex ſubſtantia, & forma penitus immaterialis.

### *Intellectum agentem non eſſe Intelligentiam, aut aliam quamuis ſubſtantiam, ab anima ſeparatam. Cap. VI.*

Secunda cõcluſio cõtra Alexãdreos.

SEcunda concluſio, intellectus agens non eſt intelligentia, aut alia quæuis ſubſtantia, ab anima ſeparata. Hæc concluſio & Ariſt. autoritate ſuaderi, & rationibus ſatis validis confirmari, quàm faciliimè poteſt.

Euidẽtiſſima Ariſt. autoritas pro hac conſideratione.

Ariſ. nanque pluribus in locis, ſed potiſſimùm in 3. de Anima tex. 17. agentem, & patibilem intellectum animæ partes, & differentias appellauit: principia itidem intelligendi, in anima exiſtentia, quæ quidem conditiones ſeparatæ ſubſtantiæ conuenire non poſſunt: quomodo enim intellectus agens differentia quædam in anima exiſteret, ſi ab anima ſeiunctus eſſet? Non eſt autem, cur quis violentis expoſitionibus Ariſtotelis verba ad alium ſenſum detorqueat: ita enim philoſophus ſcribit ad verbum, *neceſſe eſt, & in anima has exiſtere differentias.*

Facilis expoſitio ꝓdictæ autoritatis Reprobatio.

Dicet fortaſſe aliquis, ſatis eſſe, vt hæ differentiæ animæ accidant; adeò vt ſit in anima id, quod recipiat, & eidem aliud quippiam accidat, quod efficientis rationem habeat. Sed commentitia eſt hæc expoſitio: nam eadem ratione dicere poſſemus,

patibilem quoque intellectum non eſſe aliquid in anima exiſtens; ſed exteriorem quandam differentiam eiuſdem; atque ita nihil re vera in anima noſtra daretur, quod intelligeret. Sed

Prima ratio pro eadē cōcluſione. rationibus hoc idem firmemus. Præcipuum munus intellectus agentis, vt paulò infra videbimus eſt è rerum ſimulacris intelligibiles ſpecies elicere: neceſſe igitur eſt, vt agens intellectus ad ſimulacra, ſeu phantaſmata ordinem aliquem habeat: ſed ſimplex intelligentia, aut quęuis ſeparata ſubſtantia nullum omnino ordinem ad phantaſmata habet; ergo intellectus a-

Secunda rō. gens non poteſt eſſe intelligentia, aut alia quæuis ſubſtantia ſeparata. Præterea ſatis famoſa eſt in philoſophia Peripatetica propoſitio, nos intelligere, cùm volumus: quomodo autem: id fieri poſſet, niſi eſſet in nobis principium actiuū, atque virtus excitans ad intellectionem? Si alius pro nobis intelligeret; tunc nos, inuito illo, non intelligeremus; falſa igitur eſſet hæc

Tertia ratiō. propoſitio, Intelligimus cùm volumus. Ad hæc, maxima imperfectione rationalis natura laboraret, ſi eo ipſo, quod cæteris naturalibus rebus ſat cumulatè conceſſum eſt, omnino deſtituta eſſet: res autem cæteræ naturales hoc habent, vt operationes ſuas non patiantur modò, & in ſeſe recipiant, verùm etiam, vt illas efficiant; imperfectior igitur eſſet rationalis natura cæteris naturalibus rebus, ſi propriam operationem tantummodo pateretur, & eam nequaquam efficeret, quod videtur abſurdum.

## *Agentem Intellectum non eſſe Deum.* *Cap. VII.*

Tertia cōcluſio cōtra Alexandræos. **T**Ertia concluſio, intellectus agens non eſt Deus: Hæc concluſio multis rationibus & à D. Thom. 1. par. quæſt. 76. art. 4. & à Caiet. ibid. & à Ioanne Grammatico in expoſitione tex. 17. tertij libri de Anima, & ab alijs pluribus probari ſolet: quarum præcipuas optimè

Prima ratio. collegit Card. Tolet. 3. de Anima q. 14. Primò igitur argumētatur Ioan. Grammat. autoritate Ariſt. tex. 20. eiuſdem libri, dicentis, nos non reminiſci, nec intelligere, quod priùs intelligebamus. Verba hæc putâuit Alexander de intellectu agente intelligenda eſſe. Si ità eſt, ait Ioannes Gram. ergo intellectus agens non eſt Deus. Probat conſequentiam; quia Deus nun-

Secunda rō. quam reminiſcitur, nec vllius rei apud ipſum obliuio cadere poteſt. Secundò, dicebat Alexāder, hoc ſolùm, quod dicitur intellectus agens, immortale eſſe. Si id verum eſt, ait Ioan. Grammaticus; ergo intellectus agens non eſt Deus. Probat conſequentiam; quia præter Deū, multa immortalia reperiuntur: nam & inferiores quoque intelligentiæ immortalitate gaudent.

Tertia. Tertiò arguitur ſic, ſi intellectus agens eſſet Deus, tunc omnia abſolutè faceret; Deus enim abſolutiſſima rerum omnium cauſa exiſtit: atqui intellectus agens non omnia abſolutè facit, ſed ea ſolùm, quæ poteſtate intelligibilia ſunt, actu intelligibilia reddit: (comparatur enim lumini, quod colores abſolutè non facit; ſed tantùm efficit, vt videantur) igitur intellectus

Quarta. agens non eſt Deus: Quartò, intellectus agens ſępius ab Ariſtotele animæ noſtræ differentia appellatus eſt, pręſertim tertio de Anima, textu decimoſeptimo, in extremo: Deus autem nullius rei eſt differentia, nec ad vllum pertinet genus; haberet enim imperfectionem

Quinta. annexam, quia limitibus coerceretur; ergo intellectus agens non eſt Deus. Quintò, Deus non agit in his inferioribus, niſi motu cæli, & lumine, vt docet 8. Phyſ. & 12. Metaph. liber: Sed nec corporeo lumine, nec motu aliquo patientis intellectus operatio fieri poteſt; ergo id, quo patiens intellectus ad intelligendum inducitur, & excitatur, non poteſt eſſe Deus: illud autem, quo patiens intellectus ad intelligendum excitatur, & à quo ei intelligibiles ſpe-

Sexta. cies ſuppeditantur, eſt intellectus agens; igitur intellectus agens non eſt Deus. Sextò, cauſa vniuerſalis non concurrit proximè ad proprias naturalium rerum operationes, niſi poſitis in rebus ipſis, particularibuſque agentibus, proprijs virtutibus, quibus ad operandum excant: vt Deus non concurrit proximè ad calefaciendum cum igne, quin ignis habeat in ſe propriam calefaciendi virtutem, aliunde receptam; alioquin cauſæ inferiores eſſent imperfectæ; immò non eſſent cauſæ; quia ab ipſis nullus effectus, ſub ratione cauſæ penderet: ſed intelligere eſt propria hominis operatio; ergo, præter Dei concurſum, qui eſt vniuerſalis cauſa, reperitur etiam in homine particularis virtus, ad illam operationem edendam; aliter homo agentium

Septima. omnium imperfectiſſimus eſſet. Denique aduerſus Alexandri ſententiam afferri poteſt autoritas Ariſtotelis 1. de Anima in fine tex. 66. vbi hæc ſcribit, *intellectus autem fortaſſis diuinius quid, & impaſſibile eſt.* Quæratur nunc ab Alexandro, intelligantur ne verba iſta de intellectu patiente, an de intellectu agente? Si de intellectu patiente; ergo intellectus patiens

eſt

eſt impaſſibilis, atque immortalis, quod ipſe negat: Si de intellectu agente; ergo intellectus agens non eſt Deus. Probatur conſequentia; quia Ariſtoteles non dixiſſet, illum eſſe fortaſſis diuinum quippiam; ſed abſolutè diuinum, & impaſſibilem pronunciaſſet. Iacobus Zabar.lib.de Mente agente, cap.14. nititur confirmare Alexandri ſentẽtiam, teſtimonio S.Thom.1.par.q.76.art.4.vbi ait intellectum ſeparatum eſſe Deum, a quo humana anima intellectuale lumẽ participat. Sed ipſe poſuit in rationali anima virtutẽ actiuam, quæ hominem coadiuuet ad intellectionem edendam. Intellectum verò ſeparatum, qui eſt Deus, appellauit lumen, non illud quidem naturale, de quo Ariſt. locutus eſt, cuius beneficio homo interdum ad ea intelligenda eleuatur, quæ naturæ viribus intelligere nequit.

Explicatio quorundam verborum S. Thomæ à Iacob Zabar. ad confirmandam Alexandri ſententiã adduxit.

## *Soluuntur rationes Alexandræorum, pro tertia eorum concluſione propoſita.* Cap. VIII.

NVnc Alexandræorum rationibus, pro tertia eorum cõcluſione propoſitis, occurramus. Ad primam negãda eſt minor, videlicet ſolùm Deum eſſe, qui res omnes, quæ poteſtate intelligibiles ſunt, actu intelligibiles faciat. Ad probationem concedimus, id, quod eſt ens, vel bonum, fieri ens, vel bonum ab eo, quod eſt maximè ens, & maximè bonũ; idque primò, & præcipuè: non tamen neceſſe eſt, vt proximè ab eo, quod eſt maximè ens, & maximè bonum, vel per eſſentiam bonum, entitatem, & bonitatem accipiat: multa enim cùm ab elementis, tùm à cæleſtibus corporibus, entitatem, & bonitatem, accipiunt; & tamẽ nec elemẽta, nec cæleſtia corpora maximè entia, vel maximè bona ſunt. Similiter non eſt neceſſe, vt omne id, quod viſibile eſt, ab eo viſibile fiat, quod eſt maximè viſibile, hoc eſt à lumine Solis; multa enim proxmè à lumine candelæ viſibilia fiunt, vel etiam à lumine earum rerum, quæ noctu micant. In re autem noſtra tametſi quicquid intelligibile eſt, primò, & præcipuè ab eo intelligibile fiat, quod eſt maximè intelligibile, nempe à Deo; proximè tamen ab aliquo alio intelligibile fieri poteſt, ab ea nimirũ rõnalis animæ facultate, quæ agens intellectus paſſim nuncupatur. Intellectus autem agens, qui intelligibilis, & ipſe eſt, fit intelligibilis ab alio, atque tandem, ne in rebus intelligibilibus abeatur in infinitum, deueniendum eſt ad vnum intelligibile, quod à ſe, per ſe, & maximè intelligibile eſt, & à quo res omnes primò, & præcipuè intelligibiles fiunt, quod quidem intelligibile eſt ipſe Deus. Ad ſecundam reſpondendum eſt, munus intellectus agentis eſſe omnia facere, non abſolutè quidem, ſed, vt Scholę inquiunt, intelligibiliter, quatenus ſcilicet, vt cauſa efficiens ad ſpecies intelligibiles efficiendas concurrit, quæ ad intellectionem edendam neceſſariæ ſunt. Quare non ſequitur, intellectum agentem Deum eſſe, quoniam Deus omnia facit, non intelligibiliter ſolùm, ſed abſolutè, & re ipſa; idque aut proximè, aut alterius interiectu. Ad tertiam iam paulò antè reſponſum eſt, in eo ſenſu agentem intellectum ſuam actionem eſſe, quatenus natura ſua ad agendũ aptus eſt: ſicut intellectus patiens natura ſua eſt aptus ad recipiendum; Ex illa autem Ariſt. propoſitione non elicimus, actionem intellectus agentis eſſe propriam ſubſtantiam, quemadmodum actio Dei eſt ſua ſubſtantia, ſua natura, ſua exiſtẽtia. Ad quartam negandum eſt, intellectum agentem ſemper intelligere. Ad probationem, ſumptam ex Ariſtotele 3. de Anima tex.20. iam dictum eſt ſuperiùs, Ariſtotelem in eo textu non eſſe locutum de intellectu agente, ſed de intellectu in actu: qui cùm à corpore ſeiunctus eſt, ſolùm eſt id, quod eſt, ac veluti ſimplex intelligentia, perpetuò intellectioni addicta. Ad quintam de ſimilitudine artis cum intellectu agente, reſpondendum eſt, ſimilitudinem illam in duobus conſiſtere. Primò, quemadmodum ars eſt communis cauſa rerũ artificioſarum; (vna enim ars ſufficit, ad multas res artificioſas eiuſdẽ generis efficiendas) ita intellectus agens eſt vniuerſalis cauſa omniũ ſpecierũ intelligibiliũ, & vnus ſufficit ad ea efficienda, quæ ad intellectionẽ edendã neceſſaria ſunt. Deinde quẽadmodũ ars eſt extra res artificioſas, ita intellectus agẽs eſt extra res intellectas non tñ ſequit̃, eſſe extra intellectũ patibilẽ, immò hi duo intellectus, vt ait Themiſtius, arctiſſimo vinculo coniuncti ſunt. Ad vltimam, qua actus, & potẽtia in eadem anima ſimul eſſe non poſſe dicebantur, atque adeò intellectum agentem non eſſe copulatum in anima cũ intellectu patibili; Reſpondendum eſt, rationem hanc vnum ponere, nimirum intellectum agentem eſſe ipſammet ſpeciem intelligibilem: quod ſi ita eſſet, tunc ratio rectè concluderet: nam contradictio eſſet, in eodem ſubiecto, puta in eadem anima, eſſe actu rem intelligibilem, & potentiam ad rem intelligibilem. At verò intellectus agens non eſt ſpecies intelligibilis

Ad primum.

Ad ſecundũ.

Ad tertium.

Ad quartum

Ad quintum

Ad ſextum.

vlla;ſed eſt actus,ideſt potentia actiua ſpecierum intelligibilium; quocirca nihil prohibet, quominus in vno,& eodem ſubiecto ſit potentia,quæ intelligibiles ſpecies efficiat,& potentia,quæ eaſdem recipiat:prima eſt intellectus agens:altera eſt intellectus patibilis. Sed dicet

*Obiectio.*

aliquis,nonne intellectus agens eſt actu res intelligibilis?eſt enim ens,atque adeò intelligibilis.ſi ergo eſt coniunctus in anima cum intellectu patibili,ſequitur,vt in vno,& eodem ſubiecto reperiatur actus,& potentia in genere intelligibilium,quod videtur abſurdum. Reſpõdendum eſt,intellectum agentem natura ſua eſſe actu rem intelligibilem, & non ſolum intellectum agentem,ſed etiam intellectum patibilem,quatenus ambo in vnam, eandemque ſubſtantiam coeũt,quæ eſt anima rationis particeps. Verùm,ſicut materia prima dicitur potentia,non abſolutè quidem ad omnem entitatem,quia per ſe natura ſua eſt entitas,quamuis imperfecta;ſed tantummodo ad entitatem formæ;ita intellectus patiens dicitur potentia ad res intelligibiles,quia ipſe per ſe eſt res intelligibilis,& habet coniunctum intellectum agentem,qui eſt pariter res intelligibilis;ſed ad eas tantum res intelligibiles,quæ è ſenſibilium ordine proficiſcuntur,cuiuſmodi non eſt intellectus agens,nec intellectus patibilis:hic igitur intellectus eſt pura potentia ad huiuſmodi res intelligibiles recipiendas:ille verò eaſdem è phãtaſmatibus elicit,& quæ potentia intelligibilia ſunt,re ipſa intelligibilia facit.

*Solutio.*

### *Agentem intellectum eſſe facultatem animæ rationalis,ab intellectu patibili non re ipſa, ſed formali tantùm ratione diſtinctam.* Cap. IX.

*Latinorũ opinio de intellectu agẽte.*

*Diſſidium inter Latinos philoſophos de diſt. intellectus agentis ab intellectu patibi- ſibi.*

CVm iam ex ijs,quæ antè dicta ſunt,ſatis conſtet,agentem intellectum non eſſe Deum, nec aliam quamuis ſeparatam ſubſtantiam,vt putarunt Alexandræi, conſentaneum videtur,eſſe rationalis animæ facultatem,& differentiam,in eadem inexiſtentem,ab intellectu patibili diſtinctam,quemadmodum ex Ariſt. Latini philoſophi elicuerunt. Vnum tamen reliquum eſt,de quo Latini ipſi inter ſe maximè diſſident,quodque etiam ad naturam intellectus agentis explicandam,diſquiſitione haud indignum videtur;num ſcilicet agens, & patibilis intellectus ſint duæ res,inuicem diſtinctæ,an ambo vnam, eandemque rem conſtituãt, quæ eſt anima rationis particeps,atque inter ſe definitionibus tantummodo,vel formali diſtinctione diſtinguantur? Sunt vtrinque validiſſimæ rationes:multis tamen,breuitatis cauſa, omiſſis,vbi primùm duo prænotauero,mox rem totam tribus concluſionibus explicabo. Cõſiderandum igitur primò eſt,rationis participem animam in intelligẽdo duplici munere fungi,ſcilicet efficientis,& materiæ, ſeu ſubiecti: dum actum ſuum edit, efficientis munere fungitur:dum verò actum iam editum in ſeſe recipit,rationem ſubit materiæ,ſeu ſubiecti. Conſiderandum ſecundò eſt,fieri nullo modo poſſe,vt vna,eademque res,ſub eadem formali ratione,ſit principium efficiens alicuius actus,& ſubiectum,quod eundem actum in ſe recipiat.

*Pro explicãda difficult. Notabile primum.*

*Notabile ſecundum.*

*Prima cõcluſio.*

His notatis,ſit hæc prima concluſio;in eadem ſubſtantia animæ, quæ per ſe vna tantùm res eſt, duæ neceſſario diſtinctæ rationes formales ponendę ſunt:altera videlicet,ſecundũ quam actum ſuum edat:altera verò,ſecundum quam eundem actum recipiat. Hæc concluſio ex ijs,quæ paulò antè notauimus,ſatis perſpicua eſt; vna enim,eademque res, ſub eadem ratione formali,non poteſt actum ſuum,vt efficiens principium edere;& ſimul eundem,tanquam materia,vel ſubiectum in ſe recipere. In eadem igitur ſubſtantia animæ duæ iſtæ rationes formales,tanquam in fundamento neceſſariò inſunt,nimirùm intellectus agens, cuius auxilio anima fungitur munere efficientis,& intellectus patiens,cuius interuentu rationem ſubit materiæ,atque ſubiecti.

*Secunda cõcluſio.*

Secunda concluſio;iſtæ duæ formalitates in anima; ſcilicet intellectus agens,& patibilis non diſtinguuntur re ipſa. Probatur:quia non eſt ponenda pluralitas rerũ, ſine neceſſitate:ſed vna tantum re,duas diſtinctas formales rationes habente, ſeruare poſſumus in anima & principium,quod proprium actum efficiat,& ſubiectum,quod eundem actũ recipiat;non igitur ponendus eſt in anima intellectus agens,tanquam res quædam, ab intellectu patiente diuerſa.

*Tertia cõcluſio.*

Tertia concluſio;intellectus agens,& patibilis ſola diſtinctione formali,hoc eſt ſola definitione,ſeu conceptu formali,& quidditatiuo,inter ſe diſtinguuntur. Probatur;quia,remota quacunque intellectus conſideratione,intellectus agens per ſe, & ſecundum ſuam formalem rationem ſpectatus, vim habet intelligibiles ſpecies efficiendi: intellectus verò patibilis per ſe,& ſecundum ſuam rationem formalem conſideratus,vim habet intelligibiles ſpecies recipiendi;igitur intellectus agens, & patibilis non re ipſa,ſed proprijs tan

tùm rationibus formalibus diſtinguuntur. Nec eſt, quod dicat aliquis, intellectum agentem per intelligibiles ſpecies patiētem intellectum afficere, atque ad intelligēdum præparare: id autem, quod afficit, & præparat, & de potentia ad actum deducit, ab eo, quod afficitur, præparatur, atque deducitur, re ipſa diſtingui. Vel, intellectum agentem, propterea quòd lumini comparatur, ideo eſſe diſtinctū re ipſa ab intellectu patibili, ſicut lumē re ipſa diſtinguitur, & à colore, cui adiungitur, & à viſu, in quem agit. Vel demùm, intellectum agentē reipſa diſtingui ab intellectu patibili, quia ex Ariſ. ſnīa 3. de Anima, tex. 19. eſt ipſo honorabilior: idē autem ſemetipſo honorabilius eſſe nequit. Primò, quia tametſi in materialibus rebus id, quod afficit, & præparat, ab eo, quod afficitur, & præparatur, reipſa diſtinguitur; hæc tamen realis diſtinctio in ſpiritualibus rebus, cuiuſmodi ſunt intellectus agens, & patibilis, neceſſaria non eſt. Neque verò abſurdum eſt, eandem rem, ob aliquam formalem rationē, in ſe inclusam, ſeipſam de potētia ad actum, non quidem primum, ſed ſecundum reuocare poſſe: atque per aliam rationem formalem, à priore diuerſam, actum illum ſecundum, hoc eſt operationem, in ſe recipere. Abſurdum autem eſſet, ſi diceremus, eandem rem ſemetipſam de potētia ad actum primum reuocare, hoc eſt ſibimet ipſi formam impertiri. Deinde tametſi intellectus agens lumini comparatur; inter vtrunq; tamen non eſt perfecta ſimilitudo: eſt quidem intellectus agens ſicuti lumen, quatenus vim habet illuſtrandi phantaſmata; attamen lumen illud internum eſt, non externum: propterea non diſtinguitur ab intellectu patibili, ſicut lumē ab obiecto viſibili, aut ab ipſo viſu, quemadmodum nec lumen, quod apparet in oculo felis, reipſa ab oculo diſtinguitur. Denique nihil prohibet, eandem rem, quò ad vnam rationem formalem conſideratam, ſemetipſa digniorem eſſe, quò ad aliam rationem formalem ſpectata: propterea rationalis anima, conſiderata quò ad hanc rationem formalē, quæ dicitur intellectus agēs, ſe ipſa dignior, atque nobilior eſt, quò ad aliam rationem formalem ſpectata, quæ dicitur intellectus patibilis. Pro cuius rei maiore explicatione afferri poteſt exēplum albedinis, atque dulcedinis in lacte: quæ quidem inter ſe reipſa non diſtinguuntur, cū non ſint duæ res, ſed in vna, eademque re, nimirum in lacte, tanquam in ſubiecto reperiātur; nihilominus proprijs rationibus formalibus, & ex ipſius rei natura diſtinguuntur. Etenim dulcedo, ex natura dulcedinis, guſtum immutat: albedo verè, ex natura albedinis, viſum diſgregat; igitur albedo, & dulcedo in lacte, non tanquam duæ res, ſed tanquam duæ eiuſdē rei formales rationes diſtinguuntur. Sic in re noſtra, in vna, eademque animæ ſubſtantia, quæ vna, eademque res eſt, duæ vires, ſeu facultates reperiuntur, quæ in ea obſtrictæ ſunt artiùs, quàm dulcedo, & albedo in lacte; quibus quidem facultatibus anima diſtincta munia ſuſtinet, & exercet. Cùm autem huiuſmodi facultates diſtinctas formales rationes habeant, & cōtradictoria prædicata, remoto quocunque opere intellectus, recipere poſſint, fit, vt inter ſe non reipſa, ſed formaliter tantùm, & ex natura rei, vt inquiunt Scholæ, diſtinguantur: iſtæ autem facultates ſunt intellectus agens, atque patibilis.

Prima obiectio contra prædicta. Vide Zab li. de mente agente, cap 10.

Secūda obiectio.

Tertia obiectio.

Solutio primæ obiect.

Solutio ſecūdæ obiect.

Solutio tertiæ obiect.

Exemplū rē totā aperiēs.

Applicatio.

*De munere intellectus agentis.* *Cap. X.*

PRobauimus iam, dari neceſſariò in humana aīa intellectū agentem; eumq; non eſſe aliquam ſeparatam ſubſtantiam, ſed differentiā quandam, in ipſamet rationali anima exiſtentem: nunc verò de eius munere nobis diſſerendum eſt, de quo præcipua eſt inter philoſophos controuerſia. Nihil noui habet, quod hac de re in medium afferam; propterea probabiliori ſententiæ ſubſcribens, omni penitus controuerſia dimiſſa, intellectus agentis officium paucis explicabo. Vulgatiſſima eſt cùm Ariſtotelis, tum peripateticorum omnium aſſertio, Agentis intellectus officium eſſe illuſtrare phantaſmata, eademque re ipſa intelligibilia facere, cùm poteſtate tantùm intelligibilia, actu verò ſenſibilia ſint. In id præterea intellectum agentem incumbere, vt patienti intellectui ad intelligendum ſuppetias ferat: qui quidē cùm natura ſua, potentia tantùm intelligens ſit, virtute intellectus agentis, in intellectionis actum erumpit, atque reapſe intelligens fit. Hinc orta eſt apud Doctores varios celebris controuerſia, num intellectus agentis ſit in phantaſmata agere, an potius in intellectum patibilem? Putarunt nonnulli, intellectum agentem ſuam virtutem imprimere in intellectum patibilē, eundemque ad intellectionem, recipiendam, à ſemetipſo editam, aptum, idoneumque reddere.

Intellectus agentis officium eſt illuſtrare phantaſmata.

Patiēti quoque intellectui ad intelligendū opē fert.

Quæſtio celebris.

Opiniones variæ.

re. Alij dixerunt, intellectum agentem vim ſuam in phantaſmata exercere, atque illa è ratione ſenſibilium ad intelligibilium rationem deducere. Alij verò non ſolùm in phantaſmata, verùm etiam in intellectum patibilem intellectum agentem agere exiſtimarunt. In his autẽ opinionibus examinandis tempus non cenſeo conterendum; hęc enim legi omnia poſſunt apud Albertum in ſumma de homine, parte 2. q. 2. & ſequentibus: apud Diuum Thomam 1. par. quæſt. 79. art. 3. & 4. Bacconem 2. quæſt. prologi, art. 2. Durandum 1. Sententiarum diſt. 3. quæſt. 5. Sueſſanum lib. 4. de intellectu, Toletum 3. de Anima quæſt. 13. Conimbricenſes ibidem cap. 5. quæſt. ſecunda, & alios complures. Mihi Zabarellæ ſententia maximè probatur, quam aperuit in libro, quem ſcripſit de mente agente, cap. quarto. videlicet intellectum agentem, tametſi tanquam lumen quoddam phantaſmata illuſtrat; tamen actionem ſuam non imprimere in phantaſmata in genere cauſæ efficientis, ſed tantummodo in genere cauſæ formalis. Nam ex Ariſtotelis ſententia tertio de Anima text. decimooctauo intellectus agens vt forma, & habitus phantaſmatibus iungitur, eaque illuſtrat, & formaliter, intelligibilia reddit; efficitque, vt illa extent, quæ, illo abſente, non apparebant, nimirũ quidditates intelligibiles: quemadmodum, luminis aduentu, multi colores, & exiguæ lineæ, aliæque multæ deſignationes in ſtatua apparent, quæ priùs non cernebantur. Ergo, vt intellectus agens, tanquam forma quædam, & habitus cum phantaſmatibus iunctus eſt, eaque illuſtrauit, tunc ex ipſo, & phantaſmatibus vnum quoddam totum obiectum conſtituitur, quod in genere cauſæ efficientis habet vim agendi in intellectum patibilem, atque ipſum ad intellectionem promouendi. Enimuerò ſicut lumen iungitur coloribus, paritque vna cum ipſis viſibilem ſpeciem, ob cuius receptionem in oculo fit actus videndi, hoc eſt ipſa viſio; ita ex coniunctione luminis, (quod eſt intellectus agens) cum phantaſmatibus oritur ſpecies intelligibilis, qua recepta in intellectu patibili, fit actus intelligendi. Non ergo phantaſmata, quę materialia ſunt in intellectu patibili recipiuntur, atque ibidem exiſtentia ab agente intellectu illuſtrantur, vt nonnulli putarunt; ſed manent in phantaſia, & recipiunt lumen intellectus agẽtis, atque ita illuſtrata pariunt intelligibilem ſpeciem, quæ poſtea in intellectu patiente recipitur. Quare intellectus agens non ita agit in patibilem intellectum, vt proxima intellectionis cauſa exiſtat; ſed quatenus ei ſubminiſtrat id, ſine quo intellectio fieri nequit, hoc eſt ſpeciem intelligibilem, in qua obiectum refulget, quod intelligi debet. Illud poſtremo non indignum animaduerſione videtur, dum homo intelligit, anima rationali, non eſſe hominem rem aliquam, à rationali anima differentem: neque rurſum aliam rem eſſe animam, & aliam intellectum; neque tandem aliam rem eſſe intellectum agentem, & aliam intellectum patientem, vt ſupra docuimus: ſed ob varia munia, in vna, & eadem re, plures (vt ita dicam) realitates, vel concipiendi modos, vel, vt aiunt, formalitates reperiri; quæ tamen omnes in vnam, eãdemque ſubſtantiam coire dicũtur: vnus ergo re ipſa eſt intellectus, vna anima, vnus homo, qui propriè intelligere dicitur.

Albertus. S. Thom. Bacconus Durandus. Sueſſanus. Toletus Conimbric.

Opin. Zab. quæ Autori maximè probatur

Intellectus agens vt forma, & habitus phantaſmatibus iungitur.

Speciei intelligibilis generatio.

Phãtaſmata non illuſtrãtur ab intellectu agente, ſed exiſtũt in intellectu patibili, ſed exiſtunt in phãtaſia.

Realis vnitas omnium facultatũ animæ rõnalis quinimmò ipſius animę cum hoĩe.

# DE COGNITIONE SINGVLARIS,

## Diſputatio Vigeſimatertia.

*Diſputandi ratio.* *Caput Primum.*

Diſputationis origo.

SCribit Ariſtoteles lib. 3. de Anima textu 9. aliud eſſe magnitudinem, & magnitudinis, eſſe, aliud carnẽ, & carnis eſſe: quibus verbis diſtinctionem inter rem ſingularem, & eius naturam, atque ſubſtantiam, quam Scholæ eſſentiam, & quidditatem appellant, ſatis dilucidè patefecit. Dubium autem in eodẽ contextu excitauit, res ſingularis, & eius quidditas diſtinctis ne animæ facultatibus, an vna tantum, ſed tamen alio, & alio modo affecta, percipiantur? Cuius quidem dubij ſolutionem licet in textu 10. & ſequẽtibus apertiſſimè attulerit; nihilominus ex prædictis verbis eius interpretes diſputandi occaſionem ſumpſerunt, an intellectus tanta virtute præditus ſit, vt non ſolùm vniuerſale, quod proprium eius obiectum ſtatuitur, verùm etiam ſingulare, quod eſt ſenſus obiectum, intelligere poſſit. Non minorem difficultatem, atque ẽt ſubtilitatem hæc diſputatio præſefert, quam illa, quæ de primo cognito inſcribitur, quamq; nos facilem iam reddere conati ſumus: idcirco enim totam ſcientiam de Anima difficillimã eſſe, primo lib. de Anima Ariſt. pronunciauit, quia mentis operationes latent nos, ac veluti in quodam obſcuritatis abyſſo reconditæ deliteſcunt. Maximum nihilominus fructum ex diligenti huius quæſtionis examine percepturi ſumus: nam & multa, ad rem ſingularem, atque rurſus ad naturam communem, & vniuerſalem pertinẽtia, conſiderabimus; & ſenſim intimas animæ, atque potiſſimùm mentis, operationes aperiemus. Quoniam verò hac de re à communi philoſophorum Schola non diſſentimus; idcirco illud primùm breuiter, de quo inter omnes conuenit, definiẽtes, oſtendemus, ſingulare per ſe, & ab intellectu noſtro intelligibile eſſe. Mox nonnulla obiter de conceptibus, ſpeciebuſque intelligibilibus ſingularium diſſeremus. Demum ordinem illum, quem intellectus in ſingulare intelligendo ſe uare ſolet, patefaciemus.

Diſputationis difficultas.

Diſputationis vtilitas.

Ordo in diſputatiõe ſeruandus.

*Nonnulla ante quæſtionis explicationem conſideranda.* *Cap. II.*

DE ſingularis itaque cognitione diſceptaturi, quò faciliùs, ad id, quod quærimus, peruenire poſſimus, pauca nobis cùm de ſingulari, tũ de ipſamet cognitione præponẽda ſunt. Atque illud in primis explicandum videtur, quid nam ſit ſingulare, de quo nunc ambigimus, an ab intellectu percipi queat? Id ſanè Logici quàm facillimè expediunt: aiunt enim, illud eſſe, quod de vno ſolo prædicatur. Verùm iſthæc deſcriptio leuior eſt, quàm vt ad optatum propoſitæ quæſtionis intellectum nos perducere poſſit: ideo exacuenda ſunt nobis pauliſper ingenia, atque ad Metaphyſicam recurrendum, quæ aliam nos ſingularis deſcriptionẽ, & illã quidem magis intimam, atque ad inſtitutum noſtrum accommodatam, docebit. Singulare igitur ſic Metaphyſici deſcribere ſolẽt, vt ſit res quædam, ex natura ſpecifica, atque indiuiduali differẽtia, conſtituta. Porrò ſingulare, ſic conſtitutum, in duplici natura reperitur, nimirum in natura ſenſibili, atq; corporea, vt hic lapis, hæc roſa: & in natura ſpirituali, quæ penitus eſt materię expers, vt hæc anima, hæc intelligẽtia: non enim abſurdum exiſtimamus, in rebus, à materia abiunctis, plura eiuſdem ſpeciei ſingularia reperiri poſſe, vt opportuniore loco planum fiet. De ſingulari incorporeo nulla eſt difficultas: niſi enim ab intellectu perciperetur, incomprehenſibile quid eſſet, cùm nulla alia facultas ſit, quæ illud attingere poſſit. Tota igitur diſputatio erit de ſingulari ſenſibili. Iam verò ſingulare ſenſibile, vt incorporeum omittamus, duplex eſt, vagum, & ſignatum. Singulare vagum eſt quid, ex natura ſpecifica, & proprietate indiuiduali vaga cõcretum, vt aliquis homo. Singulare verò ſignatum illud eſt, quod ex eadẽ natura ſpecifica, & proprietate indiuiduali ſignata, coaleſcit, vt hic homo. De vtroque ſingulari in hac diſputatione ſermo futurus eſt. Sed & illud animaduerſione dignũ eſt, ſingulare ſignatum duobus modis accipi poſſe, vno modo, vt eſt quid per ſe vnum, & hoc modo nil aliud in ſeſe continet, quàm naturam ſpecificam, & differẽtiam indiuidualem: hæc

Singulare Logicis quid.

Singulare à Metaphyſicis definitũ.

Singulare tã in natura corporea, quàm in natura ſpirituali reperiri poteſt.

Singulare duplex, vagum, & ſignatũ.

Singulare ſignatum, vel vt vnũ p ſe, vel vt vnum

*per accidens conſiderari poteſt.*

enim duo ſe habent vt actus, & potentia, vt determinans, & determinabile, atque adeò id, quod eſt per ſe vnum, videlicet ipſum ſingulare, conſtituunt. Alio modo accipi poteſt ſingulare, vt eſt vnum per accidens; & tunc, præter naturam ſpecificam, & differentiam indiuidualẽ, multa etiam materialia accidentia, vt locum, tempus, magnitudinem, figuram, & alia huiuſmodi includit. Hæc quippe rei ſingularis principia dicuntur, ſed quodammodo à poſteriori, & per accidens, quia rem ſingularem, in aliquo priori ſigno naturæ conſtitutam, ponunt, Proprietas verò, ſeu differentia indiuidualis eſt proximum principium, quod primò, & per ſe rẽ ſingularem conſtituit. Multum autem intereſt in hac diſputatione, hoc ne, an illo modo ſingulare accipiatur. Ad cognitionem verò, vel (vt ita dicam) ad ipſam intelligibilitatem quod attinet, quæ erat altera vox explicanda, ſcire oportet, cùm quærimus, an ſingulare cognoſci poſſit, vel (quod in idem recidit) an ſingulare intelligibile ſit, quæſtionem hanc duplicem ſenſum habere poſſe. Alter eſt, an ſingulare natura ſua intelligibile ſit; & tunc quæſtio metaphyſica fit: diſſerere enim de intelligibilitate, quæ propria, & maximè intima entis affectio exiſtit, metaphyſici eſt muneris. Alter eſt, an ſingulare, cùm natura ſua intelligibile ſit, à quocunque intellectu intelligi poſſit, hoc eſt, tam ab intellectu coniuncto, qui eſt intellectus humanus, dum re ipſa humani corporis forma ſtatuitur; quàm ab intellectu ſeparato, qualis eſt intellectus illarum ſubſtantiarum, quæ cæleſtes orbes perpetuò ciẽt, atque etiam ipſius Dei. Si fiat quæſtio de intellectu ſeparato, rurſum metaphyſica eſt: non enim de ente ſolùm, & affectionibus eius metaphyſicus diſputat, verùm etiam de ſubſtantijs abſtractis. Si verò fiat quæſtio de intellectu coniuncto, tunc naturalis eſt, atque præcipue ad tertium librum de anima pertinet. Nos autem in hac quæſtione tractanda, ne quid illi deficiat, quod ad eius integram explicationem deſiderari poſſe videatur, vtriuſque artificis partes ſuſcipiemus. Illud denique animaduertendum eſt, de quo etiam inter diſputandum ſermo fiet. ſ. humani intellectus cognitionem duplicem eſſe, alteram, quam Scholæ directam; alteram, quam reflexã appellant. Directa cognitio ea eſt, cùm intellectus in aliquod obiectum primò cognitum fertur. Reflexa verò illa dicitur, cùm intellectus aliquid in alio, prius cognito percipit. Exemplum appoſitiſſimum de viſione habetur, quæ directa dicitur, cùm oculus ſpeculum intuetur; reflexa verò, cùm ſemetipſam, & totam faciem in ſpeculo videt. Quærendum igitur erit, quanam cognitione, directa ne, an reflexa ſingulare ab intellectu percipiatur?

*Accidentia ſunt principia rei ſingularis quatenus illam indicãt; principiũ verò rem ſingularem primò cõſtituens ẽ dfĩa indiuidualis. Quære diſputa. de principio indiuiduatio.*

*Propoſitæ q̃ſtionis ſẽſus duplex*

*Intelligibilitas eſt intima entis affectio*

*Q̃ò de cognitione ſingularis, & metaphyſica, & naturalis eẽ poteſt*

*Cognitio duplex. directa & reflexa.*

## *Singulare quocunque modo accipiatur, eſſe per ſe intelligibile.* *Cap. III.*

*Prima cõcluſio pro quæſtionis explicatione.*

HIs notatis, quibus iam ſatis intellectus ad contemplandum inſtructus, atque paratus eſſe videtur, nunc quæſtionem propoſitam articulatim explicemus. Illud primùm, tanquam firmum, verum, & ratum ſtatuamus, ſingulare, cuiuſuis generis illud ſit, ſiue materiale, ſiue ſpirituale, ſiue vagum, ſiue ſignatum, per ſe, hoc eſt, natura ſua intelligibile eſse. Id quod probari facilè poteſt. Primò, ſi intelligibilitas, vt paulò ante admonuimus, propria, & maximè intima entis affectio exiſtit, ſequetur proculdubio, vt illud, quod per ſe eſt ens, per ſe pariter intelligibile ſit; ſiquidem ſubiectum omne ſuam habet propriam affectionem annexam: vt ergo licet arguere, homo eſt, ergo riſibilis; ita etiam argumentari licebit, ens eſt, ergo intelligibile. Atqui ſingulare per ſe eſt ens, cùm naturam, & (vt ita dicam) entitatem eorum omnium, quæ ſupra ipſum in recta linea prædicamentali continentur, in ſeſe includat, nimirum entitatem ſpeciei ſpecialiſſimæ, ſpecierum, & generum ſubalternorum, atque rurſus generis generaliſſimi, nec aliud præterea contineat, niſi ſingularitatem ipſam, hoc eſt, proprietatem, ſeu differentiam indiuidualem, cuius beneficio fit prima ſubſtantia; & perfectiſſimum ens, vt habetur in prædicamẽtis c. de Subſtantia, & 7. Metaph. per totum librum: habet igitur ſingulare intimam illam entis affectionem, atque adeo per ſe, & natura ſua intelligibile eſt. Præterea, ſi per ſe, & natura ſua ſingulare intelligibilitatẽ ſubterfugeret, tunc in tota intellectuum ſerie, fingas quencunque velis, nullus eſſet, qui ipſum intelligere poſſet; quemadmodum id, quod natura ſua inuiſibile eſt, cuiuſmodi eſt vox, à nullo viſu, quantumcunque perfecto, videri poteſt: a nullo igitur intellectu, atque adeo nec ab intellectu diuino, nec ab intellectu aliarum ſubſtantiarum abſtractarum ſingulare perciperetur, ſi per ſe intelligibile non eſſet, quod eſt maximum abſurdum. Demum quid habet, obſecro, ſingulare in ſeſe, quod impediat, quo minus ipſum intelligi poſſit? Profectò ſi illud diſpiciamus, inueniemus, nihil includere aliud,

*Prima ratio pro prædicta concluſione.*

*Quære Sco. lib. 3 de aĩa, quæſt. 22.*

*Secunda rõ.*

*Tertia ratio.*

niſi

niſi naturam ſpecificam, quæ vniuerſalis eſt, & gradum illum ſingularitatis, quo eadem na-
tura ſpecifica hæc,& indiuidua redditur:ſed natura ſpecifica nullam infert moram,aut impe
dimētum,quo minus ſingulare intelligi poſſit;optimè enim ipſa natura ab intellectu percipi-
tur) ergo neque etiam ob gradum illum ſingularitatis,naturæ ſpecificę additum,impedire po
terit ipſummet ſingulare quo minus intelligatur. Conſecutio eſt conſpicua; gradus enim, Notabilis ꝓpoſitio, quæ ſæpe diſputationib. vſu venit.
naturæ ſpecificæ aduenıēs,tanquam quid poſterius naturam,& eſſentiam ſui prioris mutare
non poteſt, vt gradus albedinis,additus naturæ ſpecificæ albedinis, illam immutare non va-
let,ꝑpea ſi album per ſe viſibile ſit,etiam ſi gradum albedinis acquirat,fiatque magis albū,a-
dhuc nihilominus viſibile erit. Eadem igitur ratione,ſi natura vniuerſalis per ſe intelligibilis
eſt, neceſſariò illam ipſam affectionem obtinebit, etiam ſi gradum ſingularitatis acquirat.
Quare cùm nec ob ſpecificam naturam,nec ob gradum ſingularitatis,ipſummet ſingulare ab
itelligibilitate arceatur,nec aliud in ſe contineat,à quo eius intelligibilitas impediri poſſit,vi
detur ſanè illud per ſe,& natura ſua intelligibile eſſe. Sed obijciet aliquis, interdum contin- Obiectio.
gere,vt gradus,naturæ aduenıēs, obiectum facultate minus appoſitum reddat, ac propterea
efficiat,vt illud, quod ſine determinato aliquo gradu percipiebatur, poſt gradum acquiſitū,
amplius percipi non poſſit. Exemplum ſatis aptum habetur de lumine, quod per ſe quidem
viſibile eſt;tñ ſi tot gradus intēſionis acquirat, vt videri facultati proportione minus accōmo
datum reddatur,cuiuſmodi eſt lumen Solis; tunc non amplius percipi poterit. Ecce igitur,
quomodo interdum gradus,naturæ aduenıēs,tametſi poſterior eſt;nihilominus impedimēto Solutio.
eſſe poteſt,quominus obiectum à ſua determinata facultate percipiatur. Hæc obiectio fa-
cilè tollitur:nam quanuis gradus aliquis, naturæ aduenıēs, obiectum alicui facultati minus
appoſitum reddere poſſit:non tamen efficit,vt obiectum natura ſua imperceptibilę ſit. Et ad
exemplum de lumine, reſpondēdum eſt, lumen, quod per ſe viſibile eſt,per nullum gradum
acquiſitum inuiſibile reddi,idque ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſolùm ad aliquam facultatem
relatum:erit ergo lumen Solis inuiſibile noctuę,vel etiā alijs animalibus, non tamē abſolutè;
alioquin aquila hunc ipſum fulgorem non conniuētibus oculis aſpicere non poſſet. Vera eſt
itaque illa propoſitio,qua dicebatur,gradus naturæ aduenıens, tanquam quid poſterius, ſui
prioris ſubſtantiam immutare non poſſe.

## *Singulare non ſolùm ab intellectu ſubſtantiarum abſtractarum, verum etiam ab intellectu humano intelligibile eſſe. Cap. IV.*

CÆterùm cùm ſingulare natura ſua intelligibile ſit,non illud ſolùm à ſeparatis ſubſtan- Secunda cōcluſio.
tijs,verùm etiam ab humano intellectu, quatenus re ipſa humani corporis forma ſta-
tuitur,intelligibile eſt; Omnes ferè philoſophi cùm veteres; tùm recētiores, qui Ariſtotelis
mentem in 10.contex.tertij libri de Anima diligēter expenderunt, in hanc ipſam concluſio-
nem conſpirarunt;quam quidem multis rationibus,& ijs quidem validiſſimis comprobarūt.
Primò ſatis trita,& peruulgata eſt apud philoſophos propoſitio,in ijs facultatibus, quarum Prima ratio.
altera alteri ſubdita eſt,quicquid poteſt facultas inferior,illud idem,& aliquid præterea,poſ
ſe facultatem ſuperiorem:atqui ſenſus, & intellectus ſunt huiuſmodi facultates, ita tamē vt
intellectus ſit facultas ſuperior, & ſenſus percipit ſingulare; ergo multò magis illud idem in-
tellectus percipere poterit. Confirmatur hæc ratio,vt.n.ſenſus exterior ad interiorem ſe ha Cōfirmatio.
bet,nimirum ad phantaſiam; ita phantaſia ad intellectum; ſed phantaſia percipit obiectum
ſenſus exterioris,hoc tamen diſcrimine,quia non ſolum præſens illud percipit, vt ſenſus exte-
rior, verùm etiam abſens;igitur & intellectus,cum aliquo diſcrimine,phantaſiæ obiectū per-
cipere poterit:ſed obiectum phantaſiæ,ſicut etiam ſenſus exterioris,eſt ſingulare;ergo ſingu-
lare percipietur ab intellectu;qui tamē ob eius præſtantiam,percipit etiam vniuerſale,quod
nullus ſenſus ſiue interior,ſiue exterior,percipere valet. Deinde intellectus eſt facultas illa, Secunda rō.
quæ è ſingularibus ſpecies vniuerſales elicit:elicere autem non poteſt,niſi ſingularia intelli-
geret;alioquin inſciēter eliceret,quod eius dignitati aduerſatur. Præterea, vt ſenſus inte- Tertia ratio.
rior in ea præcipue intēdit,quæ ſibi ab exterioribus ſenſibus ſuppeditātur,ita intellectus vim
ſuam in eis primùm exercet,quæ ſenſus interior, hoc eſt,facultas fictrix ſubminiſtrat:ſed fa-
cultas fictrix,quæ eſt phantaſia, ſubminiſtrat intellectui ſingularia; ergo intellectus vim ſuā
in ſingularibus primùm exercet, atq; adeo ſingularia optimè cognoſcit. Rurſus intellectus

ſingu-

ſingularibus rebus nomen imponit,res igitur ſingulares intelligit. Conſecutio eſt conſpicua: etenim nomina rebus imponuntur,ob aliquam proprietatem,in illis repertam,cuius rei multa in diuinis literis habẽtur exempla, & hoc etiam conſpicuum eſt apud omnes gẽtes: non poſſet igitur intellectus ſingularibus rebus nomẽ imponere,niſi earum proprietates intelligeret,quòd ſi proprietates intelligit, conſentaneum videtur, vt etiam res ipſas ſingulares complectatur. Quinta ratio Ad hæc,ratiocinari munus eſt ſolius intellectus:nullus enim ſenſus,ſiue exterior, ſiue interior,ratiocinandi vim habet:ſed quædam ſunt ratiocinationes,quibus intellectus ex ſingularibus vniuerſalia colligit,cuiuſmodi ſunt inductiones, igitur intellectus ſingularia intelligit. Sexta ratio. Huc accedit,quòd intellectus ſe ipſum,& ſuammet intellectionẽ intelligit: eſt enim facultas ſine organo,quæ ſupra ſe ipſam,& ſuam actionem reflecti poteſt,quod nulli organicæ facultati conceſſum eſt; hoc autem fieri non poteſt,niſi ſingulare intelligeret. Septima rõ. Inſuper,artes omnes in ſingularibus verſantur: quomodo autem artifex vniuerſales regulas ſingularib. rebus accommodare poſſet, niſi intellectus res ipſas ſingulares intelligeret? Virtutes etiam, vt Iuſtitia, Prudẽtia,& id genus aliæ,quarum dux,& moderator eſt intellectus, tanquam obiecta propria ſingularia reſpiciunt. Atque ruſus appetitus, à ratione ductus,in ſingulare fertur; Octaua rõ. (non enim vniuerſalia appetimus) igitur intellectus percipit ſingulare. Quin etiam ſæpè intellectus ſenſus iudiciũ corrigit,vt patet de magnitudine Solis, quẽ multò minorẽ, quã quantus eſt,ſenſus iudicat:de remo,in aqua poſito,quem ſenſus fractum,aut contortum exiſtimat, & de alijs multis, igitur obiectum ſenſus, quod eſt ſingulare, neceſſariò ab intellectu percipitur. Nona ratio. Poſtremò, facultas ponẽs differẽtiam inter aliqua duo, cognoſcit vtrunque, vt patet de ſenſu communi,qui ponit differentiam inter album,& dulce,& cognoſcit vtrunque, ſed intellectus ponit differẽtiam inter ſingulare,& vniuerſale,ſtatuitque, ſingulare illud eſſe quod de vno ſolo dicitur; vniuerſale verò, quod de pluribus prædicatur,igitur intellectus vt vniuerſale,ita ſingulare cognoſcit. Cõfirmatio. Quod ex eo etiam confirmari poteſt,quia intellectus nõ ſolùm inter vniuerſale,& ſingulare,verùm etiam inter duo ſingularia diſcrimẽ ſtatuit:cognoſcit enim,ex hoc ſaxo poſſe aptè ſtatuam fieri;ex hoc ligno ſcamnum,ex hoc ferro gladium: hunc hominem eſſe aptum rebus agẽdis:alium magis eſſe contemplationibus accommodatum:cognoſcit, Petrum eſſe doctiorem Franciſco:igitur Petrum, & Franciſcum,qui ſunt rès ſingulares,optimè intelligit. Perſpicua itaque res eſt,intellectum humanum,vel ipſis facultatibus ſentientibus annexum,non ſolùm vniuerſale,quod proprium eius obiectum exiſtit, verùm etiam ſingulare,quod ad ſentientes facultates pertinet,optimè intelligere poſſe.

### *Singulare,ſecundum propriam ſingularitatis rationem, nec à ſenſu, nec ab intellectu percipi poſſe.* Cap. V.

Tertia cõcluſio,quæ difficillima eſt. Difficilius eſt multò,quod nunc proponitur explicandum, & quod nonnullis fortaſſe tã quam paradoxon videbitur, nullam.ſ.facultatem,ſiue intelligẽtem,ſiue ſentiẽtem,tanta virtute,ac robore præditam eſſe, vt ſingulare,qua ſingulare eſt hoc eſt, ſecundum propriã, & intimam ſingularitatis rationem cognoſcere poſſit. Ratio ſubtiliſſima Scoti pro eadẽ cõcluſione. Id, quod Subtilis Doctor, loco ſuperiùs citato,ſubtiliſſima ratione probauit. Etenim omnis facultas, quæ obiectum aliquod ſub propria,& intima ratione cognoſcit,illud certè à quocunque, eiuſcemodi rationem non habẽte,diſtinguere põt;ſed propria ſingularis ratione,hoc eſt,ipſa ſingularitate manẽte, oĩbuſque alijs ſecluſis,quæ ad interiorẽ ſingularis conſtitutionẽ non pertinent, ſed vel extrinſecus illi adueniunt, vel per accidens,& quaſi à poſteriori conueniunt, cuiuſmodi ſunt locus, figura,color magnitudo,& id genus alia; nec ſenſus, nec intellectus inter duo ſingularia diſcrimẽ ſtatuere põt;ergo neutra facultas ſingulare, ſm illã rõnẽ, qua ſingulare eſt,cognoſcere valet. Nihil eſt magis intimum ſingulare, q̃ p'ropria vnitas. Minor propoſitio probaẽ: cũ.n.ſingulari nihil magis intimũ eſſe videaẽ, quã propria vnitas; fit,vt illa facultas,q̃ propriã ſingularis vnitatẽ,qua in eſſe ſingularis cõſtituitur, pcipere nequit,diſcrimẽ ẽt inter duo ſingularia,quæ diſtinctã prorſus vnitatẽ habẽt ſtatuere nequeat: ſed omni accidẽtali diſtinctione remota,nec ſenſus, nec intellectus propriam ſingularis vnitatem,qua ſingulare eſt,percipere poteſt;ergo nec ſenſui,nec intellectui vnum ſingulare ab altero diſtinguere datum eſt. Sed explicemus hanc minorem exemplis, vt hinc etiam pateat, vnitatem illam,qua ſingulare vnum numero eſt, nec à ſenſu, nec ab intellectu percipi poſſe. Quodnã ſit Conſiderandum itaque eſt,id,quod primò, & per ſe ſingulare conſtituit, non eſſe aliud, niſi

gradum

gradum illum interiorem, ſeu entitatem illam poſitiuam, quæ naturæ ſpecificæ additur, & cuius acceſſu natura eadem ad eſſe ſingulare contrahitur: cùm primùm entitas iſta, ſeu gradus, naturæ ſpecificæ acceſſit, iam tùm ſingulare conſtitutum eſt. Et quãuis neceſſe eſt, vt ſingulare conſtitutum proprium locum, determinatam magnitudinem, figuram, colorem, & alia huiuſmodi habeat; hęc tamen omnia accidentia quædam ſunt, quæ à re quidem ſingulari non abſunt, ſed tamen ad interiorem eius conſtitutionem non pertinent. Quanuis etiã eodem tempore, quo ſingulare conſiſtit, iſthæc accidentia id ipſum cõtineat; nihilominus priùs ſaltem natura ſingulare eſt per ſe ſingulare, habens propriam ſingularitatis rationem, quàm loco, figura, colore, magnitudine, atque id genus alijs accidentibus ſit affectum. Hæc cùm ita ſe habeant, planum eſt, non implicare contradictionem, ſingulare, iam conſtitutum, abſque huiuſmodi accidentibus, eidem in aliquo poſteriori ſigno naturæ aduenientibus, conſiderari: ſicut nec contradictionem inuoluit, animal ſpectari, homine à cogitatione ſecluſo; idque nulla alia ratione, niſi quia animal hominem natura præcedit. Iam verò ſi hoc modo ſingulare ſpectetur, perſpicua res eſt, intellectum, in humano corpore incluſum, hanc ſingularitatis rationem, vel vnitatem, qua ſingulare eſt, attingere non poſſe: immò ne ſenſum quidem, ſi accidentalem diſtinctionem ſecludas. Nanque ſi duo radij eſſent in eodem medio, eſſent quidem duo ſingularia, per ſe diſtincta; & tamen viſus ambos radios vt vnum quoddam ſingulare perciperet. Eodem modo, ſicubi eſſent duo alba, æquè intenſa; loci diſtinctione remota, quæ eſt quædam exterior ratio, & à poſteriori, qua ſingularia quælibet diſtinguuntur: dubio procul ſenſus differentiam inter duo illa alba attingere non poſſet. Cæterùm vt tota res, de qua agitur faciliùs intelligatur, hoc aliud exemplum addamus, quod propoſitæ difficultati explicandæ ſatis accommodatum eſſe videtur. Fingamus cogitatione duos ligneos globos, qui eiuſdem omnino ſint quantitatis, eiuſdem figurę, eiuſdem coloris: ſenſus, ob locorum diſtinctionem, inter hæc duo ſingularia differentiam quidem percipiet: at verò propriam, & intimam rationem, qua hæc ſingularia inter ſe diſtinguuntur, nequaquam cognoſcet. Quod ex eo elicitur, quia ſi duo illi globi aliquo modo ſignentur, alter ex. gra. litera A. & alter litera B. offeranturque viſui; nunquam profectò viſus, quis nam ſit globus A, aut quis ſit globus B, cognoſcere poterit; quod vtique poſſet, ſi ſingulare ſecũdum propriam ſingularitatis rationem perciperet. Sed quid dicendum eſt de intellectu? Non ne plus aliquid poteſt, quàm ſenſus, cũ ſit facultas ſuperior? Reſpondendum eſt, intellectum, in corpore incluſum, nullam aliam cognitionem niſi illam, quam ei ſenſus aliquo modo ſuppeditant, habere poſſe: & quia ſenſus propriam ſingularitatis rationem eidem obijcere nullo modo poſſunt, vt pote quam non attingunt; ideo nec intellectus illam aliquo modo percipere valet; ſed tantummodo à phantaſmatibus, atque à ſingularibus rebus ſpecies vniuerſales elicit, & effingit. Solus igitur intellectus abſtractus ille eſt, qui ſingulare, ſecundum propriam ſingularitatis rationem, cognoſcere poteſt.

verum indiuiduationis principium.

Singulare prius natura in eſſe ſingularis conſtitutũ eſt, quàm accidentibus ſit affectum.

Nõ implicare contradictionem ſingulare iam conſtitutum, abſq; accidentibus conſiderari.

Senſus non poteſt illam ſingularis vnitatẽ cognoſcere, qua in eſſe ſingularis cõſtituitur.

Nota hoc exemplum.

Cur intellectus in corpore iclusus propriam ſingularis rationem attingere nequeat.

Singulare, quatenus ſingulare eſt, à ſolo intellectu abſtracto percipi põt.

## *Nonnullorum argumentorum ſolutio, quibus præcipuè probari ſolet, ſingulare ſenſibile ab intellectu noſtro percipi non poſſe.* Cap. VI.

EXplicatum eſt hactenus, ſingulare, cùm ſit ens, natura ſua intelligibile eſſe, atque rurſus cùm percipiatur à ſenſu, multò magis ab intellectu cognoſci, qui facultas nobilior eſt, atque excellentior, quam ſenſus; ipſam verò ſingularitatem, ſeu rationem illam, qua id, quod ſingulare eſt, in eſſe ſingularis conſtituitur, nec à ſenſu, nec ab intellectu coniuncto, ſed à ſolis ſeparatis ſubſtantijs cognoſci poſſe. Quoniam verò quædam ſunt argumenta præcipua, quibus nonnulli ſuadere nituntur, ſingulare ſenſibile nullo pacto ab intellectu noſtro intelligi poſſe; ideo, ad clariorem rei propoſitæ explicationem, his ipſis argumentis nobis hoc capite occurrendum eſt. Primum argumentum ſumptum eſt ex celebri illa propoſitione, quę paſſim apud Ariſtotelem legitur 1. & 2. libro Poſt. tertio lib. de Anima, & alijs pluribus locis, vbi diſcrimen aperiens intellectus à ſenſu, ait, ſingularia ad ſenſum, vniuerſalia verò ad intellectum pertinere. Hinc huiuſmodi argumẽtum deducitur; Vt ſe habet intellectus ad vniuerſalia; ita ſenſus ad ſingularia; ergo à commutata proportione, vt ſe habet ad vniuerſalia ſenſus: ita ſe habet ad ſingularia intellectus: atqui ſenſus vniuerſalia percipere nequit; ergo nec intellectus ſingularia. Ad hoc argumentum reſpondendum eſt, allatam ſimilitudinem omni

Compendiũ eorum, quæ de re ſingulari hactenus dicta ſunt.

Arg. primũ.

Reſponſio.

no veram non eſſe, & ſi quem locum illa habeat, hoc ideo eſſe, quia ſicut vniuerſale eſt obiectum, quod aſcribitur intellectui; ita ſingulare eſt obiectum, quod aſcribitur ſenſui: non tamẽ ſequitur, eo prorſus modo, quo ſingulare eſt obiectum ſenſus, eodem vniuerſale eſſe obiectũ intellectus; nam ſingulare eſt adæquatum obiectum ſenſus, vniuerſale autem nõ eſt adæquatum obiectum intellectus; hinc que fit, vt intellectus tam vniuerſale, quàm ſingulare comprehendat, ſenſus verò non niſi ſingulare cognoſcat. Huc accedit, quòd ſimilitudo illa, ſeu ille argumentandi modus in ſubditis facultatibus non valet: ſuperior enim facultas inferioris obiectum cognuſcere poteſt: nunc autem ſenſus intellectui ſubditus eſt: quare mirum non eſt, ſi intellectus non ſolum vniuerſale, verùm etiam ſingulare percipiat. Secundum argumentum

**Arg. ſecũdũ.** eſt huiuſmodi, Inter facultatem cognoſcentem, atque obiectum cognoſcibile debet eſſe proportio: non enim facultas quælibet quoduis obiectum percipit: ſed inter ſingulare ſenſibile, atque materiale, & intellectum, qui penitus eſt materiæ expers, nulla reperitur proportio; ergo intellectus ſingulare ſenſibile apprehendere non poteſt. Reſpondendum eſt, proportionẽ

**Reſponſio.** (quod ad rem noſtram pertinet) duplicem eſſe, alteram naturæ, vel (vt aiunt) entitatis: alterã virtutis: inter facultatem, & obiectum non eſt neceſſe, vt ſit proportio naturæ, ſed ſat eſt, ſi reperiatur proportio virtutis, qualis illa eſt, quæ reperitur inter intellectũ, & ſingulare: etenim ſi intellectus tantum habet virium; vt obiectum excellentius, cuiuſmodi eſt vniuerſale, percipere poſſit; multò magis obiectum vilius, quale eſt ipſum ſingulare, attingere valebit; conſentaneum enim eſt rationi, vt qui, ex. gra. centum librarum pondus ſuſtinere poteſt, ille ipſe

**Arg. tertium** decem librarum pondus multò facilius ſuſtineat. Addunt tertium argumentum, ſi enim ſingulare ſenſibile ab intellectu noſtro perciperetur, tunc ſenſibus non indigeremus, qui idcirco nobis à natura dati ſunt, vt ſingularia ſenſibilia cognoſcamus: aut igitur ſuperuacanei ſunt ſen-

**Reſponſio.** ſus; aut intellectus noſter ſingulare ſenſibile percipere nequit. Ad hoc argumentum neganda eſt conſecutio: ſenſus enim nobis neceſſarij ſunt, vt ipſis, tanquam ianitoribus, res cognoſcibiles ad intellectum deferantur: vulgatiſſima enim propoſitio eſt, nihil eſſe in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu. Intellectus itaque ſingularia percipit, quæ ei fictrix facultas obijcit quæ tamen id muneris obire non poteſt, niſi eadem ſingularia ab exterioribus ſenſibus recepiſſet. Poſtremò ita argumentantur, ſi intellectus patiens, cui intelligendi munus aſcribitur,

**Arg. quartũ.** ſingulare intelligeret, tunc non eſſet opus intellectu agente: nanque intellectus patiens, è ſpeciebus intelligibilibus ſingularium vniuerſales ſpecies elicere poſſet, & quæcunque poteſtate intelligibilia ſunt, re ipſa intelligibilia faceret, quæ tamen munia ſoli intellectui agenti Ari-

**Reſponſio.** ſtoteles aſcripſit. Hoc argumentum tanquam verum id ponit, dari nimirum ſingularium rerum intelligibiles ſpecies, quod tamen an admittendum ſit, paulò infra dicemus. Reſpondeamus interim, intellectum agentem non ideo præcipuè poni, vt ſcilicet vniuerſales ſpecies è rebus ſingularibus eliciat, ſed vt ſpectrum, ſeu phantaſma ſui ſpeciem in intellectu patiente imprimere poſſit: cùm enim intellectus immaterialis ſit, à ſolo phãtaſmate, quod materiale eſt, perpeti non poſſet, ideo vt intelligibilis ſpecies in intellectu patiẽte recipiatur, neceſſe eſt, dari intellectum agentem, qui circa phantaſmata aliquid operetur. Sed de munere intellectus agentis iam ſatis ſuperiore diſputatione dictum eſt.

### *Singulare ſenſibile ſecundum proprium conceptum intellectui noſtro notum fieri.* *Cap. VII.*

Rogabit aliquis, cùm iam poſitum ſit, ſingulare ſenſibile ab intellectu noſtro intelligibile eſſe, fiat ne illud intellectui notum ſecundum proprium conceptum, an ſecundum cõceptum vniuerſalis? Res erit facilis explicatu, ſi priùs conſtabit, quid nomine conceptus, intelligendum ſit. Proprius itaque cuiuſque rei conceptus, de communiore philoſophorum ſenten-

**Proprius cuiuſque rei cõceptus quid ſit.** tia, nihil alind eſt, quàm interior quædam intellectus locutio, qua rem, actu cognitam, intus varijs nominibus exprimit, quæ poſtea exterioribus verbis, quaſi notis ſignificatur. Si vim, & proprietatem vocabuli attendamus, conceptus rei eſt eiuſdem actualis (*vt ita dicam*) intellectio: dum enim intellectus rem intelligibilem concipit, tunc eius virtus exuſcitatur, atque intellectionem, quaſi partum, edit. Nihilominus, vbi iam intellectus rem intelligibilem concepit, atque eandem aliquandiu tractauit; varijs tunc nominibus illam exprimit, diuerſaſq; proprietates illi tribuit, & illa nomina, vel proprietates, eiuſdem rei conceptus communiter

ap-

appellari ſolent. Hæc cùm ita ſe habeant, duæ aduerſæ de re propoſita ſententiæ reperiuntur. Altera fuit Capreoli, & Caietani, qui putarunt, ſingulare ſenſibile nullum proprium conceptum habere, quo intellectui notum fiat, ſed ſolùm ab intellectu percipi, ſub conceptu vniuerſalis: negauit enim abſolutè Capreolus, ſingulare ab intellectu noſtro percipi poſſe; cùm ad illud percipiendum, cogitatiua facultas ſatisſit. Caietanus verò ſingulare ſenſibile, atque materiale ab intellectu quidem noſtro percipi conceſſit; ſed ea tantum ratione, quia ſcilicet dum ſeorſum naturam communem exiſtere non poſſe intelligit; inde eam alicui differentiæ indiuiduali connexam eſſe, neceſſariò elicit, atque adeo vniuerſalem naturam concipiendo, fieri, vt, ſub eius conceptu, ſingulare quoque percipiat.

Capreolus & Caietan. negarũt, ſingulare ſenſibile habere proprium conceptum.

Altera eſt ſnĩa omnium ferè Græcorum, Arabum, & Latinorum Philoſophorum, qui ſingulare ſenſibile, non quidẽ ſub conceptu alicuius vniuerſalis, ſed ſub proprio, ac peculiari cõceptu intellectui noſtro notum fieri cenſuerunt.

Sentẽtia cõmunis de cõceptu ſingularis.

Quam quidem ſententiam, vt veriſſimam, defendendam eſſe arbitror.

Prima ratio pro hac ſententia.

Etenim cùm iam probatum ſit, ſingulare ſenſibile ab intellectu noſtro intelligi, & proprius conceptus rei nihil aliud ſit, quàm eiuſdẽ intellectio, aut mentale nomen, vt paulò antè explicatum eſt, quid aliud inde ſequetur, niſi ab intellectu noſtro proprium rei ſingularis conceptum effingi?

Secunda rõ.

Præterea, vniuerſale è ſingularibus elicitur, vt perſpicuum eſt; ergo conceptus naturæ vniuerſalis conceptum rei ſingularis, tanquam ſe ipſo priorem, ponere dẽt; quod certe non eſſet, niſi ſingulare ſub proprio conceptu ab intellectu perciperetur.

Tertia ratio.

Rurſus, intellectus ſingularibus rebus nomen imponit; ergo res ſingulares ſub proprio conceptu apprehendit: neceſſe eſt.n. vt interior locutio exteriorẽ procedat: quare cùm multis nominibus, aut vocibus ſingularia appellemus, ſatis ſigni eſt, intellectum ſecum ante quaſi locutum eſſe, & eadem ſingularia interioribus quibuſdam nominibus, hoc eſt, conceptibus expreſſiſſe.

Quarta rõ.

Denique, niſi ſingulare proprios conceptus haberet, quibus intellectui notum fieret, tunc intellectus iſtiuſmodi propoſitiones formare non poſſet, Petrus eſt homo, Petrus eſt riſibilis, Petrus eſt indiuiduum: attamen eas formas, vt experientia docet; ergo nulla ratione dubitandũ eſt, quid idem quoque ſingulare ſenſibile ſub proprio conceptu apprehendere poſſit.

### *Vtrum ſingulare, per propriam ſpeciem intelligibilem, an per ſpeciem intelligibilem naturæ communis, intellectui præſens fiat. Cap. VIII.*

SEd & alia dubitatio à nonnullis excitatur, diſcuſſione non omnino indigna, num.ſ. ſingulare, cuius proprium conceptum iam diximus ab intellectu effingi, per propriam intelligibilem ſpeciẽ, an per ſpeciem intelligibilẽ naturæ communis, eidem intellectui præſens fiat. Nolo hac in re multum immorari, quæ per ſe ſatis conſpicua eſt: ſcio, vtranque partẽ probabilem eſſe; priorem tamen veriorẽ exiſtimo, quanuis poſterior à pluribus philoſophis defendatur. Rationes autẽ, quæ me in eam ſnĩam adducunt, plures ſunt, ſed illas tantum afferam, quæ maioris ponderis eſſe videntur. Priùs tamen illud, tanquam verum, & à maiore philoſophorum parte conceſſum, ponẽdum eſt, in ſenſu.ſ. vt dantur ſenſibiles ſpecies rerum ſenſibilium: ita in intellectu dari intelligibiles ſpecies rerum intelligibilium, qua de re opportuniore loco diſputabimus.

Propriæ ſingulariũ verè intelligibiles ſpecies in intellectu repe riuntur.

Hoc poſito, ad probandum ſingulare, per propriam ſpeciẽ intelligibilem, intellectui præſens fieri, erit hæc prima ratio.

Prima ratiò.

Iam ſuperiùs ſtatutum eſt, ſingulare ſenſibile triplici facultati notum fieri, ſenſui exteriori, vt viſui; ſenſui interiori, vt phantaſiæ, atque demum intellectui: ſed ſingulare ſenſibile fit notum viſui, per ſpeciem viſibilem, & phantaſiæ, per ſpeciẽ (vt ita dicam) phantaſiabilem; ergo illud idem fiet pariter intellectui notum, per propriam ſpeciem intelligibilem.

Secunda rõ.

Deinde, ſi comparatio inter ſingulare, & vniuerſale fiat, communiõr eſt philoſophorum aſſertio, priùs ſingulare ab intellectu cognoſci, quã vniuerſale, vt in diſputatione de primo cognito patefecimus: ea potiſſimùm ratione, quia vniuerſale à ſingularibus, iam cognitis, elicitur: quod ſi ita eſt, quis affirmare audebit, ſingulare, per ſpeciem intelligibilem naturæ communis, intellectui præſens fieri; cùm priùs ſingulare ab intellectu cognitum ſit, quàm ipſe vniuerſalem ſpeciem elicuerit?

Tertia ratio.

Rurſus ſi datur alicuius rei intelligibilis ſpecies in intellectu, hoc ideo eſt, quia ipſa ſpecies obiectum intelligibile ad intellectum refert: eo autem præſente, tunc intellectus ſecum quaſi loqui, & eiuſdem rei conceptus effingere incipit: Sed ante aduentum ſpeciei intelligibilis naturæ communis, intellectus de ſingularibus rebus ratiocinatur, eiſdemque (vt iam diximus) nomen imponit; ergo

neceſſe eſt, vt ſingulare quodlibet, per propriam intelligibilem ſpeciem, non autem per ſpeciem naturæ communis, intellectui præſens fiat. Præterea, ſpecies intelligibiles vniuerſales exprimunt tantummodo naturas communes; ergo res ſingulares ad intellectum deferre non poſſunt. Nec dicat aliquis, vniuerſales ſpecies, phantaſmatum auxilio, id efficere poſſe: quoniam cùm phantaſmata adſunt, ea ſola, abſque vniuerſalium ſpecierum concurſu, ad gignendas in intellectu ſingularium rerum intelligibiles ſpecies ſatis eſſe comperiuntur. Quod quidem eo argumento probari facilè poteſt, quo Scotus, ſpeciem ſpecialiſſimam ab intellectu noſtro primò cognitam eſſe, probare conſueuit; eſt autem huiuſmodi. Quotieſcunque naturales cauſæ ad aliquem effectum edendum concurrunt, tunc ſi ſatis affectæ ſint, nec aliquid adſit, quod earum actionem impediat, quem poſſunt perfectiſſimum ſemper effectum progignũt: ſed intellectus agens, & phantaſma ſunt cauſæ naturales, ad gignendam intelligibilem ſpeciem ſatis accommodatæ; ergo, omni impedimento remoto, perfectiorem ſpeciem intelligibilem effingent, quam effingere poſſint: ea autem eſt ſpecies intelligibilis rei ſingularis, vt manifeſtum eſt, cùm etiam res ipſa ſingularis perfectior ſit, quàm vniuerſalis: ergo in intellectu noſtro datur ſpecies intelligibilis rei ſingularis.

Quarta rõ.

Tacita reſpõſio.

Expende diligenter hoc argumẽtum Species itelligibilis rei ſingularis ẽ pfectior ſpecies, q̃ ab intellectu agẽte, atq; phãtaſmate effingi poſſet.

*De modo, quo ſingulare ab intellectu noſtro percipiatur, Latinorum opinio.* *Cap. IX.*

POſtremo loco illud nobis explicandum eſt, quod in hac diſputatione magnum momentum habet, & de quo etiam non parua eſt inter philoſophos controuerſia, quo nam. ſ. ordine, ſingulare ſenſibile ab intellectu noſtro percipiatur, directa ne, an reflexa cognitione? Latini omnes, atque in ijs S. Tho. & Scotus, in eo præcipuè conſentire videntur, vt ſcilicet ſingulare ſignatum cognitione reflexa ab intellectu noſtro percipiatur: de modo tamen reflexionis diſſident inter ſe. S. Tho. multis quidem in locis, ſed præcipue in quæſtionibus diſputatis de veritate q. 2. art. 10. ita intellectum noſtrum in ſingularis ſubſtantiæ cognitionem deuenire exiſtimauit. Is primò, inquit, per ſpeciem intelligibilem, vniuerſalem naturam referẽtem, directè naturam ipſam vniuerſalem, tãquam obiectum proprium intelligit. Deinde ad propriam intellectionem conſiderandum conuertitur, obſeruatque, eam ipſam intellectionẽ ab ipſomet, atque ab intelligibili ſpecie editam eſſe. Mox eius intellectio ad ſpeciem intelligibilem explorandam reflectitur, tuncque aduertit, illam è phantaſmate deductam fuiſse. Poſtea verò circa ipſum phantaſma ſuum intelligendi munus exercet; illudque tanquam rei ſingularis partum, contemplatur. Atque tandem, cogitatiua facultate concurrente, in hoc vltimo reflexionis gradu, intellectus ipſe in ſingularis ſubſtantiæ notitiam deuenit. Scotus verò lib. tertio de Anima q. 22. alium excogitauit intellectionis modum, quem illi eductioni valde ſimilem eſſe aſſerit, qua natura ipſa aliquid gignere, atque in lucem proferre intendit: artificioſa enim intellectus operatio eiuſdem naturæ actionem æmulari videtur: propterea eũ ordinem, quem natura in procreando ſeruat, eundem intellectus in concipiendo conſequitur. Iam verò conſilium, & inſtitutum naturæ, in rerum procreatione, non eſt primò naturã aliquam communem, & vniuerſalem edere; quia corpore, exempli gratia, procreato, non amplius animalis, ac deinceps hominis, bouis, aut alterius huiuſmodi procreationem moliretur. Neque rurſus præcipuum naturę inſtitutum eſt, ſingulare ſignatum primò procreare: hoc enim edito, vt exempli gratia Socrate, tunc eius operatio abſolutum, & optatum iam finẽ cõſecuta eſſet; propterea nulla alia ſingularia ſignata procrearet. Cùm igitur natura nec aliquod vniuerſale, nec ſingulare ſignatum edere primùm intendat, ſequi videtur, vt eius conſilium ſit, ſingulare vagum, hoc eſt naturam communem, in aliquo ſingulari exiſtentem, vt naturam hominis in aliquo homine, vel naturam bouis in aliquo boue, primùm effingere. Hunc eundem ordinem (ait Scotus) intellectus noſter in edenda cognitione, atque in obiectis concipiendis imitatur. Primò igitur ſingulare vagum, quod ei à phantaſmate objicitur, directè concipit, vt quidditatem roſæ in aliqua roſa. Mox intellectus agens, ſuo munere fungens, intelligibilem quidditatem à ſingulari ſubſtantia deducit, ipſamque naturam communem puram, ſimplicem, & à quolibet ſingulari ſeiunctam contemplatur. Deinde verò intellectus operatio reflectitur, atque, poſt naturæ communis conſiderationem, ad idem ſingulare vagum primò terminatur. Demum intellectus in ſingulare ſignatum fertur, omneſque

Latinorũ opinio cõmunis de cognitione ſingularis.

Opi. S. Th. in q. diſput. de veritate, q. 2. art. 10.

Opin. Sc li. 3 de aĩa. q. 22.

Naturæ conſiliũ in rerũ pcreatione.

Intellectus ĩ obiectis cõcipiendis eũ ordinẽ ſeq̃, quem natura in reb. pcreãdis cõſeruat.

eius

eius differentias, vt loci, temporis, figuræ, magnitudinis, & alias huiuſmodi, concipit; non tamen ſingularitatem ipſam, quam iã diximus, ab eodem, dum in hoc corpore incluſus eſt, concipi nulla ratione poſſe. Hæ ſunt præcipuæ Latinorum ſententiæ, de ordine, quo res ſingularis ad intellectus notitiam defertur, ad quas aliæ multæ referri facilè poſſunt, quas breuitatis cauſa omitto.

### *Vera ſententia de modo, quo intellectus noſter percipit ſingulare, quæ Græcis interpretibus, & ipſimet Ariſtoteli aſcribitur. Cap. X.*

Latinorũ ſententia de cognitione ſingularis, non vñ eẽ admẽtem Ariſt.

Græci interpretes rectè putarunt, ſingulare ab intellectu nřo directè cognoſci.

Verus ordo, quem intellectus in intelligendo conſeruat.

SVbtiliſſimæ quidem ſunt, magnamque ingenij vbertatem præſeferunt hæ Latinorũ excogitationes; attamen (ſi verum fateri liceat) rei per ſe manifeſtę tenebras offundunt, ipſamque Ariſt. doctrinam maximè peruertere, ac perturbare videtur. Ideo vera propoſitę difficultatis explicatio ab Alexandro, Themiſtio, Simplicio, aliiſque Gręcis interpretibus accipienda eſt, qui ſingulare ſenſibile non reflexa quidem, ſed directa cognitione ab intellectu noſtro percipi exiſtimarunt, ſenſu tamen ſuppetias ferente; niſi enim ſenſus tam exterior, quàm interior ſuo munere fungeretur, ſenſibilemque ſingularis ſpeciem in ſeſe reciperet; nunquam intellectus ad ſingularis notitiam deueniret. Rectà igitur intellectus noſter in ſingulare fertur, dum ei ſpectrum à facultate fictricè obijcitur; neque neceſſe eſt, vt naturam communem primùm contempletur, poſtea verò, ex illius conſideratione, rei ſingularis notitiam eliciat, vt Latini opinantur; quoniam primò ſingulare, tanquam confuſum quiddam, explorat, in quo natura communis continetur, mox naturam communem à re ſingulari ſeiungit, & in illius contemplatione verſatur. Hincque fit, vt ſingularis notitia longè facilior ſit, quàm notitia vniuerſalis: ad hanc enim ſolus patiens intellectus non eſt ſatis, ſed agentis intellectus auxilium requiritur, qui phãtaſmata illuſtret: ad eam verò intellectus patiens, vnà cum ſibi oblato phantaſmate, ſatis eſt. Ideo dicebat Ariſtoteles 3. de Anima tex. 10. maiorem affectionẽ, & præparationem in ea facultate exigi, quæ eſſe carnis, hoc eſt, alicuius rei quidditatem intelligibilem percipit, quàm in eadem, dum carnem ipſam, hoc eſt, rem ſingularem exiſtentem cognoſcit: nam res ſingularis primo occurſu ab intelligente facultate apprehenditur, & hoc quidem eſt directè apprehendi: intelligibilis verò quidditas non, niſi cum aliqua intellectionis reflexione, concipitur; & propterea Ariſtoteles loco citato, ſingularis notitiam lineæ rectæ, vniuerſalis verò lineæ reflexæ optimè comparauit, vt Græci ferè omnes interpretati ſunt. Dum enim phantaſia ſpectrum, quod in ſe continet, ad intellectum defert; tunc directè intellectus operatio ad hoc ſpectrum terminatur: dum verò intellectus agens lumen ſuum de ſe fundit, atque, in ſpectrum illud mittit; tunc quædam luminis reflexio fit, quæ ad intellectum patientem peruenit, atque ob hanc reflexionem, idem intellectus patiens naturam communem, quæ in ſibi oblato phantaſmate continetur, intelligit, & contemplatur. Hæc ſatis de cognitione ſingularis.

Singularis notitia intellectui facilior, q̃ notitia vniuerſalis.

Singularis notitia lineę rectæ, vniuerſalis vero lineæ reflexæ ab Ariſto. cõparatur.

# DE VNITATE SINGVLARIS NATVRÆ, SEV DE PRINCIPIO, QVOD vocant, Indiuiduationis.

## Diſputatio Vigeſimaquarta.

*Proæmium Diſputationis.* *Caput Primum.*

INter cætera inſtrumenta, quibus rerum ſcientia in intellectu noſtro cõparatur, mihi ſemper diſtinctio principem obtinere locum viſa eſt. Etenim ſi ea omnia, quæ in hoc ampliſſimo terrarũ orbe conſpiciuntur, in vna tantùm re confuſa, atque permiſta conciperentur, nec mens illa, aut cogitatio diſtingueret; dubio procul intellectus cuiuſdam tanquam pabuli vbertate careret, ac veluti fame confectus extabeſceret. Ideò ſapientiſſimus Ariſtoteles, lib. 1. de Naturali audientia, text. 13. hoc idem inſtrumentum magnificaciens, diſertiſſimis verbis affirmauit, principium omnium maximè proprium, ad rerum notiones indagandas, eſſe, diſtinguere id, quod eſt. Quod etiam experientia probari facilè poteſt: nanque id, quod eſt, ſeu ens, vt barbari loquuntur, ſub quo res cunctæ, tanquam ſub communiſſimo quodam prædicato continẽtur, dum intellectui cognoſcendum obijcitur, non ſimplex quidem illud eſt, & vniuſmodi, ſed duas præcipuas ſignificationes habet, vt plures omittam, quæ ad rem præſentem non faciũt. Aut enim tale eſt, vt ſuis ſe viribus ſuſtinere poſſit; & tunc ſubſtantiæ nomine gaudet. Aut alterius fundamento indiget, vt ſubſiſtat; & tunc accidens appellatur. Si accidens diſtinguas, nouem reperies genera, quæ generaliſſima nuncupantur. Si ſubſtantiam, quæ genus pariter generaliſſimum eſt, & omnium prædicamentorum primum, atque præcipuum, in varia itidẽ genera, & ſpecies, cùm ſubalternas, tùm ſpecialiſſimas, vt Scholæ inquiunt, deſcendendo, incides; ac demum ad ea, quæ in prædicamentorum ſerie infimum locum tenent, nimirum ad indiuidua, peruenies. Etenim ſubſtantia aut corporea eſt, aut corporis expers. Si corporis expers, iam habet puriſſimas illas mentes: ac ſeparatas ſubſtantias, quæ Intelligentię vocantur. Si corporea, ea rurſus aut animata eſt, aut anima caret. Si anima caret, ecce tibi lapides, & metalla, & ſi quæ ſunt huius generis alia. Si animata, tunc vel vegetali anima, vel ſentiente, vel rationali prædita eſt. In primo gradu plantæ, in ſecundo belluæ, in tertio homines continẽtur. Habent plantæ genus vnum, quo clauduntur, quod eſt animatum corpus; inter ſe tamen ſpecie diſtinguuntur: non enim ficus, perſica, pomus ſunt eiuſdem ſpeciei. Belluæ quoq; tametſi genus habent commune, quod eſt animal, ratione carens; in varias tamen ſpecies diſpertiuntur, quas variæ differentiæ conſtituunt, quæ communi illi generi adiunguntur. Homines vnius quidem ſpeciei ſunt; ſinguli tamen peculiarem differentiam habent, qua ſimul, & indiuiduæ ſubſtantiæ fiunt; & inter ſe ita diſtinguuntur, vt vnius proprietates alteri conuenire nulla ratione poſſint. Et hæc numeralis diſtinctio in belluis quoque, & in plantis ſuo modo, licet obſcuriùs, reperitur. Iam verò cùm, diſtinctionis beneficio, res adeò variæ, atq; multiplices intellectui notæ fiant; ad earum exactiorem notitiam illud perneceſſarium videtur, vt non ſolùm diſtinctiones ipſæ, verùm & earũ fundamẽta perfectè dignoſcantur. Cũ enim conſtituendi, & diſtinguendi eadem omnino principia ſint; ſi fundamentum ſciuerimus, quo res vna ab altera diſtinguitur; principium ſtatim, quo præcipuè res quælibet conſtituuntur, nobis exploratiſſimum fiet. Porrò fundamentum hoc in generibus inuenire haud multum difficile eſt: nemo enim eſt, qui neſciat, animam eſſe id, quo præcipuè animatum corpus ab inanimato ſeiungitur. In ſpeciebus fortaſſe res paulò difficilior eſt; quanuis eos arbitror à vero non aberrare, qui putant, bouem, leonem, aſinum, & alia id genus animalia, rationis expertia, proprijs formis, tanquam præcipuis diſtinctionum fundamentis, diſſidere. At verò illud idem in indiuiduis ſubſtantijs inuenire, atque inuentum explicare, arduum certè negocium eſt, in quo cùm veteres, tùm recentiores philoſophi multum operis, atque laboris poſuere. Conflatus eſt Petrus ex elementis, humoribus, membris, & corporis partibus, ſicut Franciſcus

Diſtinctio, ꝑcipuũ eſt inſtrumẽtũ ad ſcientiam acquirendam.

Cognitionis initiũ ab entis diſtinctione deſumit.

Diſtinctio entis in ſubſtãtiam, & accidens.

Diſtictio ſubſtantiæ.

Diſtictio ſpecifica plantarum, & belluarum.

Diſtictio numeralis hominũ, quę in plantis, etiã & belluis licet obſcuriùs reperitur.

Ad rerũ ſciẽtiam comparandam non ſolum diſtinctiones dignoſcendæ ſunt, verum etiam diſtinctionum fundamenta.

Fundamẽtũ genericæ, atque ſpecificę diſtinctionis haud difficulter indagat.

Fundamẽtũ diſtinctionis numeralis inuenire difficillimum eſt, hincq; ortũ ducit diſputatio de principio indiuiduationis.

ciſcus: eandem habet formam ſpecie, quam habet Franciſcus: differt nihilominus à Franciſco, & ab alio quouis indiuiduo, in humana ſpecie contento, non ſpecifica quidem, ſed indiuiduali differẽtia. Quid habet igitur Petrus in ſeſe, quo proximè in eſſe indiuidui conſtituitur, quoque tanquam ſolido fundamento, illa differẽtia innitatur, qua à cæteris quibuſcũque indiuiduis diſtinguitur? Metaphyſica potius, quàm naturalis huiuſmodi contemplatio eſt: eam tamen naturalibus diſputationibus permiſcere libuit; tùm quia id ipſum Achillinus, Archangelus, Zabarella, Bonamicus, Piccolomineus, & alij recẽtiores fecerunt: tùm etiam, quia eius explicatio ad plures difficultates, è naturalium numero, euoluẽdas maximè vtilis, atque opportuna eſt. Quæſtio hæc à nonnullis de indiuidui conſtitutione: ab alijs, nec ineptè quidem, de principio indiuiduationis: à nobis de vnitate naturæ ſingularis inſcribitur. Eſt autem grauiſſima, & omnium, quæ paſſim diſputantur, veluti princeps, atque regina; vtpotè quæ ſubtilitates multas, & totius metaphyſicæ quaſi ſuccum præſeferat. Quò autem eius explicatio facilor ſit, hunc ordinem in diſputando ſeruabimus. Primò nonnulla, quæ ad perfectam eius intelligentiam neceſſaria ſunt, declarabimus. Deinde falſas opiniones adducemus, & refutabimus. Mox veram opinionem aperiemus. Demùm argumenta præcipua, quæ illam euertere videntur, diluemus.

Diſputatio de principio idiuiduationis metaphyſica eſt.

Ad naturales difficultates euoluendas maximè vtilis.

Grauiſſima, & omniũ diſputationũ præcipua.

Ordo in diſputatione ſeruandus.

### *Proluſiones aliquot, huic quæſtioni diſcutiendæ neceſſariæ.* Cap. II.

PRincipiò igitur, quò rem, de qua diſputaturi ſumus, optimè intelligamus, conſiderandum eſt indiuiduum in duplici ſubſtantia reperiri, ſ. in ſubſtantia ſpirituali, omni prorſus materia carẽte, cuiuſmodi eſt hæc anima, hæc intelligentia, atque in ſubſtantia materiali, vt eſt hic homo, hic bos, hic lapis. Nos in præſenti diſputatione de eo præcipuè, quod eſt principiũ indiuidui in ſubſtantia materiali, locuturi ſumus: poſteà verò aliqua etiam de principio indiuiduationis in ſubſtantia ſpirituali obiter dicemus. Conſiderandum eſt ſecundò, cùm quærimus, quod nàm ſit indiuiduationis principium, nos non quærere, quod nam ſit illud, quod phyſicè indiuiduum conſtituat: perſpicua enim res eſt, materiam, & formam interiora, & ſubſtantialia principia eſſe, quibus vnumquodque indiuiduum phyſicum conſtituitur: Sed quærere, quodnam ſit principium, conſtituens indiuiduum in eſſe Metaphyſico; quodammodo enim ab indiuiduo exiſtẽtiam abſtrahimus, & quærimus, quæ nã ſit radix, & proximum fundamentum naturæ ſingularis, in re exiſtẽte latentis, vel quodnam ſit principium, vt ita dicam, ſingularitatis naturæ exiſtentis? Pro cuius rei maiore explicatione, conſiderandum eſt tertiò, naturas quaſdam reperiri, quæ communes paſſim appellantur, vt naturam animalis, hominis, bouis, & id genus alias, quæ ideo communes dicũtur, quia cum pluribus communicantur, atque eiſdem plures partes ſubijciuntur. Quod quidem inter omnes; ideo ſpecies ſubiectiuæ partes generis, & indiuidua ſubiectiuæ partes ſpecici à Philoſophis nuncupantur. Difficultas autem eſt, an huiuſmodi naturæ communes, citra vllam intellectus operationem, re ipſa inueniantur. Et quicquid alij ſentiant, ego ſemper affirmatiuã partem defendendam eſſe exiſtimaui: quoniam animalis natura, vt omnes concedunt, cũ pluribus communicabilis eſt; alioquin vnum tantùm animal reperiretur. Quæro nunc ſuo ne ingenio communicabilis ſit, &, citrà vllam intellectus operationem, cum ſuis inferioribus, nimirum cum ſpeciebus communicetur, an id fiat, per intellectus operationem? Si fiat per intellectus operationem; igitur ea remota, nullum animal fieret, atque adeo animalia omnia, quæ iam edita ſunt, intentiones ſecundæ dicerentur; quia & in fieri, &, vt aiunt, in conſeruari, ab intellectus operatione pẽderent. Si autem animalis natura, re ipſa, cum ſuis inferioribus cõmunicabilis eſt; igitur illa non per intellectùm, ſed ſua ipſius natura cõmunicabilis eſt. Quod autem de natura generis, ad ſpecies, dictum eſt, idem de natura ſpeciei, ad indiuidua, intelligatur. Hoc tantùm obiter dictum ſit: malo enim id nunc, ad faciliorem huius diſputationis intelligentiam, ponere, quàm probare: nam hac de re maxima eſt inter Reales, & Nominales controuerſia. Hoc cùm ita ſe habeat, inter omnes conſtat, naturam animalis, quæ pluribus ſpeciebus communis eſt, per quoddam, ei intimè annexum, ad aliquod inferius deſcẽdere, atque ad hanc, vel illam ſpeciem deduci, quod quidem nil aliud eſſe dixeris, niſi differentiam ſpecificam. Itaque animal per rationalitate ad hominem contrahitur, atque ex animali, & rationalitate vnum quippiam conſtituitur. Idem etiam animal per vltimam equi differentiam,

Cõſideratio prima.

Cõſideratio ſecunda.

Cõſideratio tertia.

An dẽtur naturæ cões, re ipſa.

Nota hoc diligenter pro faciliore huius diſputationis intelligẽtia.

quam

quam ignoramus, ad equum ipſum deducitur, atque idem de alijs dicendum eſt. Eo igitur modo, quo natura generis per aliquod illi adiunctum, in ſuas ſpecies deſcendit; ita pariter natura ſpeciei per aliquod ei annexum, deſcendit in ſua indiuidua. Itaque ex natura ſpeciei, & ex illo ei intimè annexo, indiuiduum quoddam Metaphyſicum cōſtituitur; & propterea nūc quærimus, quodnam ſit illud, quod, naturæ ſpecificè additum, indiuiduum in eſſe Metaphyſico conſtituit? Conſiderandum eſt quartò, indiuiduum duplex eſſe, indeterminatum, quod Logici vagum, & determinatum, quod ijdem ſignatum appellant. Nos de principio indiuidui indeterminati modò non diſputabimus: quia ſicut indiuiduum indeterminatum dicitur aliquis homo, aliquis equus, ita ſciremus, huiuſmodi indiuidui principium eſſe, vt ita dicam, entitatem aliquam, non hanc, vel illam, ſed indeterminatam; atque adeò illius principij indeterminatam cognitionem haberemus. Diſputabimus ergo de indiuiduo ſignato, atque determinato, quærendo, quodnam ſit illud principium, quod hoc indiuiduum, puta Petrum, in eſſe ſingularis conſtituit, & quo ab omni alio indiuiduo primò diſtinguitur? Conſiderandū eſt quintò, tametſi indiuiduum, & ſingulare idem re ipſa ſunt; nihilominus prius natura aliquid ſingulare, quàm indiuiduum & eſſe, & dici. Etenim natura ſpeciei, & natura hominis re ipſa diuidua eſt: nam, vt paulò antè diximus, citra vllam intellectus operationem, per ſe ipſa cum ſuis inferioribus communicabilis eſt. Fingamus igitur, iam ipſam in aliquod inferius, vt in hunc hominem, puta in Petrum deſcendiſſe; tunc illa natura, quæ priùs communis erat, facta eſt hæc, & ſingularis: & cùm priùs diuidua eſſet, nunc indiuidua dicitur, quia inferiora non habet, cum quibus rurſum communicari poſſit. Sicut ergo priùs natura aliquod eſt quantum, quàm ſit diuiſibile; ità priùs natura aliquid ſingulare, quā indiuiduum dicitur: ſtatim enim atque ſingulare eſt, ei quodammodo indiuiduatio, ſiue indiuiſibilitas accidit. Nihilominus idem omninò eſt quærere, quodnam ſit principium indiuiduationis, ſicut quodnam eſt principium ſingularitatis. Conſiderandum eſt ſextò, vnitatem, quod ad rem noſtram pertinet, quadruplicem eſſe, tranſcendentalem, genericam, ſpecificam, & numeralem; cùm enim vnitas ſit propria entis affectio, neceſſe eſt, vt omne ens coniunctā habeat propriam vnitatem, adeò vt ens communiſſimum habeat vnitatem communiſſimā; ens minus commune vnitatem minus communem; & ens ſingulare vnitatem ſingularem. Cùm ergo indiuiduum habeat vnitatem ſingularem, quærimus, quodnam ſit principium illius vnitatis, quo indiuiduum illud vnum, & in ſe ipſo indiuiſum, ab alio vero quocunq; diuiſum, ſeu diſtinctum dicitur? Denique conſiderandum eſt, cùm quærimus, quid ſit illud, quo indiuiduum eſt vnum, nos illud non quærere, quo indiuiduum, vt aiunt, formaliter eſt vnū; quia facilè eſſet reſpondere, illud vnitate eſſe vnum: ſed quærere, quodnam ſit fundamentū, & radix talis vnitatis. Quemadmodū ſi quis quæreret, quonam Petrus formaliter ſit diues? Reſponderi poſſet, diuitijs. At ſi quæratur, quonam ſit diues fundamentaliter? tunc diuitiarū fundamentum, in quo .ſ. diuitiæ conſiſtunt, vt ſunt agri, domus, pecunia, armenta, greges, & huiuſmodi alia inueſtigare oportet. Similiter ſi quæramus, quo nam Petrus formaliter videat? Reſponderi poteſt, viſione. At ſi quæramus, quonam videat fundamentaliter? Reſpondendum eſt, facultate viſiua, in oculo, tanquam in inſtrumento latente. Nos igitur non quærimus, quonam indiuiduum formaliter ſit vnum, ſed quodnam ſit fundamentum; & quæ nā ſit radix, & origo illius vnitatis, qua dicitur vnum.

Cōſideratio quarta.

Cōſideratio quinta.

Cōſideratio ſexta.

Cōſideratio ſeptima.

### *Opinio Aureoli.* *Cap. II.*

His notatis, variæ nunc de re propoſita ſententiæ diligenter nobis excutiendæ ſunt, quò veritatem, veluti in tenebris latentem, moltiſque dubitationibus circunſeptam, faciliùs attingere valeamus. Fuit igitur prima opinio Doctoris vetuſtiſſimi è Scholaſticorum numero, nomine Aureoli, qui, referente Capreolo, lib. 2. Sent. d. 3: q. 2. id tanquam certum poſuit, nos .ſ. cùm quærimus, quodnam ſit indiuiduationis, vel ſingularitatis principium, nihil aliud quærere, niſi alicuius naturæ principium, re ipſa exiſtētis: vt enim ſcribit Boetius lib. de Vnitate, & vno, omne, quod extra intellectum eſt, ideò eſt, quia vnum numero eſt. Quod cùm ita ſit, vanum eſt, inquit, quærere, quodnam ſit ſingularitatis exiſtentis naturæ principium; cùm illa nullum omninò aliud principium habeat, niſi propriam naturam, vel, vt ipſe aſſerit, entitatem. Etenim natura duplex habet eſſe, alterum ſimpliciter, quod eſt eſſe verum, &

Quære etiā Io. Canoniciu 1. Phyſ. q. 6. art. 1.

Eſſe duplex ſimpliciter, & ſecūdum quid.

ex-

extra intellectum: alterum ſecundum quid, quod eſt eſſe diminutum, & in intellectu: primum eſt eſſe ſingulare; alterum vniuerſale. Potius itaque ait Aureolus, quærendum eſt, quod nam ſit principium communitatis, ſeu vniuerſalitatis alicuius exiſtentis naturæ, quàm quodnam ſit principium ſingularitatis eiuſdem; nam principiũ vniuerſalitatis eſt intellectus, qui naturã eandẽ in pluribus cõſiderat; vt naturã hominis in plurib. hoĩbus; naturã equi in plurib. equis & ſic de alijs. Tribuit igitur intellectus alicui exiſtenti naturæ communitatem quandam; atque adeò natura illa, quæ per ſe habet eſſe ſimpliciter, ab intellectu accipit eſſe ſecundum quid, & accidentale; accidit enim illi, vt, intellectus ope, communis pluribus fiat. At verò nullum ſingularitatis, vel vnitatis eiuſdem naturæ principium aſſignare vnquam poſſumus: nõ enim in aliquo priori, vel tempore, vel natura, illa natura exiſtit; deinde verò per aliquod ei additum, vna, ſingulariſque fit; ſed per illud ipſum, quo exiſtit, per idem, & vna, & ſingularis eſt, hoc eſt per ſuam propriam entitatem. Defendit igitur Aureolus, ſingularem naturã per ſe ipſam talem eſſe, ſiue illa ſimplex, ſiue compoſita ſit. Et vt rem exemplis explicemus, ſi quę ramus, quod nam ſit principium ſingularitatis, vel vnitatis alicuius portionis materiæ, quæ ſimplex eſt? Reſpondebit Aureolus, ſua propria entitas; nihil enim entitati illius portionis materiæ additur, vt vna ſit, ſed ſicut per ſe ipſa formaliter eſt ens; ita per ſe ipſa formaliter eſt vna, & ſingularis. Pariter ſi quæratur, quonã hæc forma dicatur vna? Reſpõdebit Aureolus, ſua propria entitate, quæ ſimplex eſt. Si etiam quæratur, quonam cõpoſitũ dicatur vnũ? Reſpondebit, ſua propria entitate, quæ compoſita eſt: entitatem enim huius portionis materiæ, & entitatem huius formæ re ipſa continet in ſeſe. Omnis itaque natura, autore Aureolo, ſicut per ſe ipſa formaliter eſt natura (quia ab alio, vt ab efficiẽte cauſa pẽdere poteſt) ita per ſe ipſa formaliter & vna, & indiuidua eſt. Hanc ſñiam ſecutus eſt Durandus, lib. 2. Sent, diſ. 3. q. 2. atque ex recẽtioribus eam acerrimè tuetur Franciſcus Suarez in ſuis Metaphyſicis diſputationibus, diſputatione quinta, ſectione ſexta. Rationes autem præcipuæ, quibus hęc opinio firmari ſolet, duæ ſunt. Prima hunc in modum conſtruitur. Vnitas numeralis eſt vnitas realis, quod enim eſt vnum numero, eſt vnum re ipſa, & non per intellectum: ſed natura per ſe eſt vna, vnitate reali, vt perſpicuum eſt; ergo natura per ſe eſt vna, vnitate numerali. Altera ratio ea eſt; Eadem ſunt principia vnitatis, & indiuiduationis: illud enim eſt indiuiduum, quod eſt vnum: ſed natura per propriam entitatem eſt vna; ergo natura per propriam entitatem, non itẽ per aliquod, ipſi additum, eſt indiuidua. Minor eſt manifeſta; quoniam natura per ſe eſt ens, formaliter loquendo: quod enim re ipſa exiſtit, non fit ens per aliquod, ipſi additum, ſed per ſuammet entitatem: atqui vnum conſequitur ens, vt propria affectio ſuum ſubiectũ; ergo natura per propriã entitatem eſt vna, atque adeo vanũ eſt quærere, quodnã ſit principiũ vnitatis naturæ exiſtẽtis, cùm, pręter eius entitatem, nullum aliud principiũ reperiatur.

Natura alicuius rei, ſecũdum Aureo. per ſe ſingularis eſt, fit aũt vniuerſalis per intellectum.

Exẽpla Aureoli ſñiam illuſtrantia.

Durãdus, & Fran. Suarez ſequunt̃ opinionem Aureoli.

Prima ratio pro opinio. Aureoli.

Secunda rõ.

## *Confutatio opinionis Aureoli. Cap. IV.*

HÆc opinio quanuis à multis tanquam verior, atque facilior approbetur; mihi tamen omnium ſemper falſiſſima, atque implicatiſſima viſa eſt, quippe quæ nodum quæſtionis non ſoluat, nec intellectum à dubitationibus vindicet. Dicere enim, naturam omnem non per aliquod additum, ſed per ſe ipſam ſingularẽ eſſe, eſt potius explicare, per quid natura non fiat indiuidua, quàm quodnam ſit eiuſdem indiuiduationis principium. Veriſſimũ hoc eſt, indiuiduationis principium non eſſe aliquid, naturę extrinſecùs aduenienſ, atque ab illa re ipſa differẽs; ſed tamen opùs omninò eſt, vt aliquid, ad ipſam intimè pertinens, atque in eadem quodammodo latens, ſit principium, quo ipſa, quæ priùs communis; atque vniuerſalis dicebatur, indiuidua, ſingulariſque fiat; ac propterea quærendum eſt, quodnam illud principum ſit, in natura latens, quod id muneris obire poſſit. Cæterùm aduerſarij dicunt, vanũ eſſe quærere huiuſmodi principium: qm̃ natura vt natura eſt, per ſe oĩnò, & re ipſa ſingularis eſt: quòd ſi quando communis fiat; id ei per accidens competit, quatenus accidit, vt intellectus illam conſideret, atque vt communem, & vniuerſalem apprehendat. Ad hanc reſponſionem dirigo argumentum Scoti, quod ſi ręctę perpẽdatur, validiſſimum quidem eſt, ad prædictam opinionem funditus euertẽdam: eſt autem huiuſmodi. Obiectum intelligibile priùs eſt natura, quã ſit actus intelligẽdi, ſeu ipſamet intellectio, ad idem obiectum relata: ſed natura, de qua modò loquimur eſt obiectum intelligibile, quatenus, vt aduerſarijs placet, interdum ab intellectu

Principium indiuiduationis nõ eſt aliquod extrinſecus naturæ adueniens, nec re ab ipſa differens, ſed eſt aliqd̃ ad eandẽ intimè pertinens.

Primũ argu. Scoti contra opin. Aureo.

con-

Ingenij hic acie exacue benignè lector.

concipitur;ergo ipſa, vt obiectum quoddam intelligibile, priùs eſt, naturæ ordine, quàm intellectus illam concipiat. Quæritur nunc, in illo priori ſigno, ſit ne natura, de qua loquimur, per ſe,& vt aiunt, ex ratione ſua formali cum pluribus communicabilis; an per ſe hæc ſingularis, indiuidua, & omninò incommunicabilis? Si per ſe eſt hæc, & ex ratione ſua formali penitus incommunicabilis;ergo dum, in poſteriori ſigno naturæ, intellectus ad illam conſiderandam fertur, eamque ſub ratione quadam communi, vniuerſalique concipit, tunc ipſam ſub ratione, illi penitus repugnante, concipiet: quemadmodum ſi hominem, qui eſt animal rationale, ſub ratione irrationabilitatis, vel Deum, qui eſt ſubſtãtia ſpiritualis, ſub ratione, qua materialis eſſet, aut in plures partes diuiſibilis, conciperet. Itaque intellectus naturam hanc, ſub ratione vniuerſalis, & quatenus cum pluribus communicabilis eſt, concipiendo; tunc in ſemetipſo conceptum quendam, ex rebus ſibi penitus repugnantibus aggregatum, generaret; nimirum ex eo; quod ex ratione ſua formali incommunicabile eſt, & ſingulare, & ex eo, quod cum pluribus communicari poteſt: non igitur hanc naturam verè, & ſicuti eſt, intelligeret. Si autem dicant, naturam in illo priori ſigno, antequam illam intellectus apprehẽdat, per ſe, & ſecundum ſuam rationem formalem cum pluribus communicabilem eſſe, vt verè dici debet; igitur per ſe indiuidua, & ſingularis non erit: ſed per ſe quodammodo extenſa, & dilatata; atque adeo opus erit, vt per aliquid, ab ea aliquo modo diſtinctũ, ad eſſe ſingulare, & indiuiduũ cõtrahatur. Sed quò huius Scoticæ impugnationis robur adhuc dilucidiùs appareat, duo alia ex eodem Autore firmiſſima argumenta afferre libet.

Secũdũ arg.

Erit igitur ſecundum argumentum huiuſmodi; Illud, cui ex ratione ſua formali conuenit numeralis multitudo, non eſt per ſe, & formaliter vnum numero: ſed naturæ, ſupple ſpecificæ, de qua modò diſſerimus, ex ratione ſua formali conuenit numeralis multitudo, hoc eſt, cum pluribus indiuiduis communicabilẽ eſſe, & plures ſub ſe ſubiectiuas partes habere; igitur natura ſpecifica per ſe, & ex ratione ſua formali non eſt vna numero.

Tertiũ argu.

Addo tertium argumẽtum, quod eſt ferè cum ſuperioribus idẽ: Sed tamen interiùs intellectum ad rem, de qua agimus, perducere videtur. Sed priùs quàm hoc argumentum afferam, ponendum eſt ex Ariſt. 4. Metaph. ipſum vnum propriam entis affectionem eſſe, atque adeò vnitatem eſſe propriam affectionem entitatis: quod igitur eſt ens, protinus eſt vnum; & omnis entitas, quæcunque illa ſit, habet vnitatem, tanquam à ſemetipſa fluentem affectionem annexam. Hoc poſito, arguitur ſic; Illud, cuius realis vnitas, minor eſt vnitate numerali, non eſt per ſe vnum, vnitate numerali: ſed realis naturæ vnitas, quæ in hoc, aut in illo indiuiduo reperitur, eſt minor vnitate numerali; ergo natura, quę in hoc, vel in illo indiuiduo reperitur, non eſt per ſe vna, vnitate numerali. Maior eſt per ſe manifeſta: Si.n. vt res aliqua ſit per ſe vna, ſatis eſt vnitas minor, fruſtra certè addenda eſt vnitas maior: ex. gra. ſi, vt ſpecies ſit vna, ſufficit illi propria vnitas, quæ eſt vnitas ſpecifica, fruſtra illi addetur vnitas generica, quæ eſt vnitas maior. Tota difficultas in minori propoſitione conſiſtit, quæ tamen luculentiſſime in ſequenti capite probabitur, & illuſtrabitur.

### *Oſtenditur, dari in re vnitatem minorem vnitate numerali.* *Cap. V.*

Perpende diligenter hoc ratiocinium.

ARduum negocium eſt, id oſtendere, quod viri alioquin doctiſſimi nunquam percipere potuerunt; imò etiam quod multi fortaſſe nunquam audiuerunt, dari ſcilicet, vnitatem realem, quæ minor ſit vnitate numerali: nihilominus ad veritatem aditus nemini intercluditur, ſed omnibus patet, eam diligenter peruestigantibus. Conſideremus igitur naturam hominis, in hoc homine, aut naturam lapidis, in hoc lapide exiſtentem; quæramuſque, natura illa ſit ne per ſe, & ex ratione ſua formali communicabilis, an incommunicabilis? Si incommunicabilis; ergo vnus tantùm homo, vel vnus tantùm lapis reperiretur: aut ſaltem, quot eſſent numero homines, atque lapides, tot eſſent numero humanæ naturæ, atque lapideæ diſtinctæ, quod videtur abſurdum. Rurſus ſi natura lapidis, in hoc lapide exiſtẽs, ex ratione ſua formali incommunicabilis eſt; ergo intellectus nunquam illam vt cõmunicabilem apprehẽdere poterit, quod priùs argumẽto docebamus. Si autem dicamus, naturã lapidis, in hoc lapide exiſtẽtem, communicabilem eſſe, hoc eſt, eius formali rationi non repugnare, quò minus cum pluribus ſingularibus lapidibus communis fiat, idq; omni intellectus opere circunſcripto; igitur hæc natura per ſe, & remoto quocunque opere intellectus, à ſingularitate diſtinguitur, quæ per ſe, & formaliter incommunicabilis eſt. Nunc prætere a conſi-

de-

demonſtrauimus naturam, in hoc lapide exiſtẽtem, à ſingularitate diſtinctam, illa per ſe, citra vllam intellectus operationem, eſt aliqua entitas; ergo per ſe, nulla intellectus actione concurrente, annexam habet aliquam vnitatem: ſed illa vnitas non eſt vnitas ſingularis, & numeralis, vt iam probatum eſt; ergo eſt vnitas minor vnitate numerali. Dicent aduerſarij, naturam lapidis ab hoc, & illo lapide abſtractam, per ſe quidem hoc pacto communicabilem eſſe; at verò eandem, in hoc lapide exiſtentem, eſſe per ſe incommunicabilem, & vnam numero. Quod enim in ſingulari eſt, vnum numero eſt, & ſingulare: ſed natura lapidis, in hoc lapide exiſtẽs, in ſingulari eſt; ergo natura lapidis, in hoc lapide exiſtẽs, vna numero, & ſingularis, atq; adeo per ſe incommunicabilis eſt. Subtile quidem argum̃ eſt hoc; nequaquam tñ reſpõſione vacat. Pro qua aduertendũ eſt, vt ſit aliquid vnũ numero, vel ſingulare, trib. modis cõtingere poſſe: vno modo per ſe, & primò: alio modo per ſe, ſed non primò: 3. modo non per ſe, ſed ſecundũ denominationem. Illud eſt ſingulare per ſe, & primò, quod ex ratione ſua formali, non etiam per aliquod alterum dicitur tale, & hoc modo ſola indiuidualis differentia dicitur ſingularis; quia talis eſt per ſe, non per aliquod, ipſi additum, alioquin de eo etiam quæri poſſet, ſit ne per ſe, an per aliquod additum ſingulare, atque ita res in infinitum abiret. Illud verò eſt ſingulare per ſe, ſed non primò, quod in ſe quidem formaliter ſingularitatem habet; illam tamẽ non habet ex ſe, ſed ratione alicuius alterius: vt totum ex natura ſpecifica, & indiuiduali differentia conſtitutum, per ſe vnum numero, & ſingulare dicitur; tamen quia ſingularitatem non habet ex ſe, ſed ratione differentiæ indiuidualis, à qua in eſſe indiuidui conſtituitur, ideò ſingulare per ſe, & primò non dicitur, quemadmodum ipſa differentia indiuidualis. Illud denique dicitur ſingulare ſecundum denominationem, quod ex ſe quidem ſingulare non eſt; ſed ei ſingularitas accidit, ad quam nullam prorſus repugnantiam includit: & hoc modo natura ſpecifica, in indiuiduo exiſtens, ſingularis dicitur, quatenus ei ſingularitas accidit. Sicut ſuperficies non per ſe, ſed ſecundum denominationem, dicitur alba; quia non eſt talis ex ratione ſua formali; ſed eatenus alba dicitur, quatenus albedo illi accidit. Ad formam igitur argumenti, cùm dicebatur, quod eſt in ſingulari eſt ſingulare, concedenda eſt hæc maior denominatiuè, *vt* Scholæ inquiunt, non autem formaliter: nullum autem arbitramur abſurdum, naturam ſpecificam, in ſingulari exiſtentem, ſingularem eſſe denominatiuè, *vel* ſecundum dici. Sed rurſum inſtabunt aduerſarij, cùm natura ſpecifica in aliquo ſingulari ſtatuitur, vt natura humana in Petro, eſt ne tota natura humana in Petro, an non? Si non eſt tota, ergo Petrus non erit perfectus homo, ratione naturæ. Si eſt tota, cùm ex 3. Phyſicorum, totum illud ſit, extra quod nihil eſt, nullus alius reperietur homo, niſi Petrus: quia nihil, quod ad naturã humanam pertineat, erit extra Petrum. Ad hoc reſpondendum eſt, totam naturam humanã eſſe in Petro, non tamen præciſè, vt ita dicam, & adæquatè; quia ſicuti eſt tota in Petro; ita eidem non repugnat, vt ſit tota in Franciſco, Ioanne, & cæteris indiuiduis, quatenus per varias differentias indiuiduales contrahi poteſt. Cùm verò dicitur, totum illud eſſe, extra quod nihil eſt; hæc propoſitio ſic eſt intelligenda, vt ſi nihil eſt, ad eſſe totius requiſitum, deficiat. In Petro igitur tota natura humana ita reperitur, vt nihil ei ad eſſe hominis requiſitũ deficiat: tamen quia in ipſo nõ eſt tota præciſè, ideo non ſequitur, vt nullus alius ſit homo, præter Petrum: Quemadmodum ego video totum Solem, tamen quia totus Sol à me præciſè, & adæquatè non videtur, ideo non repugnat, quin totus Sol ab alijs quoque videri poſſit, quatenus per aliam, & aliam viſionem, alterius, & alterius viſiuæ facultatis obiectum fieri poteſt. Cæterùm inſurgent hic Theologi: nam ſi verum eſt, totam humanam naturam in quocunq; indiuiduo reperiri, tunc inter illam, & naturam diuinam, quæ eadem eſt in tribus perſonis, nullum poterit aſſignari diſcrimen, atque ita natura humana erit infinita, ſicut natura diuina. Reſpondeo, naturam humanam, ſicut quancunque naturam creatam, à natura diuina lõgè diuerſam eſſe: etenim natura diuina, neque ſpecifica eſt, neque Deus, vt Deus, quippiam eſt ex natura ſpecifica, & indiuiduali differentia conſtitutum: ſed natura diuina eſt ſingularis ex ſe, & quatenus talis cum tribus perſonis diuinis communis ſit. Quare verum eſt dicere, Patrem eſſe Deũ; & Filium eundem eſſe numero Deum, qui eſt Pater, atque pariter Spiritum Sanctum; idque fit, propter diuinæ naturæ infinitatem. Secus autem res de humana natura ſe habet; quæ neque de ſe vna numero eſt, neque vt vna numero in pluribus indiuiduis reperitur: ſed ipſa habet per ſe vnitatem realem, minorem, vt diximus, vnitate numerali; atque

Hic obiec. vſ ratiocinationis.

Aduerſariorũ obiectio.

Solutio.

Aliquod eſſe ſingulare tribus modis cõtingit, vide Scot. in 2. d. 3 q. 6 i reſp. ad quæſt.

Obiectiones aduerſariorum ſolutio.

Alia inſtãtia.

Reſponſio.

Nota hoc exemplum.

Obiectio Theologor.

Solutio.

vt

Explicat̃ dilucidius,quò vnitas naturæ ſit minor vnitate numerali.

Conſule Auic. 5. meta. c 1.& Scot. in 2.d.3 q.1. in reſpon.ad quæſt.

vt talis,nullam includit repugnantiam,quo minus in pluribus indiuiduis reperiatur. Verùm cupiat fortaſſe aliquis adhuc planiùs intelligere,quonam pacto realis hæc naturæ vnitas diſtincta ſit ab vnitate ſingulari,ſitque minor vnitate numerali? Id ſubtiliter Metaphyſicorum princeps Auicenna lib. 5. Metaph.c.1.declarauit. Conſiderans enim ibi naturam equi,hoc eſt entitatem illam,cui non repugnat eſſe in hoc,& illo equo,quamque appellauit equinitatem;quid eſt, inquit,equinitas? Eſt ne aliquod vniuerſale,an particulare? Vna'ne,an plures? Reſpondet,equinitatem per ſe,& ex ſua formali ratione,neque eſſe vnam,ſupple vnitate numerali:neque plures,pluralitate numerali:neque vniuerſalem,ſupple,actu,ſic factam per operationem intellectus;neque particularem,ſupple;ex ſe,ſed eſſe equinitatẽ tantùm. Quid? eſſe entitatem quandam indeterminatam,& indifferentem,vt tàm in vno ſingulari,quàm in pluribus reperiatur;hoc eſt,ſicut illi non repugnat eſſe in hoc particulari;ita eidem non repugnat eſse in pluribus. Et quãuis re ipſa exiſtere non poſſit,niſi vel in vno,vel in pluribus particularibus reperiatur;tamen per ſe nihil iſtorum eſt,ſed naturæ ordine oĩbus iſtis eſt prior,

Entitas naturæ antequã vniuerſalis fiat per opus intellectus, vel ſingulari per dr̃ã indiuiduale, habet p̃priã vnitatem

Vnitas naturæ minor ẽ, ſecũdũ intenſioné vnitate numerali: maior aũt ſecundũ extenſionem.

atque in illa prioritate habet entitatem propriam,quæ ſit obiectum intellectus; eſtque metaphyſicæ conſiderationis:eſt enim fundamentum vniuerſalitatis,ab intellectu factę,quę poſteà vniuerſalitas ad logicum dicitur pertinere. Vt ergo equinitati,vel cuicunque huiuſgeneris naturæ accidit,vt intellectus ope,vniuerſalis fiat;ita eidem accidit,vt reapſe fiat denominatiuæ ſingularis,quatenus in hoc,vel in illo ſingulari reperitur: tamen in illo priori naturæ ſigno,antequam vel per intellectus operationem,vniuerſalis fiat,vel per differentiam aliquã ſingularem,ad aliquod indiuiduum contrahatur,habet,vt diximus,propriam entitatem,atque adeo propriam vnitatem,non quidem numeralem,ſed minorem vnitate numerali. Minorem inquam ſecundum intenſionem;quoniam ipſa inferior eſt vnitate numerali,& ad ipſam eſt in potentia,quatenus in ſeſe differentiam indiuidualem recipere poteſt, fierique vna numero, ſaltem ſecundum denominationem. Quod igitur eſt unum, & quatenus tale,eſt in potentia ad unitatem numeralem,neceſſe eſt,vt ſit vnum vnitate inferiori, atq; minori, quàm ſit vnitas numeralis. At verò ſecundum extenſioné,vnitas natura dicitur maior,quàm ſit vnitas numeralis,quatenus ſ. natura illa ad plures indiuiduales differentias recipiendas extendi,atque re ipſa in pluribus indiuiduis reperiri poteſt.

## *Argumenta nonnulla Franciſci Suarez contra realem vnitatem naturæ proponuntur, ac diluuntur.* Cap. VI.

Vide Franc. Suarez diſp. 5 Met.ſect.2 in ſolut. quæſt. multa dicentẽ cõtra vnitaté naturæ. Prima ratio eiuſdem.

INter eos,qui percipere non potuerunt,realem vnitatem inueniri, quæ minor ſit vnitate numerali,fuit Franciſcus Suarez, vir erudiriſſimus, miraque ingenij ſubtilitate præditus: qui in ſuis diſputationibus metaphyſicalibus,diſput. 5. ſect. 2. in quæſtionis ſolutione, nõnullis rationibus probare conatus eſt,fieri nulla ratione poſſe, vt, remoto quocunque opere intellectus,naturæ vnitas à ſingularitate diſtincta ſit,adeo vt nec indiuidua,nec vniuerſalis dicatur. Et prima quidem ratio ea eſt. Natura illa,quæ ponitur à ſingularitate diſtincta, vel cõmunis eſt,vel incommunicabilis;hoc enim duo abſque vllo medio opponuntur:ſi incommunicabilis;eſt igitur indiuidua:ſi communis;igitur eſt vniuerſalis. Secunda,vel natura illa quę

Secunda rõ.

ponitur in Petro,à Petrĩ hecceitate diſtincta,eſt per ſe re ipſa diſtincta à natura, quæ eſt in Ioanne,prout etiam in illo ex natura rei ab eius hecceitate diſtinguitur,vel non eſt hoc modo diſtincta:ſi non eſt diſtincta;erit igitur illa natura communis:ſi eſt diſtincta erit igitur ſingularis,& indiuidua;quia duæ illæ naturæ non niſi numero, intra eandem ſpeciem, differre

Tertia ratio.

poſſunt. Pro tertia ratione accipit ſubtiliſſimus iſte vir,indiuidualem differentiam eſſe veluti modum quendam,naturam ipſam ad ſingularitatem contrahentem;qui quidem modus, ſi ex natura rei,& quocunque intellectus opere circunſcripto,à naturà diſtingui debeat,opus eſt, vt naturam illam, iam in ſua entitate conſtitutam ante ſe ponat, & illi quodammodo adueniat. Tunc ita argumentatur;Si modus,vel indiuidualis differentia, naturæ, iam re ipſa exiſtenti, adueniret; tunc natura, ante aduentum indiuidualis differentiæ,ſingularis eſſet,atque adeò indiuiduali differentia non egeret. Probat conſequentiam, quia omnis entitas,in rebus exiſtens, neceſſariò per ſe ipſa ſingularis, & indiuidua eſſe debet. Hanc autem propoſitionem multis probationibus confirmat, quas lubens, & volens omitto: tùm quia, vt videbimus,ſententiæ noſtræ non aduerſantur: tùm etiam quia parum multæ ex Ca-

ietano, libro de Ente, & eſſentia excerptæ ſunt, quas infra ſuo loco diluemus. Concludit igitur iſte Doctor, non dari extra intellectum hanc vnitatem naturæ, quam nos ponimus, à ſingularitate, vel ab vniuerſalitare diſtinctam. Fateor equidem, huiuſmodi obiectiones ſubtiliſſimas eſſe, & ſui auroris ingenium redolere, nihilominus ranti roboris, aut firmitatis nõ ſunt, vt ſolui nullo modo poſſint.

Reſpõſio ad primã rõné.

Ad primam itaque reſpondẽdum arbitror, naturam, vt à ſingularitate diſtinctam, illamque naturę ordine pręcedẽtem, non eſſe incommunicabilem, quia tũc iam facta eſſet ſingularis, ſecundum denominationem, vr paulò ante dictum eſt. Neque etiã eſſe communem, quia tunc re ipſa in pluribus indiuiduis reperiretur, eamque intellectus vt ſingularem concipere poſſet; ſed eſſe per ſe communicabilem cum pluribus. Nec eam tamen ob rem vniuerſalem eſſe: quoniã illi in poſteriori ſigno naturæ vniuerſalitas accidit, cùm iã communis cum pluribus facta eſt, atque illam intellectus vniuerſalem effecit.

Obiectio.

Sed inſtabit quiſpiam: nam ſupra cap. 2. conſideratione tertia probauimus, dari naturas communes re ipſa, & remoto quocunque opere intellectus; igitur ſi admittere nolumus, naturam, de qua loquimur, indiuiduam, & ſingularem eſſe: concedamus ſaltem oportet, eandẽ re ipſa eſſe communem, atque vniuerſalem.

Solutio.

Reſpondẽdum eſt, naturam, cum pluribus indiuiduis iam communicatam, re ipſa quidem vniuerſalem eſſe: at verò in illo priori ſigno, antequam illi vniuerſalitas accidat, non eſſe communem, niſi poteſtate: & eatenus illam communem dici, quatenus nulla repugnantia eſt, quominus ea, ſic conſiderata, cum pluribus indiuiduis communicetur.

Ad 2. rationem.

Ad ſecundam rationem reſpondẽdum eſt, naturam illam, quæ in Petro ab eius hecceitate diſtincta eſt, non eſſe per ſe diſtinctam à natura, quæ eſt in Ioanne, prout etiam in illo ex natura rei ab eius hecceitate diſtinguitur, alioquin quot eſſent homines, tot eſſent humanæ naturæ, ſecundum ſubſtantiam diſtinctæ. Cùm verò infert, igitur natura illa communis erit; concedenda eſt hæc conſecutio, quæ tamen ſententiæ noſtræ non aduerſatur: cùm enim nos dicimus, naturam per ſe nec ſingularem, nec vniuerſalem eſſe, illam in primo ſigno ſpectamus, antequam cum indiuiduis communicetur: vir autem doctiſſimus eam, vt in Petro, & in Ioanne exiſtẽtem, cõſiderauit, ac properea ſentẽtiam noſtram non labefactauit.

Ad 3. rationem.

Ad tertiam rationem eadem ferè reſponſio eſt: cùm enim arguit, ſi indiuidualis differẽtia ipſi naturæ adueniret; tunc ea anre differẽtiæ indiuidualis aduentum iam ſingularis eſſet hęc conſecutio neganda eſt. Ad eius probationẽ, cũ dicit, omnis entitas, in rebus exiſtẽs, neceſſariò, per ſe debet eſſe ſingularis. Reſpondendum eſt, falſum quiddam ab eo poni: cùm enim aſſerimus, naturam ex ratione ſua formali nec vniuerſalem, nec ſingularem eſſe, ſed per ſe vnitatem minorem habere vnitate numerali; ipſam nondum exiſtentem conſideramus, ſed quatenus in illo priori ſigno nihil obſtat, quominus illa aut in vno, aut in pluribus ſingularibus exiſtat, atque adeo aut vniuerſalis, aut ſingularis fiat: ſcimus. n. eã exiſtere non poſſe, niſi aut in vno, aut in pluribus ſingularib. reperiatur, vt in ſuperiori capite monuimus: ipſe autẽ eam conſiderauit, vt exiſtẽtem, ac propterea nihil contra nos. Sed hæc ſatis de vnitate naturæ: eius enim tractatio præcipuam diſputationem expoſcit.

### *Duo argumenta, pro Aureoli opinione ſuperiùs propoſita diluuntur.* Cap. VII.

Ad primum argu. ſolutio aliorum.

SOluamus nunc duo argumẽta, quæ ſuperiùs pro Aureoli opinione adducta ſunt. Ad primum ſunt nonnulli è Scotiſtarum familia, qui negẽt maiorem propoſitionem, qua dicebarur, vnitas numeralis eſt vnitas realis: vnitas, enim, inquiunt, realis, eſt vnitas naturæ, vt explicatum eſt ſupra.

Confitatio.

Sed hæc reſponſio nec in ſe vera eſt, nec argumẽtum propoſitum diluit: quis enim affirmare audebit id, quod eſt vnum numero, eiuſmodi eſſe per operationem intellectus? Nemo certè: aliam enim vnitatem expoſcit, vt etiam in illius propoſitionis probatione dicitur. Iam verò ſi, quod eſt vnum numero, non eſt vnum per operationem intellectus; erit igitur vnũ re ipſa, atque adeo vnitas numeralis erit vnitas realis.

Solutio Aut.

Quò igitur veram ſolutionem inueniamus, hunc in modum contra aduerſarios argumentum retorquẽdum eſſe arbitror: vnitas generis, Logicè loquẽdo, eſt vnitas ſecundum rationem: vnitas ſpeciei eſr pariter vnitas ſ̃m rõnẽ; ergo vnitas ſpeciei eſt vnitas generis. Falſa eſt, vt oĩbus patet, huiuſmodi cõcluſio, ea potiſſimùm ratione, quia ex argumẽto, minus rectè formato, proficiſcitur: idem igitur de argumẽto, pro Aureoli opinione propoſito, affirmandum erir, idque ſatis eſſe puto pro eius ſolutione. Poſſem dicere, argumẽtum illud ex indefinitis propoſitionibus, in ſecunda fi-

gura, conſtructum eſſe, ex quibus tamẽ, vt omnes norunt, nihil rectè in ea figura concludi poteſt: Sed nolim tantam Logicę ignorationem aſcribere, aut ijs, qui argumẽtum propoſuerũt, aut illis, qui illud ſoluere neſciuerunt. Ad ſecundum explicanda eſt maior: cùm enim dicunt, eadem ſunt principia vnitatis, & indiuiduationis; non eſt hæc propoſitio intelligenda de vnitate ſimpliciter, ſed de vnitate numerali: illud nanque eſt indiuiduum, quod eſt vnum, non quidem ſimpliciter, ſed vnum numero. Ad minorẽ, qua inferebãt, ſed natura per ſe ipſa eſt vna. Verum eſt hoc de vnitate propria, quam iam diximus, minorem eſſe vnitate numerali, non item de ipſamet vnitate numerali, & propterea non ſequitur, naturam per ſe ipſam indiuiduam eſſe, ſed, vt eiuſmodi fiat, neceſſe omninò eſt, vt ipſi aliquid addatur.

Ad 2. argu.

### *Opinio Henrici.* *Cap. VIII.*

Vide Henr. Ganda. quolib. 5. q. 8 q putauit, indiuiduationis principiũ eſſe ſimplicem vel duplicẽ negationem.

SEcunda fuit opinio Henrici Gandauenſis, quolib. 5. q. 7. qui arbitratus eſt, indiuiduum in eſſe indiuidui per aliquod poſitiuum nequaquam conſtitui, ſi agens remoueas, quod ipſum indiuiduum gignit, ac in lucem edit: ſed in ratione ſua formali, præter naturam communem, quæ ſpecifica eſt, nihil aliud, niſi aut ſimplicem, aut duplicem negationem includere. Etenim natura, cùm prius communis eſſet, tunc diuiſibilis, & cum pluribus communicabilis erat, vt natura hominis cum pluribus hominibus, natura equi cum pluribus equis, & de alijs eodem modo. Poſtquam verò hæc, & ſingularis facta eſt; iam amplius diuiſibilis non eſt: non enim Socrates ĩ plures Socrates, aut Plato in plures Platones diuiſibilis eſt, (hæc enim ideo indiuidua vocantur, quia diuidi nequeunt) & propterea naturæ communi nihil aliud additum eſt, quod indiuidui rationem ſpectet, niſi ſimplex negatio. Quare, ſecundum Henricum, negatio diuiſibilitatis illud principium eſt, quo indiuiduum in eſſe indiuidui formaliter conſtituitur. Quæ quidem ſn̄ia & ab eodem autore, & ab alijs, ipſum ſequentibus, nonnullis rationibus confirmatur.

Prima ratio pro opinione Henrici.

Primò, ſi indiuiduum in eſſe indiuidui per poſitiuum aliquod conſtitueretur, dubio procul vel illud eſſet materia, vel forma, vel aliquod accidens, hæc ipſa principia conſequens; & illud quidem aut abſolutum, aut reſpectiuum: ſed nullũ iſtorum eſſe poteſt; non igitur indiuiduationis principium poteſt eſſe aliquod poſitiuum. Maior eſt manifeſta. Minor autem probatur; & primò quidem, huiuſmodi principium materiam eſſe non poſſe: quoniam materia per ſe indiſtincta, atque indeterminata eſt; non ergo poteſt eſſe principium diſtinctionis alterius, hoc eſt principium, quo res vna ab alia quacunque diſtinguatur. Sed neque etiam huiuſmodi principium poteſt eſſe forma: nam aut forma per ſe indiuidua eſt, aut non: ſi non eſt indiuidua, igitur rem aliam in eſſe indiuidui conſtituere nõ poteſt: ſi eſt indiuidua, tunc quæritur, ſit ne indiuidua per ſe? & hoc fieri non poteſt, vt iam de natura communi probatum eſt: an per aliquod aliud? & tunc de illo etiam quæretur, ſit ne indiuiduum, an non, atque ita dabitur proceſſus in infinitum. Sed neque indiuiduationis principiũ poteſt eſſe aliquod accidens: non reſpectiuum, quia illud ponit accidens abſolutum: neque & abſolutum, quia illud ponit ſubſtantiam, in qua ineſt, iam indiuiduam, & propterea illa, ante indiuiduationis principium, indiuidua eſſet. Nullum igitur poſitiuum poteſt eſſe principium illud, quo indiuiduũ in eſſe indiuidui formaliter conſtituitur.

Secunda rõ.

Deinde ſi indiuiduum, vt re vera indiuiduum eſt, rationem aliquam poſitiuam in ſe includeret, aut eſſet illa eadem ratio, quam includit ipſa entitas indiuidui, aut alia: ſi eadem; ergo dicendo ens eſt vnum, eſſet nugatio: ſi alia; ergo indiuiduũ eſſet duæ entitates, atque ita non eſſet vnum numero. Quare cùm indiuiduum per ſe vnum numero ſit, ad illud in numerali vnitate conſtituendũ, vel ſatis erit ſimplex negatio, ſupple diuiſibilitatis in plura eiuſdem rationis: vel negatio duplex, quia ſ. indiuiduum dicit negationem diuiſionis à ſe, & negationem vnitatis, vel, vt aiunt, identitatis cum alio.

Tertia ratio.

Hincque poteſt elici huiuſmodi ratio, nihil eſt indiuiſum, niſi per ipſammet indiuiſionem; ſed indiuiſio eſt negatio, ergo id, quod eſt indiuiſum, hoc eſt ipſummet indiuiduũ per ſolam negationem erit indiuiduum.

### *Confutatio opinionis Henrici, eiuſdemque argumentorum ſolutio.* *Cap. IX.*

QVod ad hanc Henrici opinionem attinet, puto, Doctores omnes hac in re concordes eſſe, nimirum indiuiduum, vt indiuiduum eſt, in ſua ratione formali negationem diuiſibi-

litatis in plura eiuſdem rationis includere;ſiue illa negatio ipſammet indiuidui entitatẽ reſpiciat,ſiue naturam communem, iam contractam,ſingularemque factam. Verùm hæc non eſt quæſtio,quam modò tractamus:nobis enim reale fundamentum illius negationis quærẽdum eſt,ratione cuius natura communis,iam facta hæc, aut ſingulare iam conſtitutum, in plura eiuſdem rationis indiuiſibile dicatur. Nam eodem modo natura generica, cùm ad aliquam ſpeciem contracta eſt,tunc negationem diuiſibilitatis in plures ſpecies habere dicitur, tamen illa negatio aliquo reali,& poſitiuo fundamento innititur, quod eſt ipſa differentia ſpecifica. Animal enim,vt rem exemplis explicemus,ad hominem per rationale, tanquam per aliquod reale,& poſitiuum,contrahitur;& hoc ipſum eſt fundamentum negationis, hoc eſt,dicitur cauſa,& ratio,cur animal,ſic contractum,in alias ſpecies diuidi nequeat. Sic igitur in re noſtra, fundamentum illius negationis quærendum nobis eſt, quam per ſe indiuiduum includit,quatenus indiuiduum eſt. Et quidem fundamentum hoc,reale,& poſitiuum, non poteſt eſſe natura ipſa;quia,vt iam probauimus,natura per ſe,& ex ratione ſua formali,diuiſibilis,atque communicabilis eſt. Dandum eſt igitur,præter naturam, aliquod poſitiuum reale,quod ſit fundamentum huius negationis,quodque naturæ additum,efficiat,vt ipſa,quæ priùs per ſe communis,& diuiſibilis erat,ſingularis,atque indiuiſibilis fiat,& hanc negationem diuiſibilitatis in plura eiuſdem rationis acquirat. Neque verò dicendum eſt, hoc poſitiuũ reale,eſſe agẽs,quod indiuiduũ in lucẽ edit,vt cenſuit Henricus: qm̃ agẽs exterius eſt indiuidui cauſa:indiuiduũ autem per ſe conſideratum,intus aliquid habet, quo indiuiduum factum eſt:illud igitur inueſtigandum nobis eſt; cùm neque ſimplex, neque duplex negatio ad indiuiduum intimè conſtituendum ſatis ſit. Etenim accipiamus duo indiuidua eiuſdẽ ſpeciei,ſintque Socrates,& Plato;hæc,duo indiuidua in communi natura:hoc eſt in natura humana conueniunt,proprijs autem rationibus differunt:neceſſe igitur eſt,vt illas addant naturæ communi,quibus.ſ.fiat hæc in vtroque indiuiduo,negationemque habeat diuiſibilitatis. Huiuſmodi autem rationes,quas hæc duo indiuidua addunt naturæ communi, non ſunt ſimplices negationes;quia tunc negatio negationem efficeret, dareturque in negationibus proceſſus in infinitum. Sunt igitur entitates reales,& eæ quidem poſitiuæ,quæ huius negationis fundamenta dicuntur;atque adeò falſum eſt dicere,indiuiduum in eſſe indiuidui,per ſimplicem,aut per duplicem negationem formaliter conſtitui. Argumenta verò;pro Henrico propoſita facilè diluũtur. Ad primum dicimus,indiuiduationis principium eſſe quidem aliquid reale,& poſitiuum;illud tamen neque materiam eſſe,neque formã,neque accidens aliquod, aut abſolutum,aut reſpectiuum. Quid autem illud ſit,apparebit inferius,cùm veram ſententiam aperiemus. Ad ſecundum,cùm quærit Henricus,dicat ne vnum,quod eſt indiuiduum, eandem rationem poſitiuam,quam dicit ens,an aliam? Reſpondendum eſt,dicere eandem, re ipſa;non tamen formaliter,vt Scholaſticorum more loquamur:quorum terminos,atq; loquendi modos in hac diſputatione vitare vix poſſumus. Etenim vnitas interior eſt entitatis affectio,vt antè dictum eſt;affectio autem,& ſubiectum in vnam,& eandem rem coeunt: nihilominus in hac vna,& eadem re,alia eſt formalis ratio ſubiecti,& alia eſt formalis ratio affectionis. Itaque ſingulare,& cuius vnitas,vel vnitatis ratio,ſunt vnum re ipſa;diſtinctas tamen habent rationes formales. Ad tertium reſpondendum eſt, indiuiduum eſſe quidem indiuiſione ipſa formaliter indiuiſum;nos tamen de illius indiuiſionis fundamento diſputamus. Quare ſi indiuiſio negatio quædam eſt;eius tamen fundamentum eſt aliquod poſitiuum.

*Quæſtio diſputanda à qua diſceſſit Henr.*

*Fundamẽtũ à quo ſumit vnitas indiuidui nõ põt eẽ natura ipſa.*

*Neque ſimplex, aut duplex negatio*

*Reſp. ad 1. argu. Henrici.*

*Ad ſecundũ.*

*Ad tertium.*

### *Opinio Rogerij Bachonis.* *Cap. X.*

TErtia fuit opinio,quæ vetuſtiſſimis pariter Doctoribus aſcribitur,atque potiſſimũ Rogerio Bachoni:qui arbitratus eſt,naturam communem fieri hanc,& ſingularem, exiſtẽtiæ interuentu;adeò vt exiſtentia illud principium ſit,quo per ſe indiuidum in eſſe indiuidui conſtituitur,& ab alio quocunque diſtinguitur. Sunt qui hanc ſententiam tribuant Nicolao Boneto,8.lib. Metaph.c.1.in quinto dicto peripatetico:ſed certè falluntur; quia ibi non ſemel doctiſſimus ille vir de exiſtentia locutus eſt,vt ab indiuiduali differentia diſtincta;quantuis duplicis exiſtentiæ mentionem fecerit,vt vnicuique apud ipſum videre licet. Sed quomodocunque ſe res habeat,præcipua hæc ratio afferri ſolet,ad probandum,exiſtentiam eſſe principium indiuiduationis, Actus,per Ariſt.7.Metaph.tex.49.eſt,qui determinat,& diſtinguit;

*Vide omnino Nicolaũ Bonetum 1. Met.cap.8.*

Ratio ꝓbās exiſtentiam eſſe principiũ iudiuiduatio nis.

igitur vltima determinatio, vltimaque diſtinctio fit per vltimum actum: ſed vltimus actus, quo natura determinatur, vel quo indiuiduum in eſſe indiuidui conſtituitur, & ab alio quocunque diſtinguitur, eſt exiſtentia; igitur exiſtẽtia eſt principium indiuiduationis. Minor probatur; ſi enim fingamus, naturam communem ſub quocunque actu reperiri, atque exiſtentiam excipiamus, nonne ſemper ipſa natura communis ad exiſtentiam poteſtatem habebit? exiſtentia igitur eſt vltimus actus. Indiget hæc opinio aliqua expoſitione, quò faciliùs intelligi poſſit: à multis enim proponitur, a nemine tamen, quod viderim, declaratur.

Exiſtẽtia eſt modus interior eſſentię.

Sciendum igitur eſt, exiſtentiam interiorem quendam modum eſſentiæ a Metaphyſicis appellari ſolere, quo. ſ. ipſa eſſentia exiſtit: dicitur autem modus interior; quia eſſentia non per aliquid ipſi additum, & ab ea, re ipſa, diſtinctum, exiſtit, cùm exiſtit; ſed per aliquem gradum eius, quippe qui gradus ab ea differt, eo modo, quo intenſio, ſiue gradus albedinis ab ipſamet albedine diſtinguitur. Iã verò albedo non fit intenſa per aliquid, à ſe, re ipſa, diſtinctum; ſed per gradus, à quidditate fluentes: qui idcirco interiores modi nuncupantur; quia. ſ. ab ipſa natura, atq; ſubſtantia, vel eſſentia quodammodo fluunt, & oriuntur. Neque verò interiores hi modi ijs ſimiles ſunt, quos Ariſtoteles in prædicamentis, ſubſtantiæ modos appellauit;

Species qualitatis ab Ariſto appellantur modi, q̃ tamẽ nõ sũt ĩteriores, ſed exteriores.

vbi enim, capite de qualitate, quatuor qualitatis ſpecies numerauit, ait, Erunt forte alij modi, ſpecies igitur qualitatis appellauit modos, nimirum ad ſubſtantiam relatos: qui quidem nõ interiores, ſed exteriores modi dicuntur; quoniam ſubſtantia fit qualis per aliquam entitatem, ipſi additã, & ab ea re ipſa diſtinctam: non enim albedinem interiorem parietis modum diceremus; quoniam albedo eſt entitas, parieti extrinſecùs addita, & ab eodem, re ipſa, diſtincta. Cùm igitur exiſtentia à communi natura, re ipſa, non diſtinguatur; iure optimo eius interior modus appellabitur.

Fundamẽtũ huius opinionis.

Nunc ad rem noſtram. Natura communis exiſtere non poteſt, niſi aut in vno, aut in plurib. ſingularibus exiſtat, & quia cùm primùm exiſtit, tùm primùm hæc, & ſingularis facta eſt; ideò vetuſtiſſimis Doctoribus placuit, ipſammet exiſtentiam eſſe indiuiduationis, ſeu ſingularitatis principium.

## *Confutatio opinionis Rogerij Bachonis.* *Cap. XI.*

Prima ratio.

HÆC ſententia à pauciſſimis recipitur; quinimò multis, & ijs quidẽ validiſſimis rationibus confutatur. Afferam ego, breuitatis cauſa, duas tantùm pręcipuas. Prima ea eſt: Id, quod ponit diſtinctionem indiuiduorum, ſub eadem ſpecie, indiuiduationis principium eſſe non poteſt: ſed exiſtẽtia, vt ad hoc, vel ad illud eiuſdem ſpeciei indiuiduum determinata eſt, ponit, & indicat diſtinctionem vtriuſque indiuidui; ergo exiſtentia non poteſt eſſe principiũ indiuiduationis. Maior eſt nota, quia quæ ſunt diſtincta inter ſe, iam conſtituta ſunt, atq; ijs ipſis principijs, quibus diſtinguuntur, ijſdem pariter conſtituũtur: quod ergo ponit diſtinctionem indiuiduorum, eorundem pariter conſtitutionem indicat, atque ita diſtinctionis, aut cõſtitutionis indiuiduorum principium eſſe non poteſt. Tota difficultas in minori conſiſtit.

Res oẽs vt habeat eſſe ĩ ꝑdicamentis catent exiſtẽtia, habentq; tãtùmodo eſſentiã, & q̃dditatem.

Pro cuius probatione aduertendũ eſt, rebus omnibus, quatenus in prædicamentis collocatæ ſunt, eſſentiam tantummodò, non etiam exiſtentiam conuenire: quoniam prædicamenta exiſtentiam non reſpiciunt, ſed ab ea quodammodo abſtrahuntur. Tunc arguitur ſic, Tota cuiuſcunque prædicamenti ſeries, ab ſummo genere vſque ad indiuidua incluſiuè, cuiuſque ſpeciei exiſtentiam præcedit: homo enim prius natura in Socratem, & Platonem diſtinctus eſt, & in omnia indiuidua, de quibus prædicatur, quàm eorum gratia exiſtat, igitur exiſtentia conſtitutionem, & diſtinctionem indiuiduorum indicat, atque ponit.

Propoſitiones perpetuę veritatis quęnam ſint.

Hoc quò facilius intelligatur, conſiderandum eſt, propoſitiones quaſdam reperiri, quæ paſſim à philoſophis perpetuæ veritatis propoſitiones appellantur: rebus enim competunt, ſecundum eſſentiam, & ſecundũ quãdam prædicamentalem rationem conſideratis. Itaque ſiue homo exiſtat, ſiue nõ exiſtat, hæc propoſitio ſemper eſt vera, homo eſt animal. Pari ratione, ſiue Petrus exiſtat, ſiue nõ exiſtat, hæc propoſitio ſemper eſt vera, Petrus eſt homo: igitur priuſquam animal extra prędicamẽtum ſit, hoc eſt, re ipſa in natura conſiſtat, habet aliquod poſitiuum, per quod ad hominẽ contrahitur, nimirum rationale, quod eſt differentia ſpecifica hominis. Sic etiam, antequam homo exiſtentia Petri, vel Ioannis exiſtat, atque extra prædicamentum poſitus ſit, habet, ſaltẽ in aliquo priori ſigno naturæ, aliquod poſitiuum, quo ad Petrum, vel Ioannem contrahitur. Et, vt vno verbo dicam, priùs natura Metaphyſicum indiuiduum, cuius modò principium

quæri-

quęrimus,quã indiuiduũ phyſicũ conſtitutũ eſt: Exiſtentia verò indicat indiuidũ Metaphyſicũ,iã conſtitutũ;& própterea illius indiuiduationis principiũ,de qua nũc diſſerimus,eſse non põt. Secunda rõ,ſi exiſtẽtia,quatenus exiſtentia eſt, indiuiduationis principiũ diceretur, tũc illa eadem principium eſſet ,quo alterum indiuiduum ab altero diſtinguitur; quia,vt ſupra diximus,eadem conſtituendi,& diſtinguẽdi principia ſunt. Sed exiſtentia,vt exiſtentia eſt,nõ eſt principium,quo alterum indiuiduum ab altero diſtinguitur;ergo exiſtentia,vt exiſtentia eſt,non poteſt eſſe principiũ indiuiduationis. Minor propoſitio eſt conſpicua, quia quod per ſe indiſtinctum eſt,non poteſt eſſe principium diſtinctionis alterius: Sed exiſtentia vnius indiuidui per ſe indiſtincta eſt;ergo non poteſt eſſe principium,quo vnum indiuiduum ab altero diſtinguatur. Probatur minor; quia exiſtentia Socratis non differt ab exiſtentia Platonis, quatenus exiſtentia eſt,ſed propter aliquid,Socrati inſitum, quod non reperitur in Platonę: igitur exiſtentia,vt accidens quoddam,Socrati aduenit,iam in priori ſigno naturæ in eſſe ſingulari,& metaphyſicè conſtituto. Et tantum abeſt,vt ſingularitatem Socrati tribuat, vt ab eodem potius ſingularitatem accipiat:dicitur enim exiſtẽtia,hæc,quia accidit huic,puta Socrati: Sic de exiſtentia Platonis,& aliorum omnium dicendum eſt. Quare cùm exiſtentia in diuiduo,iam conſtituto,adueniat,ea certè indiuiduationis principium eſſe non poterit. Nũc verò argumẽtum oppoſitum explicemus. Dicebatur ex 7. Metaph. actus eſt,qui determinat, & diſtinguit. Concedenda eſt hęc propoſitio,ea tamen lege,vt eo modo id fiat,quo eſt actus: nam ſi eſt actus eſſentialis,determinat,& diſtinguit,per modum eſſentiæ: Si verò eſt actus accidentalis,determinat,& diſtinguit,per modum accidentis. Addebatur,exiſtentiam eſſe vltimum actum naturæ, vel indiuidui. Hæc propoſitio diſtinguenda eſt: aut enim eſt ſermo de vltimo actu,intra ſeriem prædicamenti,aut de vltimo actu,extra ſeriem prædicamenti: primo modo propoſitio neganda eſt;quoniam vltimus actus,intra ſeriem prædicamenti, naturam communem determinans,atque indiuiduum metaphyſicè conſtituens,eſt differentia indiuidualis,& hæc appellatur actus determinans, atque diſtinguens per modum eſſentiæ. At verò poſt hunc actum,extra prædicamentum, datur exiſtentia,ad quam indiuiduum, metaphyſicè conſtitutum,atque in prędicamento incluſum,poteſtatem habere dicitur,& proptereà exiſtentia indiuiduo accidere quodammodo dicitur:erit ergo actus determinans,& diſtinguens,per modum accidentis tantùm,non autem per modum eſſentiæ, ſicut debet eſſe actus ille,qui dicitur principium indiuiduationis. Neque verò approbandam cenſeo diſtinctionẽ illam de duplici exiſtentia,quam Nicolaus Bonetus in ſua Metaphyſica,loco in præcedente capite citato,propoſuit,vt alia,ſ.ſit exiſtentia ſimpliciter,alia ſingularium:nam,vt ſubtiliter aſſerit Scotus,lib. 2. Sent. diſt. 3. q. 3. non magis hic homo, quàm homo,veram,& propriè dictam exiſtentiam includit.

Secunda rõ.

Exiſtẽtia potius accipit ſingularitatẽ ab indiuiduo, quã qđ eidẽ ſingularitatem tribuat.

Solutio Rationis,quæ probatũ eſt,exiſtentiam eſſe principiũ indiuiduationis. Vide Sc. in 2 d 3 q. 3.

Vltimus act⁹ conſideratur aut intra ſeriẽ,aut extra ſeriem pdicamenti.

Non datur exiſtẽtia impliciter diſtincta ab exiſtẽtia ſingularium.

*Opinio Gotfredi.* *Cap. XII.*

QVarta fuit opinio Doctoris celeberrimi ex Pariſienſium Schola, Gotfredi de Fontibus quol. 6. q. 16. & quol. 7. q. 5. qui exiſtimauit,præcipuam radicem diſtinctionis,qua alterum indiuiduum ab altero diſtinguitur,quantitatem eſſe;atque adeò hanc ipſam indiuiduationis principium dici debere. Ad huius opinionis probationem ponit doctor iſte,ſubſtantiã, & quantitatem aliquod vnum per accidens conſtituere,& ppropterea duo hæc,vnam,& eandem proprietatem habere nõ poſse,quæ illis per ſe,& æquè primò conueniat: ſed ſi qua proprietas primò,& per ſe vni competat,alteri alterius tantùm ratione conueniet. Exemp. grat. ferrum calidum eſt vnum per accidens;non poteſt autem dari aliqua proprietas,quæ per ſe, & æquè primò ferro, & calori conueniat: cùm igitur calefacere ſit proprietas quædam, quæ calori aſcribitur;ſi ferrum quoq́ue calefacere dicatur,id ipſum per ſe quidem non faciet,ſed ratione caloris. Hoc aſsumpto ſic argumentatur; Diuidi in partes eiuſdem rationis,eſt proprietas,quæ per ſe,& primò quantitati competit:ſed dum ſubſtantia aliqua,puta natura ſpecifica,in plura indiuidua diuiditur,in partes eiuſdem rationis diuiditur;ergo in naturæ ſpecificæ, ratione quantitatis, conueniet; quantitas igitur prima radix, atque origo indiuiduorum cenſenda eſt. Argumentatur deinde tali pacto; Hic ignis non differt ab hoc igne,niſi quia forma differt à forma: forma autem non differt à forma,niſi quia eſt in alia, & alia parte materiæ: nec pars materiæ differt ab alia parte materiæ, niſi quia recipitur in alia, & alia parte quantitatis; igitur fundamentum,& prima radix harum diſtinctionum,

Quantitas ſecundũ Gotfredũ eſt indiuiduationis principiũ

Prima ratio pro hac opinione.

Secunda rõ.

quantitati refertur accepta; atque ita quantitas illud principium eſt, quo natura communis ad eſſe ſingulare deducitur, & quo vnum quodque indiuiduum ab altero diſtinguitur. Huic ſententiæ viſus eſt ſubſcripſiſſe Romanus Ægidius quol. 1. q. 11. tametſi alia ratione tueatur quantitatem eſſe principium indiuiduationis: videtur enim illi id muneris aſcribere, quatenus quodammodo materiam ſignat, atque deſcribit, hoc eſt, quatenus quantitas eſt quędam materiæ conditio: hæc autem opinio diligentiùs conſiderabitur, atque etiam refutabitur infra, cùm S. Thom. opinionem expendemus.

Vide Aegidium Romanũ quolib. 1. q. 11.

*Confutatio opinionis Gotfredi.* *Cap. XIII.*

REijciamus interim opinionem Gotfredi, quę non minus à veritate aliena eſt, quàm ſint opiniones, ſupra recitatæ. Poſſet illa quidem multis rationibus confutari: ſed quoniam paulò inferius, opinionem aliam falſam eſſe, docturi ſumus, quæ cum hac ipſa magnã conuenientiam, & ſimilitudinem habet; ideo eiſdem argumentis, quibus illa reijcietur, hæc pariter infirmabitur, & deſtruetur. Vnum igitur tantummodò nunc adducam, quod hanc potiſſimùm ſententiam euertere videtur: eſt autem huiuſmodi. Si quantitas eſſet principium indiuiduationis, dubio procul aut eſſet quantitas terminata, aut interminata: ſed neutra iſtarũ eſſe poteſt; igitur quantitas non eſt principium indiuiduationis. Maior eſt nota, per aptam, ſatiſque commodam diuiſionem. Minor verò probatur, & primò de quantitate terminata: quoniam quantitas terminata, quemadmodum accidens omne, formam ſubſtantialem, immò hanc formam ſubſtantialem in materia conſequitur: cùm ergo ponat indiuiduum, iam conſtitutum, eius certè principium eſſe non poterit. Hoc idem modò probatur de quantitate interminata; nã quantitas interminata (quæ non eſt aliud, ſm grauiores interpretes, atq; Doctores, niſi ſubſtãtia materiæ, apta per quantitatẽ finiri, & circunſcribi) eſt eadẽ numero in re genita, quæ fuit in re diſſoluta; ergo ſi quantitas interminata eſt principiũ indiuiduationis, genitũ, & diſſolutum erunt idẽ numero, quod eſt maximũ abſurdum. Dicet fortaſſe Gotfredus, quantitatem eſſe quidem principium indiuiduationis; ſed tamen poſita vnitate ſpecifica: nũc autem genitum, & diſſolutum inter ſe ſpecie differunt. Sed contra hoc ſubtiliter argumentatur Scotus; ponamus, inquit, ex aqua ignem, atque rurſus ex eodem igne aquam fieri: hæc aqua cũ præcedente, ex qua priùs ignis genitus eſt, dr eſse eiuſdem ſpeciei: in hac autẽ aqua, recẽs genita, eadẽ eſt materię portio cũ quãtitate interminata, quæ erat in aqua, ex qua ignis genitus eſt; ergo ſi quantitas eſt principiũ indiuiduationis, poſita vnitate ſpecifica, hæc aqua, & illa idem numero erunt, quod eſt contra oẽs philoſophos, vno ore confitentes, id, quod ſemel interijt, idem numero redire nulla ratione poſſe. Nunc ad rationes Gotfredi. Ad primã, explicanda eſt illa propoſitio, qua aſſeritur, diuidi in partes eiuſdem rationis, propriam eſſe quantitatis affectionem: vera eſt enim hæc propoſitio, ſi de diuiſione in partes quantas intelligatur: falſa autem, ſi intelligatur de diuiſione in partes ſubiectiuas, cuiuſmodi eſt diuiſio ſpecificæ naturæ in plura indiuidua, de qua quidem diuiſione nunc loquimur. Ad ſecundã, qua dicebatur, hic ignis non differt ab hoc igne, niſi quia forma differt à forma, &c. Reſpondendum eſt, ſi illa particula. *Quia*, dicat quoddam quaſi ſignum, & argumentum diſtinctionis; illa propoſitio concedenda eſt, in hoc ſenſu; quia in hoc igne eſt alia forma, alia materia, & alia quantitas; ideo arguimus, hunc ignem ab alio igne diſtinctum eſſe. Si verò illa particula. *Quia*, dicat præcipuam rationem diſtinguendi; tunc propoſitio neganda eſt: nam hic ignis non differt ab hoc igne, per formam, per materiam, aut per quantitatem; ſed per hanc formã, per hanc materiam, & per hanc quantitatem; atque ita non quantitas, ſed illud, quo quantitas dicitur hæc, indiuiduationis principium appellabitur. Nam & quantitas, vt quãtitas eſt, habet ex ſe vnitatem realem, minorem vnitate numerali, ſicut ſupra de quacunque communi natura docuimus; atque adeo ea, ſic conſiderata, ad numeralem vnitatem poteſtatem hẽt. Itaque quod contrahit quantitatem ad eſſe hoc, illud verè pro indiuiduationis principio ſtatui poteſt: quod nam autem illud ſit, explicabimus infra, cùm veram de re propoſita ſententiam examinabimus.

Arg. firmiſſimum contra opinionem Gotfredi.

Reſp. ꝓ Gotfredo.

Replica Scoti ſubtiliſſima quare ipſum in 2 d. 3 q. 4. qui multis argumentis in hãc ſẽtentiá inuehitur

Reſpõſio ad primã rationẽ Gotfredi.

Ad ſecundã rationem.

Nota hic, & quantitatem ipſam indigere principio, quo indiuidua fiat.

### *Opinio, Porphyrio, atque Boetio aſcripta.* Cap. XIV.

Multorũ accidentiũ collectio, ſecundũ Porph. & Boetiũ, indiuiduationis principiũ eſſe videtur.

QVinta fuit opinio, quę Porphyrio, & Boetio pariter tribuitur, qui exiſtimaſſe viſi ſunt non vnum, aut alterum accidens, ſed plurium accidentium collectionem ad naturã ſingularem efficiendam concurrere: ea enim multorum accidentium collectio ita ad vnum ſingulare pertinet, vt in aliquo alio indiuiduo reperiri nullo modo poſſit. Exem. gra. natura humana ad Socratẽ contracta, ideo ſingularis, & vna numero facta eſt, quia in Socrate accidẽtia multa reperiuntur, quæ in alijs eſſe non poſſunt: vt ſi diceremus, eum eſſe filium Platonis, habere caput magnum, oculos nigros, naſum ſimum, capillos rufos, eſſe longæ ſtaturæ, atque id genus alijs accidentibus affectum. Ideo dicebat Porph. in prædicabilibus, cap. de ſpecie, illud verè indiuiduum appellari, quod ex hijs proprietatibus conſtat, quarum collectio in alio reperiri non poteſt. Et Boetius ibidem cap. de Differẽtia, & ſpecie; plures ſunt, inquit, de quibus ſpecies prædicatur, non ſubſtantiæ quidem diuerſitate, ſed accidẽtium multitudine. Erit ergo multorũ accidentiũ collectio indiuiduationis princ ipiũ: quod quidẽ ab huius opinionis ſectatoribus nõnullis rationibus confirmatur. Primò, ſi indiuidua eiuſdem ſpeciei ſpecialiſmæ inter ſe interioribus, atque ſubſtantialibus differentijs, non autem accidẽtarijs diſtinguerentur; tunc illa inter ſe ſubſtantia, & ſpecie diſſiderent: ſed conſequens eſt abſurdum, vt manifeſtum eſt, ergo & antecedens, nimirum indiuidua ſubſtantialibus differentijs diſtingui, atque eiſdem in indiuiduorum eſſe conſtitui. Præterea, ſi indiuidua ſubſtantialibus quibuſdã differentijs conſtituerẽtur, tunc ſpecies ad indiuidua totum non eſſet, nec illorum naturam, & quidditatem contineret; ac proinde in quid de illis perfectè non prædicaretur: ſed conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Falſitas conſequentis eſt nota. Conſequẽtia probatur; quia non ſpecies, ſed ſubſtantialis illa differentia, qua indiuidua in eſſe indiuiduorum conſtituuntur, totam eorum eſſentiam, & quidditatem contineret. Ad hæc, ſi indiuidua eſsentialẽ differentiam haberent, qua & in eſse indiuiduorum conſtituerentur, & inuicem diſſiderent; tunc ea communi definitione, nimirum definitione ſpecifica non egerent: ſed conſequens aduerſatur Ariſtoteli 7. Metaph. tex. 53. vbi ait, ſingulares, & indiuiduas ſubſtantias definiri nõ poſſe: eidem igitur aduerſatur & antecedẽs. Conſecutio eſt euidens: quoniam indiuidua ea omnia haberent, quæ ad veram definitionem deſiderantur. ſ. naturam communem, & differẽtiam ſubſtantialem. Cùm igitur ex Ariſtotelis ſnĩa, indiuidua definiri non poſſint, dicendum eſt, illa carere ſubſtantiali differẽtia, qua in indiuiduorum eſſe conſtituantur, atque adeo ſola accidentia, in vnum collecta, quæ illis extrinſecùs adueniunt, ea eſſe, quibus indiuidua in eſſe indiuiduorum conſtituuntur, quibuſque ea ipſa, iam conſtituta, inuicem diſtinguuntur.

Prima ratio.

Secunda rõ.

Tertia ratio.

### *Prædictæ ſententiæ confutatio.* Cap. XV.

VErum nec huiuſmodi opinio rei quæſitæ veritatẽ attingit, quapropter ea quoque nonnullis rationibus reijci ſolet. Primò, ſi multa accidentia, in vnum collecta, indiuiduum in eſse indiuidui verè, & propriè conſtituerent, aut hoc eſset, quatenus communia ſunt, vt albedo, quatenus albedo, ſuperficies, quatenus ſuperficies, & ſic de alijs; aut quatenus ſunt ſingularia, vt hæc albedo, hæc ſuperficies: ſed neutro modo id contingere poteſt; ergo accidentia non poſsunt eſse principium indiuiduationis. Probatur minor, primò de accidentibus, quatenus communia ſunt: nullum enim commune, alteri communi additum, illud, cui additur, ſingulare facere poteſt: igitur accidentia, quatenus communia ſunt, ſi naturę communi addantur, nunquam ipſam ſingularem efficere poterunt. Deinde neque id facere poſse accidentia, vt ſingularia ſunt, ita probatur: nam ſi accidentia iam ſingularia ſunt; ergo illa eadem per aliquid ſingularia facta ſunt, atque ita eadem redibit quæſtio de illis, ſicut de quacunque natura communi. Secundò, per illud non poteſt conſtitui indiuiduum in eſse indiuidui, quo ablato, indiuiduum adhuc ſingulare, & vnum numero manet: ſed remoto quocunque accidente, adhuc indiuiduum ſingulare, & vnum numero manet; ergo nullum accidens, ſiue diuiſim, ſiue coniunctim accipiatur, poteſt verè, & propriè indiuiduum in eſse indiuidui conſtituere. Minor probatur, potiſſimùm in indiuiduo ſubſtantiæ: nam ſubſtantia, vt ſubſtantia eſt, ex 7. Metaph. tex. 4. omne accidens natura, tempore, & definitione præcedit: non implicat autem contradictionem, omne poſterius à ſuo priori, ſaltem per aliquam potentiam, ſeiungi; igitur

Prima ratio.

Secunda rõ.

ſub-

ſubſtantiale indiuiduum abſque omni accidente manere poterit; atque ita nullum accidens poteſt eſſe principium indiuiduationis. Confirmatur hæc ratio; quoniam illud ab eo ſeiungi non poſſet, per quod verè, &, vt aiunt, formaliter conſtituitur: non enim animal, quod hominem, ſicut etiam rationale, intimè conſtituit, ab homine ſeiungi poteſt, ipſemet homine remanente: cùm igitur probatum ſit, non implicare contradictionem, omne accidens ab indiuiduo ſubſtantiæ ſeparari; iam plane ſequitur, nullum accidens poſſe eſſe principium indiuiduationis. Sed dicet fortaſſe aliquis, quanuis ſubſtantia ſit prior omni accidente, quatenus ſubſtantia eſt, non eam tamen priorem eſſe omni accidente, quatenus eſt indiuidua. Contra, eodem modo ſubſtantia eſt prior omni accidente, quo eſt ſubiectum omnium accidẽtium: ſed non eſt ſubiectum omnium accidẽtium, niſi quatenus hæc, & ſingularis: igitur quatenus hęc, & ſingularis omne accidẽs ſimpliciter præcedit. Tertiò, in qualibet ſerie, ſiue quolibet ordine cuiuſcunque prædicamenti ea omnia reperiuntur, quæ ad ſeriem, ſiue ordinem illius prædicamenti neceſſariò pertinent, quocunque alio remoto, quod extra illius prædicamenti ſeriẽ & ordinem collocatum eſt: ſed ad ſeriem, prædicamenti ſubſtantiæ (vt de hac potiſſimum loquamur) ſicut pertinet primum prædicatum, de quo nihil aliud prædicatur, vt ſubſtãtia, quæ eſt genus generaliſſimum; ita pertinet infimum ſubiectum, cui nihil omninò ſubijcitur, vt Petrus, vel quoduis aliud ſingulare; ergo ſingulare in ſerie prædicamenti ſubſtantiæ reperitur, quocunque alio remoto, quod verè ad illud prædicamentum non attinet; immò extra eius ſeriem, & ordinem collocatum eſt: ſed nullum accidens ad prædicamentum ſubſtãtiæ verè pertinet; cùm extra eius prædicamenti ordinem collocatum ſit; ergo nullum accidens ad interiurem ſubſtantialis indiuidui conſtitutionem concurrere poteſt. Cæterùm contineri indiuiduũ in ſerie prædicamenti ſubſtantiæ, præter id, quod dictum eſt, ita etiam facilè probari poteſt: quoniam in ſerie prædicamenti ſubſtantiæ reperitur ſpecies; ſpecies autem de pluribus differentibus numero prædicatur: igitur in ſerie prædicamenti ſubſtantiæ reperiuntur indiuidua, de quibus ſpecies prædicatur in quid. Ex quibus iam apertiſſimè elicitur, omne accidens, ſiue ſit quantitas, ſiue qualitas, ſiue alia plura ſimul coniuncta, conſtituto iam indiuiduo aduenire, atque adeo indiuiduationis principium eſſe non poſſe.

Cõfirm atio.

Reſp. pro aduerſa ijs Vide Mercenariũ in diluc. huius quæſt.

Confutatio.

Tertia ratio.

### *Solutio rationum prædictæ opinionis.* Cap. XV.

AGe nunc oppoſitas rationes diluamus. Primò autem id omnibus notum eſſe velim, me eò nunquam adduci potuiſſe, vt crediderim, Porphyrium, atque Boetium exiſtimaſſe, plura accidentia, in vnum collecta, eſſe principium indiuiduationis: Sed potius, cùm differentiæ illæ, quæ naturas communes ad eſſe ſingulare contrahunt, nos omninò lateant, idcirco accidentia hæc, quæ indiuiduis extrinſecùs adueniunt, loco differentiarum ſumpſiſſe, quibus vnum indiuiduum ab altero diſtinguitur. Cùm enim videmus in Socrate accidentia multa, quæ non apparent in Platone, ideo ſtatim conijciemus, Socratem non eſſe Platonem: non eam tamen ob rem putandum eſt, accidentia illa præcipuam rationem eſſe, qua intimè Socrates à Platone diſtinguitur: ea enim nos latet, vt eſt illa, de qua nũc præcipuè diſputamus. Ad primam igitur rationem, neganda eſt conſecutio: nam tametſi eiuſdem ſpeciei indiuidua interioribus, atque ſubſtantialibus differentijs inter ſe differunt; non ideo tamen ſequitur, ea ipſa inter ſe ſubſtãtia, atque ſpecie diſſidere: quoniam intimum illud principium, quo differunt, nõ multis quidem commune, ſed vnicuique indiuiduo proprium eſt. Equus, & aſinus ſubſtantia, & ſpecie differunt, quia illud principium, quo differunt, nimirum differentia ſpecifica, vt ſpeciei proprium, ita omnibus indiuiduis, ſub ſpecie contentis, commune eſt. At verò Socrates, & Plato ſubſtantialibus quidem, atque interioribus differentijs inter ſe diſtinguuntur; tamen illæ differentiæ ad rem nullam communem pertinent, immò in re nulla communi conueniunt, quæ de illis in quid prædicetur; & propterea cùm ad propriam indiuidui ſubſtantiam tantummodò pertineant, fit, vt Socrates, & Plato non ſpecie, ſed ſolo numero diſtinguãtur. Ad ſecundam, neganda eſt pariter conſequentia: vt enim genus dicitur totum ad ſpecies, quanuis vnaquæque ſpecies propriam, & eſſentialem differentiam habeat, qua intimè conſtituitur; ita etiam ſpecies dicitur totum ad indiuidua, quanuis vnumquodque indiuiduũ propria, atque ſubſtantiali differentia præditum ſit, qua in eſſe indiuidui poſitum eſt. Ad tertiam facilis eſt reſponſio; habent quidem indiuidua quælibet ſubſtantialem differẽtiam, qua

Quò Porph. & Boet exiſtimauerint, plura accidẽtia in vnum collecta, ad principiũ indiuiduationis pertinere

Reſp. ad primã rationẽ aduerſariorũ

Ad ſecundã rationem.

Ad tertiam rationem.

nuicem diſtinguuntur; egẽt tamen communi definitione, nimirum definitione ſpeciei; quia, vt ait Ariſtoteles loco ab ipſiſmet aduerſarijs citato, non conſueuerunt philoſophi definire niſi ea, quæ æterna, & indiſſolubilia ſunt, cuiuſmodi ſunt rerum ſpecies: indiuidua verò, quæ mortalia, atque caduca ſunt, definitione carent. Addi poteſt, ea tantùm definiri, quorum datur ſcientia: rerum autem caducarum, atque mortalium nulla ſcientia dari poteſt, vt lib. 1. Poſt. Ariſtoteles docuit.

### *Opinio Sancti Thomæ.* *Cap. XVII.*

SExta fuit opinio S. Thom. tertia parte Summę, q. 77. art. 2. opuſculo 29. 5. Metaph. com. 12. libello de ente, & eſſentia, c. 1. & alijs plutibus locis: qui cùm diligenter conſideraſſet, indiuiduum neque ex ſemetipſo, neque per negationem, neque per accidenria in eſſe indiuidui conſtitui; tandem concluſit, aliquod reale poſitiuum, & illud quidem internum neceſſariò dandum eſſe, quo natura communis ad eſſe ſinglare contrahatur, & per quòd ſingulare, iam conſtitutum, à quocũque alio indiuiduo diſtinguatur: id autem nil aliud eſſe putauit, niſi materiam ſignatam. Verùm quid nomine materiæ ſignatæ Angelicus Doctor intellexerit, non ſatis apud eius interpretes perſpicuum eſt, varios varia dicentes: quorum quidem diſſenſio valdè obſcuram, & dubiam eius opinionem reddidit. Inter eos omnes conuenit, duo hæc, nimirùm materiam, & quantitatem ad principium indiuiduationis concurrere: duplex enim apud Ariſtotelem, lib. 3. Metaph. tex. 11. reperitur diuiſio: altera ſecũdum formam, quę, apud eundem, diuiſio ſecundum ſpeciem appellatur: altera ſecundum quantitatem. Iam verò diuiſio materiæ, quæ, ad indiuidua, ſub vna, & eadem ſpecie multiplicanda, in varias portiones fit, diuiſio ſecundum formam, ſeu ſpeciem dici non poteſt: erit igitur ſecundum quantitatẽ, quæ veluti actus quidam eſt; cùm omnis diuiſio ipſi actui neceſſariò tribuatur. Itaque Thomiſtæ omnes vno ore fatentur, indiuiduationis principium eſſe materiam, quantitate ſignatam. Differunt autem in hoc: quoniam putarunt nonnulli, materiam, quantitate ſignatam, nihil aliud eſſe, niſi materiam quantam; atque ita hoc ipſum ex materia, & quãtitate aggregatum, illud eſſe indiuiduationis principium, quod nos quærimus. Cuius quidem expoſitionis eam rationem adducunt: quoniam ſubſtantiæ, quæ ſub eadem ſpecie indiuiduæ vocãtur, cuiuſmodi, autore S. Thom. ſunt ſubſtantiæ materiales, duas veluti proprietates habere dicũtur: altera eſt, quia cum pluribus eiuſdem rationis incommunicabiles ſunt (quælibet enim vna numero eſt) altera, quia inuicem diſtinguuntur. Cùm autem materia ſit principium incommunicabilitatis, ea ratione, qua forma in vna eius portione exiſtens, in alijs reperiri nõ poteſt; hinc fit, vt indiuidua à materia ipſa incommunicabilitatem accipiant. Cùm verò quãtitas ſit principium numeralis diſtinctionis; fit, vt illa eadem indiuidua, quãtitatis beneficio, inuicem diſtinguantur. Quod igitur ex materia, & quantitate aggregatum eſt, id verum, & aptum indiuiduationis principium ſtatuetur. Ita Capreolus lib. 2. Sent. d. 3. q. 1. art. 1. Ferrarienſis 1. contra Gentiles c. 21. Soncinas 7. Metaph. q. 34. & alij Thomiſtæ cenſuerunt. Alij verò, nonnullorum argumentorum vi, & efficacitate perterriti, materiæ ſignatæ nomine, non aggregatum quippiam ex materia, & quantitate, ſiue materiam quantam; ſed materiam cũ poteſtate ad certam numero, & determinatam quantitatem intellexerunt; quatenus. ſ. materia à naturali agente ita affecta eſt, vt non omnem, omni prorſus diſcrimine remoto, quantitatem recipere poſſit; ſed huius tantùm, & non alterius quantitatis ſit capax. Et hæc fuit explicatio Caietani lib. de Ente, & eſſentia, c. 2. q. 5. quam etiam ſecutus eſt Chryſoſtomus, Iauellus, lib. 5. Metaph. q. 5. ſed ante ipſos Romanus Ægid. quol. 1. q. 11. Ait igitur Caietanus quemadmodum materia, ſuapte natura, ad omnes formas recipiendas poteſtatem habet; nihilominus à naturali agente ita ad hanc formam, vt non ad aliam recipiendam accommodatur; ita eadem, ſuopte ingenio, omnis quantitatis eſt capax; tamen à naturali agente quibuſdam mutationibus ita afficitur, vt non niſi certam numero, atque determinatam quantitatem recipere poſſit. Iam verò in vltimo illo inſtanti, quo materia perfectè à naturali agente elaborata eſt, ſubſtantialem illam formam in ſeſe recipit, ad quam determinatam poteſtatem habebat, eamque determinatam formam ſtatim in materia determinata quantitas conſequitur. Hinc fit, vt in illo priori naturæ ſigno, quo materia ad hanc formam recipiendam parata erat, virtute naturalis agentis, huius etiam numero quantitatis capax eſſe dicatur; ac pro-

Materia ſignata ſecundũ S. Th eſt principiũ indiuiduationis.

Thomiſtarũ diſſidiũ i opinione S. Th.

Diuiſio duplex ſecũdũ ſpeciẽ, & ſecũdũ quantitatẽ. Vide Ariſt. 3. Met. t. 11.

Opinio Capreoli, Ferrarienſis, Socinatis, & aliorum.

Explicatio Caietani lib. de Ente, & eſſentia. cap. 2. q. 5.

Eandẽ ſecutus eſt Iauellus, & fuit ẽt ſententia Ægid. Romani quol. 1. q. 11.

ac proinde hæc materia cum hac capacitate conſiderata, ita intimè ad indiuiduum conſtitutum pertinet, vt verè indiuiduationis principium appelletur; adeo vt, ſi indiuiduum definiri poſſet, neceſſariò hanc materiam ſignatam, ideſt materiam cum hac capacitate, in ſua definitione concluderet. Nihil ergo ſignata materia ſupra materiam addit, ait Caietanus, niſi capacitatem huius quantitatis, & non illius, capacitas autem materiæ ad hanc quantitatem, nihil eſt aliud, quàm poteſtas, hanc potius quantitatem, quàm illam recipiendi: poteſtas autẽ hanc quantitatem recipiendi, nihil in recto dicit, à materia re ipſa diſtinctum; ſed reale quippiam addit, quod duntaxat ſecundum rationem diſtinguitur. Hanc celebriores Thomiſtæ veram S. Thomæ ſniæ explanationem eſſe putarunt. Cui tamen præcipuus eius commentator Caietanus, expoſitionibus alijs, maximas tenebras offudiſſe viſus eſt. Etenim prima parte Summæ q. 29. ar. 1. ait, non proprie materiam, vt ad hanc quantitatem poteſtatem habet, ſed potius vt virtute hanc quantitatem continet, vel vt eſt radix, & fundamẽtum huius quãtitatis, eſſe principium indiuiduationis. Quæ quidem explicatio, licet cum ſuperiore conciliari poſſet, à multis tamen doctiſſimis viris ab eadem alieniſſima iudicatur. Sed quidquid hoc ſit, libro de Ente, & eſſentia, loco ſuperiùs citato, hanc Angelici Doctoris ſniam dilucidè explicare, ac penitus ad eius ſenſum penetrare cupiens, ait, materiam ſignatam internum eſſe indiuiduationis principium, quo intimè, particulatim tamen, Sortes eſt hic. Dicit autem, particulatim, quia non arbitratur, materiam ſignatam eſſe ipſammet proprietatem, ſeu differentiam indiuidualem, ſed potius indiuidualis differẽtiæ eſſentiale principium. Opinatur enim, proportionem materiæ ſignatæ ad proprietatem, ſeu differentiam indiuidualẽ, eſſe ſicut proportionem rationalis animæ ad differentiam, hominem conſtituentem. Vt enim rationalis anima non eſt ipſa differentia conſtituens, puta rationale, ſed id, vnde differentia ſumitur, ita materia ſignata non eſt ipſa differentia indiuidualis, ſed id, vnde ſumitur. Et ſicut homo eſt homo, & per rationale, tanquam per totum quoddam denominans, quod non eſt aliud, quã differentia, ſeu gradus quidam ſpecificus, & per rationis participem animam, tanquam per præcipuam partem, intime conſtituentem, à qua ipſummet rationale deducitur: ita Sortes eſt hic, & per differentiam indiuidualem, tanquam per totum quoddam denominans, quod non eſt aliud, quàm gradus quidam indiuidualis, & per materiam ſignatam, tanquã per priorem cauſam, & eam quidem internam, à qua ipſamet indiuidualis differentia originem ducit. Hæc Caietanus. Cæterum non defuerunt alij, cùm ex veteribus, tùm ex recentioribus Philoſophis, qui materiam ſignatam indiuiduationis principium eſſe ſtatuerint: ita enim arbitratus eſt Auerroes, lib. 5. Metaph. com. 12. 1. de Cœlo comm. 95. ſed potiſſimùm diſputatione quinta contra Algazelem, in ſolutione dubij octaui: vbi aſſerit, præcipuam cauſam conuenientiæ in numerali multitudine eſſe formam: cauſam verò multitudinis numeralis eſse materiam. Albertus quoque idem ſentit, lib. de Intellectu, & Sueſsanus 5. Metaph. diſput. 5. ca. 4. vbi vult, materiam præcipuum eſse indiuiduationis principium; formam verò cauſam, ſine qua non. Cui ſniæ viſus eſt etiam ſubſcripſiſse Archãgelus Mercenarius in huius quæſtionis dilucidatione: atque rurſus Franciſcus Bonamicus, lib. 6. de motu cap. 18. qui eandem ſententiam Platoni tribuit: quem, in Thimeo aſerit, hoc aliquid ex permanentia iudicaſse, eam verò materię potiſſimùm aſcribi.

Caiet. in cõ. primæ partis q. 29 artic 1. alio modo S. Th. ſentẽtiã explicauit.

Alia Caie. explanatio quã veriſſima, & ad D Th. ſẽſum eſſe putauit.

Mater am ſignatã eẽ pricipiũ indiuiduationis, alij quoq; Philoſophi, defenderunt.

Auerroes.

Albertus.

Sueſſanus.

Archãgelus.

Bonamicus.

### *Rationes probantes materiam ſignatam eſſe principium indiuiduationis.* *Cap. XVIII.*

Prima ratio.

NOn deſunt autem rationes, & autoritates, quibus hæc ſentẽtia ab eius ſectatoribus muniri ſolet. Primò ſic argumentatur, ſingulare, & vniuerſale inuicem opponuntur, vt docet Ariſtoteles 1. Poſt. cap. 2. igitur principium illud, quod præcipuè ſingulare conſtituit, illi principio opponi debet, quod conſtituit vniuerſale: ſed principium, vniuerſale cõſtituens, eſt forma, ergo principium, quod ſingulare conſtituit, debet eſse materia.

Secunda rō.

Secũdò. Illud eſt principium indiuiduationis, quod eſt principium indiuiduorum, ſub eadem ſpecie, multiplicationis: eiſdem enim principijs conſtituũtur entia, quibus multiplicantur: at deſignatæ portiones materiæ ſunt principia multiplicationis indiuiduorum, ſub eadem ſpecie, vt ex Ariſtotele ſequenti cap. manifeſtum fiet; eædem igitur erunt principia indiuiduationis.

Tertia ratio.

Tertiò, Illud eſt, principium indiuiduationis, quod eſt principium diſtinctionis indiuiduorum, ſub eadem ſpecie: ſed materia, quantitate ſignata, eſt principium diſtinctionis indiuiduorum, ſub eadẽ ſpe-

cię;

cie;ergo eadem erit principium indiuiduationis. Maior eſt nota,& explicata ſuperiùs. Minorem autem ſic probant:quoniam materia,per determinatam quantitatem,ab omnibus alijs diſtinguitur,atque ſeiungitur:ſtatuta enim quantitas,ita rem circunſcribit, vt eam à cunctis alijs ſeparet: immò ea poſita,ſtatim ponitur ſingularitas:eadē verò remota,ēt ſingularitas remouetur. Etenim cùm res certam quantitatem habet,iam ſingularis eſt:& viciſſim,cùm ſingularis eſt, iam certam, atque determinatam obtinet quantitatem. Veriſſima igitur eſt hæc propoſitio,ſcilicet materiam quantitate ſignatam,eſſe principium diſtinctionis indiuiduorum ſub eadem ſpecie, ac proinde illa eadem erit principium indiuiduationis. Poſtremò validiſſima quidem ratione Caietanus, & Iauellus ſic argumentantur; Illud eſt verum principium indiuiduationis, cui primò & per ſe repugnat communicari cum pluribus: ſed materiæ ſignatæ,hoc eſt materiæ,prout reſpicit certam,ac determinatam quantitatem, primò & per ſe repugnat communicari cum pluribus;ergo materia ſignata eſt verum principium indiuiduationis. Maior eſt manifeſta: cùm enim indiuiduum incommunicabile ſit, & vnum numero;neceſſe eſt, vt ei ratione cuius incommunicabile ſit,primò, & per ſe cum pluribus communicari repugnet. Minorem autem ſic probant:quoniam materia,vt reſpicit hanc quantitatem,fit propria huius indiuidui,egrediturque limites materiæ communis:ei autem, quod contra commune diſtinguitur, omnino communicari repugnat. Quòd autem huiuſmodi communicabilitas primò,& per ſe materiæ ſignatæ repugnet,quatenus ſignata eſt,ita oſtendunt:nam ſi à materiali indiuiduo quodcunque aliud, præter materiam ſignatam, remoueas, adhuc incommunicabilis ſubſtantia remanebit:ſi autem materiam ſignatam auferas,tunc aſſignari ratio nulla poterit,quare indiuiduum incommunicabile fiat. Id enim ex forma haberi nequaquam poterit;quoniam formæ,vt forma eſt,communicabilitas competit,ſupple cum materia. Neque ex materia, vniuersè accepta;quoniam materia, vt materia eſt,cum indiuiduis omnibus materialibus cōmunis ſit:ab eo autem,quod commune eſt,nulla res incommunicabilis fieri poteſt. Neque tandem ex quantitate,aut ex alio quouis accidēte:quoniam accidentia omnia,ſaltem naturæ ordine, indiuidui ſubſtantiam conſequuntur. Ratio igitur,cur indiuiduum incommunicabile ſit,ex ſola materia ſignata proficiſcitur; atque adeò ei primò,& per ſe cum pluribus communicari repugnat,ea que ſola verum,atque præcipuum indiuiduationis principium iudicari debet.

Quarta ratio Vide Iauellū & Caietanū locis ſuperiꝰ citatis.

*Thomiſtarum ſententia Ariſtotelis autoritatibus roboratur.* *Cap. XIX.*

MAius autem robur hæc Thomiſtarum ſententia à nonnullis Ariſtotelis autoritatibus accipere videtur. Quarum prima,quæ omniū famoſiſſima eſt, elicitur ex 5. Metaph. tex. 12. vbi aſſerit Ariſtoteles,ea vnum numero eſſe,quorum materia eſt vna: apertiſſimè igitur numeralis vnitatis principium ipſammet eſſe materiam ſignificauit. Secunda elicitur ex 7. eiuſdem operis lib. tex. 28. vbi ita ſcribit. *Tota autem iam forma in hiſce carnibus, atque oſſibus Socrates eſt & Callias*, quo loco nomine harum carnium, & horum oſſium nihil aliud, niſi materiam ſignatam intelligi voluit:nam ſubdit: *Diuerſa quidem propter materiam*; ſi numeralis diuerſitas à materia pendet;ab eadem igitur indiuiduorum conſtitutio vſquequaque pendebit. Tertia elicitur ex eodem lib. tex. 35. vbi,cùm docuiſſet, vniuerſalem hominem ex forma,communique materia conſtare,poſtea ſubdit, *ſingulare autem ex vltima materia iam Socrates eſt*. Per vltimam materiam, palàm eſt,nihil aliud,niſi materiam ſignatam intelligere potuiſſe;quia vt talis eſt,non in homine quidem, vniuersè accepto, ſed in homine duntaxat ſingulari includi,vel contineri poteſt. Quarta elicitur ex 12. lib. tex. 49. vbi docet,quęcunque ſub eadem ſpecie plura numero ſunt,ea neceſſariò materiam includere: vnde elicit, plures numero primos motores reperiri non poſſe;quoniam primus motor materia caret; nullius autem momenti eſſet huiuſmodi illatio,niſi hæc, & illa materies huius, & illius indiuidui ſub eadem ſpecie principia exiſterent. Quinta elicitur ex 1. de Cælo tex. 92. vbi diſcrimē adhibuit inter Cælum,& hoc Cælum: Cælum, inquit, formam ſignificat; hoc autem Cælum formam in materia. Si itaque huic particulæ, Cælum, reſpondere formam, & huic particulę, hoc, reſpondere materiam, Ariſtoteles voluit; dubio procul,indiuiduum eſſe hoc, & ſingulare potiſſimùm per materiam,exiſtimauit. Poſtrema elicitur ex eodem libro textibus 93. & 94. vbi docuit,ideo plures Cælos,hoc eſt plures Mundos reperiri non poſſe;quia Mundus hic ex

Prima autoritas. Secunda autoritas. Tertia autoritas. Quarta autoritas. Quinta autoritas. Sexta autoritas.

tota ſua materia conflatus eſt:inferre igitur voluit,ſi plures numero Mundi darentur, fore, vt illi numeralem vnitatem à materia reciperent.

*Thomiſtarum opinio quatuor concluſionibus reijcitur. Prima concluſio.* *Cap. XX.*

COmmuniſſima quidem eſt hęc Thomiſtarum de principio indiuiduationis opinio,eamque,vt diximus,multi viri doctiſſimi,ac præclariſſimi probauerunt;nihilominus, ſi libera,ſolutaque mente ad illam conſiderandam acceſſerimus, ipſamque ad veritatis trutinam expenderimus;eam nullo modo conſiſtere poſſe,quinimmò in multis deficere inueniemus: propterea eius falſitatem diſtinctè,& articulatim oſtendere cupientes, quatuor illam cõcluſionibus reijciemus. Quarum prima ſit hæc; Materia, quatenus materia eſt, indiuiduationis principium eſſe non poteſt. Non eſt directè hæc concluſio contra ſententiam Thomiſtarum; ſed potius contra alios autores,qui eidem aliqua ex parte ſubſcripſerunt: eam tamẽ quatuor

Prima ratio pro prima cõcluſione.

potiſſimùm rationibus firmare libet. Primò, Illud, quod de ſe entitatem incommunicabilem non habet,nihil certè in eſſe incommunicabili conſtituere poteſt:ſed materia, vt materia eſt entitatem de ſe incommunicabilem non habet;ergo materia, vt materia eſt, indiuiduum in eſſe incommunicabili conſtituere non poteſt. Maior propoſitio eſt conſpicua: nulla enim res entitatem alteri,aut vnitatem propriæ entitati,aut vnitati oppoſitam tribuere poteſt: vt albedo non poteſt parieti,aut alteri ſubiecto,nigredinis entitatem tribuere, quæ illi oppoſita eſt. Minor autem probatur:quoniam materia,vt materia eſt,de ratione ſua formali cum pluribus indiuiduis communicabilis eſt:& quemadmodum materia,vniuersè accepta, per ſe ad omnes formas recipiendas indifferens eſt;ita aliqua materiæ portio ſuapte natura cuiuſcunque indiuidui ſubiectum fieri poteſt:eſt enim materia veluti totum quoddam homogeneũ, partes habens,ſeu portiones eiuſdem rationis;atque adeo quicquid de tota materia dicitur,

Secunda rõ.

illud idem de quacunque eius portione verè enunciari poteſt. Præterea, Quicquid eſt de quidditate,intimaque naturæ ſpecificæ ratione,indiuiduationis principium eſſe non poteſt; alioquin natura ſpecifica,vt taliseſt,indiuidua,& vna numero eſſet:ſed materia, vel ſecundum Thomiſtas,eſt de quidditate,intimaque naturæ ſpecificæ ratione: immò etiam ſecundum Ariſtotelem 7. Metaph. tex. 34. vbi Architam commendat, qui rem per materiam, & formam,tanquam per quidditatis partes definiebat:non igitur materia poteſt eſſe principiũ

Tertia ratio. Vide Anto. Trombet in quolibe. Metaph. q. 19. q. in Thomiſtiſiam multis argumẽtis inuehitur.

indiuiduationis. Rurſus, Id,quod rem aliquam in aliqua entitate, atque vnitate primò conſtituit,nullo modo diuiſione,illi entitati,& vnitati oppoſita,diuidi poteſt: rationale enim, quod hominem in vnitate ſpecifica conſtituit,non poteſt diuidi,diuiſione ſpecifica: ſed materia,vt arbitrantur Thomiſtæ,indiuiduum in entitate indiuiduali, atque in vnitate numerali primò conſtituit;ergo materia nullo modo,diuiſione,vnitati numerali oppoſita,diuidi poterit:hoc autem patet,eſſe falſum; videmus enim,materiam in plura numero diſtincta diuidi, & numerari;falſum igitur erit,materiam indiuiduum in indiuiduali entitate conſtituere. Po-

Quarta rõ. Quære Scot. vbi ſupra.

ſtremò, Si materia eſſet principium indiuiduationis,tunc genitum,& diſſolutum idem numero eſſent:ſed conſequens eſt falſum;ergo & antecedens. Probatur conſequentia;quia eademmet numero materia,quæ eſt in re genita,fuit ante in eo,quod interijt;ergo ſi materia vnum numero conſtituit,genitum,& id quod interijt vnum numero erunt. Nec dicat hic aliquis,

Effugium, & proſecutio.

genitum,& diſſolutum eſſe diuerſæ ſpeciei:quoniam contra hoc, idem argumẽtum dirigi poterit,quod ſupra de quantitate adductum eſt. Ponamus enim,ex aqua ignem,& rurſus ex eodem igne aquam fieri;certum eſt,aquam,nuper ex igne genitam,eiuſdem eſſe ſpeciei cum aqua,ex qua ignis genitus eſt:cùm autem eadẽ numero materiæ portio,quæ eſt in hac aqua, fuerit etiam in illa;ſequitur neceſſariò,vt hæc,& illa aqua idem numero ſint;atque ita quod iam interijt,idem numero redibit,quod philoſophis omnibus aduerſatur. Argumẽtum hoc,

Solutio Mercenarij, infra reijcienda.

quod eſt Doctoris ſubtilis,nititur ſoluere Archangelus Mercenarius,præſenti diſputatione, cap. 11. ait enim,probare Scotum,materiam,vt materia eſt,indiuiduationis principium eſſe non poſſe,quod facilè conceditur:ipſe enim cum Thomiſtis tuetur,materiam non nudam,& ſecundum eius ſubſtantiam conſideratam,ſed aliquibus affectionibus præparatam, eſſe principium indiuiduationis:quod an verum ſit,in ſequentibus concluſionibus apparebit.

### *Secunda concluſio.* *Cap. XXI.*

SEcunda concluſio eſt hæc; materia, quantitate affecta, hoc eſt, aggregatum quippiam ex materia, & quantitate, indiuiduationis principium eſſe non poteſt. Hæc concluſio probatur primò ſic; ſi materia, quantitate affecta, eſſet principium indiuiduationis, aut hoc eſſet quantitate interminata, aut quantitate terminata: ſed neutro modo id contingere poteſt, igitur materia, quantitate affecta, non eſt principium indiuiduationis. Probatur minor, & primò, de quantitate interminata perſpicua res eſt: quoniam illa non minus eſt indifferens ad ſingularitatem, quàm ſit ipſa materia, vniuersè ſpectata: quod quidem nomen ipſum indicat interminatæ quantitatis: nam ſi interminata eſt, tantùm abeſt, vt indiuidui, quod terminatũ eſt, principium eſſe poſſit; vt ipſamet potius poteſtatem obtineat, qua terminata fiat. Hoc idẽ modò determinata quantitate probatur: quod.n. indiuiduo aduenit, in ſuo eſſe indiuiduali, iam conſtituto, indiuiduationis principium eſſe non poteſt: ſed quantitas terminata indiuiduo aduenit, in ſuo eſſe indiuiduali iam conſtituto, ergo quantitas terminata non poteſt eſſe principium indiuiduationis. Minor probatur ex ipſiſmet Thomiſtis, qui defendunt, quãtitatem terminatam non in materia quidem prima, ſed in toto compoſito, iam conſtituto, veluti in proximo ſubiecto exiſtere; eámque diſſoluta ſubſtantia, deſtrui; nouam autẽ ad nouæ ſubſtantiæ generationem comparari: quantitas igitur terminata, cùm ponat indiuiduum, iam conſtitutum, aduenit neceſſariò huic formæ ſubſtantiali; atque ita indiuidui principium eſſe non poteſt: niſi quis fortaſse dicat, totum conſtitutum principium ipſum, per quod conſtituitur, antecedere, quod abſurdiſſimum eſt. Rurſus, Thomiſtarum ſententiã, accidentia ſpecifica non fiunt ſingularia, niſi quatenus adueniunt ſingulari ſubiecto, in quo inhærent: ponunt igitur ſingularitatem ſubiecti; ac deinceps quantitas, cùm ſit accidens, indicat, ſubiectum illud, cui aduenit, eſse iam ſingulare, nec illud vllo pacto in tali eſse conſtituit. Sed ponamus etiam, quantitatem terminatam, quemadmodum & omnia accidentia proximè in prima materia recipi; vt nonnullorum fert opinio: tunc ne hoc quidem modo, quantitas terminata poteſt eſse principium indiuiduationis: nam quanuis illa per ſe determinata ſit, quia.ſ. tanta eſt, & non maior, neque minor; nihilominus ad indiuidua indeterminata eſt, ſicut materia ipſa: non enim abſurdum eſt, vt eadem materiæ portio, quæ cum tanta quantitate in hoc indiuiduo fuit, illa ipſa cum eadem quantitate in alio indiuiduo ponatur, atq; ita ſi materia, prout terminata quantitate affecta eſt, indiuiduationis principium diceretur; tunc hoc, & illud indiuiduum vnum numero eſsent, quod concipere nemo poteſt. Sed eſt alia ratio pro eadem concluſione; Si enim materia, terminata quantitate prædita, aliquod vnum numero cõſtitueret, ſequeretur, vt Sortes puer, atque ille ipſe, poſtquam adoleuit, vel conſenuit, idem numero non eſset: ſed conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Conſequentia eſt nota, quia Sortes puer, & ille idem adoleſcens, aut ſeneſcens, eandem terminatam quantitatem non habet. Præterea, Cùm ex Ariſtotele 1. Poſ. prædicamenta impermiſta, atque omnino diuerſa ſint; dubio procul res vnius prædicamenti entitatem, aut vnitatem alterius prædicamenti conferre non poteſt: Sed quantitas eſt prædicamentum, à ſubſtantia diſtinctum; ergo illa non poteſt conferre entitatem, & vnitatẽ numeralem indiuidui de genere ſubſtantiæ, quam in hac noſtra diſputatione inquirimus. Tribuit quidem quantitas entitatem, & vnitatem, vt ita dicam, quantitatiuam; tamen ponit entitatem, & vnitatem, ſubſtantialem. Aliud igitur principium inquirendum eſt, quo ſubſtantia indiuidua, intra ſubſtantiæ prædicamentum, vna numero fiat: nam alia omnia, quæ ſunt extra prædicamentum ſubſtantiæ, vt quantitas, qualitas, locus, & alia id genus accidentia, quanuis in indiuiduo inſint; nihilominus de intima eius ratione non ſunt, ſed illi in eſse indiuiduali, iam conſtituto, accidere dicuntur.

Prima rõ pro ſecunda concluſione.

Quãtitas interminata nõ põt eſſe principium eius, quod terminatum eſt.

Quãtitas terminata ſicut oẽ accidens aduenit indiuiduo iam cõſtituto, ideo non põt eſſe principiũ indiuiduatiõis.

Proderit hic videre diſputationem noſtrã de ſubiecto accidentium.

Secunda rõ.

Tertia ratio.

### *Tertia concluſio.* *Cap. XXII.*

TErtia concluſio, quæ Sancti Thomæ ſententiam adhuc infirmiorem reddit, ea eſt, Materia, vt eſt in proxima potentia ad hanc quantitatem recipiendam, vel vt eſt capax huius quantitatis, & non illius, non eſt principium indiuiduationis. Hanc cõcluſionem Petrus Fonſeca lib. 5. Metaph. cap. 6. q. 4. ſect. 3. dupliciter probat. primò, quia in omni tranſmutatione, materia virtute naturalis agentis, proximam potentiam ad determinatam quantitatẽ

Prima rõ Petri Fõſecæ à tertia concluſione.

acquirit,redditurq; capax ita huius quantitatis, vt non illius: ergo in omni tranſmutatione erit alia,& alia numero materia, ac deinceps eadem materia numero in genito, & diſſoluto

Secunda rō.

corpore non ſeruabitur,quod peripateticæ Philoſophiæ penitus aduerſatur. Secundo,ſi materia,vt ad hanc quantitatem recipiendam parata eſt,numeralis vnitatis principium eſſet,ſequeretur, vt ea ipſa in quacunque tranſmutatione ad nihilum redigeretur,atque iterum procrearetur, Probat conſequentiam;quoniam ipſa nec in aliam materiam abire poteſt, nec ſubiectum aliquod habet,ex quo gigni queat.

Rōnes Petri Fonſecæ pro poſitam con cluſionē non planè confir mant.

Subtilia quidem ſunt hæc Fonſecæ argumenta; tamen probare potius videntur,potentiam ad determinatam quantitatem non eſſe principium indiuiduationis ipſiuſmet materiæ,quam materiam quãtitate ſignatam, eo modo,quo explicatum eſt,non eſſe principium indiuiduationis ſubſtantiæ ſingularis perfectæ, quod eſt precipuum in hac diſputatione quæſitum.

Arg. Caietā. validiſſimū p eadem cõclu ſione.

Ideo validius mihi videtur argumentum Caietani,in Commentarijs primæ partis Summæ S. Thomæ q.29.art.2. quo præcipuè oſtendit, materiam primam per potentiam proximam ad determinatam quantitatem,indiuiduationis principium ſtatui nullo modo poſſe. Argumentatur itaque,tali pacto; Actus,& potentia ad idem prædicamentum pertinent,vt habet Ariſtoteles 10.& 12. Metaph.& Auer.3. Phyſ. vbi diſertis verbis aſſerit, potentiam, ad vnumquodque prædicamentum eſſe in illomet genere,in quo eſt actus ipſe: ſed quantitas eſt in prædicamento accidentis; ergo potentia recipiendi quantitatem erit pariter in prædicamento accidentis: tunc ſubarguit, ſed indiuiduum vnius prædicamenti per aliquid alterius prædicamenti intimè conſtitui non poteſt; ergo materia,vt eſt in potentia ad hanc quantitatem,principium indiuiduationis ſubſtantiarum materialium eſſe non poteſt.

Iauelli rſſio ad arg. Caie.

Chryſoſtomus Iauellus,qui propoſitam concluſionem veram eſſe defendit,lib.5. Metaph.q.15. huic Caietani argu. reſpondet, propoſitionem illam, potentia eſt in eodem genere,in quo eſt actus,quem reſpicit,non eſſe veram,niſi de eo actu intelligatur,quem potentia primo,& per ſe,non autem ſecundo loco reſpicit. Iam vero potẽtia materiæ ad hanc quantitatem, dicitur eſſe ſubſtantia, atque idem re ipſa cum materia prima, quoniam primo,& per ſe hanc, vel illam formam ſubſtantialem reſpicit: quia verò talẽ formam recipere non poteſt, niſi proximam potentiam habeat talem quantitatem recipiendi; hinc fit, vt hanc,vel illam quantitatem ſecundo loco reſpiciat.

Arg. Fonſecę contra rſſio nem Iauelli.

Cæterùm contra hanc reſpõſionem argumentatur Fonſeca;nam etſi potentia paſſiua materiæ ſimpliciter,& abſolutè ad quantitatis prædicamẽtum non reuocatur;reuocatur tamen quatenus paſſiua, atque ad quãtitatem recipiendam accommodata; atque ita Iauelli reſponſio vim argumenti non effugit.

Suarez rſſio ad arg. Fonſecæ.

Franciſcus tamen Suarez in ſuis diſputationibus Metaphyſicalibus,diſput.5.ſect.3. ait,confutationem hanc nullius eſſe momenti:quoniam illa reduplicatio materię,quatenus paſſiua, atque affecta,vel accommodata ad quantitatem recipiendam, non addit potentiam realem ipſi materię,ſed ſolum,ſecundum noſtrum modum loquendi, & concipiendi, illam potentiã explicat,per habitudinem ad terminum ſecundum,qui eſt quantitas,& proptereà non eſt neceſſe, vt ea ratione ad prædicamentum quantitatis pertineat;bonam igitur putauit eſſe reſpõſionem Iauelli.

Arg. Autoris contra rſſio nem Suarez.

Mihi tamen Fõſecæ argumentum aduerſus Iauelli reſponſionem maximũ robur habere videtur;quoniam actus, & potentia in abſtracto (vt dicunt Scholæ) quæcunque illa ſint,ad idem prædicamentum neceſſariò pertinent: id ipſum enim Ariſtoteles & Auer. locis ſuperiùs citatis cenſuerunt: nam potentia ad ſubſtantiam eſt in genere ſubſtantiæ; potentia ad qualitatem in genere qualitatis,potentia ad locum in genere loci,hoc eſt in prædicamento vbi,& ſic de alijs: licet autem ſemper arguere à rebus in abſtracto conſideratis,& prout ſunt in prædicamento,ad eaſdem in concreto acceptas, & quatenus ſunt extra prædicamentum.

Exẽplum ex plicãs modũ arguendi ab abſtractis ad concreta.

Exempli grat. licet ſic arguere, homo in abſtracto eſt animal; ergo homo, vt eſt in Petro,eſt animal: ſimiliter potentia ad albedinem, in abſtracto, eſt in genere qualitatis; ergo eadem potentia, vt eſt in ſuperficie, eſt in genere qualitatis. Sic igitur, ad rem noſtram, potentia ad quantitatem, ſimpliciter,& in abſtracto,eſt in genere quantitatis;ergo eadẽ prout eſt in materia,ſiue illi addat aliquid reale,ſiue non, ſit in genere quantitatis, atque adeò erit accidens,& materia cum illa potentia,indiuiduationis principium eſſe non poterit.

Ratio Autoris pro præ dicta conclu.

Sed quicquid ſit argumentum Fonſecæ, vel reſponſio Iauelli, probo ego, alia ratione præcipua, propoſitam concluſionem: Materia,vt eſt in proxima affectione ad hanc quantitatem,nõ habet hanc quantitatem,ſed ad illam eſt in potentia;ergo ipſa ſic accepta,per ſe indeterminata

eſt;

eſt,ac propterea ſingularis,ſeu determinatæ ſubſtantię principiũ eſse non põt. Reſpondebũt
Thomiſtæ,materiam illis iam affectionibus determinatam eſſe,quibus determinatã quanti- Rñſio Thomiſtarum.
tatẽ reſpiciat. Contra,illæ affectiones ſunt qualitates,& accidẽtia;ergo ſi materia,ſic accepta, Confutatio.
eſt principiũ indiuiduationis, tunc aggregatum ex ſubiecto, & accidente eſſet principiũ indi
uiduationis,quæ fuit ſecunda concluſio,ſuperiùs ſatis cõmodè reprobata. Deinde,cùm ait Ia Alia ratio.
uellus,materiam potentiam habere,quæ quantitatem,tanquam ſecundum terminum,reſpi-
ciat;quia talem formam recipere non poteſt, niſi priùs ad talem quantitatem recipiendam
accommodata ſit;hoc,eius pace dixerim,valde abſurdum mihi videtur:quoniam cùm poten
tia materiæ,per eundem Iauellum,ſubſtantialem formam,tanquam primum terminum reſ-
piciat,quam poſtea quantitas,ſicut omne accidens,ſuapte natura cõſequitur; videtur potius
materia talem quantitatem recipere non poſſe,niſi priùs talem formam ſubſtantialem reci-
piat,quàm oppoſito modo:potius igitur materia,ſubſtantiali forma,quàm eadem,quantita-
te ſignata,indiuiduationis principium dici deberet. Probo hanc conſequentiam; quia quan-
titas aduenit huic formæ ſubſtantiali;igitur ſaltem in primo ſigno naturæ,ſubſtantiale indi-
uiduum,iam conſtitutum,ante ſe ponit.

*Quarta concluſio.* *Cap. XXIII.*

QVarta concluſio,quæ Thomiſtarum,ac potiſſimùm Caietani ſententiam penitus euer-
tit, eſt huiuſmodi; Materia, vt virtute quantitatem continet, vel, vt eſt fundamen-
tum, radix, & origo certæ, ac determinatæ quantitatis, non eſt principium indiuiduatio- Rõ Franciſci
nis. Hanc ſic probat Franciſcus Suarez: materia virtute quantitatem non continet, ni- Suarez p 4.
ſi quia virtute formam continet, quam quantitas ipſa conſequitur; ergo priùs materia concluſione.
eſt fundamentum, radix, & origo huius formæ, quàm huius quantitatis; atque ita po-
tius materia, vt virtute continet formam, quàm vt virtute continet quantitatem, indiui-
duationis principium dicenda eſt. Sed præterea pro eadem concluſione ſic argui mihi poſ- Rõ Autoris.
ſe videtur:principium indiuiduationis eſt illud idem,quo eiuſdem ſpeciei indiuidua inuicem
diſtinguuntur: fingamus nunc duo indiuidua in humana ſpecie, ſintque Socrates, & Plato:
indiuidua hæc ſubſtantialia ſunt;remoueamus igitur quantitatem,colorem,figuram,locum,
& accidentia omnia;immò etiam exiſtentiam ipſam, quæ, vt ſupra explicatum eſt,eſſentiæ
accidere dicitur; conſideremuſque hæc duo indiuidua, quatenus ſunt duæ partes, humanæ
ſpeciei,in genere ſubſtantiæ;ſubiectæ,quæramuſque nũc, quid eſt illud, quo hæc duo indiui-
dua,ſic conſiderata,inuicem diſtinguuntur? Ait Caietanus, eſſe materiã, vt virtute continet
quantitatem. Contra,aut de quantitate interminata loquitur, aut de quantitate terminata:
de interminata quidem loqui non poteſt; quia illa,ſecundum Ariſtotelem,ſimul cum mate
ria æterna eſt,atque adeò materia illam virtute continere non dicitur;ſed potius eam re ipſa
poſſidet,quæcunque illa ſit:loquitur ergo de quantitate terminata,quam virtute materia cõ
tinet,quatenus intima Socratis,aut Platonis pars futura eſt. Tunc ita argumentor; In ſubſtã
tia materiæ ineſt potentia ad recipiendam quantitatem æqualem;tàm prout pars Socratis,
quàm prout pars Platonis futura eſt(fieri enim poteſt,vt Socrates,& Plato ſint eiuſdem quã
titatis)ergo materia,vt virtute certam,ac determinatam quantitatem continet, principium Rñſio p Caietano.
eſſe non poteſt,quo vnum indiuiduum ab altero diſtinguatur. Reſpõdebit Caietanus, tamet
ſi fieri poteſt,vt Socratis,& Platonis quãtitates æquales ſint; nihilominus materia indiuidua
tionis principium non dicitur,quatenus virtute tantam quantitatem;ſed quatenus hanc, &
non illam quantitatem continet,puta quantitatem Socratis, & non Platonis, vel oppoſito Confutatio.
modo. Sed contra,quæro enim,quid illud ſit,quo quantitas Socratis,quæ eſt quantitas hæc,
diſtinguatur à quantitate Platonis? Aut quo hæc eadem quantitas in eſſe ſingularitatis con
ſtituatur? Nam ſi materia eſt principium indiuiduationis, quatenus virtute continet quanti
tatem hanc;ergo ponitur quantitas iam ſingularis;eius igitur ſingularitatis principium quæ
rendum eſt. Et certè,cùm quantitas formam conſequatur, nihil aliud arbitror reſpõderi poſ
ſe,niſi quantitatem hanc ideo ſingularem eſſe,quia conſequitur formam hanc,quæ ſingula-
ris eſt. Sed iterum quærendum erit,quo nam forma hæc in eſſe ſingularitatis conſtituatur?
Si dicatur,quia eſt in hac materia,ſiue in hac portione materię;nondum erit ſoluta quęſtio;
quia iterum quæretur,quod nam ſit principium ſingularitatis huius portionis materiæ? Ea

igitur omnia, quæ à Thomiſtis de indiuiduationis principio dicta ſunt, lepidè potius explicata, quàm aliqua ratione munita, aut aliquo fundamento firmata eſſe videntur. Et fortaſſe Caietanus, libello de Ente, & eſſentia, loco ſuperius citato, veritate tandem coactus, ne accidens aliquod, aut aggregatum quippiam ex ſubiecto, & accidente, indiuiduationis principiū ſtatueret; principium hoc nil aliud eſſe aſſeruit, niſi interiorem quendam gradum, a materia tamen ſignata, tanquam à priori cauſa, fluentem: & ferè ad opinionem Scoti accedere. viſus eſt, quam explicabimus infra.

Caiet. lib. de ente, & eſſentia ad Scoti opin. acceſſiſſe viſus eſt.

*Rationes, ſuperius pro ſententia Thomiſtarum propoſita diluuntur.* *Cap. XXIV.*

REprobata iam ſatis S. Thom. & ſectatorum opinione, nunc reliquum eſt, vt rationes, & Ariſt. autoritates, quibus probatum eſt, materiam, aut ſolam, aut quantitate ſignatam, eſſe principium indiuiduationis, diluamus. Ad primam igitur rationem reſpondendum eſt, ſicut vniuerſale, & ſingulare oppoſita ſunt; ita principium, ſingulare conſtituens, principio, vniuerſale conſtituenti, opponi debere. Iam verò, ex Ariſt. loco ab aduerſarijs citato, principium, vniuerſale conſtituens, eſt forma, non quidem partis, ſed totius (qui enim dicit Cælū, ait Ariſtoteles, dicit formam, hoc eſt naturam, & eſſentiam cæli) principium itaque ſingulare conſtituens, erit materia: non quidem partis, quæ eſt materia, quãtitate ſignata; ſed totius, quæ eſt indiuidualis proprietas, vt paulò infra planum fiet. Ad ſecundam, conceſſa maiore. diſtinguenda eſt minor: deſignatas enim materiæ portiones eſſe principia multiplicationis indiuiduorum, ſub eadem ſpecie, dupliciter intelligi poteſt, vel in eſſe phyſico, vel in eſſe metaphyſico: concedimus quidem, deſignatas materiæ portiones eſſe principia multiplicationis indiuiduorum, in eſſe phyſico: quot enim ſunt deſignatæ materiæ portiones, totidem ſunt indiuidua, in eſſe phyſico conſtituta: negamus tamen, deſignatas materiæ portiones eſſe principia multiplicationis indiuiduorum, in eſſe Metaphyſico, de qua quidem multiplicatione modò diſſerimus. Etenim indiuiduum phyſicè conſtitutum, præter ſignatam materiã, aliud quippiam habet, quo intimè ab alio indiuiduo disiungitur: quinimmò quælibet etiam deſignata materiæ portio, ſingularis cum ſit, habet aliquid, quo ſingularis reddita eſt; ac proinde indiuiduationis principium eſſe non poteſt. Ad tertiam neganda eſt minor. Ad probationem, cõcedimus, certa, ac determinata quantitate vnum indiuiduum ab altero diſtingui: illa enim ſignum euidentiſſimum eſt vnius indiuidui ab altero diſtinctionis: negamus tamen, quantitate determinata indiuidua primo diſtingui: nam etiam latrabilitas eſt id, quo canis diſtinguitur à lupo, hoc eſt, latrabilitas in cane eſt accidẽs quoddam, quo nos cognoſcimus, ipſum eſſe diſtinctum à lupo: non tamẽ eſt principium illud, quo primò canis diſtinguitur à lupo: ſiquidem principium illud eſt eius differentia ſpecifica, quam nos ignoramus. Eadem igitur ratione, certa, & determinata quantitas diſtinctionem nobis vnius indiuidui ab altero circunſcribit: nihilominus illa indiuidua aliud interius principiũ habẽt, quo primò inuicem diſtinguũtur; & illud principium eſt eorum indiuidualis proprietas, vel differentia. Ad quartã, neganda eſt minor. Ad probationem, concedimus, materiã, vt hanc reſpicit quantitatem, huius indiuidui propriam fieri, ac deinceps per ſe incõmunicabilem eſſe: negamus tamen, eidem primò incommunicabilitatem competere: longe, n. differunt, aliquid eſſe incommunicabile per ſe, & aliquid eſſe incommunicabile primo: materia, vt reſpicit hanc quantitatem, iam eſt hæc, & ſingularis, atque adeò per ſe incommunicabilis; tamen non eſt incommunicabilis primò; aliquid enim intus continet, quo incommunicabilis facta eſt, & illud ipſum per ſe, & primò incommmunicabile eſt, vt ex ſuperius declaratis elici facilè poteſt. Cùm verò probant Thomiſtæ, materiam ſignatam incommunicabilem primò eſſe, quia ſi à ſingulari ſubſtantia alia omnia, præter ipſam, remoueamus, nihil omnino remanebit, quo eadem incommunicabilis reddi poſſit. Reſpondẽdum eſt, ſi à ſingulari ſubſtantia materia ſignata re ipſa remoueatur, tunc ſtatim illa ſubſtantia diſſoluetur, nec vllum amplius principium quærendum erit, quo incommunicabilis ipſa fiat. At verò ſi à ſingulari ſubſtantia ſola cogitatione materiam ſignatam amoueas, tunc in eadem ſubſtantia adhuc re ipſa interior quidam gradus reperietur, quo ipſa incommunicabilis redditur: ille autem gradus eſt indiuidualis proprietas, vel differentia, quam infra, in explicatione veræ ſententiæ, aperiemus.

Rñſio ad primã rationẽ.

Ad ſecũdam rationem.

Ad tertiam rationem.

Ad quartam rationem.

Quære ſupra cap. 5.

*Solutio prima Ariſtotelis autoritatis.* Cap. XXV.

QVod verò attinet ad Ariſtotelis autoritates. Ad primam, ſumptam ex 5. Metaph. text.
12. quæ maximi momenti eſt, & mirum in modum Thomiſtarum ſententiæ fauere vi-
detur, variæ ſunt reſponſiones. Iacobus Zabarella, libro de indiuidui conſtitutione, cap. 10.
ait, Ariſt. eo loco æquatam ſingularis rationem non expreſſiſse, cùm dixit, illa vnum nume-
ro eſse, quorũ materia eſt vna; ſed ſolũ propriã numericę vnitatis conditionẽ, vt à ſpeciei vni
tate diſtinguit, ſignificaſse. Etenim, quia forma principiũ eſt vnitatis ſpecificę, & illa eadem,
ſecundum Zabarellam, eſt principium vnitatis numericæ; ideo Ariſt. ne ſpecificam vnitatẽ
cum numerali confunderet, neve errandi occaſionem præberet, conditionem illam expreſ-
ſit, quam forma, vt ſingulare, & vnum numero conſtituat, expoſcit. Iam verò forma hoc ali-
quid, ſeu vnum numero conſtituere non poteſt, niſi re ipſa exiſtat: neque re ipſa exiſtere po-
teſt, niſi cum materia coniuncta ſit; & propterea Ariſt. vt formam, cum materia coniunctam,
indiuiduarionis principium eſſe ſignificaret, dixit, illa vnum numero eſſe, quorum materia
eſt vna. Non dixit autem, quorum forma eſt vna, vt numericam vnitatem à ſpecifica vnita-
te diſtingueret, cuius principium eſt ſola forma, quatenus forma eſt. Hæc eadem videtur fuiſ
ſe reſponſio doctiſſimi viri Franciſci Piccol. li. 3. de Materia cap. 18. Sed ante ipſum Ioannis
Bachonis, lib. 3. Sent. d. 12. cuius doctrinam Iacobus Zabarella multis in locis amplexatus
eſt. Tuetur enim Ioannes Bachonus, vt paulò infra videbimus, formam eſſe principium in-
diuiduationis: & ad allatam Ariſtotelis autoritatem reſpondet, materiæ nomine non illam
Ariſtotelem intellexiſſe, quæ formæ ſubijcitur; ſed totum potius, ex materia, & forma cõcre-
tum, & illud quidem re ipſa exiſtens, quod ab eo frequenter materia ſenſilis appellari conſue
uit. Verùm huiuſmodi reſpõſio in duobus potiſſimùm deficere mihi videtur. Primùm, quia
cùm nos de indiuiduationis principio diſſerimus, non quærimus, quod nam ſit principium,
quo indiuiduum exiſtit (ab eo enim exiſtentiam ſaltem cogitatione ſeiungimus, vt ſupra ani
maduertimus) ſed, cùm indiuiduum quoque, veluti ſpeciei pars intra prædicamentum con-
tineatur, quærimus, quodnam ſit principium illud, quod indiuiduum intra prædicamenti li-
mites in metaphyſico eſſe conſtituit? Deinde cùm aſſerit Zabarella, ex Ariſtotelis opinio-
ne, formam, quatenus forma eſt, ſpecificæ vnitatis principium eſſe; aut ego vehementer er-
ro, aut alia eſt eius loci interpretatio: non enim ibi Ariſt. docuit, formam, quæ eſt altera com-
poſiti pars, quatenus talis eſt, ſpecificæ vnitatis principium eſſe; ſed docuit, formam pro quid
ditate acceptam, eiuſdem vnitatis eſſe principium: ſic enim habet, *Specie verò, quorum ratio
vna.* Nomine autem rationis non formam partis, ſed formam totius, quæ eſt ipſa quidditas,
intellexit. Itaque omnes homines vnum ſpecie dicuntur, non quia eorum anima, quæ eſt for-
ma partis, vna ſit; ſed quia omnes in humanitate conueniunt, quæ eſt forma totius: vel quia
vna ratio, ſeu definitio, quidditatem exprimens, eſt illis communis. Longe igitur melius Sco
tus, cùm lib. 5. Metaph. com. 12. tùm lib. 2. Sent. d. 3. q. 6. prope finem, illam Ariſt. autoritatẽ
explicauit: vbi ait, Ariſt. nomine materiæ, non materiam quidem partis, quæ eſt altera com-
poſiti pars, ſed materiam totius, quæ reſpondet formæ totius, quęque eſt indiuidualis pro-
prietas, ſeu ipſummet, quod quærimus, indiuiduationis principium, intellexiſſe. Etenim for-
ma totius eſt ipſa quidditas, quæ cum pluribus communicabilis eſt, atque adeo formæ no-
men ſortitur: materia verò totius eſt indiuidualis proprietas, quæ ſit veluti quidditatis ſubie-
ctum, ipſamque incommunicabilem reddit, quatenus eam ad eſſe ſingulare deducit; hincque
fit, vt materiæ nomen ſibi vendicet. Cùm igitur ait Ariſt. illa vnum numero eſſe, quorum ma
teria eſt vna, illius propoſitionis ſenſus eſt, quorum proprietas indiuidualis, quæ, ad quiddita
tem, materiæ rationem habet, vna eſt. Hæc Scoti reſponſio, quæ tamen infra in eius ſenten-
tiæ explicatione planiùs aperietur. Petrus Fonſeca lib. 5. Metaph. cap. 6. q. 5. ſect. 4. aliam
attulit ſolutionem, quæ non longè, opinor, à veritate abeſt: ait enim, Ariſt. ibi materiæ voca-
bulum pro materia quidem ſignata, ſeu quanta accepiſse; non ita tamen, vt materia illa pri-
mum eſse indiuiduationis principium ſignificetur, adeo vt in aliud principium abire nõ poſ-
ſit: ſed ita, vt principium phyſicum ſit, ac re ipſa indiuiduum componens. His addi poteſt,
Ariſt. rectè dixiſse, illa vnum numero eſse, quorum materia eſt vna; ac proinde ſi ea verba re
ctè perpendantur, nunquam ex eis elicere poterimus, materiam primam vnitatis, & indiui-

Solutio Iacobi Zabar.

Quære Piccolo lib 3. de materia, cap. 18. vbi alias etiam ſolutiones affert.

Eadẽ fuit ſolutio Ioannis Bacconi.

Prædictæ ſolutionis confutatio.

Quo intelligendum ſit, formã principiũ eſſe vnitatis ſpecificæ.

Solutio Scoti.

Solutio Petri Fonſecæ.

Solutio Autoris.

duationis radicem eſſe;ſed adhuc principium illud quærendum eſſe, quo materia vna, ſingulariſque reddatur; quaſi indiuiduum ipſum materiam iam vnam,& ſingularem ponat,ipſam que illam euidentiſſimum argumentum eſſe,quo intelligere poſſumus,illud,cuius ipſa reapſe pars eſt,hoc aliquid,& vnum numero eſse. Ex his igitur manifeſtum iam eſt, longè illos à veritate aberraſse, qui ex citato Ariſtotelis loco, indiuiduationis principium eſse materiam elicuerunt.

### *Solutio ſecunda autoritatis. Cap. XXVI.*

Solutio Scotiſtarum.

AD ſecundam autoritatem, ſumptam ex 28.contextu libri 7.Metaph. ſunt etiam qui variè reſpondeant. Scotiſtæ aiunt, Ariſtoteli in eo tex,non de materia, quæ eſt altera compoſiti pars,ſed de materia totius,quæ eſt proprietas indiuidualis,ſermonem eſse;& propterea facilè admittunt,indiuidua ejuſmodi materia per ſe primò diſtingui, quæ tamen non illa eſt,quam arbitrantur Thomiſtæ:

Solutio Zabarellæ.

Zabarella aliter reſpondet,aitque, non eſse Ariſtotelis conſilium eo loco,primariam rationem diſtinctionis exprimere, qua Socrates diſtinguitur à Callia:ſed in animo ſolùm habuiſse,rationem diſtinctionis indiuiduorum afferre, quę ab eorundem cõuenientiæ ratione,diuerſa ſit. Et quoniam ibidem docuit,indiuidua ſpecie, & forma conuenire;ideo dicere nulla ratione debuit, eadem ſpecie,ſeu forma differre: ſed ſenſilem materiam adiecit,quæ,formæ interuentu,extra animam exiſtit,atque ſimul conditio eſt,ſine qua forma non exiſteret. Forma igitur ea eſt,quæ,cum materia exiſtens, hunc hominem ab illo ſeiungit,eſtque verum principium indiuiduationis. Hæc Zabarella: & eadem ferè apud Piccolomineum reperiuntur,amborum enim hac de re vnus,& idem ſenſus fuit.

Solutio Autoris.

Qualeſcumque autem ſint huiuſmodi ſolutiones, veram illius loci interpretationem hanc eſse putarim. Diſputabat ibi Ariſtoteles contra Platonem,qui ſeparatas formas, in genere cauſæ exẽplaris,ad rerum generationes neceſſarias eſse exiſtimauit, quo.ſ.generans rem ſibi ſimilem generaret.

Explicatio tex.28.lib.7. Metaph.

Reijcit Ariſtoteles hanc opinionem: quoniam id,quod genitum eſt, non eſt quale quid,ſed hoc aliquid,nimirum indiuiduum,habens formam in materia exiſtentem, atq; ſe ipſa cum eadem coniunctam;ac propterea ſi generans,& genitum ſimilia eſse debent, opus eſt,vt ipſum quoque generans hoc aliquid ſit,ſeu indiuiduum,ex materia, & forma conflatum. Iam verò ſi hoc ad generationẽ ſatis eſt;nulla certè neceſſitas eſse vr̃,cur ſeparatas illas formas,quas ideas Plato vocauit,ſtatuamus. Nũc ad rẽ.

Generans,& genitum debent forma, ſeu ſpecie cõuenire.

Generans,& genitũ,ait Ariſ. forma, ſeu ſpecie conueniunt,materia verò differũt. Negare nemo põt,Ariſ. ibi de materia phyſica, quæ eſt altera compoſiti pars,ſermonem habere;nulla tñ apparet neceſſitas concludẽdi,eam ipſam materiam indiuiduationis principium eſſe,aut primam radicem,qua vnum indiuiduũ ab altero diſtinguitur:ſed potius,vt ſupra diximus,eſſe argumentum euidentiſſimum,quo cõijcere poſſumus,vnum indiuiduum ab altero diſtinctum eſſe.

Materia ſignata eſt veluti ſignum,& argm,quo cognoſcimus vniuerſale indiuiduũ ab altero diſtictũ eſſe;non tñ ẽ verum indiuiduationis principium.

Ratio eſt hæc, quoniam dum generans in actum generationis erumpit;tunc formam edit,materiamque perficit, nõ ſuam quidem,quia iam illa propria forma perfecta eſt;ſed alterius,ſupple rei genitæ. Ideo ait Ariſtoteles,totam formam in hiſce carnibus,& hiſce oſſibus,iam eſſe Socratem,aut Calliam:ac ſi dixiſſet,formam,vnà cum hac materia,indiuiduum phyſicè componere;latere tamen in indiuidui ſubſtantia principium illud,quo ipſum metaphyſicè conſtituitur. Et propterea ſi verum indiuiduationis principium inuenire volumus, opus eſt, vt inueſtigemus, quodnam ſit principium harum carnium,& horũ oſſium,hoc eſt,à quo nam primò ipſa materia fiat hæc, ſingulariſque reddatur.

### *Solutio tertia,& quartæ autoritatis. Cap. XXVII.*

Explanatio tex.35.lib.7. Metaph.

AD tertiam autoritatem,ſumptam ex 7.Metaph.tex.35.ſi locum illum animo diligenter luſtremus,inueniemus,ibi Ariſtotelem inter vniuerſale compoſitum, cuiuſmodi eſt homo,aut equus,& particulare,cuiuſmodi eſt hic homo,vel hic equus, diſcrimen ſtatuere.

1 etiã de Part.anim. c.1. in extremo, pro forma ſubſtantiam accepit.

Homo vniuerſale quoddam eſt:in pluribus enim re ipſa ſubſiſtit;tamen homo non eſt ſubſtãtia,ait Ariſt:hoc eſt forma tantùm(nomine enim ſubſtantiæ eo loco formam intellexit) ſed eſt quid,ex forma,& materia,hoc eſt,ex anima, & corpore concretum: non ex quacunque quidem anima,& ex quocunque corpore(non enim ex anima,& corpore equi) ſed ex determinata anima,& determinato corpore. At verò hic homo nõ ex determinata ſolùm anima,

& ex determinato corpore, puta ex anima, & corpore hominis; ſed præterea ex hac anima, & ex hoc corpore, tanquam ex forma, & materia cõflatus eſt. Hæc ſunt, quæ in eo textu innuit, & in ijs potiſſimùm verbis Ariſt. docuit. Ex quibus tamen nullo pacto ſignatam materiã eſſe principium indiuiduationis, elici poſſe comperio; quoniam, tametſi materia ſignata vnà cum ſibi reſpondente forma, principium eſt, quo indiuiduum phyſicè conſtituitur; illud tamen indiuiduationis principium non eſt, quod nos in præſenti diſputatione veſtigamus. Enimuerò vt materia, & forma, quatenus abſolutè principia ſunt, ſaltem natura compoſito priora dicuntur; ita hæc materia, & hęc forma, quatenus talia ſunt naturæ pariter ordine, hoc compoſitum antecedunt; habent igitur aliquid in ſeſe, quo talia dicuntur, ſingulariaque facta ſunt, ac proinde illud pro vero indiuiduationis principio ſtatuendum erit.

Materia ſignata ẽ principium, quo indiuiduum phyſicè, non quo metaphyſicè conſtituitur.

Ad quartam autoritatem, erutam ex 12. Metaph. tex. 49. quicquid dicat Petrus Fonſeca, arbitror cum Scotiſtis, Ariſt. in eo tex. non de materia phyſica, ſed de materia quadam metaphyſica, quæ indiuidualis proprietas dicitur, ſermonem habere; quod palam omnibus fiet, ſi breuiter illius cõtextus explanationem afferemus. Vult igitur ibi Ariſt. primi motoris vnitatem oſtendere, vtiturque huiuſmodi ratiocinatione; ſi plures eſſent Cęli, hoc eſt plures Mundi, vel plures primi Coeli; tunc neceſſariò plures primi motores darentur, qui non ſecus ac plures homines, ratione, ſeu ſpecie conuenirent. Quæcunq; autem ſub eadẽ ſpecie plura numero ſunt, vt forma cõueniunt, ita materia differunt: at qui primus motor materiam nullam habet, cùm ſimpliciſſimus ſit; nullam igitur formam habebit, qua cum alijs primis motoribus conuenire poſſit; atque adeò vnus tantùm numero erit. Hæc eſt Ariſtot. ratiocinatio. De materia itaque in eo textu Ariſt. loquitur, ſed ex ratiocinatione eius elicere poſſumus, illum diſertè de ea materia ſermonem habere, quæ illi formæ opponitur, quæ plura diſtincta numero conuenire dicuntur: eã autem forma, vt ſupra explicauimus, non eſt forma partis, ſed totius; igitur materia, qua plura numero diſtincta differunt, non erit materia partis, ſed totius; ea enim eſt, quæ vim habet contrahendi naturam communem ad eſſe hoc. Si itàque ea, quæ ſub eadem ſpecie plura numero ſunt, hanc materiam totius neceſſariò continent; dubio procul primus motor, qui ſimpliciſſimus eſt, naturamque habet, quæ nulla re ad eſſe ſingulare contrahi poteſt, hac materia totius omninò carebit; & propterea vnus tantum numero, per ſe hic, & ſingularis eſt, vt rectè citato loco Ariſt. concludit.

Reſpõſio ad quartã Ariſt. autoritatem.

Explan. tex. 49 li. 12. Metaph.

Quæcunque forma conueniunt, materia differunt, de quanã materia propria intelligenda ſit.

## *Solutio quinta, & ſexta autoritatis.* *Cap. XXVIII.*

AD quintam autoritatem, ſumptam ex 92. contextu primi libri de Cœlo, facilis eſt reſponſio: fauet enim mirum in modum illi ſententiæ, quam nos infra defenſuri ſumus. Perſpicua res eſt, Ariſt. in corporibus cæleſtibus nullam materiam phyſicam poſuiſſe, ex qua vnà cum forma naturale compoſitum coaleſcit; ſed ſolùm materiam, quæ eſt ſubiectum motus, quam Scholæ vocant materiam ad vbi, vt ex contextu 12. libri octaui Metaph. apertiſſimè elicitur, & nos etiam planiſſimè in alia diſputatione ex eodemmet Ariſt. demonſtrauimus. Id cùm ita ſe habeat, manifeſtum eſt, Ariſt. in citato contex. 92. primi libri de Cœlo, de materia partis, quę indiuiduum phyſicè conſtituit, loqui non potuiſſe; ſed de materia totius, quæ reſpondet formæ totius, quæque indiuiduum metaphyſicè conſtituit, omninò diſſeruiſſe. Cæterùm ne nos temerè hæc dixiſſe videri poſſimus, illius quoque contextus explanationem hic paucis afferemus.

In corporib. cæleſtibus ex ſnia Ariſtot. nulla alia eſt ponenda materia, niſi loco mobilis. Quære diſp. decę ſeſti ſubſtantia.

Ariſt. itaque in eo contextu conſilium, & inſtitutum eſt, docere, in quocunque ſingulari, eſſentiam ab exiſtentia diſtinctam, reperiri: aliud enim, inquit, eſt forma, hoc eſt, eſſentia, abſolutè conſiderata; & aliud eſt forma in materia, hoc eſt, eadem eſſentia, per aliquam indiuidualem differentiam, ad exiſtentiam contracta; Quod vt rectiùs intelligatur, explicat exẽplis: aliud, inquit, eſt ſphęra, hoc eſt, eſſentia, quidditas, vel quod quid erat eſſe ſphęræ: aliud eſt ſphæra ænea, hoc eſt eſſentia ſphærę, iam in aliquo ſingulari ad exiſtentiam determinata. Sic etiam, aliud eſt circulus, ideſt eſſentia, & quod quid erat eſſe circuli: aliud eſt circulus aureus, hoc eſt, eadem circuli eſſentia, per aliquam indiuidualem differentiam, ad ſingulare aliquod, iam exiſtens, deducta. Cùm itaque Cęlum (accipiendo ipſum pro toto, ex omnibus cæleſtibus orbibus aggregato) ſenſibile quoddam, ſingulareque ſit, in ipſo quoque eſſentiam ab exiſtentia diſcernere poterimus: qui enim dicit Cęlum, dicit formã tantùm, hoc eſt naturam, eſſentiam, quidditatem, ſeu quod quid erat eſſe Cęli, vel (vt ita lo-

Explan contex. 92. lib. 1. de cęlo.

Quo Ariſto. in ſingulari exiſtente eſſentiã ab exiſtentia diſtinxerit

Diſcrimen, quam ſtatuit Ariſt. inter cælum, & hoc cælũ, quo intelligenda ſit.

quar)

quar)cælitatem ipſam:neſcirem enim, aptiore vocabulo, naturam, & eſſentiam cæli, ab exiſtentia ſeiunctam, exprimere. Qui verò dicit hoc cælum, dicit formam in materia, hoc eſt, eſſentiam, & naturam cæli, iam per indiuidualem differentiam ad eſſe ſingulare exiſtens contractam, atque deductam: vt enim formæ nomine, non formam aliquam partis, ſed totius intellexit; ita nomine materiæ, non materiam aliquam partis, ſed totius intelligere debuit. Sed videamus, an ſubtiles hæ contemplationes faciliore aliquo exemplo declarari poſſint. Qui dicit hominem, dicit formam; non animam, quę eſt forma partis; ſed eſſentiam, naturã, & quidditatem hominis, hoc eſt, humanitatem ipſam, quæ eſt forma totius. Qui verò dicit hunc hominem, dicit formam in materia; non animam in corpore, ſed eſſentiam hominis, hoc eſt, humanitatem ipſam, in aliquo ſingulari exiſtentem. Iam verò vt exiſtentia eſſentiæ accidere quodammodo dicitur; ita ſingulari exiſtenti, ſeu naturæ, atque eſſentiæ, iam per principium indiuiduationis ad eſſe ſingulare deductæ, quodammodo accidit, vt in phyſica materia, vel extra phyſicam materiam ſit: non enim neceſſe eſt, vt quotieſcunque alicuius rei quidditas in aliquo ſingulari ad exiſtentiam deducitur, illa ſtatim in phyſica materia ſit. Etenim (quicquid alij ſentiant) qui dicit Intelligentiam, dicit naturam, atque eſſentiam Intelligentię: qui dicit hanc Intelligentiam, vt ex. gra. Intelligentiam, Saturni Orbi applicatam, dicit naturam Intelligentiæ, ad ſingulare aliquod exiſtens, contractam, cui tamen nulla phyſica materia accidit: conſtat enim, Intelligentias omnes phyſicæ materię expertes eſſe. At verò qui dicit hũc hominem, hunc lapidem, vel hoc lignum, dicit eſſentiam, in ſingulari aliquo ad exiſtentiã contractam, cui materia phyſica accidit: homo enim, lapis, lignum, & id genus alia ſunt ſubſtantiæ corporeæ, ex phyſica materia, atque forma concretæ. Hinc multorum error elicitur, qui ex Ariſtotelis ſententia exiſtimarunt, nullam ſubſtantiæ ſpeciem, non modò indiuidua multa, ſed ne vnum quidem ſub ſe indiuiduum habere poſſe, niſi materiã obtineat, idque de materia phyſica intelligendum eſſe dixerunt. Quod tamen Ariſtoteli penitus aduerſatur: quoniam Sol, cæteraque cæleſtia ſidera, vnica in ſuis ſpeciebus ſingularia ſunt; & nihilominus materiam phyſicam nullam habent, vt alibi probauimus. Humanæ quoque animæ ſunt plura ſingularia, ſub vna eſſentia, & quidditate contentæ; & tamen phyſica materia prorſus carent. Quod autem ijs verbis docere Ariſtoteles voluit, quodque fortaſſe nõ ita omnibus perſpectum fuit, eſt hoc; non modò plura indiuidua, ſed ne vnum quidem indiuiduum ſub aliqua eſſentia contineri poſſe, niſi materia, quæ eſt indiuiduationis principium præſto adſit: vbi hæc adeſt, etiamſi vnum tantùm ſingulare ſit, in eo ipſo eſſentiæ, atque exiſtentiæ diſcrimẽ inueniri poteſt: ita enim in citato contextu Ariſtoteles ſcribit, *Si ſolus vnus ſumatur circulus nihilominus aliud erit eſſe circulo, & huic circulo, & illud forma, hoc autẽ forma in materia, & eorum, quæ ſingularia ſunt.* Vbi perſpicuum eſt, quoniam circuli eſſentia, quæ eſt forma, per aliquam differentiam indiuidualem, quæ appellatur materia, ad eſſe ſingulare contrahi poteſt; idcirco etiamſi vnus tantùm circulus eſſet; in eo nihilominus eſſentiæ ab exiſtentia diſcrimen inueniri poſſe: quod quidem diſcrimen (ſi Deũ Opt. Max. excipias, qui, vt diximus, per ſe eſt hic) in rebus omnibus reperitur. Ad vltimam autoritatem, erutam ex contextibus 93. & 94. primi lib. de Cælo, reſpondendum eſt, perperam inde elici, materiam indiuiduationis, numeralíſque vnitatis principium eſſe; cùm potius elici poſſe videatur, eandem, quantitate tamen ſignatam, phyſicum eſſe principium multitudinis numeralis. Etenim vnus tantũ numero Mundus eſt, ait Ariſtoteles; quoniam tota materia, ex qua aptus eſt fieri Mundus, in hoc vno Mundo continetur. Forma Mundi ſuapte natura cum pluribus communicabilis eſt; ideo ſi extra cælum idonea reperiretur materia, ex qua Mundus fieri poſſet, tunc ex ipſa, vel alter, vel plures Mundi conficerentur. Verũ fac, plures Mundos ex pluribus materię portionibus ędificatos eſſe, tunc ſignatæ illæ materiæ portiones eſſent quidem cauſæ pluralitatis mundorum, atque etiam principia, Mundos phyſicè conſtituentia, tamen non eſſent principia prima, quibus plures illi Mundi inuicem diſtinguerentur, neque etiam quibus iidem in eſſe ſingulari, & metaphyſico conſtituerentur. Nunc autem vnus tantùm numero Mũdus eſt; quia deeſt materia, ex qua alter confici poſſit, & cùm vnus tantùm ſit, non eget principio, quo ab altero diſtinguatur: quamuis eo ipſo principio, quo in eſſe ſingularitatis ſtatuitur, ab alijs quoque Mundis, ſi in rerum natura eſſent, diſtingueretur. Itaque materia principiũ eſt, Mundum in eſſe phyſico (vt ita dicam) poſitiuè, in eſſe autem metaphyſico, negatiuè conſti-

Facili exẽplo diſcrimen inter eſſẽtiam, & exiſtentiã explicatur.

Non eſt neceſſe, vt omne ſingulare exiſtens habeat materiã phyſicã, ſed ſat eſt ſi habeat materiã metaphyſicã.

In abſtractis à materia plura poſſunt indiuidua ſub eadem ſpecie reperiri.

Vide Scot in 2 d. 3. q. 7. q diſputat contra S. Tho.

Hic elice materiã nõ phyſicam, ſed metaphyſicã eſſe principiũ indiuiduationis.

In Deo eſſentia, & exiſtẽtia vnum, & idem ſunt; ſecus in alijs.

R̃ſio ad ſextam autoritatem. Vide Auer. diſput. t. contra Algaze. in ſolu. dub 8.

Pondera diligẽter ſenſum huius propoſitionis, mundus conſtat ex tota ſua materia, ideo vnus tantum numero eſt.

tuens;

tuens: eſt enim re ipſa vniuerſi pars: ſed quia tota eſt in hoc mundo; idcirco in cauſa eſt, cur plures Mundi reperiri non poſſint.

### *Opinio recentium Philoſophorum.* Cap. XXIX.

Truſianus Monacus. Io. Gandau. Zimara. Achillin. Bononien. Pererius. Piccolomin. Zabarella.

SEptima fuit opinio Truſiani Monaci, in commentarijs artis paruæ Galeni, lib. 2. com. 44. quem multi ex recentioribus Philoſophis ſecuti ſunt, pręſertim Ioannes Gandauenſis, libello de Subſtãtia Orbis q. 7. Zimara theoremate 97. & in quæſt. de Principio indiuiduationis, Achillinus Bonon. lib. 1. de Elemẽtis cap. 26. Pererius lib. 6. de Communibus naturalium rerum principijs, cap. 12. Franciſcus Piccol. lib. 3. de Prima rerum naturalium materia, cap. 17. Sed hanc ſententiam, præter cęteros, Iacobus Zabarella, lib. de Conſtitutione indiuidui, capp. 5. 6. & 7. acutiſſimè, atque acerrimè tuetur.

Sententiæ recentiorũ ſumma.

Sẽtentia eſt huiuſmodi; Ad indiuiduũ conſtituendum duo principia neceſſariò concurrere, materiam ſcilicet, atque formam: illud tamen principium, quo primò, & præcipuè indiuiduum in eſſe indiuidui conſtituitur, & quo vnum indiuiduum ab altero diſtinguitur, eſſe formam: materiam verò neceſſariam quãdam conditionem eſſe, aut cauſam, ſine qua forma indiuiduum conſtituere non poſſet.

Fundamẽtũ præcipuum

Huius autẽ opinionis præcipuum fundamentum eſt hoc. Cùm proprium munus formæ ſit, dare eſſe, rẽque in actu conſtituere; fit, vt quemadmodum duplex eſt eſſe, ita etiam actus dupliciter conſideretur. Eſſe quandoque pro eſſentia, interdum pro exiſtentia ſumitur, & vtrunque eſſe à forma pendet. Actus pariter dupliciter accipitur, vno modo pro gradu eſſentiæ, quem tribuit forma, quatenus forma eſt: altero, pro gradu exiſtentiæ, quem itidem forma tribuit non amplius quatenus abſolutè, & ſimpliciter forma eſt, ſed quatenus extra animam re ipſa exiſtit. Hac præmiſſa diſtinctione, propoſita ſententia à Iacobo Zabarella duabus concluſionib. explicatur.

Prima cõcluſio eiuſdem ſententiæ. Explicatio.

Prima eſt, forma, quatenus forma ſimpliciter eſt, rei eſſentiam, atque ſpecificam vnitatem conſtituit, eſtque potius cauſa conuenientiæ multorum in vno, quàm diſtinctionis multorum inter ſe. Hanc concluſionem ita declarat: nam forma animalis conſtituit animal; forma hominis conſtituit hominem; & ſic de alijs ſpeciebus ſpecialiſſimis, aut ſubalternis dicendum eſt. Omnia igitur animalia in vna animalis eſſentia conueniunt, & omnes homines in vna eſſentia hominis. Et hoc eſt, quod dicebat Ariſt. 1. de Cęlo com. 92. Cęlum. ſ. ſignificare formam, hoc eſt naturam, & eſſentiam Cęli: & ibidem Auerroes aſſerebat, formam eſſe ſubiectum vniuerſalitatis.

Altera cõcluſio. Probatio.

Altera concluſio eſt, forma ſpecifica, quatenus re ipſa exiſtit, vnũ numero conſtituit, efficitque, vt vnum indiuiduum primò, & per ſe ab altero diſtinguatur. Hanc concluſionem ita probat: nam quemadmodum forma, abſolutè ſpectata, rei eſſentiam conſtituit, & ſuapte natura cum pluribus communicabilis eſt, atque rurſus in cauſa eſt, cur plura in vno conueniant; ita eadem, prout extra animam exiſtit, conſiderata, ſimpliciter incommunicabilis eſt: nam eo modo, non niſi vna numero, & ſingularis eſſe poteſt, atque adeò indiuiduum primò conſtituit, quod incommunicabile eſt.

Duran. in 2. d. 3. q. 2. huic opinioni fauere viſus ẽ.

Verùm quoniam forma, vt exiſtat, materiam expoſcit, in qua recipiatur; ideo materia etiam aliquo modo ad indiuidui conſtitutionem concurrit, quatenus. ſ. eſt veluti quædam miniſtra, quæ formam ſuſtinens, illi famulatur, vt exiſtat. Materia itaque non tanquam præcipua cauſa, ſed tanquam conditio, ſine qua non, ad indiuidui conſtitutionem concurrit.

### *Prædicta ſententia rationibus, & autoritatibus confirmatur.* Cap. XXX.

Prima ratio.

HÆc ſententia ab citatis autoribus multis cùm rationibus, tùm autoritatibus confirmatur. Truſianus Monacus, qui dicitur pluſquam commentator, argumentatur primò ſic; Vna materia omnibus formis, immò omnibus rebus generabilibus, & diſſolubilibus eſt communis: vna autem forma eſt vnius tantùm materiæ; igitur principale indiuiduationis principium eſt forma, & non materia. Antecedens, quo ad vtranque partem, eſt notum: nam vna, & eadem materia pluribus, quinimmò infinitis formis, ſaltem ſecundum ſucceſſionem, ſubijcitur: at vna, & eadem forma cum pluribus materiebus, neque ſimul, & eodem tempore, neque ſecundum ſucceſſionem, communicari poteſt. Conſecutionem autem ita probat. Indiuiduum dicit eſſe indiuiſum, & incommunicabile; igitur quod à ſe magis indiuiſum, & ſuapte natura incommunicabile eſt, præcipuum indiuiduationis principium ſtatui debet: hoc autẽ eſt forma, & non materia; forma igitur, & non materia eſt principale principium indiuiduationis.

tionis.

Secunda rō.

Secundò ſic argumentatur Ioannes Gandauenſis; Illud per ſe indiuiduationis principium ſtatui debet, quo vnum indiuiduum ab altero diſtinguitur: ſed forma, & non materia, vnum indiuiduum ab altero diſtinguitur; igitur forma, & non materia indiuiduationis per ſe principium ſtatui debet. Probat minorem, autoritate Ariſtotelis 7. Metaph. tex. 49. vbi ait, actum eſſe, qui ſeparat, & diſtinguit; actus autem eſt ipſa forma: & item autoritate Auerrois 1. de Anima com. 53. vbi aſſerit, membra cerui non differre à membris leonis, niſi quia anima cerui differt ab anima leonis.

Tertia ratio.

Tertiò ſic argumentatur Achillinus; Illud eſt prima cauſa indiuiduationis, à quo primò res habet hoc eſſe, & vnum eſse: indiuiduum enim dicit hoc eſſe, & vnum eſse: atqui hoc eſse, & vnum eſse primò res habet à forma; igitur forma eſt prima, & principalis cauſa indiuiduationis. Probat minorē, autoritate Ariſtotelis 2. de Anima, text. 2. vbi ait formam eſse ſubſtantiam, per quam eſt hoc aliquid: & Auerrois eod. lib. com. 8. & 3. phyſ. com. 68. aſserentis, rem omnem eſse vnam per ſuam formam.

Quarta ratio

Quartò ſic argumentatur Zimara; ſicut ſe habet materia, & forma communis ad compoſitum commune; ita materia, & forma ſingularis ad compoſitum ſingulare: ſed compoſitum commune primò, & præcipuè diſtinguitur forma communi; ergo compoſitum ſingulare primò, & præcipuè diſtinguitur forma ſingulari: cùm autem idem ſit principium conſtituendi, & diſtinguendi, iam planè ſequitur, principale principium, indiuiduum conſtituens, eſſe formam ipſam.

Quinta ratio

Quintò ſic argumentatur Pererius; Vnum, & ens conuertuntur; & ab eodem vnumquodque habet vnitatem, & diſtinctionem, à quo habet eſſe: ſed indiuiduum materialis ſubſtantiæ, cùm ex materia, & forma compoſitum ſit, habet ſuum eſſe perfectum à materia, & forma; ergo ab eiſdem habet vnitatem, & diſtinctionem: at qui compoſitum eſt ens, & vnum, atque ab alij diſtinctum, pręcipuè propter formam; ergo indiuiduorum vnitas, atque diſtinctio à forma, tanquã à primo, & principali principio accipienda eſt.

Sexta ratio.

Sextò, ſic argumentatur Piccolomineus; Vt vnitas generis, & ſpeciei ad ſuum principium; ita pariter vnitas numeri ad ſuum principium ſe habet: ſed vnitas generis, & ſpeciei ſequitur formam; eandem igitur ſequetur vnitas numeri, ac deinceps forma erit principium vnitatis numeralis.

Poſtrema rō

Poſtremò ita argumentatur Iacobus Zabarella; Cum nihil exiſtat, niſi ſingulare ſit, fateri cogimur, ab eo, neceſſe eſſe, ſingularitatem tribui, à quo tribuitur exiſtentia: ſed exiſtentia tribuitur à forma; ergo ab eadem tribuitur ſingularitas.

Cōfirmatio.

Confirmat hanc ſententiam, autoritate Auerrois, qui, diſputatione prima contra Algazelem, in ſolutione dubij octaui, dixit, cauſam multitudinis numeralis eſſe materiam: cauſam verò diſtinctionis, in multitudine numerali, eſſe formam.

Aliæ Auerr. autoritates.

Rurſus idem autor, in commentario 2. libri ſecundi de Anima, explicans illud dictum Ariſtotelis, forma eſt, quæ facit hoc aliquid, ait, formam eſſe, per quam indiuiduum fit hoc. Sed clariùs in initio commẽtarij noni eiuſdem libri, diſertis verbis aſſerit, indiuiduum, non eſſe indiuiduum, niſi per formam; quia non eſt indiuiduum, niſi quatenus eſt ens actu; eſt autem ens actu, per formam, non per materiam.

## *Confutatio opinionis recentium Philoſophorum.* *Cap. XXXI.*

In quo nam ſenſu recentium Philoſophorum opi. veritatem habere poſſit.

AT verò neq; huiuſmodi opinio propoſitæ difficultatis nubila omnino diſſoluit: ſi quid enim ipſa veritatis habeat, illud eſt, formam. ſ. abſolutè, & vniuersè ſpectatam, vnitatẽ ſpecificam conſtituere, rationemque eſſe, cur plura diſtincta numero, in vno conueniant, formam verò extra animam exiſtentem, & particulatim acceptam, indiuiduum phyſicè componere, quemadmodum & materia ipſa; nequaquam tamen principium indiuiduationis in eſſe metaphyſico dici, cuius gratia hæc diſputatio edita eſt.

Notabilis rōcinatio, qua prædictæ opinionis falſitas oſtendit.

Huius autem rei veritas ijs omnibus perſpicua fiet, qui gradatim à ſubalterna ſpecie, p ſpeciẽ ſpecialiſſimã, & vagũ indiuiduũ, ad indiuiduũ ſignatũ, ſingula conſiderando, deſcendent. Forma animalis, quæ eſt anima, in ſua latiſſima ſignificatione accepta, conſtituit animal, generatim pariter conſideratum, quod eſt ſpecies ſubalterna. Forma hominis, quæ eſt anima rationalis, vniuersè ſpectata, conſtituit pariter hominem, vniuersè conſideratum, qui eſt ſpecies ſpecialiſſima. Aliqua anima rationalis conſtituit aliquem hominem, qui eſt indiuiduum vagum. Tandem hæc anima rationalis conſtituit hunc hominem (phyſicè ſemper loquendo) qui eſt indiuiduum ſignatum. Nunc autẽ quærendum eſt, quodnam ſit principium, hanc animam conſtituens, ipſamque ſingularem reddens? Dicet fortaſſe aliquis, quoniam hæc anima in hac materia, ſiue in hoc corpore recipitur;

pitur; ideo hanc materiam eſſe principium ſingularitatis animæ. Sed eodem redibit quęſtio:
nam rurſus quærendum erit, quonam principio materia hæc, ſingulariſque reddatur? Nun-
quam igitur verum indiuiduationis principium in eſſe metaphyſico habere poterimus, niſi
rem aliquam inueniamus, quæ naturam communem ad eſſe ſingulare deducat, & cõtrahat,
ratione cuius materia, & forma fiant hæc, ac deinceps compoſitum, ex ipſis proficiſcens, vnũ
numero, & ſingulare dicatur. Huc accedit, quòd, cùm nos quærimus, quodnam ſit indiuidua- Alia rõ validior.
tionis principium, quemadmodum ſupra monuimus, quærimus principium, intra prædica-
menti ſeriem, indiuiduum conſtituens; ac proinde exiſtentiam ab indiuiduo mente, & cogi-
tatione ſeiungimus: quo fit, vt forma, extra animam exiſtens, eius indiuiduationis principiũ
eſſe non poſſit; cùm potius forma, re ipſa exiſtens, ponat indiuiduum, cuius eſt forma, tanquã
prius ſaltem natura, in eſſe metaphyſico conſtitutum. Denique ſicut corpus, & anima vniuer Arg. firmiſſimũ rẽ planè concludens.
ſè, tanquam materia, & forma, animal vniuersè, phyſicè conſtituunt; ita ſubſtantia, & anima
tũ ſenſibile, veluti fundamenta generis, & differentiæ, idem animal vniuersè, metaphyſicè ef
fingunt: nam animatũ ſenſibile eſt quædam differentia, quæ ſubſtantiam corporeã ad eſſe ſpe
cificũ ſubalternũ deducit. Similiter ſicut corpus, & rõnalis aĩa hominem generatim, phyſicè
conſtituũt, ita aĩal, & rõnale eundẽ hoĩem metaphyſicè cõponunt: eſt.n. rationale dña quędã
quę aĩalis genus ad ſpeciẽ hoĩs ſpecialiſſimam contrahit. Eadem igitur ratione opus eſt dice
re, ſicut hoc corpus, & hæc rationalis anima, veluti materia, & forma, hunc hominem phyſi-
cè conſtituunt: ita humanam naturam, & indiuidualem differentiam hunc hominem meta-
phyſicè conſtituere: indiuidualis enim differentia naturam ſpecificam, quæ ſuapte natura cõ
municabilis eſt, ad eſſe ſingulare, & incommunicabile deducit: cui poſtea, materiæ, & formæ
interuentu, exiſtentia accidere dicitur. Quærendum igitur nobis eſt, quæ nam ſit hæc indiui-
dualis proprietas, ſeu differentia, quæ naturam ſpecificam ad eſſe ſingularitatis deducit, & ra
tione cuius materia, & forma, indiuiduum phyſicè conſtituentes, dicantur hæc, atque adeo cõ
poſitum, ex ipſis conflatum, ſingulare, & vnum numero ſit?

*Solutio rationum, quæ à recentioribus philoſophis propoſita ſunt.* *Cap. XXXII.*

SOluamus nunc rationes, quibus à recentioribus philoſophis probatum eſt, formam eſſe
principium indiuiduationis. Ad primam neganda eſt conſecutio. Ad probationem con- Rñſio ad primam rõnem
cedimus, illud, quod per ſe, & primò indiuiſum, & incommunicabile eſt, indiuiduationis prin
cipium ſtatui debere; negamus tamen, formam per ſe, & primò incommunicabilem eſſe: aliũ
de enim & ipſa incommunicabilitatem recipit; & propterea indiuiduationis principium di-
ci non poteſt: ſed illud potius hac veluti prærogatiua gaudere, dicendum eſt, quo forma hęc,
& incommunicabilis redditur. Ad ſecundam neganda eſt minor. Ad probationem reſponde Ad ſecũdam rationem.
tur, actum diſtinguere, aut ſpecie, aut numero: forma autem, quæ eſt actus diſtinguit quidem
ſpecie, non autem numero. Neque aliud profectò lib. 7. Metaph. text. 49. Ariſtoteles docuit:
ibi enim monuit, ex duabus ſubſtantijs in actu vnum per ſe fieri nequaquam poſſe: ſed opor
tere, illarum alteram habere rationem potentiæ, & hæc eſt materia; alteram verò rationem
actus, & hæc eſt forma. Et ſubdit, actum eſſe, qui ſeparat, & diſtinguit: nam forma, quæ eſt a-
ctus, vna ſpecies diſtinguitur ab altera; & indiuiduum vnius ſpeciei ab indiuiduo alterius ſpe
ciei propria forma ſeiungitur. Hoc idem etiam docuit Auerroes 2. de Anima com. 53. dum
dixit, membra cerui non differre à membris leonis, niſi quia anima cerui differt ab anima leo
nis: conſtat autem, animam cerui differre ſpecie ab anima leonis; ac proinde membra cerui
à membris leonis ſpecie pariter diſſidere. Hanc autem fuiſſe mentem Auerrois, ex ipſiſſimis
(vt ita dicam) eius verbis elici poteſt, dum ita ſcribit, *Et hoc, quod dicit, manifeſtum eſt in ſpe
ciebus valdè*, quod etiam 2. de Anima com. 60. confirmauit. Ad tertiam negatur minor. Ad Ad tertiã rationem.
probationem reſpondendum eſt, illum Ariſtotelis locum in cauſa fuiſſe, cur multi hac in re
hallucinati ſint: non enim ibi Ariſtotelis conſilium fuit docere, formam eſſe principium indi
uiduationis; ſed formæ proprium quaſi attributum aſſignare, dum ait, formam eſſe, per quã
hoc aliquid eſt in actu: quaſi docere voluerit, formam eſſe principium, illam rem phyſicè con
ſtituens, quę indiuiduum appellatur. Certum eſt enim, Socratem per ſuam formam, & Plato
nem pariter per ſuam formam, hoc aliquid eſſe; tamen forma Platonis à forma Socratis di-
ſtinguitur; & propterea opus eſt inuenire principium illud, quo huiuſmodi formæ diſtinguũ

tur,

Ad quartam rationem.

tur, ſicut ſuperiùs explicatum eſt ſatis. Ad quartam reſpondendum eſt, nihil aliud ipſam concludere, niſi formam eſſe principium diſtinctionis ſpecificæ, ſiue illa generatim, ſiue particulatim conſideretur. Forma equi ex.gra.& forma aſini vniuersè acceptæ, vt equi, & aſini ſpeciem conſtituunt; ita etiam in cauſa ſunt, cur equus, & aſinus ſpecie diſtinguantur. Similiter hic equus, & hic aſinus, propria forma, ſpecie, non numero differunt. At verò duo aſini, vel duo equi non forma quidem, ſed hac forma numero diſtinguuntur. Quod igitur formã hãc, ſingularemque reddit, illud ipſum principale indiuiduationis principium cenſendum eſt. Ad

Ad quintam rationem.

quintam, prior pars maioris propoſitionis concedenda eſt, ſi de communiſſima vnitate, quã tranſcendentalem appellant, ſermo fiat: poſterior autem pars, quâ dicitur, ab eodem vnumquodque vnitatem, & diſtinctionem habere, à quo habet eſſe; prorſus neganda eſt, loquẽdo de vnitate, atque diſtinctione numerica. Admittimus quidem, à forma præcipuè vnumquodque & eſſe, & vnitatem, & ſpecificam diſtinctionem accipere: veruntamen aliud principium

Ad ſextam rationem.

eſt, à quo vnitatem, atque diſtinctionem numericam recipit. Ad ſextam concedendum eſt, vnitatem generis, ſpeciei, atque etiam indiuidui, in eſſe phyſico, formam conſequi; hoc idem tamen negandum eſt, in eſſe metaphyſico. Ex.gra. forma animalis, puta anima, ſuo modo; phyſicè animal conſtituit: ſic rationalis anima phyſicè conſtituit hominem: & hæc rationalis anima phyſice conſtituit hunc hominem. At verò metaphyſicè, vnitas animalis à forma non pendet, ſed à differentia ſpecifica ſubalterna, ſubſtantiam corpoream ad eſſe animalis cõtrahente. Similiter vnitas hominis non pendet à forma, ſed à differentia ſpecifica, ſpecialiſſima, contrahente animal ad eſſe hominis; ac proinde vnitas indiuidui ab hac forma metaphyſicè non pendebit, ſed à differentia indiuiduali, naturam hominis ad eſſe, hoc, puta, ad Petrũ, vel Ioannem contrahente.

Ad poſtremã rationem.

Ad poſtremam, concedimus, nihil exiſtere poſſe, niſi ſit ſingulare; negamus tamen inde ſequi, vt ſingulare, quatenus ſingulare eſt, neceſſariò exiſtat: tunc enim ſingularia intra prædicamenti ſeriem contineri non poſſent; ac propterea falſum eſt, ab eodẽ ſingularitatem ſumi debere, à quo ſumitur exiſtentia. Forma itaque eſt principium exiſtentiæ ſingularis, vel ſingularis exiſtentis; non tamen eſt principium ſingularis ſimpliciter, vel illius ſingularitatis, quam nunc quærimus.

Ad confirmationem.

Ad confirmationem, ſumptam ex Auerroe diſp. 1. contra Algazelem, in ſolutione dubij octaui, reſpondendum eſt, inde potius elici, formã, ſecundum Auerroem, eſſe cauſam cõuenientiæ in multitudine numerali, quàm diſtinctionis: hæc enim ſunt verba Auerrois. *Et ſic anima Petri, & Guilelmi eſſent vna, & eadem in forma, & pluralitas numeralis, ſ. diuiſio, ſequitur vnum in forma ratione materiæ.* Neſcio quem codicem legerit Zabarella, vt ipſe aſſerit, emendatiſſimum; legi enim hæc verba in pluribus codicibus.

Ad alias Auer. autoritates.

Ad alias Auerrois autoritates, elicitas ex 2. lib. de Anima com. 2. & 9. patere poteſt reſponſio ex ijs, quæ paulò ſuperiùs dicta ſunt: intelligendæ ſunt enim de conſtitutione indiuidui in eſſe phyſico, & quo ad exiſtentiam, non tamen in eſſe metaphyſico, & quo ad eſſentiam. Etenim indiuiduum, ait Auerroes, nõ eſt indiuiduum, ſupple phyſicè, per ſuam formã: & propterea forma dicitur principium, indiuiduum phyſicè conſtituens, non autem principium ſingularitatis, & indiuiduationis. Hæc ſatis de opinionibus aliorum.

### *Vera ſententia de principio indiuiduationis.* Cap. XXXIII.

Reiectis iam opinionibus illis, quæ minus cum veritate conſentiunt; temporis opportunitas illud expoſcere videtur, vt veriſſimam, quam arbitramur, ſententiam, de indiuiduationis principio, in medium afferamus, explicemus, rationibus comprobemus, atque ab obiectionibus, dubitationibuſque vindicemus. Ea autem eſt, quam primò inter Arabes ſubtiliſſimus Auicenna excogitauit, & lib. 5. Metaph. ſuæ, multis in locis aperuit, & enodauit.

Auic. ſententia de principio Idiuiduationis.

Arbitratus eſt celeberrimus iſte metaphyſicus, quemadmodum duæ ſpecies eiuſdem generis inter ſe differentijs ſpecificis primo diſtinguuntur, atque eiſdem in eſſe ſpecifico primò conſtituuntur; ita duo eiuſdem ſpeciei indiuidua indiuidualibus differentijs inter ſe primò diſtingui, atque eiſdem etiam in eſſe indiuiduali, vel ſingulari primò conſtitui.

Quo nomine appellauerit Varro differentias induiduales.

Has indiuiduales differentias, cùm nomine carerent, atque vt difficulter animo concipi, ita vix verbis exprimi poſſent, Varro primùm, vir & eruditione, & eloquentia inſignis, referente Sueſſano lib. 5. Metaph. diſp. 5. c. 3. hecceitates appellauit: nec ineptè quidem, quoniam ijs ipſis indiuidua ſunt hęc: vel quia natura communis, per ſe extenſa, & dilatata, earum interuentu, coarctatur, & dedu

citur

citur ad eſſe hoc. Nemo igitur in poſterum hecceitatis nomen horreat, aut ſcholaſticorum quorundã figmẽtũ arbitretur; cùm è Senatore illud grauiſſimo, Latinæq; linguæ peritiſſimo effluxerit. Non fuit noua hæc opinio de ſingularis vnitatis fundamento: nã ex veterib. quoq; Philoſophis Plotino, & Proclo eadẽ ſuboluiſſe viſa eſt. Plotinus.n. eodẽ referente Sueſſano, differẽtias aſſignans, quib. aĩæ diſtinguũtur, & numerantur, interiorib. eas numeris diſtingui, & numerari aſſeuerauit: quos quidem numeros multi ex Scholaſticis Doctoribus modos, ſeu gradus interiores appellare conſueuerunt. Proclus eas ipſas differentias; quibus indiuidua primò diſtinguũtur, græco nomine ἰδιοτρόπεια appellauit, qđ latinè diceres intimas proprietates. Inter ſcholaſticos Doctores hanc ſñiam amplexatus eſt ſubtilis Doctor, lib. 2. Sent. d. 3. per totam diſtinctionem; ſed potiſſimùm q. 6. atque rurſus in quolibetis q. 2. art. 2. & ex recentioribus eam pariter defendit Petrus Fonſeca, lib. 5. Metaph. cap. 6. q. 6. 3. vt alios plures omittam. Non egeret hæc ſñia longa explicatione, cùm eius veritas ex aliarum opinionum abſurditate iam ſatis omnibus patere poſſit: nihilominus, quia ſubtiliſſima eſt, multaque notatu digna, & neceſſaria continet; ideo eam, quò facilius intellectus cuiuſlibet acquieſcat, & fundamentis ſtabilire, & digreſſionibus explicare, & validiſſimis etiam rationibus confirmare non grauabimur.

Non eſt omnino barbarum hecceitatis nomen.

Plotinus.

Proclus.

Scotus.

Petrus Fonſeca eiuſdem ſententiæ.

### *Fundamentum præcipuum prædictæ opinionis defendendæ.* Cap. XXXIV.

ILlud igitur in primis, tanquam ſolidiſſimum huiuſce opinionis fundamẽtum, accipiamus, quod ſupra etiam animaduerſum eſt, vid. in præſenti diſputatione de conſtitutione indiuidui in eſſe metaphyſico præcipuum ſermonem eſſe, quatenus. ſ. illud in prædicamento collocatur; nihil curando vtrum conſiſtentiam adhuc in rerum natura acquiſierit, an non. Id cùm ita ſe habeat, manifeſtum eſt, in quolibet prædicamento, vt etiam ſupra notauimus, duo extrema reperiri: alterum, de quo nihil prædicatur, & hoc eſt genus generaliſſimum: alterum, cui nihil ſubijcitur, & hoc eſt indiuiduum. Genus generaliſſimum ſpeciebus omnibus, ſub ſe contentis, commune quoddam eſt, eiuſque naturæ non repugnat, quominus in illis inueniatur, aut ad illas deſcendat: deſcendere aũt ad illas nequaquã poteſt, niſi alicuius ſpecificę differentiæ interuentu, quaſi contrahatur, atque maximam illam communitatem, quæ generica eſt, quodammodo deſerat, atque abijciat. Exempli grã. ſubſtantia, quę eſt genus generaliſſimũ, duas ſub ſe ſpecies proximè continet, ſpiritum, & corpus; eſtque ad illas indifferens, atque cõmunis, quia cum vtraque reperiri poteſt. Faciamus nunc, ſubſtantiam ad harum ſpecierum alteram deſcendere debere, puta, ad corpus, id profectò fieri nunquam poterit, niſi aliqua differentia ſpecifica interueniat, quæ communem ſubſtantiam contrahat, atque ad inferiorem ſubſtantiam deducat: huiuſmodi autem differentia eſt ipſum corporeum, quod incorporeo opponitur. Si itaque ſubſtantiæ corporeum addamus, tum primùm vnam eius ſpeciem, quæ corpus eſt, conſtituemus: quod quidem corpus, hac ſpecifica differentia, quæ eſt corporeum, ab altera ſubſtantiæ ſpecie, quæ eſt ſpiritus, primò differt. Similiter corpus per animatum ad animal, animal verò per rationale ad hominem deducitur: differtque homo rationalitate, tãquam differentia ſpecifica, à cæteris animantibus: ſicut & animal, hoc ipſo, quod eſt eſſe animatum, tanquam differentia ſpecifica, à rebus animæ expertibus diſtinguitur. Iam verò vt animal omnibus ſub ſe contentis, ſpeciebus commune eſt; nec quicquam obſtat, quò minus in omnes deſcendere poſſit; ita homo omnibus indiuiduis, ſub ſe contentis, commune quoddam dicitur, nec impedit quicquã, quominus in hoc, vel in illud, puta in Petrum, Franciſcũ, Ioannem, aut in alios deſcendat. Sicut autem genus nunquam ad ſpeciem aliquam, niſi ſpecificæ differentiæ interuentu, deſcendere poteſt; ita nunquam poteſt ſpecies ad indiuiduum aliquod contrahi, niſi interuentu differentiæ indiuidualis. Et eſt eadem vtrobique ratio: vt enim genus ad ſpecies; ita omnino ſpecies ad indiuidua ſe habet: nec aliud fortaſſe diſcrimen eſt, niſi quia genus ad ſuas ſpecies, per nominatas differentias, aut ſaltem per aliquas nominatas, contrahitur; (quia multæ ſunt differentiæ ſpecificæ, nomine carentes) ſpecies verò contrahitur ad indiuidua, per differentias innominatas: quas tamen, ſi ficto aliquo nomine appellare velimus, id abſque purgatarum aurium læſione efficere non valemus: horrent enim purgatæ aures huiuſmodi nomina, vt Socrateitatem, Platoneitatem, Petreitatem, & id genus alia, quibus indiuiduales differentiæ, tanquam reconditæ, & in intima indiuiduorum ſub

Nota diligenter hoc fundamentũ, ne error contingat in diſputando.

Speculare hic deſceſſum generis in ſuas ſpecies.

Explicat hic munus dñæ ſpecificæ, quò facilius indiuidualis dñæ officiũ intelligatur.

Vt genus deſcẽdit in ſpecies per dñas ſpecificas; ita ſpecies deſcẽdit in indiuidua per dñas indiuiduales.

Aliquæ dñæ ſpecificæ sũt nõiatæ; oẽs verò dñæ indiuiduales ſunt innominatæ.

Materia, & forma, quia aliunde accipiũt ſingularitatem, non põt eſſe principia indiuiduationis.

ſtantia latentes, exprimuntur. Hinc apparet, tametſi materia, & forma re ipſa in indiuiduo reperiuntur; ea tamen non eſſe principia, quibus indiuiduum in eſſe indiuidui primò conſtituitur; nam ſi ipſam quoque naturam communem, vt ex. gra. hominis, conſideremus; ad eam pariter materiam, & formam, tãquam interna principia pertinere, inueniemus; homo enim, vniuersè acceptus, conſtat ex materia, & forma, eodem modo ſpectata. Aliquid igitur, prętet materiam, & formam, naturæ communi addere, neceſſe eſt, quo ipſa fiat hæc, quo indiuiduũ conſtituatur, atque ab alio quocunque, iam conſtituto, primò diſtinguatur; & propterea id, quod illi additur, debet eſſe aliquid primò, & per ſe hoc, & natura ſua penitus incommunicabile. Itaque vt homo in Petrum deſcendat, non additur illi præcipuè materia, & forma, cùm iam hæc duo principia in homine reperiri diximus; neque etiam additur illi materia hæc, aut forma hæc; maxima enim cõfuſio in indiuiduo eſſet, ſi, prętet naturam communem, quã continet, ex materia, & forma conſtantem, eidem quoque hæc materia, & hæc forma adiungerentur. Nihil igitur naturæ communi adiungi poteſt, vt in indiuiduum deſcendat, niſi illud, quo ipſa primùm fit hæc, & deinceps materia, & forma, in eadem contentæ, ſingularitatem acquirant: huiuſmodi autem eſt aliquod ſimpliciſſimum, quod in alia abire, aut diſſolui non poteſt; ſed penitus incommunicabile eſt: quod certè aliud non eſt, niſi indiuidualis illa

Cur indiuidualis dfia dicatur materia totius.

differentia, quæ hecceitas, vocabulo ſatis idoneo, nuncupatur. Hanc interdum Scotus materiam totius appellauit: nam indiuiduum, vt Socrates, & materia totius, atque etiam ex forma totius metaphyſicè conſtituitur. Forma totius eſt humanitas, à qua Socrates denominatur homo. Materia totius eſt differentia indiuidualis, vt Socrateitas: quæ ideo dicitur materia totius, quia in ſeſe humanitatem recipit, eo ferè modo, quo materia partis in ſeſe recipit formam partis, vt corpus animam. Et quemadmodum ex corpore, & anima indiuiduũ phyſicè conficitur; ita ex Socrateitate, & humanitate indiuiduum, quod eſt Socrates, metaphyſice conſtituitur. Socrateitas igitur ſicut eſt ille gradus, illa realitas, & illa (vt ita dicam) entitas poſitiua, qua primò Socrates in eſſe Socratis cõſtituitur; ita illa eadem eſt, qua primò Socrates à quocunque alio indiuiduo, iam conſtituto, diſcriminatur. Hanc differentiam indi-

Indiuidualis dfia vltima tum materiæ, tum formæ realitas appellatur.

uidualem, ſiue indiuiduationis principium, non nunquam Scotus vltimam materiæ, & formæ realitatem appellauit; nec temerè, quidem; quoniam in indiuiduo, vt in Socrate, non ſolùm materia, & forma, verùm etiam hæc materia, & hęc forma reperiuntur; ex quibus, ſimul iunctis, hoc compoſitum proficiſcitur. Nunc autem ſeorſum hanc materiam conſideremus, in qua quidem duo formalibus rationibus diſtincta reperiuntur: alterum eſt natura materiæ, quæ per ſe cum pluribus communicabilis eſt, atque in hoc, vel illo indiuiduo reperiri poteſt; alterum eſt differentia indiuidualis, contrahens materiam ad eſſe hoc; ex quibus duobus, ſimul iunctis, fit materia hæc. Cæterùm hæc differentia indiuidualis non eſt ſubſtãtia aliqua,

Dfia indiuidualis nõ eſt ſubſtãtia, nec accidens extrinſecùs naturæ additũ, ſed gradus eius interior.

à materia ſeiuncta, neque accidens quoddam, illi extrinſecùs additum: ſed eſt veluti quidam gradus eius, & vltima realitas, quæ cum natura cõmuni materiæ efficit materiam hanc. Vna itaque tantùm numero res eſt materia hæc; nihilominus in hac vna re duæ (vt ita dicam) realitates, formalibus inter ſe rationibus diſtinctæ, reperiuntur; quia ratio formalis, ſiue conceptus vnius non eſt ratio formalis, ſiue conceptus alterius; & hæc ſunt, vt diximus, realitas naturæ communis materiæ, & realitas differentiæ indiuidualis, eandem naturam communem ad eſſe ſingulare deducentis. Quemadmodum etiam homo, ex animali, & rationali conſtitutus, vnica res eſt; tamen in hac vnica re alia eſt realitas animalis, & alia eſt realitas rationalis: formalibus enim rationibus huiuſmodi realitates inuicem diſtinguuntur. Vltima igitur realitas materiæ eſt differentia indiuidualis, contrahens naturam communem materiæ ad eſ-

Dfia indiuidualis materiæ.

Dfia indiuidualis formę

ſe hoc; qua quidem vltima realitate vna materiæ portio, quæ in hoc indiuiduo reperitur ab alia portione materia, quæ reperitur in alio indiuiduo, primò diſtinguitur. Vltima pariter realitas formę eſt differentia indiuidualis, contrahens naturam communem formę ad eſſe hoc: quo fit, vt hęc materia, & hęc forma, ſimul iunctæ, hoc compoſitum conſtituant; ac proinde ſi radicem, originem, ſeu principium indiuiduationis indagare velimus, dubio procul illud in nullam rem aliam referre poterimus, niſi in ipſammet differentiam indiuidualem, quę hecceitas appellatur, vt iam ſatis explicatum eſt.

*Prædicta ſententia tribus validiſſimis Scoti rationibus confirmatur.* Cap. XXXV.

POſito fundamento præcipuo, quo prædicta ſententia iam ſatis commodè explicata eſt;
eadem nunc tribus ſubtiliſſimis Scoti rationibus comprobatur. Libenter equidem à Sco-
to rationes ſumo; quoniam certè neminem reperi, qui eo ſubtiliùs, & diligentiùs hanc quæ-
ſtionem excuſſerit, atque in intimam naturæ ſingularis vnitatem penetrarit. Prima ratio eſt Prima ratio.
huiuſmodi; Cùm vnitas ex 4. Metaph. propria ſit entitatis affectio, fit, vt quælibet vnitas ali
quam per ſe entitatem neceſſariò conſequatur: ſed vnitas indiuidui eſt ſimpliciter vnitas: ea
nanque indiuiduum eſt perfectè, & ſimpliciter vnum; igitur vnitas indiuidui conſequitur ne
ceſſariò aliquam entitatem: non conſequitur autem entitatem naturæ; quia, vt ſupra
docuimus, natura habet per ſe vnitatem propriam, minorem vnitate numerali; ergo
conſequitur aliquam aliam entitatem, naturæ entitatem determinantem, atque illam
ad eſſe ſingulare contrahentem: hæc autem non eſt niſi entitas differentię indiuidualis,
ex qua vna cum natura ſpecifica indiuiduum, quod eſt perfectè, & ſimpliciter vnum, conſti-
tuitur: igitur indiuiduum primò, & per ſe per differentiam indiuidualem eſt indiuiduum. Se- Secunda ratio.
cunda ratio; Cũ omnia, quæ differunt, proprijs differentijs differant, & inter differentias quo
que differentia reperiatur; ne in differentijs ipſis abeatur in infinitum, opus eſt tandem, vt dif
ferentiæ rerum omnium, quæ differunt, ad aliqua primò diuerſa reuocentur, in quibus ſit ſta
tus, nec vlteriùs progredi liceat: ſed indiuidua eiuſdem ſpeciei inter ſe differunt; igitur eorum
differentiæ ad aliqua tandem primò diuerſa reuocandæ ſunt: hæc autem primò diuerſa non
poſſunt eſſe natura, quæ in hoc, & in illo indiuiduo reperitur; quoniam indiuidua eiuſdẽ ſpe-
ciei in natura conueniunt: neque etiam poſſunt eſſe materia, & forma, aut accidentia aliqua;
hæc enim, vt perſpicuum eſt, non ſunt primò diuerſa, ſed in ſpecifica natura conueniunt: quę
cunque autem ſunt primò diuerſa, in nullo penitus conueniunt, vt patet ex 5. Metaph. capi-
te de eodem, & diuerſo; igitur duo hæc primò diuerſa, quibus duo indiuidua eiuſdem ſpeciei
diſtinguuntur, erunt duæ differentiæ indiuiduales. Probatur hæc conſequentia; quia in indi
uiduo, metaphyſicè conſtituto, nihil aliud reperitur, niſi natura communis, quæ eſt ſpecifica,
& id, quod illam ad eſſe ſingulare deducit, quod non eſt, niſi differentia indiuidualis. Itaque
duæ differentiæ indiuiduales, vt Socrateitas, & Platoneitas, dicuntur primò diuerſæ; quia nec
in ſpecie ſpecialiſſima, nec in genere ſubalterno, nec in genere generaliſſimo, immò ne in en-
te quidem quidditatiuè, vt aiunt, conuenire poſſunt: quoniam ens de duabus differentijs indi
uidualibus non in quid, ſed ſolùm per modum denominationis prædicatur. Duæ igitur diffe
rentiæ indiuiduales eo modo in ente conueniunt, quo duo ligna alba conueniunt in albedi-
ne: albedo enim de duobus lignis albis non prædicatur in quid, ſed per modum denomina-
tionis; ſic ens de duabus differentijs vltimis non prædicatur in quid, ſed ſolùm per modũ de-
nominationis. Tertia ratio; ſicut ſe habet natura generica ad differentiam ſpecificam; ita na Tertia ratio.
tura ſpecifica ad differentiam indiuidualem: ſed principium, contrahens naturam genericam
ad vnitatem ſpecificam, eſt differentia ſpecifica; ergo principium, contrahens naturam ſpeci
ficam ad vnitatem indiuidualem, eſt differẽtia indiuidualis. Minor propoſitio eſt manifeſta.
Maior autem ſic explicatur: quanuis enim inter differentiam ſpecificam, & indiuidualem nõ
nihil diſcriminis intercedat; plura tamen ſunt, in quibus ipſæ conueniunt, maximamq; ſimi-
litudinem habent. Primò igitur in eo conueniunt; nam ſicut entitati, à qua ſumitur differen-
tia ſpecifica, repugnat diuidi in plura, quæ ſpecie diſtinguantur, &, ratione illius differentiæ
ſpecificæ, id, quod per ipſam conſtitutum eſt, puta ſpecies, in plura eiuſdem rationis, hoc eſt,
in plures ſpecies diuidi non poteſt, ita entitati, à qua indiuidualis differentia ſumitur, repu-
gnat diuidi in plures partes ſubiectiuas, &, ratione illius, id, quod per ipſam conſtitutum eſt,
puta indiuiduum, in plura eiuſdem rationis, hoc eſt, in plura indiuidua diuidi nequit. Conue
niunt ſecundò, quia ſicut realitas, à qua ſumitur differentia ſpecifica, habet rationem actus,
realitatem illam determinantis, & contrahentis, à qua ſumitur genus; ita realitas, à qua ſumi
tur differentia indiuidualis, habet rationem actus, realitatem illam determinantis, & contra-
hentis, à qua ſumitur ſpecies. Conueniunt tertiò; quia ſicut illa entitas, à qua ſumitur differẽ
tia ſpecifica, eſt primò diuerſa ab alia eius generis entitate, quia. ſ. habet conceptum ſimpli-
citer ſimplicem, quique in alios conceptus abire non poteſt, ita entitas, à qua ſumitur diffe-
ren-

Dřiæ indiuiduales ſunt primò diuerſæ, nec in aliquo cõi prædicato quidditatiuè conueniunt.

Prima cõuenientia inter dřiam ſpecificã, & dřiam indiuidualẽ.

Secunda cõuenientia.

Tertia cõuenientia.

rentia indiuidualis, ab alia eiuſdem generis entitate primò diuerſa eſt: nam hæc quoque habet conceptum ſimpliciter ſimplicem, ex quo alij cõceptus elici nequeunt. Sicut ergo differẽtia ſpecifica, quæ eſt aliquod poſitiuum, primò, & per ſe ſpeciem conſtituit, atque per ipſam vna ſpecies, iam conſtituta, ab altera primò diſtinguitur; ita differentia indiuidualis primò, & per ſe indiuiduum componit, atque per ipſam vnum indiuiduum, iam conſtructùm, ab altero primò ſeiungitur.

### *Thomiſtarum reſponſiones ad argumenta Scoti reÿciuntur.* Cap. XXXVI.

CÆterùm quanuis hæc argumenta Scoti firmiſſima, & ſubtiliſſima ſint; nihilominus non defuerunt è Thomiſtarum familia, qui ea ſoluere conati ſunt; propterea, ne quid detrimenti iam probata, & explicata ſententia, de indiuiduationis principio patiatur, quanti roboris eorum ſolutiones ſint, nobis hoc capite conſiderandum eſt.

Caiet. & Iauelli rñſio ad primum arg. Scoti.

Ad primum igitur argumẽtum Caietanus, Iauellus, & paſſim omnes Thomiſtæ negant minorem propoſitionem; aiũt enim, numeralem vnitatem eſſe propriam affectionem, quæ materiam, quantitate ſignatam, non item hecceitatem, conſequitur, vt arbitratus eſt Scotus.

Hæc reſponſio ex iam dictis reijcitur.

Hæc reſponſio non indiget confutatione; ſupra enim fuſiſſimè Thomiſtarum ſententia de materia ſignata refutata eſt: vbi probatum eſt, materiam, quantitate ſignatam, indiuiduum conſequi, non ſolùm metaphyſicè, verùm etiam phyſicè conſtitutum: phyſicè enim ex materia, & ſubſtantiali forma indiuiduum conflatur: quantitas autem præſertim definita, & determinata, quemadmodum omne accidens, ſubſtantialem formam in materia conſequitur. Non igitur materia, quantitate ſignata, huiuſmodi entitas eſt, quæ communi naturæ addita, ipſam ad eſſe ſingulare deducat: ſed ea entitas, vt ſupra docuimus, eſt quidam gradus interior naturæ ſpecificæ, qui appellatur hecceitas, & illa eadem æquatum huius affectionis. ſ. numeralis vnitatis ſubiectum ſtatuitur.

Eorundẽ reſponſio ad ſecundum arg.

Ad ſecundũ reſpondent, duo indiuidua ſuis quantitatibus, tãquã primis diſtinctionis principijs numero differre; quãtitates aũt differre ſuis ſitib. prout ſitus dicit ordinẽ partiũ in toto: ſitus verò differre ordinibus partium: ordines tandẽ diſtingui ſe ipſis, qm̃ de ratione ordinis eſt diſtinctio, hicque ſtatum eſſe.

Confutatio.

Si huiuſmodi reſponſionem diligenter conſideremus, atque illius vim rectè perpendamus, nihil profectò aliud ex ea eliciemus, niſi duo indiuidua eiuſdẽ ſpeciei inter ſe primò ordinibus eſſe diſtincta; quod an verum ſit, aliorum ſit iudicium. Etenim prima radix diſtinctionis duorum indiuiduorum ab ijs ſumi dẽt, quę primò diuerſa ſunt; quia vt in argumento dictum eſt, differentiæ omnes earum rerum, quæ differunt, ad aliqua tandem primò diuerſa referri debent: primò autem diuerſi ſunt ordines, ſecundum Thomiſtas; quia diſtinguuntur ſe ipſis: igitur indiuidua diſtinguuntur ordinibus. At verò abſurdum eſt, ordines eſſe primò diuerſos, atque ſe ipſis diſtingui: nam primò diuerſa, vt habetur 4. Metaph. loco ſuperius citato, illa dicuntur, quę in nullo quidditatiuè conueniunt: ordines autẽ partium, qui nihil aliud ſunt, quàm proportiones quædam, conueniunt genere, ponuntur enim in genere relationis; non igitur ſunt primò diuerſi.

Primò diuerſa quæ dicantur.

Cùm autem probatum ſit, duas indiuiduales differentias, puta duas hecceitates, primò diuerſas eſſe, atque in nullo genere, immò ne in ente quidẽ quidditatiuè conuenire, ſequitur, vt ab illis radix, & origo diſtinctionis, qua vnum indiuiduum ab altero diſtinguitur, ſumenda ſit. Rurſus duo indiuidua eiuſdem ſpeciei priùs natura inter ſe propria ſubſtantia differunt, quàm aliquo accidente; igitur quantitas, quæ eſt accidens, non poteſt eſſe principium, quo primò, & præcipuè duo indiuidua inter ſe diſtinguantur; ſiquidem ſubſtantialis diſtinctio accidentalem præcedit.

Thomiſt. rñſio ad 3. arg.

Ad tertium argumentum reſpondent, illud includere fallaciam petitionis principij; cùm id ponat, quod probari deberet, dari nimirum hanc differentiam indiuidualem, qua duo indiuidua inter ſe diſtinguãtur.

Confutatio

Neminem arbitror eſſe, qui negare poſſit, duo indiuidua indiuiduali differentia inter ſe diſſidere: nam ſi duo genera inter ſe diſtinguuntur, diſtinctione generica, & duę ſpecies, diſtinctione ſpecifica; ſequitur proculdubio, vt duo indiuidua inter ſe differant, differentia indiuiduali. Oritur quidem dubium circa fundamentum, à quo indiuidualis differentia ſumitur: ſed cùm Scotus iam probaſſet, illud nec eſſe poſſe negationem, neque exiſtentiam, neque quãtitatem, aut alia accidentia, neque rurſus materiam, aut formam; concluſit tandem, eſſe aliquid poſitiuum internum, quod naturam ſpecificam ad eſſe ſingulare deducit. Et quemadmodum id, quod contrahit naturam genericam ad eſſe ſpecificum, appellatur differentia ſpe

cifica;ita quod contrahit naturam ſpecificam ad eſſe indiuiduale, Scoto placuit indiuidualẽ differentiam appellare. Validiſſimæ igitur ſunt iam allatæ Scoti rationes, & rem quæſitam planè demonſtrant.

### *Cardinalis Caietani argumenta contra Scoti ſententiam de principio indiuiduationis. Cap. XXXVII.*

SEntentia quidem ſiue Auicennæ,ſiue Scoti, ſiue cuiuſuis alius ſit autoris, quæ ſtatuit,indiuiduationis principium hecceitatem eſſe, adeo mihi ſemper probata eſt, vt nullus vnquam tantus labor fuerit,quem libenter non ſubierim, quo faciliùs eius rei veritas ab omnibus perciperetur. Quapropter cùm multi fuerint ex recentioribus philoſophis, qui varijs eã argumentis inceſſerũt; operępretium me facturũ exiſtimaui,ſi,ad cumulatiorem doctrinam, ijs omnibus,aut ſaltem præcipuis ſingillatim occurrerem. Incipiam igitur ab argumentis Illuſtriſſimi Caietani,qui in doctiſſimis ſuis commentarijs de ente, & eſſentia q.5.art.3.præter Ariſt.autoritates, quæ ſupra etiam à nobis, pro confirmatione ſententiæ S.Thomæ,adductæ,atque ſolutæ ſunt,tribus præcipuè rationibus,& ijs quidem ſubtiliſſimis in Scoti ſententiam inuehitur. Quarum prima eſt huiuſmodi; Omnis actus ſingularis præexigit potentiam ſingularem,cui actum tribuat;quemadmodum omnis forma particularis præexigit materiam particularem,vt elicitur ex Ariſtotele ſecundo, Phyſic.tex.38. ſed hecceitas eſt actus ſingularis, per ipſummet Scotum; ergo præexigit potentiam ſingularem, cui actum impertiatur:at illa potentia eſt natura,vel reperitur in natura indiuidui; ergo natura indiuidui eſt ſingularis,ante aduentũ hecceitatis;& ſic hecceitas non eſt principium indiuiduationis. Secunda,illa,quæ ſunt principia indiuiduationis, ſe ipſis primò diuerſa dicuntur,ipſomet Scoto autore:hecceitates Sortis,& Platonis non ſunt huiuſmodi;ergo non poſſunt eſſe principia indiuiduationis. Probat minorem:id.n.quod magis cũ vno,quàm cum alio cõuenit,ab eo,cũ quo magis conuenit,primò diuerſum nõ eſt: ſed hecceitas Platonis magis conuenit cũ hecceitate Sortis,quàm cũ hecceitate albedinis; ergo hecceitates Platonis,& Sortis primò diuerſa non ſunt. Maior proſyllogiſmi ex terminis cõſpicua eſt: quod.n.ab alio primò diuerſum eſt, cum illo nequaquam conuenit. Minorẽ autem Caietanus dupliciter probat. Primò quia hecceitas Sortis,& Platonis conueniunt ſpecie:hecceitates verò Sortis,& albedinis differunt genere. Secundò,quia illa magis conuenire dicuntur,quæ magis ſimilia ſunt: magis aũt ſimilia ſunt,quę ſunt magis cõparabilia; ſed hecceitates Sortis, & Platonis ſunt magis cõparabiles, quã hecceitates Sortis,& albedinis,ſicut in vniuerſum res eiuſdẽ pręDicamenti ſunt magis cõparabiles,quã res diuerſorum pręDicamentorũ;ergo hecceitates Sortis,& Platonis non ſunt primò diuerſæ. Tertia;Quod conuenit vni,& repugñat alteri indiuiduo eiuſdẽ ſpeciei,ipſorũ neceſſariò diſtinctionem pręexigit:ſed proprietas indiuidualis,puta Sorteitas,conuenit Sorti,& repugnat Platoni,qui eſt indiuiduum eiuſdem ſpeciei;ergo proprietas indiuidualis præexigit neceſſariò diſtinctionem Sortis à Platone;& ſic proprietas indiuidualis non eſt id,quo primò Sortes à Platone diſtinguitur: Concluſio eſt falſa, ſecundum Scotum:ratiocinatio eſt bona; ergo altera præmiſſarum eſt falſa; vtraque autem eius eſt;maior quidem in quolibetis quęſt.ſecunda,minor verò ea ipſa concluſio eſt,quam Caietanus impugnat;ergo ipſemet Scotus omnino falſus conuincitur. Hæc Caietanus.

Primũ argũ Caietani.

Secundũ argumentum.

Tertium argumentum.

### *Solutio argumentorum Caietani. Cap. XXXVIII.*

SVbtiliſſima quidem ſunt hęc Caietani argumenta;non deſunt tamen ſolutiones,quibus expediri facilè poſſint. Ad primum, quod Thomiſtę magni æſtimant, illudque aduerſus Scoti ſnĩam,validiſſimam demõſtrationem eſſe putant,reſpondendũ eſt,ſi quid roboris illud habeat,non minus Scoti ſnĩam, quàm reliquorũ omnium de principio indiuiduationis ſnĩas oppugnare,ac propterea doctiſſimũ, & Illuſtriſſimũ virũ ſemetipſum proprio telo cõfodere, & iugulare. Siue.n.quantitas,ſiue forma,ſiue materia,quantitate ſignata, ſiue quoduis aliud indiuiduationis principiũ ſtatuatur;id omne ſingularis actus dicitur:ſi igitur,ſecundũ Caietanum,omnis actus ſingularis potentiam ſingularem præexigit,ſequitur neceſſariò,vt materia ſignata,quę ab eadem actus ſingularis,& principium indiuiduationis appellatur,ſingularem

Solutio primi argum.

naturam, ſeu potentiam præexigat: natura igitur ſingularis erit, antequam per ſignatam materiam conſtituatur. Cæterùm nemo eſt, qui non videat, maiorem illam propoſitionem aut falſam oīno eſſe, aut latentem in ſeſe æquiuocationem includere. Falſa quidem eſt prædicta propoſitio: quoniam ſi actus ſingularis potentiam ſingularem pręexigit; eadem ratione actus ſpecificus ſpecificam potentiam præexigeret, atque ita differentia ſpecifica, generi adueniēs, non haberet vim ipſum ad eſſe ſpecificum deducendi; ſed illud iam in eſſe ſpecifico conſtitutum inueniret, quod tamen communi omnium conſenſione reprobatur. Sicut ergo actus ſpecificus, hoc eſt, differentia ſpecifica, præexigit non quidem potentiam, ſeu naturam ſpecificam, ſed potentiam in aliqua natura ad eſſe ſpecificum; ita actus, ſeu differentia ſingularis præexigit non quidem potentiam ſingularem, ſed potentiam in aliqua natura ad eſſe ſingulare: natura enim ſpecifica, quæ per ſe communis eſt, potentiam, vel habilitatem habet, vt, alicuius differentiæ Indiuidualis interuentu, ad eſſe ſingulare contrahatur, & ſaltem per accidens, aut ſecundum denominationem, ſingularis fiat.

In hoc conſilit via ſolut. ſpeculare diligenter.

Verùm quoniam hæc Caietani propoſitio tanquàm fundamento nititur autoritate Ariſtotelis libro ſecundo, Phyſ. tex. 38. ideo, ad pleniorem huius argumenti ſolutionem, locus ille nobis luſtrandus eſt. Diſputans ibi Ariſtoteles de cauſis, inter tria theoremata, quæ in eo textu potiſſimùm affert, hoc præcipuum reperitur, nimirum ſicut effectus communis reddenda eſt cauſa communis; ita effectus particularis reddenda eſt cauſa particularis: itaque cauſa ſtatuę ſtatuarius eſt, & cauſa huius ſtatuę hic ſtatuarius.

Explicatur locus Ariſ. li. 2 Phyſ. tex. 38.

Caietanus autem ex hoc loco occaſionem ſumit ita argumentandi; ſicut forma communis pręexigit materiam cōem, cui actum tribuat, vel quam actuet, vt vtar eius verbis; ita forma particularis præexigit materiam particularem: & quia forma eſt actus, materia verò potentia: ideò propoſitionem vniuerſalem effecit, quæ eſt huiuſmodi; omnis actus ſingularis pręexigit potētiā ſingularem, quam actuet. Subtiliſſima quidē eſt huiuſmodi ratiocinatio, & Caietano digna; ſed tamen quæ nihil nobis officiat. Forma cōis pręexigit quidē materiam communem, quam actuet:

Caiet. argm vnde deductum.

Sed notandum eſt, formam communem actuare materiam cōem, non eſſe formam materiæ communitatem tribuere; ſed materiam perficere, atque commune compoſitum in abſtracto, & quodammodo metaphyſicè conſtituere. Eadem ratione forma particularis præexigit materiam particularē, quam actuet; ſed ipſam actuare, non eſt eidem particularitatē tribuere; quia illa materiæ portio, quā particularis forma præexigit, eſt iam particularis ante aduentum illius formæ, ſed eſt ipſam perficere, atque determinare, ita vt ex illis duabus, ſimul iunctis, particulare cōpoſitum phyſicè conſtituatur.

Quo intelligendum ſit, formā cōem actuare materiam cōem

Cū verò Caietanus hanc vniuerſalem propoſitionē effingit, omnis actus ſingularis pręexigit potentiam ſingularem, quā actuet: ſi actuare idem ſit, quod informare; tunc propoſitio tanquā vera, concedēda eſt: ſed actus non niſi formam ſignificare, aut pro forma ſupponere pōt, vt cum logicis loquamur: nos autem iam cōceſſimus, formam particularē pręexigere materiam particularem, quā informet, perficiat, atque determinet. Si verò actuare aliquid aliud ſignificet, quàm informare, ſicut in re noſtra ſignificat; tunc propoſitio abſolutè neganda eſt.

Perpenditur propoſitio Caietani, vtruſque illius ſenſus explicat.

Iam verò indiuidualis differentia, quę ea ratione, qua cōem naturam determinādi vim habet, eamque ad eſſe ſingulare deducendi, ſingularis actus nuncupatur, non pręexigit naturā, ſeu potentiā ſingularem, quam perficiat; quia tota vis perficiendi differentiæ indiuidualis in hoc conſiſtit, vt. ſ. naturam cōem ad eſſe ſingulare contrahat, ſingularemque reddat: nō igitur hic actus ſingularis ſingularem potentiam, quam actuet, pręexigere debet; ſed ſāt eſt, ſi in natura ſpecifica potentiā, vel habilitatem pręexigat, qua ipſa ad eſſe ſingulare contrahi, atque deduci poſſit.

Indiuidualis dīa nō præexigit potentiam ſingularem, ſed potentiam, vel habilitatē in natura ſpecifica ad eē ſingulare.

Ad ſecundum argumentū negatur minor. Ad probationem neganda eſt iterū minor. Ad primam probationem reſpondendum eſt, hecceitates Sortis, & Platonis dupliciter conſiderari poſſe. Primò per ſe, & ſecundum earum naturam, & ſic nec in ſpecie, nec in genere, immò nec in ente quidem, vt diximus, quidditatiuè conueniunt, ſed ſe ipſis primò diuerſæ ſunt. Deinde ſecundum reſpectum, quem habent ad indiuidua, quę conſtituunt, & hoc modo ſicut Sortes, & Plato conueniunt ſpecie, ita etiam differentiæ indiuiduales, in ipſis incluſæ, ſpecie conuenire dicuntur. Hac eadem reſponſione ſoluitur altera probatio: neque enim hecceitates Sortis, & Platonis ſimiles ſunt, nec comparabiles, nec vnius prædicamenti: nam ſi aliquo genere continerentur; aliquibus differentijs neceſſariò differrent, atque ita in differentijs abiretur in infinitum. Sunt igitur extra prædicamenta, & entis tantummodo

Solutio ſecūdi argumenti Caieta.

appel-

appellationem, ſeu denominationem accipiunt. Ad tertium, diſtinguenda eſt maior: illud enim, quod vni indiuiduo alicuius ſpeciei conuenit, & alteri repugnat; aut ponit indiuiduum illud, cui conuenit, iam conſtitutum eſſe; aut eo ipſo, quo illi conuenit, eodem illud conſtituit: ſi ponat indiuiduum, iam conſtitutum; verum eſt, illud indiuiduorum diſtinctionem præexigere: ſi verò non ponat; tunc diſtinctionem non præexigit: ſed ſicut eſt principium conſtituens illud indiuiduum, cui conuenit, in eſſe indiuidui, ita eſt principium, quo indiuiduum, iam conſtitutum, ab omni alio indiuiduo diſtinguitur. Poſſet etiam hoc Caietani argumentum contra ipſum in ſpeciebus ita retorqueri; quod conuenit vni ſpeciei, & alteri repugnat, ipſarum diſtinctionem præexigit: rationale conuenit homini, & repugnat aſino; ergo ipſorum diſtinctionem præexigit: non erit igitur rationale id, quo primò homo diſtinguitur ab aſino. Solutio tertij arg. Retorquetur argu. contra Caiet.

*Duæ ſubtiliſſimæ rationes contra Scoti ſententiam, ex Aureolo deducta diluuntur.*

*Cap. XXXIX.*

EX Aureolo quoque duæ ſubtiliſſimæ rationes eliciuntur, quibus probari poteſt, hecceitatem non eſſe principium indiuiduationis. Prima eſt huiuſmodi; ſicut animal multis ſpeciebus, ſub ſe contentis, commune eſt; & ratione alicuius ſibi additi, ad vnam, vel ad alteram contrahitur, fiuntque multæ ſignatæ propoſitiones, vt dicendo homo eſt animal, bos eſt animal, leo eſt animal, & de alijs eodem modo; ita hecceitas multis hecceitatibus, ſub ſe contentis, cõmunis eſt; & cùm ad ſua inferiora contrahitur, multæ ſignatæ propoſitiones pariter fiunt, vt dicendo, Sorteitas eſt hecceitas, Platoneitas eſt hecceitas, & ſic de alijs. Quæritur nunc aut hecceitas per aliquam differentiam ad ſua inferiora contrahitur, aut ſe ipſa: ſi ſe ipſa; ergo eadem ratione natura ſpecifica ſe ipſa ad eſſe ſingulare contrahi poterit: Si per aliam differentiam; ergo in differentijs dabitur proceſſus in infinitum. Altera ratio ea eſt; Humanitas, vt omnes concedunt, pluribus indiuidualibus differentijs, vt Sorteitati, Platoneitati, & alijs pluribus communis, atque indifferens eſt; nunc verò, cùm humanitas ad Sorteitatem determinatur, aut id efficit, rõne humanitatis ſimpliciter, aut per aliud, ipſi additum, quod ab ea indifferentiam remoueat: id quidem ratione humanitatis ſimpliciter eſſe non poteſt; quoniam quod ſecundum ſuam formalem rationem pluribus communis, atque indifferens eſt, ſecundum eandem formalem rationem ad vnum determinari non poterit: id igitur fiet, ratione alicuius ipſi additi, quod ab ea indifferentiam remoueat: ſed humanitas remota indifferentia, iam indiuidua, & ſingularis eſt; igitur eſt indiuidua ante aduentum Sorteitatis; atque adeo Sorteitas, vel alia quæuis hecceitas, non eſt principium indiuiduationis. Prima ratio facilè ſoluitur; negandum enim eſt quod aſſerit, ita pluribus hecceitatibus dari vnam hecceitatem communem, pro prima intentione acceptam, quemadmodum pluribus ſpeciebus datur vnum commune genus, ſiue illud pro prima, ſiue pro ſecunda intentione accipiatur. Nam conueniunt profectò hecceitates omnes in aliqua ſecunda intentione, quæ tamen non dicit aliquem conceptum communem, qui de illis prædicetur in quid; ſed ſolùm dicit nomen, quod de illis prędicatur in quale, hoc eſt, ſecundum denominationem. Et ſicut hæc prædicatio ſignata, vnitas eſt vna, non eſt prędicatio quidditatiua, ſed denominatiua; ita hęc prędicatio, hecceitas eſt hecceitas, vel Sorteitas, eſt hecceitas, eſt prędicatio denominatiua tantùm, non item quidditatiua. Altera ratio ſoluta difficilior eſt: includit enim ęquiuocationem quandam, quę multos errare fecit, longèque à vera ſententia adduxit. Etenim aliud eſt in naturalibus, & aliud eſt in metaphyſicis rebus diſputare: in naturalibus rebus fateor, id, quod commune eſt, & pluribus indifferens, ad vnum determinari non poſſe, niſi aliquid ei adijciatur, quod ab eo illam indifferentiam, atque communitatem remoueat. Exemplum apertiſſimum habemus de prima rerum omnium materia, quę per ſe omnibus formis recipiendis indifferens eſt; ad vnam tamen recipiendam determinari non poteſt, niſi aliquid ei addatur, hoc eſt niſi congruentibus affectionibus à naturali agente prępraetur. Hincque fit, vt aliqua materię portio tales in ſe affectiones contineat, vt ijs ipſis ita ad formam aliquę recipiendam præparata ſit, vt nullam aliam, ſic affecta, recipere poſſit. Secus eſt in rebus metaphyſicis, de quibus nunc ſermo eſt: natura enim ſpecifica communis quidem, & pluribus Prima ratio. Secunda rõ. Rñſio ad primã rationẽ. Rñſio ad ſecundam rationem. Natura ſpecifica vt ad ali

quam indiuidualē dīam determinetur nulla indiget affectione.

hecceitatibus indifferens eſt; tamen non eſt neceſſe, vt per aliquid ei additum, ad hanc, vel illam hecceitatem determinetur; ſed ſat eſt, ſi in ipſa poteſtas quædam, ſeu non repugnantia ad omnes etiam ſimul recipiendas reperiatur. In eadem portione materiæ duæ formæ diuerſi generis, & non ſubordinatæ ſimul eſſe non poſſunt; propterea opus eſt, vt à naturali agēte aliquibus qualitatibus illa materiæ portio ita afficiatur, vt formam, quam habet, abijciat, eam verò, quam determinatæ illæ affectiones reſpiciunt, in ſeſe recipiat. Natura verò ſpecifica, de qua modò diſſerimus, quanuis ad aliquam hecceitatem, vt ad Sorteitatem contracta ſit; eadem nihilominus per aliquam aliam differentiam indiuidualem adhuc contrahi, ac determinari poteſt, nec vllis omnino affectionibus indiget. Itaque per nihil ei additum, ad aliquam hecceitatem determinationem acquirit; ſed ea ipſa hecceitate, veluti forma quadam, ſingularis fit: ab eo verò, quod indiuiduum phyſicè parit, tanquam ab efficiēte cauſa, eandem ſingularitatem adipiſcitur.

A quonā ſpecifica natura ſingularis fiat.

### *Sueſſani argumenta contra Scotum.* *Cap. XL.*

Arg. primū.

SEd & Sueſſanus, loco ſupra citato, octo rationibus oſtendere nititur, Scotiſtarum ſententiam Peripateticis omnibus aduerſari; & primò ſic argumentatur. Si duo indiuidua eiuſdem ſpeciei aliquibus indiuidualibus differentijs, ſeu hecceitatibus inter ſe differrent, ſequeretur, vt duo indiuidua æquè eſſentialem ſub ſpecie differentiam haberent, ſicut duæ ſpecies æquè eſſentialem differentiam habent ſub genere: ſed conſequens eſt ſalſum; ergo & antecedens. Probat falſitatem conſequentis, autoritate omnium peripateticorum, qui ſanxerunt, quæcunque ſub genere differunt; eſſentia, quæ verò ſub ſpecie, accidentibus diſſidere; citatque Ariſtotelem, Auerroem, Porphyrium, Boetium, Philoppomum, Ammon. Simpl. Them. & ad ſummam omnes Peripateticos. Conſequentiam verò ſic deducit; quæcunque differunt differentijs, quæ ſub ſpecie, & ſub quolibet ſupra ſpeciem, primò diuerſæ ſunt, eſſentia differunt: ſed duo indiuidua differunt differentijs, nimirum hecceitatibus, quæ ſub ſpecie, & ſub quolibet ſupra ſpeciem, primò diuerſæ ſunt; igitur duo indiuidua eſſentia differunt. Maior eſt nota; quoniam hac potiſſimùm ratione ſpecies eſſentia differunt, quia differunt differentijs, quæ ſub genere, & ſub quolibet ſupra genus, primò diuerſæ ſunt, vt omnes teſtantur.

Arg. ſecūdū.

Secundò, quæcunque differunt differentijs, quæ non ſunt de ratione formali ſpeciei, immò ſunt quaſi extra rationem formalem illius, & cuiuſcunque ſuperioris ad ſpeciem, eſſentia differunt: ſed indiuidua differunt hecceitatibus, quæ ſunt extra eſſentiam ſpeciei, & cuiuſcunque ſuperioris ad ipſam; igitur duo indiuidua eſſentia differunt. Minor eſt Scotiſtarum. Maiorem autem ſic probat; quia duæ ſpecies ſub genere non alio differunt, niſi quia differentijs differunt, quæ ab ipſo genere, & ab omni ſuperiori ad genus formaliter differunt.

Arg. tertiùm

Tertiò, omnia differentia, quorum ratio differendi non eſt accidens, eſſentia, non item accidentibus diſtinguuntur: ſed duo indiuidua ſunt differentia, quorum ratio differendi eſt hecceitas, quæ non eſt accidens alicuius illorum; igitur duo indiuidua non accidentibus quidem, ſed eſſentia diſtinguuntur. Probat minorem, quia ſi hecceitas eſſet accidens, aut eſſet accidens proprium, aut commune; cùm tamen neutrum iſtorum ſit.

Arg. quartū.

Quartò, Omnis differentia aliquorum, pluſquàm propriis, & ſpecialibus accidentibus eorum, eſt differentia eſſentialis, & ſpecifica: ſed ſi indiuidua differūt hecceitatibus, differunt pluſquàm propriis, & ſpecialibus differentiis eorum; ergo ſi indiuidua differunt hecceitatibus, eorum differentia eſſentialis, atque ſpecifica eſt. Probat maiorem; quoniam differentia, quæ fit accidentibus communibus, eſt accidentalis: differentia, quæ fit accidentibus eſſentialibus, vt leonis, & hominis, ſuis proprietatibus, eſt eſſentialis, pertinens ad ſecundum modum dicendi per ſe; igitur differentia, quæ fit ijs, quæ antecedunt propria, & eſſentialia accidentia, erit ſimpliciter eſſentialis: ſed hecceitates, ſecundum Scotiſtas, tàm propria, quàm communia indiuiduorum accidentia antecedunt; igitur duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, natura, & eſſentia diſtinguuntur.

Arg. quintū.

Quintò, Accipit duas hecceitates, puta Socratis, & Platonis, & arguit eo ferè modo, quo arguebat Aureolus: hecceitas Socratis, remoto omni opere intellectus, plus conuenit cum hecceitate Platonis, quàm cum nihilo; vel hyppocentauro; igitur præter operationem intellectus, vna realis natura, & ea quidem communis danda eſt, in qua duę

illæ

illæ hecceitates conueniant; atque ita illæ duæ hecceitates primò diuerſæ non erunt, quod
eſt contra Scotiſtas. Probat conſequentiam; quia cuiuſlibet relationis realis dandum eſt fun
damentum reale, vt patet per eoſdem: ſed conuenientia, præter operationem intellectus, eſt
relatio realis, vt ijdem affirmant; igitur dandum eſt fundamentum reale talis relationis: hu-
iuſmodi non poteſt eſſe ſingulare, vt ipſi dicunt; erit igitur aliqua natura realis, ac proinde
dabitur hecceitas realis communis, quæ ad hanc, vel illam hecceitatem contrahitur. Sextò,
Arg. ſextum.
Cùm vnitas ſit entis affectio, omne illud, quod proximè conſequitur vnitas, eſt verè, &, vt
aiunt, formaliter ens: ſed hecceitatem proximè conſequitur vnitas; igitur hecceitas eſt for-
maliter ens; atque adeo hecceitates non erunt primò diuerſæ, cùm in ente conueniant. Se-
Ar. ſeptimũ.
ptimò illud aſſumit, nimirum, hecceitatem, cùm ſit formaliter ens, eſſe quoddam per ſe intel-
ligibile: tunc ita argumentatur; omne, quod eſt per ſe intelligibile, antequam intelligatur,
eſt poteſtate cognitum, & intellectum; igitur hecceitas, cùm ſit per ſe intelligibilis, antequam
intelligatur, erit poteſtate cognita, & intellecta: ſed omne poteſtate cognitum huiuſmodi
eſt, à quo intellectus in actu abſtrahi poteſt; igitur ab hecceitate abſtrahi poterit intellectus
in actu: id autem omne eſt per ſe indiuiduum, apud Auerroem; igitur hecceitas erit per ſe
indiuiduum: at indiuiduum, per Scotiſtas, conſtituitur hecceitate, igitur hecceitatis erit hec-
ceitas, quod videtur abſurdum. Octauò, Si indiuidua hecceitatibus inter ſe differrent, ſeque-
Arg. octauũ.
retur, vt duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, puta Socrates, & Plato, & duo indiuidua diuerſarum
ſpecierum, vt Socrates, & Brunellus, vel hic aſinus, inter ſe æqualem differentiam indiuidua-
lem haberent: Sed conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Falſitas conſequentis eſt no-
ta: quia Socrates, & Plato differunt accidentibus: Socrates verò, & Brunellus differunt eſſen-
tia. Conſequentiam ſic probat: quæcunque enim ijs differunt, quæ primò diuerſa ſunt, æ-
què differunt; quia primò diuerſa inuicem maximè diſtant: ſed Socrates, & Plato inter ſe
differunt hecceitatibus, quæ primò diuerſæ ſunt; & hecceitatibus pariter differunt Socrates,
& Brunellus; igitur duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, & duo indiuidua diuerſarum ſpecierum
æqualem differentiam indiuidualem habent.

### *Prædictorum argumentorum ſolutio.* Cap. X Lil.

HÆc quoque Sueſſani argumenta facilè diſſoluuntur. Ad primum præmittendum eſt,
Ad primum argumẽtum.
eſſentialem differentiam dupliciter accipi poſſe, primò pro differentia magis propria,
quæ teſte Porphyrio in prædicabilibus, facit aliud: deinde verò pro differentia, qua vna na-
tura ſubſtantia, vel, vt Scholæ loquuntur, eſſentia, differt ab alia. Grauiores Peripatetici in eo
conueniunt, eiuſdem ſpeciei indiuidua eſſentiali differentia, primo modo accepta, non differ-
Eſſentialis dĩa dupliciter accipi poteſt.
re: nanque Socrates alter quidem eſt à Platone, non tamen alius; nihilominus duo indiui-
dua eiuſdem ſpeciei inter ſe differunt, eſſentiali differentia, ſecundo modo ſumpta; quoniam
Duo indiuidua eiuſdem ſpeciei ſubſtãtia primò differunt.
vtrunque propriam ſubſtantiam, atque naturam habet, ab altero diſtinctam: ſubſtãtia enim
Socratis non eſt ſubſtantia Platonis, neque contrà. Et quanuis Peripatetici affirment, eiuſ-
dem ſpeciei indiuidua inter ſe accidentibus diſſidere; conſiderandum tamen eſt, eos non lo-
qui de prima radice diſtinctionis, qua vnum indiuiduum ab altero diſtinguitur: ſed de mani-
Qua ratione cõpetat indiuidu'is dĩa accidentalis.
feſtiore differentia, quæ in cauſa eſt, cur nos, vnum indiuiduum ab altero diſtinctum eſſe, co-
gnoſcamus: multa enim ſunt accidentia, vt albedo, nigredo, gibboſitas, bleſitas, naſi curuitas,
aut ſimitas, & id genus alia, quibus vnum eiuſdem ſpeciei indiuiduum ab altero diſtinguitur;
tamen, vt ſupra luculenter oſtendimus, indiuiduum priùs natura conſtitutum eſt, quam hu-
iuſmodi accidentibus ſit affectum: ea enim ab ipſo potius ſingularitatem accipiunt, quàm
quòd illi ſingularitatem aliquam tribuant. Non ergo duo eiuſdem ſpeciei indiuidua primò,
& per ſe accidentibus, ſed proprijs ſubſtantijs, ſeu gradibus quibuſdam, qui in proprijs ſub-
ſtantijs ſtatitant, diſtinguuntur. Nunc ad formam argumenti reſpondendum eſt, diſtinguen
Reſpõſio ad formam arg.
do conſequentiam: ſi enim illa de eſſentiali differentia, ſecundo modo accepta, intelligatur,
omninò concedenda eſt: nam quemadmodum duæ ſpecies eiuſdem generis inter ſe eſſentia
differunt, hoc eſt proprijs differentijs, quæ ipſas in eſſe ſpecifico conſtituunt, nec extrinſecùs
illis conſtitutis adueniunt; ita duo eiuſdem ſpeciei indiuidua inter ſe eſſentia differunt, quia
proprijs differentijs differunt, quæ ipſa in eſſe indiuiduali conſtituunt; non autem eiſdem,

iam

iam conſtitutis, contingunt. Si autem eſsentialis differentia primo modo accipiatur, pro ea, ſcilicet quæ facit aliud; tunc conſequentia neganda eſt. Ad probationem concedimus, duo indiuidua differentijs differre, quæ ſub ſpecie, & ſub quolibet ſupra ſpeciem primò diuerſæ ſunt, atque adeo ipſa inter ſe eſsentia, hoc eſt, proprijs naturis, atque ſubſtantijs, diſſidere, vt explicatum eſt antè.

Ad 2. 3. & 4. argumētum.

Ad ſecundum, tertium, & quartum argumentum eadem reſponſione reſpondendum eſt: concedendo ſcilicet, duo eiuſdē ſpeciei indiuidua inter ſe eſſentia differre, quia, ſcilicet aliquibus accidentibus non differunt, ſed proprijs ſubſtātijs; & hoc eſt, quod probant illa argumenta: negandum tamen eſt, eadem indiuidua eſſentia, hoc eſt ſpecie diſſidere, quemadmodum fruſtra Sueſſanus ijs argumentis probare contendit.

Ad 5. argm̄.

Ad quintum admittimus, hecceitatem Socratis, remoto quocunque opere intellectus, plùs conuenire cum hecceitate Platonis, quàm cum nihilo, vel hippocentauro: quia quod eſt ens, maiorem habet conuenientiam cum ente, quàm cum nihilo, vel cum chimera. Cùm verò infert Sueſſanus, ergò, remoto opere intellectus, aliqua natura communis, & ea quidem realis, danda eſt, in qua eiuſmodi hecceitates conueniant; ſi id intelligat ſecundum denominationem, concedimus: ſi verò ſecundum quidditatiuam prædicationem, negamus: ea autem natura communis realis non eſt hecceitas communis, vt ipſe putauit (hecceitas enim communis, vt ſupra docuimus, nullum dicit realem conceptum, ſed tantùm commune nomen) ſed eſt natura entis, in quo omnia conueniunt, quæ entia nuncupantur.

Ad ſextū ar.

Ad ſextum, admittimus pariter, duas hecceitates in ente conuenire: & cùm infertur, ergo non ſunt primò diuerſæ; neganda eſt conſecutio: ratio negationis eſt, quia non conueniunt in ente, tanquam in eo, cuius quidditatiuam prædicationem recipiant; ſed tanquàm in eo, cuius tantummodò nomen cum illis commune ſit.

Primò diuerſa quæ dicantur.

Quæcunque autem ſic ſe habent, primò diuerſa dicuntur: cùm enim nihil ſupra ſe habeant, quod de ipſis per modum generis prædicetur in quid; nullas pariter differentias habere poſſunt, quibus inuicem diſtinguantur.

Ad ſeptimū arg. explicat locus Auerr. 3. de Anima, com. 5.

Ad ſeptimum, quod tanquàm fundamento nititur autoritate Auerrois tertio de Anima, commento quinto, reſpondendum eſt, Auerroem ibi de mente Ariſtotelis docuiſſe, ſenſibilia, priùſquàm re ipſa intelligantur, poteſtate intelligibilia fieri, hoc eſt, agentis intellectus ope, de ordine ſenſibilium ad intelligibilium ordinem traduci: conſtat autem, ſenſibilia omnia ſingularia eſſe: inde tamen concludere non licet, omne, quod eſt poteſtate intelligibile, ſingulare eſſe; quia multa ſunt, quæ reapſe non intelliguntur, ſed intelligi poſſunt, & tamen ſingularia non ſunt.

Aliquid eſſe poteſtate intelligibile, duobus modis cōtingere poteſt.

Quare aliquid eſſe poteſtate intelligibile, duobus modis contingere poteſt, vno modo poteſtate remota: altero, poteſtate proxima. Illud dicitur intelligibile, poteſtate remota, quod eſt obiectum ſenſus, & nondum de ordine ſenſibilium ad intelligibilium ordinem deductum eſt; & id omne indiuiduum eſt, propriam habens differentiam indiuidualem. Illud verò dicitur intelligibile poteſtate proxima, quod non eſt obiectum ſenſus, ſed intellectus; re ipſa tamen non intelligitur, quia intellectus circa ipſum ſuas vires non exercet, exercere tamen poteſt. Porrò huiuſmodi intelligibile non eſt neceſſe, vt ſit indiuiduum, propriam habens differentiam indiuidualem; ſed ſat eſt, ſi aliquo modo ſit obiectum intellectus: quod quidem non ad indiuiduum tantùm, verùm etiam ad ſpeciem pertinere poteſt; & huiuſmodi eſt differentia indiuidualis, ſcilicet hecceitas, quæ cùm ſit ens, priùs proxima poteſtate, quàm re ipſa, intelligibilis eſt, atque ad indiuiduum conſtituendum concurrit. Quòd ſi quid roboris hoc Sueſſani argumentum aduerſus indiuidualem differentiam haberet, id ipſum quoque aduerſus ſpecificam differentiam validiſſimum eſset: nam differentia ſpecifica eſt per ſe ens; ergo per ſe intelligibilis, & priùs poteſtate, quàm re ipſa: illa igitur eſset indiuiduum hecceitate conſtans, quod Sueſsanus non admitteret.

Vide diſtinctionē ſupra poſitam c. 5.

Addi etiam poteſt, indiuidualem differentiam ſingulare per ſe, & primò appellari poſse, eo modo, quo initio huius diſputationis docuimus: neque oportere, vt ſingulare, ſic acceptum, hecceitate conſtet, cùm ſit ipſamet hecceitas.

Ad octauum argumētum.

Ad octauum reſpondendum eſt, ſi eſsentia differre, ſit proprijs ſubſtantijs differre; duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, vt Socratem, & Platonem, & duo indiuidua diuerſarum ſpecierum, vt Socratem, & hunc aſinum, inter ſe æquè eſsentialem differentiam habere: differunt enim differentijs, quæ ſunt primò diuerſæ, & in nullo genere conueniunt, quod de illis prædicetur in quid; ſed ſolùm in ente, quod de illis tantùm prædicatur in quale, & ſecundum denominationem. Cùm verò probat Sueſsanus duo indiuidua eiuſ-

eiuſdem ſpeciei accidentibus tantùm differre; iam reſponſum eſt ſuprà, differentiam, ab accidentibus ſumptam, eſſe quidem manifeſtiorem differentiam, qua vnum indiuiduum ab altero diſtinctum eſſe cognoſcimus; nequaquam tamen primam differentiæ radicem eſſe, qua vnum indiuiduum ab altero diſtinguitur. Et ſi quis dicat; maiorem differentiam eſſe inter Socratem, & hunc aſinum, quàm inter Socratem, & Platonem; quia hæc numero, illa verò ſpecie differunt: Reſpondendum eſt, Socratem, & hunc aſinum ideo ſpecie differre, quia homo, & aſinus differunt ſpecie; eadem verò, ſpectata quatenus indiuidua ſunt, non niſi proprijs indiuidualibus differentijs diſſidere.

Obiectio.

Solutio.

*Archangelo Mercenario, Scoti ſententiam reprobanti, ſatisfit.* Cap. XLII.

ARchangelus etiam Mercenarius, in ſua diſputatione de principio indiuiduationis, Scoti ſententiam tribus potiſſimùm in rebus carpere nititur. Primò materiam totius, quam ipſe excogitauit, euertendo. Deinde oſtendendo, Ariſtotelis autoritates, quibus Sanctus Thomas probauit; indiuiduationis principium eſſe materiam ſignatam, de materia partis, non etiam de materia totius intelligendas eſſe. Denique probando, vanum eſſe, in ſubſtantiali compoſito, præter indiuiduationis principium, quo ipſum compoſitum ſingulare eſt, proprias etiam formæ, atque materiæ hecceitates ſtatuere. Quod attinet ad primum, hunc in modum Mercenarius ratiocinatur: materia totius, ex Scoto, vim habet contrahendi naturam communem ad eſſe ſingulare, atque illam determinandi, eo modo, quo differentia ſpecifica determinat naturam genericam, illamque ad ſpecificum eſſe deducit: ſed quod habet vim contrahendi, & determinandi, habet rationem actus, vt patet ſeptimo Metaphyſicorum: igitur hæc materia totius habebit rationem actus: at ſi totam naturalem, atque etiam diuinam philoſophiam percurras, nunquam, apud Ariſtotelem, definitam materiam reperies, quæ actus rationem habeat: hæc igitur materia totius, quam Scotus excogitauit, purum figmentum eſt. Antequam vlteriùs progrediamur, huic primæ obiectioni ſic velim occurras; Ariſtotelem neque in naturali; neque in diuina philoſophia vllam vnquàm materiam definiuiſſe, quæ actus rationem obtineat: tùm quia in ijs locis ſemper de materia partis, quæ habet rationem poteſtatis, locutus eſt: tùm etiam quia nulla re vera datur materia totius, quæ definitionem expoſcat: ſed datur potius materia totius, ſecundum appellationem, hoc eſt, datur entitas aliqua, quæ ratione alicuius ſimilitudinis, vel comparationis, materia totius iure optimo appellari meretur: quam quidem entitatem Ariſtoteles non neglexit; immò eiuſdem multis in locis, vt ſuprà explicuimus, mentionem fecit. Conſtat apud omnes, in doctrina Ariſtotelis, dari formam totius, quæ eſt ipſius rei natura, quidditas, & eſſentia: hanc enim formæ nomine ſignificauit, dum primo de Cælo text. 92. ita ſcripſit. *Qui dicit Cælum, dicit formam*, ideſt naturam, atque ſubſtantiam cæli. Et poſſumus nos addere, ad maiorem explicationem, qui dicit hominem, dicit formam, ideſt, naturam, & eſſentiam hominis, quæ eſt forma totius; non rationalem animam; quæ eſt forma partis, vt ſupra ſatis explicatum eſt. Si ergo datur forma totius; illud pariter dari neceſſe eſt, quod ipſi ſecundum relationem opponitur: quod certè nil aliud erit, quàm materia totius. Eam verò Ariſtoteles, loco ſuperius citato, ijs verbis expreſſit, dum dixit. *Qui dicit hoc Cælum, dicit formam in materia*, ideſt eſſentiam, ſeu naturam cæli, non amplius abſolutè ſpectatam, ſed iam contractam, & in re ſingulari exiſtentem. Sicut igitur forma totius eſt ipſa rei quidditas, ita id, quod extra rei quidditatem reperitur, materia totius iure optimo nuncupabitur. Huiuſmodi autem eſt indiuidualis proprietas: ſi enim hominem definias, nullam in eius definitione indiuidualem proprietatem reperies. Neque verò abſurdum eſt, indiuidualem proprietatem rationem actus habere, & materiam appellari: quoniam non eſt materia partis, quæ rationem habet poteſtatis; ſed ideo dicitur materia, totius, quia ſecundum relationem opponitur formæ totius. Quod attinet ad ſecundum, multis explicationibus egregius iſte vir ſuadere contendit, autoritates illas Ariſtotelis, quibus probari ſolet, materiam eſſe principium indiuiduationis, de materia partis, & nullo modo de materia totius intelligendas eſſe: verùm quoniam nos ſupra, ſoluendo argumenta, pro opinione Diui Thomæ propoſita, ſatis dilucidè, vt opinor, omnia illa Ariſtotelis loca expoſuimus; ideo aliis iudicandum relinquimus, re-

Tria capita Scoticæ ſn. ę à Mercenar. reprobata.

Mercenarij ratiocinatio.

Mercenario occurr. ē, oſtēditurq́; inueniri apud Ariſt. materiam totius.

Ariſt. 1. de cęlo conceſſit formā, atque materiam totius.

Lege cap 25 huiuſce d ſp. cū tribus ſequentibus.

ecte

ĉtè expoſita fuerint nec ne,& vtra verior,atque germanior ſit,noſtranè, an Mercenarij interpretatio. Quod attinet ad tertium,probat Mercenarius,vanum eſſe,in ſubſtantiali compoſito proprias materiæ,& formæ hecceitates ſtatuere; cùm vna totius compoſiti hecceitas ſatis ſit;nam ſubſtantiale compoſitum,inquit,vnum tantùm numero eſt; ergo ſatis eſt vna materia,qua ipſummet compoſitum indiuiduum dicatur:atque adeo in ſubſtantiali compoſito vna tantùm reperitur hecceitas,omnibus inſeruiens, quæ ad ipſum indiuiduum intimè pertinent. Hæc obiectio facilè diluitur; ſicut enim in compoſito phyſico vna tantùm totius entitas reperitur,quæ tamen ex duabus ſimul iunctis entitatibus, nimirum ex entitate materiæ,& ex entitate formæ proficiſcitur;ita in indiuiduo,quod compoſitum quoddam metaphyſicum eſt,vna tantùm totius hecceitas reperitur,quæ tamen ex hecceitate partium ortum ducit. Nam Sortes exempli gratia,eſt hic,quia ex hac materia, & ex hac forma conſtat;igitur in aliquo priori naturæ ſigno,antequam Sortes ſit hic,materia,& forma proprias habent hecceitates:quas tamen in indiuidui conſtitutione non amittunt,ſed illas ſemper retinent,atque conſeruant.

*Arg. Mercenarij probãs materiæ, & formæ nõ cõpetere proprias hecceitates.*

*Solutio.*

### *Franciſco Piccolomineo,nonnullas Scoti propoſitiones reijcienti,occurritur. Cap. XLIII.*

FRanciſcus tandem Piccolomineus lib. tertio de Prima rerum naturalium materia cap. 16.tametſi cum Scoto conſentiat,dari materiam totius; ab eo tamen quatuor potiſſimũ in propoſitionibus diſſentire viſus eſt. Et primò quidem mediam illam inter genericam, & ſpecificam vnitatem,quam Scotum aſſerit effinxiſſe,commentum iudicat: quoniam ante aduentum differentiæ ſpecificæ,ſemper ea vnitas pertinet ad genus,& generica eſt; quia vnitas ſequitur formam: poſt aduentum verò differentiæ ſpecificæ, iam ſpecifica eſt: inter gradum autem genericæ,atque ſpecificæ formæ nullum medium intercedit. Deinde falſum eſſe arbitratur, materiam totius eſſe illam vltimam realitatem, quam Scotus hecceitatem appellauit:quoniam cùm forma totius ſit compoſiti eſſentia,atque eidem materia totius relatiua oppoſitione opponatur;fit, vt quicquid extra rei eſſentiam,& quidditatem reperitur, materia totius iure optimo nuncupari poſſit; ac propterea cùm accidentia omnia, & conditiones quælibet indiuiduantes extra rei quidditatem reperiantur; ipſis re vera materiæ totius nomen competere poterit. Tertiò abſurdum eſſe iudicauit,materiam totius, Deo excepto,rebus omnibus conuenire,ſiue ſimplices illæ ſint,ſiue compoſitæ: nam tametſi in rebus compoſitis aliud ſit res,& aliud eſſe rei,vt docet Ariſtoteles tertio de Anima text.9.in abiunctis tamen à materia res,& eſſe rei in idem recidunt; ac proinde ſubſtantiæ abſtractæ,cuiuſmodi ſunt Intelligentiæ omnes,materia totius carere dicuntur. Denique falſum arbitratur, materiam totius eſſe principium indiuiduationis: quoniam Ariſtoteles 5. Metaphyſicorum text.duodecimo.vbi hac de re locutus eſt,& materiæ mentionem fecit,dum dixit,ea vſnum numero eſſe,quorum materia eſt vna;nomine materiæ,non materiam quidem totius, ſed materiam propriè dictam,quæ eſt altera compoſiti pars,intellexit. Cogor, non,ita me Deus amet,ad Scoti,ſententiam defendendam,ſed ad rei veritatem aperiendam, cum viro Excellentiſſimo congredi. Primam propoſitionem omittemus,donec apud alios,ac præſertim apud eius ſectatores conſtet,vtrum Scotus,loco,ab eodem Piccolomineo citato, ſtatuerit,inter genericam,& ſpecificam vnitatem,mediam quandam vnitatem reperiri:an docuerit,ſpecificam naturam vnitatem habere,quæ minor ſit vnitate numerali,eo modo,quo nos ſuperiùs ſatis multis declarauimus. Quæ verò obijcit,contra ſecundam propoſitionem,facilè tolluntur:quanuis enim materia totius aliquid appelletur, quod extra rei eſſentiam, & quidditatem reperitur; non tamen reciprocari licet,vt quicquid extra rei eſſentiam,& quidditatem reperitur,materia totius iure nuncupetur. Accidentia, quæ multas indiuiduantes conditiones præſeferunt,ſunt quidem extra rei quidditatem; tamen ea ipſa quidditatem non deferunt,aut ad eſſe ſingulare deducunt;& propterea materiæ munere non funguntur. At verò vltima illa realitas,quàm Scotus hecceitatem appellauit,ea eſt,quæ naturam ſpecificam contrahit,quæ quidditatis velut ſubiectum exiſtit,atque vniuerſalem eſſentiam ad eſſe ſingulare deducit;& propterea ea ſola eſt,quæ materiæ totius nomine nuncupari poteſt.

*Prima obiectio Piccol.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Quarta.*

*Occurrit primæ obiect.*

*Solutio ſecũdæ obiect.*

A ter-

Solutio tertiæ obiect.

Explan context. 9 lib 3. de Anima.

A tertia propoſitione omnis ſcrupulus facilè remouebitur, ſi quidnam Ariſtoteles in textu illo nono, tertij libri de Anima docuerit, breuiter oſtendetur. Cùm ibi itaque de duplicis facultatis obiecto, ſermo eſſet, ſentientis nimirum, & intelligentis; oſtendit Ariſtoteles, in ſenſibilibus rebus aliud eſſe, quod percipitur ſenſu, vt carnem: aliud verò, quod percipitur intellectu, vt carnis eſſentiam, & quidditatem: hanc autẽ diſtinctionẽ vt in compoſitis, & ſenſibilibus rebus neceſſariam eſſe; ita in rebus à materia abiũctis, in quibus res, & eſſe rei ſunt penitus idem, nullum omninò locum habere exiſtimauit. Iam verò, per rem, & eſſe rei, non intellexit Ariſtoteles naturam ſpecificam, & ſingularitatem, vt vir excellentiſſimus arbitratus eſt; ſed naturam ſenſibilem, & quidditatem intelligibilem; propterea dixit, in habentibus formam in materia, aliud eſt res, hoc eſt, natura ſenſibilis; & aliud eſſe rei, hoc eſt quidditas intelligibilis: quæ quidem duo, ſic diſtincta, aut diſtinctam cognoſcendi facultatem, aut eandem, alio, & alio modo affectam, expoſcunt. In ijs verò, quæ formam in materia non habent, ſed puræ, ſimplicesque ſubſtantiæ ſunt, cuiuſmodi ſunt Intelligentiæ; res, & eſſe rei ſunt penitus idem: non enim ipſæ habent naturam ſenſibilem, à qua intelligibilis quidditas ſeiungi debeat. Non ideo tamen ſequitur, vt huiuſmodi Intelligentiæ materia totius careant, quæ verum principium indiuiduationis dicitur: quanuis enim in ipſis natura ſenſibilis à quidditate intelligibili diſtincta non inueniatur (totum enim, quod eſt in ipſis, intelligibile dicitur) in eiſdem tamen exiſtentia ab eſſentia aliquo modo diſtincta reperitur: ſolus enim Deus eſt, qui eſt ſuum eſſe, quique caret omni principio indiuiduationis, vt paulò dilucidiùs ſequenti capite oſtendemus. Quod verò attinet ad quartam propoſitionem, cùm iam ſuperiùs latè patefecerimus, Ariſtotelem in duodecimo illo contextu quinti libri, Metaphyſic. de nulla alia materia, niſi de materia totius locurum eſſe, nihil eſt, quod nunc fruſtra eadem repetamus.

Pro ſolutione quartę obiectionis lege quæ ſcripta ſunt ſup. cap. 25.

## *De Principio indiuiduationis ſubſtantiarum immaterialium.*

### *Cap. XLIV.*

Quære diſp. In quo pàgene cæteterna à Deo pẽdeant.

Idẽ eſt principium indiuiduationis materialium, & immaterialiũ ſubſtãtiarum.

Tres gradus ſubſtantiarũ imaterialiũ.

Cum iam latè patefecerimus, quod nam ſit principium indiuiduationis ſubſtantiarum materialium; conſentaneum videtur, vt nonnulla etiam de principio indiuiduationis ſubſtantiarum immaterialium obiter dicamus: huius enim difficultatis enodatio à pluribus alijs diſputationibus pendere videtur, præſertim in Ariſtotelis doctrina: & propterea ſatius erit, nunc breuiter rei veritatem aperire, quàm longis nonnullorum Peripateticorum digreſſionibus rem totam perturbare. Dicendum itaque eſt, principium, indiuiduationis ſubſtantiarum immaterialium illud ipſum eſſe, quod res quoque materiales in eſſe ſingulare cõſtituit, nimirum vltimam illam realitatem, naturæ communi additam, ſeu hecceitatem ipſam, quæ totius materia nuncupatur. Porrò ſubſtantiarum immaterialium tres gradus reperiuntur. In primo collocantur rationales animæ, à corporibus ſeparatę, quæ Intelligentiarum munere funguntur, quatenus ſcilicet, perpetuò intellectionibus addictæ ſunt. In ſecundo ponuntur ſimplices illę ſubſtantię, quæ cæleſtibus orbibus aſſiſtunt, eoſdemque continenter mouent. In tertio vna tantùm reperitur ſubſtantia, omnium prima, & ſimpliciſſima, & hęc eſt Deus Optimus Maximus. Cùm igitur omnes ſeparatę ſubſtantiæ, prima excepta, compoſitionem illam includant, quam Scholæ ex eſſe, & eſſentia paſſim appellant; fit, vt in ijs etiam principium aliquod ponendum ſit, quod eſſentiam, & quidditatem contrahat, atque ad ſingularitatem deducat. Duę igitur animę, vel duę Intelligentię numero quidem diſtinctę ſunt: non tamen materia, aut forma, aut quantitate, aut alijs accidentibus ſenſibilibus; cùm his omnibus omninò careant. Quare neceſſe eſt dicere, illas proprijs hecceitatibus eſſe diſtinctas. Sed dicet aliquis, quis prohibet, quominus Intelligentia exempli gratia, Saturni ab Intelligentia Iouis, eo ipſo diſtincta eſſe dicatur, quia hęc Iouis Orbem mouet, illa verò Saturni? Hęc obiectio ex iam ſuperiùs dictis facilè reijcitur: quòd enim hęc Intelligentia Iouis Orbem moueat, illa verò Saturni, hoc quodammodo illis accidit: propterea ſi huiuſmodi accidens cogitatione ſaltem ab hiſce Intelligentijs remoueamus; iam per ſe ita ipſę diſtinguentur, vt vna altera dici non poſſit: igitur principium intimum, quo inter ſe numero diſtinguuntur, aliquid eſt, quod in earum ſubſtantijs latet, vt ſupra

Subſtantiæ oẽs, præter Deum, ſunt cõpoſitæ ex eſſe, & eſſentia, habent q; principium, quo ſingulares ſiunt.

Obiectio.

Solutio.

de

Subſtãtia diuina ſeipſa ẽ hæc, quia omni caret compoſitione.

de ſenſibilibus ſubſtantijs dictum eſt. Quod verò attinet ad primam Intelligentiam, cùm ipſa ſimpliciſſima ſit, & omni prorſus compoſitione careat, vel ea, quæ dicitur, ex eſſe, & eſſentia; omni quoque indiuiduationis principio carere dicetur; & propterea Ariſtoteles 12. Metaph. tex. 49. ab hac Intelligentia totius materiam ſecluſit, dum primum motorem materiã non habere, aſſeuerauit. Natura itaque diuina cùm neque communis, neque vniuerſalis ſit, ſicut cæteræ naturæ, ſed omnino ſingularis; cùmque neceſſe non ſit, vt per aliquid ad eſſe ſingulare contrahatur, quia ea ipſa eſt ſuum eſſe; ſequitur, vt ipſa per ſe ſingularis ſit, omnique prorſus indiuiduationis principio careat.

### *Totius diſputationis epilogus.* *Cap. XLV.*

Opinio Aureoli.

CONcludamus igitur, principium illud, quod indiuiduum non quidem in eſſe phyſico, ſed in eſſe metaphyſico, & intra prædicamenti ſeriem primò conſtituit, non eſſe entitatem naturæ, quæ ſe ipſam ad ſingularitatem deducat, vt voluit Aureolus: quoniam entitatem illam vnitas quædam conſequitur, quæ numerica non eſt, ſed minor vnitate numerali.

Opinio Henrici.

Neque eſſe ſimplicem, aut duplicem negationem, vt putauit Henricus: quanuis enim id, quod indiuiduum eſt, negationem diuiſibilitatis in plura eiuſdem rationis includat; nihilominus illa diuiſibilitatis negatio aliquo reali, & poſitiuo fundamento nititur, ratione cuius indiuiduum in plura eiuſdem rationis diuidi nequit: illius igitur negationis fundamentum, tanquàm proximum indiuiduationis principium quærendum eſt.

Opinio Rogerij Bachonis.

Neque eſſe exiſtentiam, vt placuit Rogerio Bachoni: quoniam exiſtentia indiuiduum in eſſe metaphyſico iam conſtitutum ponit, & eidem quodammodo accidere dicitur; eius igitur principium eſſe non poteſt.

Opinio Gotfredi.

Neque eſſe quantitatem, vt cenſuit Gotfredus: nam ſi terminata illa ſit, ſicut accidens quodlibet, ſubſtantialem formam in materia conſequitur; ponit igitur indiuiduum, iam conſtitutum. Si interminata; cùm illa non ſit, niſi materia prima, apta per quantitatem finiri, quæ eadem numero in re genita, & diſſoluta reperitur; tunc id, quod genitum eſt, & id, quod iam intercidit, idem numero eſſent, quod philoſophiæ peripateticæ penitus aduerſatur.

Opinio, quæ Porphyrio, Boetio aſcribitur.

Neque eſſe multorum accidentium collectionem, vt nonnulli Porphyrio, atque Boetio aſcripſerunt: quoniam accidentibus omnibus ab indiuiduo cogitatione ſeiunctis, adhuc indiuidui ſubſtantia ſingularis eſt; & cùm ſubſtantia, natura, tempore, & definitione, accidens omne præcedat, neceſſe eſt, vt indiuiduum, quo ad eſſe ſubſtantiale, priùs ſaltem natura conſtitutum ſit, quàm vllis accidentibus afficiatur.

Opinio Sancti Thomæ.

Neque eſſe materiam, quantitate ſignatam, vt Diuus Thomas exiſtimauit: tùm quia materia ſi per ſe ſumatur, communis, & indifferens eſt, atque adeò alteri ſingularitatem tribuere non poteſt: tùm etiam quia ſi quantitas, qua materia ſignata dicitur, definita, & determinata eſt; iam aliunde determinationem accepit, indiuiduoque iam conſtituto, acceſſit. Si verò indefinita, & indeterminata eſt; igitur indiuidui, quod determinatum, & definitum eſt, principium ſtatui non poteſt.

Opinio recẽtiorum Philoſophorum.

Neque eſſe formam, cum materia coniunctam, vt recentiores philoſophi tradiderunt: hæc enim principia quidem ſunt, indiuiduum ipſum in eſſe phyſico, non item in eſſe metaphyſico conſtituentia:

Opinio Scoti.

Itaque verum indiuiduationis principium eſt gradus quidam interior ſubſtantię, qui vltima eius realitas, vel materia totius dicitur: proprio autem, & congruenti nomine hecceitas nuncupatur, quatenus vim habet naturam ſpecificam ad eſse hoc, nimirum ad eſse ſingulare deducendi.

Speculare hoc diligenter in doctrina Ariſto. & lege, quę ſcripſimus diſputatione 7.

Quod quidem non modò in materialibus, ſed etiam in immaterialibus ſubſtantijs, prima excepta, veriſſimum eſt: conſtant enim ipſæ ex eſse, & eſsentia, & propterea aliquid requiritur, quod earum naturam communem ad ſingularitatem deducat, quod certè nil aliud eſse poteſt, quàm hecceitas. Prima autem Intelligentia, quæ eſt ipſemet Deus, cùm à ſe ſit, nec ab vllo pendeat, ſimpliciſſimam naturam obtinet, nullo pacto ex eſse, & eſsentia conſtantem, ſed per ſe vnam, &, nulla alterius entis acceſſione, ſingularem.

FINIS.

# INDEX RERVM NOTABILIVM,

## Quæ in hoc Opere continentur.

*A*bſoluta alicuius rei conſideratio non impeditur propter aliquam relationem, quam ad aliud obtineat. pag. 333

*Abſtractio fieri nequit citra cognitionem eorum, à quibus fit.* 32

*Abſtractio duplex, præciſiua, & diuiſiua.* 271

*Accidens quomodo dicatur ſubiectum accidentis.* 261

*Accidens ſine ſubiecto virtute diuina conſiſtere poteſt.* 277

*Accidens abſolutum, & reſpectiuum quid differãt.* ibid.

*Accidentia habent propriam exiſtentiam, indigent tamen conſeruante ſubiecto propter ſuæ imperfectionem.* 323

*Accidentia, quæ in compoſito inſunt, ſunt duplicis generis.* ibid.

*Accidentia non eodem modo educuntur de poteſtate cõpoſiti, quo educitur forma de poteſtate materiæ.* 373

*Accidentia ſunt principia rei ſingularis, quatenus illam indicant: principium verò rem ſingularem primò conſtituens, eſt differentia indiuidualis.* 478

*Accidentia eſſe entia ſecundum quid, quomodo intelligendum.* 9

*Accidentia rei minus vniuerſalis, quando ſenſum feriant.* 33

*Accidentis eſſe eſt ineſſe, quomodo intelligatur.* 266

*Actio datur inter qualitates contrarias, oritur à proportione maioris inæqualitatis.* 285. & 395

*Actiuum, & paſſiuum quomodo ad generationem, & interitum concurrere dicantur.* 269

*Actus interdum ſumitur pro endelechia, interdum verò pro energia.* 65. 418. & 425

*Actus duplex, entitatiuus, & formalis.* 41

*Actus entitatiuus quomodo differat à materia prima.* 45

*Actus, & potentia ſunt duo modi interiores, exiſtentia poſteriores.* 67

*Actus accipitur vel pro perfecta exiſtentia, vel pro aptitudine ad actuandũ, & hæc eſt notabilis diſtinctio.* 68

*Actus, & potentia ſintne relatiua ſecundum eſſe, an ſecundum dici.* 71

*Actus, & potentia ſunt prima rerum elementa, quæ materiam, & formam, veluti vmbra corpus, inſequuntur.* 75

*Acuti morbi non numeri facultate, ſed humorum natura diebus imparibus gignuntur.* 205

*Ad res latentes ſignificandas non eſt neceſſe nomina fingere, ſed ſat eſt interdum, ſi proprietatibus explicentur.* pag. 327

*Ad rerum ſcientiam comparandam non ſolùm diſtinctiones dignoſcendæ ſunt, verumetiam diſtinctionum fundamenta.* 486

*Aegyptij cur Hieroglyphicis literis vtebantur.* 209

*Aeterna ſunt duplicis generis.* 135

*Aeterna productio eſſe non poteſt, quin ſit neceſſaria.* 101

*Aeternæ res permanentes efficientem cauſam habere non poſſunt.* 147

*Aeterna ſubſtantia mouentis nomine quid vltimo libro Phyſ. Ariſtoteles intellexerit.* 139

*Aeternis rebus in fluxu poſitis non repugnat efficientia.* 147

*Aeternitas cæleſtis motus eſt cauſa æternitatis cæterorum motuum.* 135

*Aeternitas in cæleſtibus corporibus quonam pacto intelligenda ſit.* 148

*Aeternitas, quæ eſt motus interior Dei, nulli creaturæ cõuenire poteſt.* 100

*Aeternum quod eſt à parte anteriore, æternum pariter eſt à parte poſteriore.* 99

*Aethereo ſpiritu quomodo ſecundum Platonem mundi corpus, & eius anima copulantur.* 221

*Aethereus ſpiritus partus eſt animæ mundi, cuius comes eſt cæleſtis feruor.* ibid.

*A fabis abſtinendum, panem non eſſe frangendum, oleo ſedem non eſſe abſtergendam, & alia id genus Pythagorica quomodo intelligenda.* 210

*Affectiones in materia repertæ, ſubſtantiam rationalis animæ non reſpiciunt, ſed eius tantummodo cum humano corpore coniunctionem.* 430

*Agens duplex, vniuocum, & æquiuocum, & vtrunque quid ſit.* 155

*Agens, quod in ſeipſo agere poteſt, quodnam ſit.* ibid.

*Agentia ſunt duplicis generis, alia merè naturalia, alia per cognitionem.* 144

*Agentia æquiuoca, quæ effectum in ſe recipere nequeunt.* 161

*Agentia æquiuoca, quæ agunt in ſeipſis cum diſtinctione agentis, & patientis.* ibid.

*Agere aliquid neceſſitate naturæ, duobus modis intelligi poteſt.* 101

*Alexander Achillinus putauit, intelligentiam eſſe formam, quæ det eſſe cælo.* 230

*Alexander Aphrodiſienſis præter intelligentiam poſuit*

in ca-

in cælo animam rationalem, quam cæli formam, atq; naturam appellauit. 232
Alimentorum impuritas ab elementorum natura proficiſcitur. 93
Aliquid eſſe ſingulare tribus modis contingere põt. 498
Alteratio dupliciter ſpectari poteſt, vel quoad gradus, vel quoad vires. 406
Analogorum regula. 6
Analogum & id, quod eſt ad vnum an differant. 7
Analogum an ſit medium inter vniuocum, & æquiuocum. ibid.
Analogum purum an detur apud Ariſtotelem. ibid.
Anaxagoræ dictum. 219
Anima cur à re diſtincta oblectationem, à confuſa verò faſtidium accipiat. 203
Anima cur numerus armonicus à Platonicis appellata. 204.
Anima in ſemine actu non continetur. 144
Anima à corpore ſeiuncta vt intelligat, non indiget ope phantaſmatum. 448
Anima ſeparata non manet otioſa, ſed perpetuò intellectionibus eſt addicta. ibid. & 459
Anima ſeparata definitum habet locum, cui eſt præſens abſque occupatione. 458
Anima an ſit pars ſubiecti naturalis philoſophiæ. 16
Animabus omnibus cæleſtibus an ſatis ſit vna intelligentia, quam vt finem appetant, opinio Alexandraorum. 235
Anima cæli quænam dicatur, & quomodo differat ab anima mortalium. 246
Anima cæli quomodo ſecundum Alexandreos, intelligẽdo intelligentiam cælum moueat. 234
Anima mundi apud Platonem eſt datrix formarum. 221
Anima rationalis, & intelligentia quo differant. 244
Anima rationalis cur cõfracto, aut vitiata corpore foras emigrat, ſi ab eius affectionibus non pendet. 459
Anima ſentiens à generante animali, in genita animali non infunditur. 427
Anima ſentiens ex poteſtate materia cordis deducitur. 430
Anima vegetalis ſecundum ſubſtantiam in radicibus, vel medulla diuiſa manet. ibid.
Animæ definitio communis. 409
Animæ à corpore ſecretio non eſt violenta. 459
Animæ, & corporis coniunctionem naturalem eſſe, quomodo intelligendum. ibid.
Animæ facultates ſiutne loco, & ſubiecto diſiunctæ; an ſola ratione diſſideant. 440
Animæ ſeparatæ quisnam motus conueniat. 458
Animantis diſtinctæ partes quomodo ex eodem alimento diſtinctum ſuccum alliciant. 224
Anni Climacterici, qui dicantur. 205
Annus ſexageſimus tertius inter Climactericos præcipuus, & ſenibus valde ſuſpectus, non quidem numeri virtute, ſed humorum periodo. ibid.
Antipathia, & ſympathia rerum vnde orta. 224
Aptitudo ad aliquid agendum non ponitur in prædicamento qualitatis. 71
Aptitudo, & agilitas ad diuerſa prædicamenta pertinẽt. ibidem.
Ariſtoteles nullum alium agnouit Deum, niſi intelligentiam primi orbis. 139
Ariſtoteles cur poſt opus de phyſico auditu, ante elementorum tractationẽ de cæleſti ſubſtãtia diſſeruerit. 191
Ariſtoteles numerorum ſcientiam, ſeu virtutem deteſtatus eſt. 198
Ariſtoteles præter materiam primam nullum commune corpus admiſit. 261
Ariſtoteles cur ſuam de animæ immortalitate ſententiam apertè non expreſſerit. 419
Ariſtoteles cur nihil de loco animæ à corpore ſeiunctæ diſputauerit. 460
Ariſtoteles cur cùm de rationali anima locutus eſt, aliquam ſemper aut conditionis, aut dubitationis particulam appoſuerit. 461
Ariſtoteles de intellectu agente parcè, & ſobriè locutus eſt. 467
Ariſtoteles creationem olfecit. 68
Ariſtoteles putauit Deum agere neceſſitate naturæ. 112
Ariſtoteli quantùm laudis tribuendum ſit. 463
Ariſtotelicæ cõtemplationis initium, quæ in mundi æternitatem ductus eſt. 85
Ariſtotelis argumentum præcipuum ad oſtendendum, primum motorem eſſe à materia abiunctum, quomodo cõſtruendum. 171
Ariſtotelis inſtitutum præcipuum in libris de cælo eſt agere de corpore ſimplici. 184
Ariſtotelis loca quonam pacto explicanda. 433
Ariſtotelis vera de animi immortalitate ſententia. 460
Ariſtotelis ingenium, atque verſutia. 461
Ariſtotelis rationes pro mundi æternitate à ſimplici Philoſopho ſolui non poſſunt, non ideò tamen demonſtratiuæ cenſendæ ſunt. 86
Ariſtotelis mirabile ingenium in diſputatione de mundi æternitate deprehenditur. ibid.
Ariſtotelis argumentum præcipuum pro mundi æternitate. 112
Ariſtotelis error de mundi efficientia vnde ortus. 134
Arithmetica duplex. 194
Articuli fidei ſunt in duplici differentia. 404
Auditus cur à pluribus vocibus debita proportione commiſtis, oblectationem accipiat. 204
Auenzoaris dictum notabile. 194
Auicenna præter cogitationem, & appetitum poſuit etiã in cælo animam rationalem. 232
Auicennæ ſententia de forma corporeitatis. 357

B

Binarij numeri malitiam vnde eliciant recentiores Pythagorici. 197
Bonum vniuerſi duplex, internum, & externum: internum eſt ordo ipſius: externum verò, eſt primum mouens. 132

C

Cæleſte corpus conſideratur ab Ariſtotele in libris de cælo, vt aliquid ab elementis diuerſum. 18
Cæleſte animal à ceteris animalib. tripliciter differt. 246
Cæleſtem naturam cur ſtatim poſt opus de phyſico auditu Ariſtoteles contemplatus fuerit. 15. & 19
Cæleſtia corpora non habent materiam niſi loco mobilem. 512
Cæleſtia corpora Indorũ aliqui vt Deos venerãtur. 219
Cæleſtia corpora ſecundum Stoicos, ignea ſunt. 225
Cæleſtia ſidera cur in ſuis ſpeciebus vnica ſint. 430
Cæleſtis naturæ contemplatio propriè, nec ad metaphyſicum

tum, nec ad naturalem Philoſophum, nec ad mathematicum pertinet, ſpeculare hoc diligenter. 15
Cæleſtis ſubſtantia cur materia nomine nuncupetur. 216
Cæleſtium corporum contemplatio veluti ſcala quædam eſt, quæ ad Dei cognitionem perducit. 219
Cæli motus à viuente aliqua forma proficiſcitur. 246
Cæli natura à natura mortalium longè diuerſa eſt. ibid.
Cæli æternitas ex ſua ipſius natura oſtenditur. 83
Cæli ſimplicitas indicat ipſum ingenitum eſſe, non tamẽ æternum. 89
Cæli tractationi cur elementorum conſideratio finitima ſit, opiniones variæ. 183
Cælum eſt quinta eſſentia ab elementis diuerſa. 211
Cælum non eſt genitum nec diſſolubile. ibid.
Cælum nullam habet materiam, ex qua, ſed ipſum met appellatur materia in qua. 216.246
Cælum Ariſtoteles frequẽter appellauit nomine vniuerſi 219
Cælum nec nutriri, nec augeri, nec generare poteſt. 226
Cælum ſecluſa intelligentia non habet poſitionum, differẽtias, niſi per relationem ad motus. 240
Cælum prout eſt aggregatum ex intelligentia, & orbe, habet ſex poſitionum differentias ex natura rei. ibid.
Cælum ſi nunc ſtaret, cur magis ab Oriente, quam ab alia parte moueri inciperet? 240
Cælum non poteſt eſſe organicum, quia eſt ſimplex. 242
Cælum eſt animal ſecundum virtutem, & eminentiam. 243
Cælum quomodo homine præſtantius ſit. ibid.
Cælum dicitur animatum æquiuocè. 246
Cælum an propriè intelligat. 247
Cælum abſque rotunda figura mente concipi poteſt. 271
Cælum aptum eſſe moueri in orbem ſecundum ſuam naturam quomodo intelligendum. 17
Cælum ſecundum Ariſtotelem non habet cauſam efficiẽtem, à qua pendeat. 120
Cælum omne conſtat ex intelligentia, & orbe. 143
Cælum nullam habet ad motum interiorem habilitatem, ſed ſolùm exteriorem. 144
Cælum cur ab intelligentia in orbem ducatur. 145
Cælum qua ratione appetere dicatur. ibid.
Cælum an in infinitum velociùs moueri poſſit. 178
Cælum, & quatuor elementa ſunt partes integrales vniuerſi, partes verò ſubiectiuæ corporis ſimplicis abſolutè ſpectati. 189
Carnis eſſentia quomodo in primarum qualitatum temperamento conſiſtere dicatur. 309
Caro propriè quid ſit. 364
Cauſæ naturales non liberè, & contingenter, ſed neceſſariò agunt. 24
Cautio in Ariſtotelis ſententijs, recenſendis, atque tractãdis. 168
Caldæorum, & Aegyptiorum opinio multiplex de Cæli animatione. 219
Cognitio duplex, directa, & reflexa. 478
Cognitionis initium ab entis diſtinctione deſumitur. 488
Communis proprietas totius ſubſtantiæ prædicamentalis quænam ſit. 172
Comparationes quatuor inter numeros, & rerum eſſentias. 289
Complexum aliquod in diuerſis prædicamentis collocari poteſt, ſimplex non item. 278
Compoſitio triplex apud Commentatorem. 347
Compoſitum verò interit, & diſſoluitur: forma verò propriè deſinit eſſe in materia. 317
Conceptus proprius cuiuſque rei quidnam ſit. 482
Conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt conceptus perfectiſſimus omnium, qui ab intellectu agente, & à phantaſmate gigni poſſint. 24
Concipere ens, & concipere aliquid ſub ratione entis differunt. 31
Continentia virtualis quid ſit. 359
Contingentia duplicẽ mutabilitatem indicare poteſt. 108
Contradictionem inuoluit aliquid ab æterno fieri potuiſſe. 322.398
Contrarietas dupliciter accipitur. 286
Contrarietas in rerum naturalium principijs quænã ſit. ibid.
Contrarietas propria dicta in ſolis qualitatibus ineſt. ibid.
Contrarietas poſitiua quanam ratione in generatione, & interitu neceſſaria dicatur. 287
Contrarietas penes maximam diſtãtiam ſumitur, quomodo propoſitio intelligenda. 408
Contrarium quomodo interdum à ſuo contrario conſeruetur. 323
Contumelioſè agunt in Ariſtotelem qui dicunt, cum in re alijs perſpicaciſſima, dimirum in quæſtione de animi immortalitate, dubium extitiſſe. 460
Conuenientia triplex inter differẽtiam ſpecificam, & differentiam indiuidualem. 519
Cor, ſecundum Ariſtotelem tàm ſenſus, quàm motus principium exiſtit, ideò organicum eſt, & propriam figurã habet. 243
Corpora miſtioni apta quænam ſint. 389
Corporis naturalis abſoluta diuiſio. 185
Corpus ſimplex organicum eſſe non poteſt. 226
Corpus animalis mortalis quale nam ſit. 246
Corpus animalis cæleſtis. ibid.
Corpus cæleſte non eſt natura ſua potentia viuens, nec organicum. ibid.
Corpus naturale dupliciter accipi poteſt. 5
Corpus naturale ſecundum Auerroem de cælo, & mortalibus æquiuocè dicitur. 7
Corpus ſimplex vniuersè acceptum eſt ſubiectum librorũ de cælo. 184
Corpus ſimplex cælo, & elementis commune, eſt adæquatum ſubiectum in toto opere de cælo, tametſi æquiuocũ ſit. 191
Creatio quid ſit. 454
Creatio fuerit ne Ariſtoteli cognita. 274.457
Creatura omnis non vnitas, ſed numerus eſt apud Pythagoricos. 195
Creaturæ à Deo editæ ſunt duplicis generis. 104
Creaturam habere æternitatem per participationem quomodo intelligendum ſit. 101
Cur animalia immunda bina, munda verò ſeptena in arcam Noe ingreſſa ſunt. 206
Cur in opere ſecundæ diei non ſit dictum, & vidit Deus quòd erat bonum. ibid.
Cur aliqua a latere, in prædicamento ponantur. 178

D

De eſſentia, eſſentiale, & accidentale differunt. 281
De rebus ſingularibus, & diſſolubilibus non datur ſcientia, quomodo propoſitio intelligenda. 280
Decem Cabaliſtarum numerationes, quas appellant Sephiroth. 207
Denarij numeri proprietates. 197

## D

Denarius numerus magna comprehenſionis numerus appellatur. 269
Denominatio duplex Interna, & externa. 65
Deus eſt primum efficiens, & vltimus finis. 134
Deus mouet primum orbem in genere cauſa finalis. 137
Deus ſolus ſecundum fidei Catholica veritatem æternus eſt. 148
Deus ſolus Pythagoricis vnitas eſt. 195
Deus qua ratione Bonum, mens, & Mundi Anima nuncupari poſſit. 223
Deus Theologicè loquendo extrinſecus liberè agit. 51
Deus poſſet formam ſine materia conſeruare, ſicut conſeruat accidens ſine ſubiecto. 66
Deus ſecundū fidei Catholica veritatē nulla neceſſitate coactus, ſed liberè mundum conſtruxit. 87.134
Deus cur ad tempus mundi fabricam diſtulerit. ibid.
Deus ab æterno non potuit mundum procreare, quia id implicat contradictionem. ibid.
Deus ab æterno voluit condere mundum, non tamen pro æterno. ibid.
Deus, ſi voluiſſet, potuiſſet multò ante mundum ædificare, quàm ædificauit. ibid.
Deus Theologicè loquendo nullum orbem proximè mouet, ac proinde differt à prima intelligentia, quæ eſt orbi applicata. 89
Deus ad aliquid efficiendum neq; motu neque tēpore, neque materia indiget. 134
Dextrū, & ſiniſtrum, & cætera differentiæ in Cælo quænam ſint. 240
Dictum notabile Ariſtotelis in problematis. 353
Dies critici non numeris, ſed humorum conditioni aut lunæ curſui tribuuntur. 205
Differentia omnis non eſt qualitas, ſed ea tantum, quæ qualitatis eſt. 278
Differentia inter rationalis animæ cæterarumque formarum productiones. 427
Differentia, quam attulit Ariſtoteles inter Calū, & hoc cælum, quomodo intelligenda ſit. 511
Differentia indiuidualis cur dicatur materia totius. 518
Differentia indiuidualis appellatur vltima realitas tum materiæ, tùm formæ. ibid.
Differentia indiuidualis non eſt ſubſtantia, nec accidens extrinſecus naturæ additū, ſed gradus eius īterior. ibi.
Differētia indiuidualis materiæ, & formæ quanā ſit. ib.
Differētia indiuidualis, quæ eſt actus ſingularis non præexigit potentiam ſingularem ſed potentiā, vel habilitatem in natura ſpecifica ad eſſe ſingulare. 522
Differentia eſſentialis dupliciter accipi poteſt. 325
Differentiæ qualeſcunque ſint, ſecundum profunditatem ad nullum prædicamentum reuocantur. 278
Differentiæ ſubſtantiarū ſecundum latitudinem ponuntur in prædicamento ſubſtantiæ, qualitatum vero in prædicamento qualitatis. 278.282
Differentia ſpecifica, atque indiuidualis munus quodnā ſit. 517
Differentiæ omnes indiuiduales ſunt innominatæ, nō ſic omnes differentiæ ſpecificæ. 518
Differentiæ indiuiduales ſunt primò diuerſæ, non. n. in aliquo cōi prædicato quidditatiuè conueniunt. 519
Difficultas ſeparationis animæ à corpore vnde proueniat. 459
Diſcrimen inter primū motorem, & motores inferiores. 246.245
Diſcrimen inter quatuor primas qualitates, & formas ſubſtantiales elementorū, ab Ariſtotele poſitū. 328
Diſcrimen inter eſſentiam, & exiſtentiam facili exemplo explicatur. 512
Diſcrimen inter modum philoſophandi veterum Philoſophorum & Ariſtotelis. 85
Diſpoſitio propriè dicta quid ſit. 321
Diſpoſitio ad tria ſolùm prædicamēta pertinet, ſitus, qualitatis, & quantitatis. 322
Diſputatio de formis elementorum præcipua in tota philoſophia. 250
Diſtinctio eſt inſtrumentum præcipuum ad ſcientiam cōparandam. 486
Diſtinctio tranſcendens generica, ſpecifica, atq; numerica. ibid.
Diſtinctio notabilis de duplici notitia actuali cōfuſa, ſine qua diſputatio de primo cognito intelligi nō pōt. 28
Diuiſio duplex ſecundum ſpeciē, & ſecundum formam. 501
Doctorum ſcholaſticorū & Græcorū interpretum excellentia in Ariſtotele explicando. 413
Dualitas multitudinis ac diuerſitatis origo. 209
Duæ ſpecies ſubſtantiæ æquè perfectæ reperiri non poſſunt. 385
Duo indiuidua eiuſdem ſpeciei ſubſtantiæ primò differūt, nota diligenter, ne hallucineris. 525
Duo ſimpliciſſima fuerūt à Deo initio temporis procreata, materia prima, & ſubſtantia cæleſtis. 88
Duodenarij numeri proprietates. 197

## E

EDuctio de potentia materiæ quid ſit. 454
Efficientis munus. 147
Elementa ſunt materia proxima rerum generabiliū. 219
Elementa ſunt prima corpora, quæ ex materia, & formæ coniunctione orta ſunt. 157
Elementa aliqua cur inter ſe contraria dicantur. 287
Elementa non differunt qualitatibus primò, ſed ſubſtantialibus formis. 313
Elementa ſymbolum habentia cur facilius inuicem trāſmutentur. 314
Elementa ſimul miſcentur non quatenus ſimpliciter ſubſtantiæ ſunt, ſed quatenus ſunt ſubſtantiæ, qualitatib. prædita. ibid.
Elementa non ſunt prima principia cùm ipſa quoq; principijs conſtent. 315
Elementa qualitatibus conſtituuntur, non vt ſimplicia corpora, ſed vt ſenſibilia ſunt. 316
Elementa ſuis qualitatibus nota fiunt. 325
Elementa cur tantùm in partibus generationem, & interitum patiantur. 332
Elementa habent certos, ac definitos ſuarum qualitatum gradus. 372
Elementa quomodo à ſe ipſis moueantur. 155
Elementis, ſi à ſe ipſis mouētur, neceſſaria eſt diſtinctio eius, quod mouet ab eo, quod mouetur. ibid.
Elementorum ſubſtantiales formas cur Ariſtoteles qualitatibus circunſcripſeris. 325
Elementorum diſtincta conſideratio in libris de cælo, & in libris de generatione. 331
Elementorum ſubſtantiæ non pereunt in miſto, ſecundū Auicennam, ſed tantummodo franguntur. 377
Elementorum ſubſtantiæ perinde ac qualitates, in

*miſto ſecundum Auerroem reprimuntur.* ibidem
*Elementorum ſubſtantiales formæ vnà cum eorum qualitatibus, ſecundum Latinorum ſententiam, in miſto penitus obliteſcunt.* ibidem
*Elementorum ſubſtantiales formæ non poſſunt in miſto remitti cum graduum amiſſione, quin pereant.* 382
*Elementorum ſubſtantiales formæ gaudēt communi ſubſtantiarum priuilegio, vt ſcilicet neque intēdi poſſint, neque remitti.* 383
*Elementorum qualitates vtrum ad miſtum conſtituendum concurrant in gradu ſummo, an in gradu remiſſo.* 390
*Elementorum qualitates in miſto gradus non amittunt, ſed earum tantùm vires inhibentur.* 392
*Elementorum qualitates poſſunt intēdi, & remitti.* 394
*Elementorum formæ ita neceſſariæ ſunt ad conſtitutionē miſti, vt eſt neceſſaria materia ad conſtitutionē compoſiti.* 401
*Elementum quid ſit ſecundum Ariſtotelem.* 388
*Elementum purum an detur.* 397
*Ens poſitum eſt veluti in confinio vniuocationis.* 2
*Ens ſub ratione veri eſt obiectum intellectus, & ſub ratione boni eſt obiectum voluntatis.* 21
*Error multorum Theologorum in Ariſtotelis ſententijs declarandis.* 367
*Error multorum peripateticorum in Ariſtotelis ſentētijs referendis.* ibid.
*Errores varij de natura formæ.* 349
*Errores varij, ex dogmate de mundi æternitate orti.* 78
*Eſſe omnium accidentium in participari conſiſtit.* 266
*Eſſe duplex ſimpliciter, & ſecundum quid.* 488
*Eſſe actu, actum, in actu, & habere actum, quid ſit.* 44
*Eſſe de eſſentia, & eſſe eſſentiale differunt.* 77
*Eßentia, & exiſtentia quid ſint.* 47
*Eſſentia, & exiſtentia quomodo differant.* 46
*Eßentia, & exiſtentia in Deo idē ſunt, ſecus in alijs.* 512
*Eſſentia, exiſtentia, & ſubſiſtentia quid ſint.* 55
*Eſſentia rei ſit ne ſubſtantia, an accidens.* 47
*Eſſentia primæ materiæ an ſemper annexam habuerit exiſtentiam.* ibidem
*Eſſentiam ab exiſtentia quomodo Ariſtoteles in ſingulari exiſtente diſiunxerit* 511
*Ex eo, quod animarum numerus continuo adiectionem recipit, rectè concludimus, non eſſe illum re vera infinitum, non tamen poſita Mundi æternitate.* 449
*Exiſtentia eſt modus interior eſſentiæ.* 496
*Exiſtentia potius accipit ſingularitatem ab indiuiduo, quàm quòd eidem ſingularitatem tribuat.* 497
*Exiſtentia ſimpliciter ab exiſtentia ſingularium diſtincta reperiri non poteſt.* ibid.
*Exiſtentia materiæ diſtincta eſt ab exiſtentia formæ, ſicut exiſtentia accidentis ab exiſtentia ſubiecti.* 50
*Exiſtentia rei ſit ne ſubſtantia, an accidens.* 53
*Exiſtentia ſimpliciter accepta non eſt effectus formæ ſpecificæ, ſed modus interior cuiuſlibet entitatis.* 54
*Exiſtentia perfecta eſt effectus formæ ſpecificæ.* ibid.
*Exterior materiæ habilitas ad formam recipiendam barbarè diſpoſitio, Latinè vero affectio, præparatio que dicitur.* 122

F

*Fabula recentium Pythagoricorum de ſerpente, atque dine ter percuſſo.* 396
*Factum, & genitum apud Ariſtotelem idem ſunt.* 127
*Facultas motrix, præter intellectum, & voluntatem, in corporibus cæleſtibus nulla datur.* 144
*Fernelius philoſophus, ac Medicus eruditiſſimus, & eloquentiſſimus.* 406
*Fidei Catholicæ conſentaneum eſt ſtatuere, cælos animatos non eſſe.* 249
*Fides catholica non aduerſatur veræ philoſophiæ.* 465
*Figura rotunda ſecundum Auerroem in cælo eſt accidēs.* 270
*Figura rotunda ſecundum Ariſtotelem eſt accidens inſeparabile à Cælo, eique neceſſarium, vt in orbem moueri poſſit.* 271
*Finis vltimus ſingulorum hominum, in quem impulſu propriæ naturæ feruntur, vnus eſt.* 446
*Finis habet facultatem mouendi.* 145
*Finis habet rationem boni, aut veri, aut apparentis.* 145
*Finis mouere non poteſt, niſi vt à cognoſcente facultate apprehenſus eſt.* ibid.
*Finis, cuius gratia intelligentia quælibet ſuum orbē conuertit, quiſnam ſit.* 146
*Finitum, & infinitum ſunt affectiones quantitatis.* 165
*Firmißimum argumentum ad Mundi conſtructionem fundendam.* 23
*Forma quomodo poſſit eſſe in materia, & illam non informare.* 345
*Forma elementi, atque pariter miſti tàm animati, quàm inanimati ſimplex ſubſtantia eſt.* 350
*Forma totius alia eſt à formis ſingularum partium, nec ab illis exoritur.* 350
*Forma quonam pacto rei perfectio dicatur.* 351
*Forma quamuis de potentia materiæ educatur, non ideò tamen potentia illam parere dicitur.* ibid.
*Forma ſubſtantialis cuiuſlibet elementi ſine vno, vel altero qualitatis gradu manere poteſt, ſine omnibus non item.* 402
*Forma informans quid ſit.* 409
*Forma aſſiſtens quid ſit.* 410
*Forma aliqua ex earum numero, quæ dant eſſe compoſito, vt rationalis anima, ex Ariſtotelis ſententia, manere poteſt poſt compoſitum diſſolutum.* 419
*Forma partis, & forma totius quid ſint.* 428
*Forma duplex, una enim ex materia poteſtate deducta eſt, aut extrinſecùs aliunde orta.* 447
*Forma communis perficit materiam communem quomodo propoſitio intelligenda.* 122
*Forma quomodo dicatur actus.* 65
*Forma ſi per diuinam potentiam ſine materia exiſteret, an diceretur actus.* 66
*Forma quonam pacto materiæ accidere dicatur.* 270
*Forma materialis non proximè agit, ſed inſtrumentis ad agendum vtitur.* 299
*Forma ſubſtantialis non poteſt intendi, neque remitti, cùm eius eſſe in indiuiſibili conſiſtat.* 143
*Formā eſſe principium vnitatis ſpecificæ quomodo intelligendum ſit.* 509
*Formarum origo cæleſtis, atque diuina eſt.* 353
*Formę quomodo competat actus entitatiuus.* 50
*Formæ cur competat actus.* 67
*Formæ materiales, & immateriales quid differant.* 74
*Formæ ſubſtantiales momento temporis in materiam introducuntur.* 291

*Formæ ſubſtantiales habere poſſunt contrarietatem priuatiuam, non autem poſitiuam.* 317
*Formæ ſubſtantiales latere poſſunt, earum tamen operationibus notiſſimis exiſtentibus.* 329
*Fundamenta, quibus nititur fidei catholicæ veritas de mundi exordio.* 81
*Fundamentum genericæ atque ſpecificæ diſtinctionis facilè indagatur.* 486
*Fundamentum diſtinctionis numericæ inuentu difficillimum eſt.* ibid.
*Fundamentum, à quo ſumitur vnitas indiuidui, non poteſt eſſe natura ipſa, neque ſimplex, neque duplex negatio contra Henricum.* 495
*Fundamentum præcipuum opinionis Græcorum de formis elementorum.* 352

G

*Generans non producit formam, ſed vi ſua potentiā perficit, & materiam præparat ad formam recipiendam.* 353
*Generans, & genitum debent forma, ſeu ſpecie conuenire.* 510
*Generatio, & interitus apud Empedoclē quō fiant.* 337
*Generatio Anaxagoræ quid ſit.* ibid.
*Generatio ſimplex apud Ariſt. quomodo fiat.* ibid.
*Generationis, & creationis diſcrimen.* 103
*Generationis definitio.* 355
*Germana de quacunque re Ariſtotelis ſententia quomodo peruestiganda.* 168
*Grauitas, & leuitas ſunt tertiæ qualitates, à ſecūdis exortæ.* 363
*Græcorum excellentia in Ariſt. explanando.* 351

H

*Habere ſenſus indicat perfectionem.* 228
*Habilitas ad motum in Cælo, & elementis non eſt eiuſdem rationis.* 17
*Hæcceitatis nomen non eſt omnino barbarū.* 517
*Hebetudo maxima ingenij eorum, qui in Græcis tantum expoſitoribus verſantur.* 251
*Hieronymi Mercurialis dictum.* 202
*Hypocrates Philoſophiæ parens.* 330
*Homines quomodo differunt a belluis, fiantque diuinitatis conſortes.* 466
*Homo ideo animalium omnium ſapientiſſimus eſt, quia nouerit numerare.* 194
*Homo quanam ratione ſibi ſimilem hominem generare dicatur.* 427

I

*Iactura temporis aliqua fit antequam à cognitione generis perueniatur ad cognitionē ſpeciei.* 37
*Idea vniuerſalis, quæ ſecundum Platonem circa Bonum reperitur.* 220
*Idearum differentia, quæ reperiuntur in mente.* ibid.
*Idearum rationes, quæ reperiuntur in Anima mundi.* ibi.
*Idem agens materiam præparat, & in eandem formam inducit.* 328
*Ignis generatio quonam pacto per caliditatem eſſe dicatur.* 318
*Immortale accipitur tribus modis.* 434
*Impares numeri, mares, pares vero fœminæ à Pythagoricis appellantur.* 496
*Impari numero cur Deus gaudeat.* 297
*In æternis non differt eſſe a poſſe quomodo propoſitio intelligenda.* 123.178
*Incertum eſt, an opinio de formis elementorum, Græci communiter aſcripta, Græcorum fuerit.* 353
*Indagatio primæ intelligentiæ, quæ Deus eſt apud Ariſtotelem.* 140
*Inditium certiſſimum veritatis inuentæ.* 29
*Indiuidua in genere ſubſtantiæ æquè participant naturā ſpeciei.* 384
*Indiuiduis qua ratione competat differentia accidentalis.* 525
*Indiuiſibile duplex de genere ſubſtantiæ, & de genere quantitatis.* 458
*In eodem prædicamento aliqua directè, alia à latere collocantur.* 278
*Infinita virtus vel ſecundum intenſionem accipitur, vel ſecundum extenſionem.* 166
*Infinitas à parte anteriore, & à parte poſteriore ei tantū modo conuenit, quod eſt ſecundum durationem infinitum.* 99.450
*Infinitum cogitatione dari poteſt, imo ſic vnum infinitū, alterum maius, non tamen re ipſa.* 451
*Infinitum re ipſa adiectionem accipere non poteſt.* 100
*Infinitum quomodo adiectionem accipere poſſit ex ea parte, qua finitum eſt.* ibid.
*Inhærentia aptitudinalis eſt quidem accidenti eſſentialis non tamen de eius eſſentia.* 276
*In qualitate eſt vera contrarietas, quæ opponūtur ea quæ inuicem actiua, atque paſſiua ſunt.* 283
*In rei naturalis interitu fit reſolutio vſque ad materiam primam, quomodo propoſitio intelligenda.* 266
*Inſpectricis Philoſophiæ præſtantia.* 165
*Inſtans nullum dari poteſt, quod tempus aliquod non præceſſerit.* 90
*Inſtans primum temporis dari non poteſt.* ibid.
*In ſubſtantiæ prædicamento de omni ſubſtantia, quoquo modo in eo contenta, ſermo fit.* 282
*Intellectio non eſt actio tranſiens ſed immanens.* 434
*Intellectus humanus, corpori coniunctus non poteſt perfectè attingere ſubſtantias abſtractas.* 446
*Intellectus non perficitur mutatione materiæ, ſed ſtudio, atque doctrina.* 454
*Intellectus agens, & patibilis ſunt duæ rationalis animæ facultates.* 467
*Intellectus patibilis tres habet gradus.* ibid.
*Intellectus humanus ſecundum Alexandrum, eſt inſtrumentū intellectus diuini ad intellectionē edendā.* 470
*Intellectus agens, & patibilis in vnam, & eandem ſubſtātiam coeunt.* 471
*Intellectus agens quomodo materialis, & immaterialis forma dici poſſit.* 471
*Intellectus agentis officiū eſt illuſtrare phantaſmata.* 475
*Intellectus agens vt forma, & habitus phantaſmatibus iungitur.* 476
*Intellectus in corpore incluſus propriam ſingularis rationem attingere nequit.* 481
*Intellectus in obiectis concipiendis eum ordinē ſequitur, quem natura in rebus procreandis conſeruat.* 484
*Intellectus agens, & phātaſma ſunt cauſæ naturales, quæ ſpeciem intelligibilem gignunt.* 24
*Intellectus, & voluntas quid differant.* 108
*Intelligentia, tripliciter conſideratur.* 236
*Intelligentia non eſt forma informans, ſed aſſiſtens.* 238
*Intelligentia Cælo aſſiſtens deſtinatū habet locum in Oriente, cui præſens eſt ſine occupatione.* 240

Intel-

Intelligentia mouet Cælum in genere cauſa efficientis, vt ens abſtractum. 244
Intelligentia mouet Cælum in genere cauſa efficientis, vt intelligens. 245
Intelligentia mouet Cælum in genere cauſa finalis, vt intelligibilis. ibidem
Intelligentia tangit orbem contactu virtutis. ibidem
Intelligentiarum ordo penes maiorem, vel minorem diſtantiam à Deo. 148
Intelligentiæ ſecundum Ariſt. carent cauſa efficiente. 120
Intelligentiæ apud Theologos neque æternæ, neque neceſſariæ ſunt, & multò plures, quàm ſint cœleſtes orbes. 148
Intelligibile poteſtate duplex. 526
Intelligibilitas eſt propria affectio entis, ſicut ſenſibilitas eſt propria affectio accidentis materialis. 305. 478
Intendi, & remitti quid ſit. 380
Inter ſubſtantiam, & accidens non datur medium quicquid in oppoſitum ſenſerit Auerroes. 343. 386
Interiores Dei operationes apud Theologos quænam ſint. 334

L

Latini interpretes præcipui. 152
Latini philoſophi multa dixerunt à Græcis minimè excogitata. 251
Latinorum philoſophorum acuitas in dubitationibus enodandis. ibidem.
Locus aptus diſcutiendæ quæſtioni de primo cognito. 20

M

Magis, & minus non variant ſpeciem. 285
Magis vniuerſale cur interdum nobis primò cognitum ſit, interdum verò minus vniuerſale. 26
Maiores noſtri cur tam diuturnam vitam viuebant, nos autem tam exiguo tempore viuamus. 93
Materia prima, ſecundum Ariſtotelem habet potentiam ſubiectiuam. 42
Materia prima, in quo nam ſenſu ab Ariſtotele, & à veteribus philoſophis fuerit appellata potentia. 46
Materia prima ſua propria entitate, & non per aliquid ſibi annexum exiſtit. 54
Materia prima ſi eſſet ſine forma, eſſet alicubi præſens, eius tamen ſubſtantia nullum occuparet locum. 59
Materia prima eſt quoddam compoſitum metaphyſicũ ex actu, & potentia. 60
Materia prima ex ſua formali ratione perfectibilis eſt, forma verò perficiens. 73
Materia prima quib. nominibus ab Aegyptijs fuerit appellata. 74
Materia prima ſecundum Ariſtotelem non eſt facta. 120
Materia ſignata eſt veluti ſignum, & argumentum, quo cognoſcimus, vnum indiuiduũ ab altero diſtinctum eſſe; non tamẽ eſt verum indiuiduationis principiũ. 510
Materia ſignata eſt principium, quo indiuiduum phyſicè non quo metaphyſicè conſtituitur. 511
Materia, & forma quia aliunde accipiunt ſingularitatẽ, ideò nõ poſſunt eſſe principia indiuiduationis. 518
Materia tranſmutatione, forma verò operatione cognoſcitur. 246. 326
Materia, & forma cùm ſubſtantiæ ſint, cur per ſe nõ ſubſiſtant. 268
Materia prima eſt ſubiectũ principiorũ contrariorũ. 315
Materia prima præparatur ad formam per affectiones accidentales: eas autem abſque vlla præparatione recipit. 321
Materia, & forma vt naturæ notæ, ita nobis ignotæ dicuntur. 321
Materia prima duobus modis à nobis cognoſci poteſt, aut per analogiam, aut per negationem. 326
Materia apud veteres philoſophos eſt tota ſubſtantia rei. 337
Materia prima dicitur ſubiectum quo accidentium materialium: totum verò compoſitum appellatur ſubiectũ quod. 369
Materia partis, & materia totius quid ſint. 428
Materia totius eſt verum principium indiuiduationis. ibidem.
Materiæ primæ attributa varia. 39
Materiæ primæ cur tribuatur potentia. 67
Materiam primam expedit imperfectam eſſe. 51
Materiam primam cur inter principia, quæ ſemper ſunt, Ariſtoteles non numerauerit. 128
Materiam totius, & formam totius Ariſtoteles conceſſit. 527
Medium ab Ariſtotele ſumptum ad probandum primum motorem magnitudine carere fuit infinita virtus ſecundum durationem. 172
Membrorum conformationes diſtinctaque herbarum folia à quonam fiant. 224
Mens duobus modis nobiſcum actitur ſecundum Auerroem. 415
Mentis ſupremæ excellentia, variaque eiuſdem attributa. 117
Methodus docendi, & addiſcendi quænam ſit. 20
Minus vniuerſale in quo nam ſenſu primum cognitum eſſe dicatur. 22
Miſta corpora à quo nam moueantur naturaliter. 149
Miſti generationis deſcriptio. 311
Miſti conſtitutio cur propriè generatio non ſit appellanda. 396
Miſti interitus non poteſt eſſe elementorum generatio, nec eiuſdem conſtitutio, ſit cum elementorum diſſolutione. 397
Miſtio quid ſit. 376
Miſtio ad quodnam mutationis genus referenda ſit. 387
Miſtio duas mutationis ſpecies in ſe neceſſariò includit. 388
Miſtio re ipſa à generatione differt. 396
Miſtio quid à ſimplici congregatione, vel iuxta poſitione differat. 403
Miſtionis definitio traditur lib. 1. de generat. tex. 90. 332
Miſtum corpus quo propriam grauitatẽ hẽre dicatur. 397
Modus prædicandi in quid, vel in quale, nõ facit aliquid eſſe ſubſtantiam, vel qualitatem. 179
Modus inueſtigandi, an ſubſtãtia per ſe ſenſibilis ſit. 304
Modus generationis brutorum animalium. 426
Monſtrum in philoſophia ab Auerroe inductum. 378
Mortalium rerum Opifex duplex ab Ariſtotele ſtatuitur. 353
Moſes numerorum ſcientiæ peritus. 193
Moſis libri numerorum ſcientia refertì. 194
Motor externus grauium, & leuium duplex, per ſe, & ex accidenti. 158
Motus abſolutè ſpectatus æternus eſt. 135
Motus in animali quomodo efficiatur. 144
Motus in corporibus cæleſtibus quomodo efficiatur. ibi.
Motus in orbem an animæ proprius ſit. 224
Mouere quid ſit. 152
Mundi partes omnes, ſecundum Platonem viuunt Anima mundi. 221

*Mundi æternitate & rationalis aīæ immortalitate cōceſſa, infinitus re ipſa aīarū numerus vitari nō pōt.* 429

*Mundi duæ partes præcipuæ æthęrea, & elemētaris.* 219

*Mundus non poteſt poni pro materiali ſubiecto librorum de Cælo.* 181. 185

*Mundus conſtat ex tota ſua materia, ideò tantùm vnus, quomodo propoſitio intelligenda.* 512

*Mundus dici poteſt magnum animal Metaphoricè.* 222.

*Mundus re vera animatus dici non poteſt.* ibid.

*N*

*Natura aliquid altero poſterius quid ſit.* 100

*Natura ſpecifica cùm ad aliquam indiuiduale differentiam determinatur, nulla indiget affectione.* 524

*Natura ſpecifica, à quo nam ſingularis fiat.* ibid.

*Natura diuina ſe ipſa eſt hæc, quia omni caret compoſitione.* 550

*Natura diuina Pythagorico more vnitate perbellè deſcribitur.* 209

*Naturæ conſilium in rerum procreatione.* 484

*Naturæ definitio quo nam pacto cælo, & elementis communis eſſe dicatur.* 17

*Naturæ vnitas quò minor ſit vnitate numerali.* 492

*Naturæ entitas antequam vniuerſalis fiat, per opus intellectus, vel fiat ſingularis per differentiam indiuiduale habet propriam vnitatem.* ibid.

*Naturæ communes re ipſa an dentur.* 487

*Naturalis ordo inter differentias poſitionum.* 240

*Naturalis philoſophia contemplatrix ſcientia eſt.* 8

*Naturam Cæleſtem pleriquæ vt diuinum quiddam ſuſpiciunt.* 219

*Neceſſarium ex ſe, & ab alio ſecundum rectè philoſophantes non datur.* 125

*Neceſſitas accidentalium affectionum in materia.* 321

*Nemo in hac vita poteſt eſſe felix.* 446

*Nihil poteſt agere vltra ſuam ſpeciem.* 475

*Nomen actus, ſeu forma ambiguum.* 409

*Nomina ab Adamo rebus impoſita quā vim habeāt.* 202

*Non eſt iurandum in verba magiſtri.* 433. 453

*Noſtri temporis diſputandi conſuetudo.* 252

*Nota nobis, & nota naturæ, quæ nam dicantur.* 325

*Notio rei magis vniuerſalis imperfectior eſt notione rei minus vniuerſalis.* 23

*Notitia diſtincta, & notitia confuſa quid ſint.* 21

*Notitia diſtincta ab arte pendet, confuſa verò naturalis eſt.* 21

*Notitia habitualis, & notitia ex habitu differunt.* 28

*Notitia actualis, habitualis, potentialis, & virtualis, quid ſint.* 29

*Notitia actualis, & potentialis eodem modo acquiruntur.* ibid.

*Notitia, quæ fit per abſtractionē, eſt notitia diſtincta.* 31

*Noua mundi creatio naturalibus rationibus demonſtrari non poteſt.* 90

*Noua mundi creatio naturaliter concludi poteſt, per quādam neceſſariam conſecutionem.* ibid.

*Noua mundi creatio probabilibus rationibus ſuadetur.* ibidem.

*Nullum corpus viuens ſimplici elemento nutriri poteſt.* 396

*Nullus eſt homo, qui hallucinari non poſſit.* 463

*Numeri nihil virium in res conferunt numeratas, ſed ab ipſis potius perfectionem accipiunt.* 206

*Numeri vim habent ſemet ipſos continendi, & efficiendi.* 208

*Numeri vim habent ees ipſas ſignificandi.* 209

*Numero ex ratione ſua formali repugnat infinitas, ideò infinitæ res exiſtere non poſſunt.* 451

*Numerorum ſcientia apud Aegyptios primū floruit.* 193

*Numerorum ſcientia aut eadem eſt cum Cabala, aut eidem maximè affinis.* 194

*Numerum ſeparatarum ſubſtantiarum ſecundum numerum cæleſtium orbium Ariſtoteles indagauit.* 140

*Numerus in naturalem, & recenſilem ab Ariſtotele diuiditur.* 124

*Numerus duplex quanti, & formæ.* ibid.

*Numerus quilibet multitudo eſt, & vnitatis beneficio fit ſimplex.* 195

*Numerus ratione vnitatis perfectus dicitur, ratione verò multitudinis imperfectus.* ibid.

*Numerus cum ſit ens rationis, plus quàm genere differt à rebus naturalibus, quæ ſunt entia realia.* 199

*Numerus nulla agendi virtute præditus eſſe poteſt.* ibid.

*O*

*Obſcuritas rerum ingenia excitat ad contemplationem.* 209

*Ocellus Lucanus, Pythagoræ diſcipulus, primus fuit mūdanæ æternitatis aſſertor.* 80

*Octimeſtri partus cur vitales non ſint.* 204

*Octonarium numerum eſſe numerum iuſtitiæ, vt recentiores Pythagorici aiunt, ridiculum eſt.* 206

*Omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt, eſſe, quomodo propoſitio intelligenda.* 305

*Omne, quod mouetur, ab aliquo neceſſariò mouetur.* 149

*Omne corpus animatum organicum eſt, non tamen contra.* 341

*Omne corpus organicum, quatenus organicum eſt, propēſionem habet ad animam recipiendam.* ibid.

*Omne, quod eſt, vnicam tantùm ſedem obtinet in aliquo prædicamento.* 278

*Operatio qualibet informanti formæ operantis aſcribitur.* 426

*Opinio peſtifera de Animi mortalitate derogat regimini principum, ideò hæc etiam ratione radicatus exſtirpanda eſt.* 447

*Opiniones frequenter mutari contingit.* 28

*Opiniones variæ veterum philoſophorum de æterno principio, ex quo mundum factum eſſe conſuerunt.* 79

*Opiniones variæ de Cæli animatione.* 220

*Optimi viri tunc viuere incipiunt, cùm moriuntur.* 447

*Opus de Cælo an rectè de cælo inſcriptum fuerit.* 19

*Ordinata contemplatio rerum naturalium.* 117

*Ordo, quem intellectus conſeruat, in formis intelligibilibus recipiendis.* 35

*Ordo, quo res ſenſibiles à principijs proficiſcuntur.* 315

*Organis humano corpore inſtructa, poſſet Deus, ſua libertatē, rationalem animam in illud non increare.* 456.

*Orphei muſica animantia auditu prædita allicere potuit ſaxa verò nequaquam.* 204

*Orpheum quidam magum eſſe putarunt.* ibid.

*Ortus, & occaſus rei naturalis fit ob coniunctionem formæ cum materia, & ob eiuſdem ab eadem diſceſſum.* 353


Pars

P

PArs ſuperior viuētis corporis, inferior, anterior, &c. quęnam dicantur. 332
Particula, quatenus, quid eanduplicet. 298
Particula, per accidens, duobus modis intelligi põt. 301
Pauciſſimę ſunt ſubſtantiales differentię, quibus nomen impoſitum ſit. 335
Pherecides Syrius primus fuit, qui de animorum immortalitate diſputauerit. 434
Phantaſia interdum nomine intellectus ab Ariſtotele appellatur. 442
Phantaſmata ad ſpecies intelligibiles efficiendas, in genere cauſę materialis neceſſariò concurrunt: ad ipſam verò intellectionem producendam non item. 448
Phantaſmata in ratione efficientis cauſę intellectionem non edunt, ſed intelligibilem ſpeciem in ratione obiecti. 415
Phantaſmata non illuſtrantur ab intellectu agente, prout exiſtunt in intellectu patibili, ſed prout exiſtunt in phantaſia. 476
Philonis Iudęi dictum pulcherrimum. 223
Philoſophi, qui de ſtatu animę poſt hominis obitum locuti ſunt. 460
Philoſophi grauiores intellectum, & voluntatem Deo tribuerunt. 105
Philoſophia vera quęnam ſit. 465
Philoſophorum rationes, falſam aliquam ſententiam probantes, à catholico Doctore ſoluenda ſunt. 168
Philoſophus debet potius rationibus, quàm autoritatibus decertare. 260
Pillularum virtus non in impari numero, ſed in tanta medicamenti quantitate conſiſtit. 205
Piſcis Grongus apud Liguſticos. 35
Plato numerorum ſcientiam maximi fecit, omniaq; conſtare numeris aſſeuerauit. 193
Platonis opinio de mundi anima. 220
Platonis doctrina qualisnam ſit. 552
Platonis ſententia de anima mundi, quomodo ad bonum ſenſum reuocari poſſit. 223
Poni in prędicamenta ſecundum profunditatem, & latitudinem apud Gręcos quid ſit. 277
Poſt mortem nihil boni, vel mali homini contingere poſſe, quomodo ex Ariſtotelis ſententia, intelligendum ſit. 448
Potentia duplex, obiectiua, & ſubiectiua. 40
Potentia obiectiua, & ſubiectiua quid ſint. 40. & 49
Potentia obiectiua materia prima apud Theologos. 41
Potentia obiectiua materię prima in doctrina Ariſtotelis non admittitur. 42. & 50
Potentia apud Ariſt. duplex, actiua, & paſſiua. 48
Potentia actiua, & paſſiua quid ſint. ibid.
Potentia obiectiua an re differat à potentia actiua, & à paſſiua. 48. & 49
Potentia obiectiua conſiſtit obiectum apprehenſum in eſſe poſſibili. 49
Potentia obiectiua oēm aliam potentiam antecedit. ibid.
Potentia triplex, Logica, Naturalis, & Diuina. 58
Potentię materia duplex, vniuerſalis, & particularis. 61
Potentia materia vniuerſalis, & particularis quid ſint. ibidem.
Potentia materię vniuerſalis per aduenientem formam non extinguitur, benè tamen potentia particularis. 72
Potentia ſemper dicit ordinem ad actum. 73
Potentia vniuerſalis materię eſt eius accidens proprium 74
Potentia ad locum diſtincta à potentia ad motum in grauibus, & leuibus corporibus non datur. 161
Potentia omnis an neceſſariò reuocetur ad actum. 178
Potentia materię non eſt aliquid educendę formę. 343
Potentia duplex, actiua, & paſſiua, & vtraque quid ſit. 355.
Potentia materię vniuerſalis, & particularis. ibid.
Potentię obiectiuę, & ſubiectiuę conditiones. 41
Potentiam obiectiuam in rebus gignendis Ariſtote. non negauit. 42
Poteſtas ad motum in quoque elemento duplex, eſſentialis, & accidentalis, & vtraque quid ſit. 152
Prędicamentorum indagatio. 278
Prędicatio duplex, formalis, & denominatiua. 68
Pręter creationem, nulla datur ſimplex emanatio, quę vera effectio dicenda ſit. 121
Prima rerum materies, ſecundum catholicam fidem, neq; eſt ęterna, neque ex vlla re facta, ſed à Deo ex nihilo procreata. 88
Prima intelligentia non ſolùm ſe ipſam, ſed in ſeipſa cętera quoque intelligit. 345
Primi orbis intelligentia apud Theologos non eſt Deus, ſecus apud Ariſtotelem. 348
Primum cognitum, & proprium intellectus obiectum differunt. 25
Primum cognitum abſolutè eſt ſingulare vagum. 27
Primum cognitum, cognitione actuali confuſa originali, eſt magis vniuerſale. 30
Primum cognitum, cognitione actuali confuſa ex habitu, poteſt eſſe tàm magis, quàm minus vniuerſale. 32
Primum in vnoquoque genere eſt cauſa omnium, &c. quomodo intelligatur. 130
Primū mouens vt amatum, & deſideratum mouet. 345
Primus motor eſt finis proprij motus, & cęterorum etiā motuum. 146
Primus motor eſt optimum quiddam in vniuerſo. ibid.
Primus motor in vniuerſo eſt ſicut Rex in ſuo regno. ibid.
Primus motor eſt veluti quidam vniuerſalis artifex. 147
Principia rerum naturalium non ſiunt ex alijs, nec ex alterutris, ſed omnia ex ipſis. 338
Principiorum conſideratio in 1. lib. phyſicor. qualis nam ſit. 13
Principium motus in animali duplex. 144
Principium motus in animalibus quodnam ſit. 149
Principium proximum motus grauium, & leuium quodnam ſit. 163
Principium ducens nos in cognitionem naturę cęleſtis. 309
Principium ducens nos in cognitionem elementorū. 309
Principium verum indiuiduationis quodnam ſit. 481
Principium indiuiduationis non eſt aliquid extrinſecum naturę adueniens, nec re ab ipſa differens; ſed eſt aliquid ad eandem intimè pertinens. 489
Principium indiuiduationis ſecundum Henricum eſt ſimplex, vel duplex negatio. 494
Principium indiuiduationis ſecundum Gotfredum eſt quantitas. 497
Principium indiuiduationis, ſecundum Porphyrium, & Boetium eſt multorum accidentium collectio. 499
Principium indiuiduationis, ſecundum S. Thomam, eſt materia ſignata. 501
Principium indiuiduationis, ſecundum pleroſque recentiores,

tiores, eſt forma. 513
Principium indiuiduationis, ſecundum Auicennam, & Scotum, eſt haecceitas. 518
Principium indiuiduationis in omnibus reperitur; quae ſunt alia à Deo. 329
Principium indiuiduationis ſubſtantiarum materialium, & immaterialium idem. 329
Priuatio accipit exiſtentiam à materia, cum qua vnum numero eſt. 317
Priuatio cur dicatur quodammodò forma. 318
Prius, & poſterius poſſunt eſſe differentiae temporis vel realis, vel cogitatione ficti. 90
Proiecta quonam moueantur. 149
Propoſitio formalis, & denominatiua quid differat. 305
Propoſitiones perpetuae veritatis quaenam ſint. 496
Propter quod vnumquodque tale, & illud magis, quomodo intelligatur. 304
Propria affectio non pendet à ſubiecto in genere cauſae efficientis, ſed materialis. 124
Propria affectio non eſt de eſſentia ſubiecti. 67
Propria affectio grauium, & leuium corporum quaenam ſit. 163
Proprietas accidentis. 268
Proprietas formae ſubſtantialis. ibid.
Proprium ſenſus obiectum quodnam ſit. 303
Proxima rerum genera nomine carent. 125
Pythagorae, Socratis, atque Platonis ſententia de rerum generatione. 337
Pythagorae mos, in diſcipulis inſtruendis. 209
Pythagoras ſymbolis moralem philoſophiā docuit. 209
Pythagoras primus fuit, qui numerorum ſcientiam ex Aegypto in Graeciam tranſportauit. 193

Q

Quadragenarij numeri proprietates. 197
Quae cognitione carent, mouentur à fine, ab vniuerſali natura intento. 145
Quaenam contrarietas ad motum neceſſaria ſit. 292
Quaecunque forma conueniunt, materia differunt, de quanam materia propoſitio intelligenda ſit. 513
Quaeſtio de intentiua primi motoris infinita virtute fuerit ne vnquam ab Ariſtotele diſcuſſa. 174
Quaeſtio de cognitione ſingularis, & metaphyſica, & naturalis eſſe poteſt. 478
Qualitas propriè dicta, quaenam ſit. 267
Qualitas quomodo in omnibus praedicamentis reperiatur. ibid.
Qualitas in nullo gradu fieri poteſt ſubſtantia. 285.293
Qualitates elementorum eorum ſubſtantiales formas cōſequuntur. 257
Qualitates elementorum interdum differentiarum loco ſumuntur. 258
Qualitates elementorum, vt qualitatis ſpecies ſunt, ſecundum profunditatem, in qualitatis praedicamento collocantur. 278
Qualitates elementorum, nullius relationis vi, ſubſtātiae euadere poſſunt. ibid.
Qualitates elementorum vnà cum elementis ſunt de ſubſtantia miſti; nihilominus accidentia ſunt. 307
Qualitates elementorum ſunt eorundem agendi inſtrumenta. 372
Qualitates ſunt in materia, non tanquam in ſubiecto proximo, ſed tanquam in ſubiecto praecipuo. 318
Qualitates ſummae in quonam ſenſu dicentur propriae elementorum affectiones. 394
Qualitatis ſpecies ab Ariſtotele appellantur modi, qui tamen non ſunt interiores, ſed exteriores. 496
Quantitas duplex, molis, & perfectionis. 165
Quantitas nullam habet agendi vim. 199
Quantitas non poteſt eſſe principium indiuiduationis, cū & ipſa indigeat principio, quo indiuidua fiat. 498
Quantitas interminata non poteſt eſſe principium eius, quod terminatum eſt. 505
Quantitas terminata aduenit indiuiduo iam conſtituto; ideò principium indiuiduationis eſſe non poteſt. ibid.
Quaternarius numerus potentiae, & ineffabilitatis numerus à Pythagoricis appellatur. 209
Quatuor primae qualitates à duplici elementorum conſideratione varia nomina ſortiuntur. 266
Quatuor primae qualitates cur elementorum principia dicantur. 310
Quatuor primas qualitates cur Ariſtot. vitae, & mortis cauſas appellauerit. ibid.
Qui negant in elementis, praeter primas qualitates, formas ſubſtantiales innominatas, negant ſimplicis corporis generationem. 259
Quicquid docet catholica fides, non eſt contra, ſed ſupra rationem naturalem. 81
Quinquagenarij numeri proprietates. 197
Quinquageſimus annus hebraeis dictus, magni Iubilaei nullatenus numeri virtute. 207
Quinque praecipui fontes, ex quibus rationes, pro mundi aeternitate ſuadenda, à Peripateticis deſumuntur. 81
Quod verè eſt, nulli accidit, propoſitio vulgatiſſima. 296
Quomodo intelligendum ſit, Deum omnia numero, pondere, & menſura diſpoſuiſſe. 208
Quomodo vnus homo poſſit dici magis rationalis, quàm alter. 295

R

Ratio formalis eſſendi ſimpliciter in loco quaenam ſit. 458
Rationalis anima de materiae poteſtate non deducitur. 243
Rationalis anima virtute ſua non continet formam corporis. 435
Rationalis anima caret quidem materia phyſica, habet tamen materiam metaphyſicam. 429
Rationalis anima tametſi indiſſolubilis eſt; nihilominus eſt neceſſariò multiplex. 436
Rationalis anima nullam habet in humano corpore partem, ex qua, veluti ex materia educatur; propterea in materia quanta non extenditur; ſed omninò indiuiſibilis eſt. 431
Rationalis anima cum duplici propenſione ab eius opifice procreata eſt. 431
Rationalis anima ſi eſt immortalis, minus malum eſt mori, quā patria non ſubuenire, ſecus ſi ſit mortalis. 447
Rationalis anima eſt actus humani corporis; non à materia affectionibus accerſitus, ſed diuinitus procreatus. ibidem.
Rationalis anima nec materialis eſt, nec ab vlla corporea virtute ortum accipit ſuum. 454
Rationalis anima occaſione corporis edita eſt. 452
Rationalis anima nunquam ſeneſcit. 466
Realis vnitas quarūm facultatum animae rationalis, quinimò ipſius animae cum homine. 476

*Recentiores Philoſophi, qui philoſophando Græcorum ſimul, & Latinorum doctrinam amplexati ſunt.* 252
*Regula de inceptione, & intermiſſione rerum ſucceſſiuarum.* 90
*Regula à coniunctis ad disiuncta, in quibus locum habeat.* 273
*Relatio non habet vim aliquid de ſubſtantia in accidens, vel de accidente in ſubſtantiam transmutandi.* 277
*Relatiua ſunt ſimul natura, quomodo propoſitio intelligenda.* 73
*Reminiſcentia cur poſt mortem non fiat.* 442
*Rerum procreatio intelligentiarum miniſterio quomodo fiat.* 148
*Rerum omnium ſemina, ſecundum Platonem ab Idearum rationibus orta.* 220
*Rerum omnium formæ à cælo originem ducunt.* 353
*Res omnis per propriam entitatem, & non per aliquid ſibi annexum, exiſtentiam acquirit.* 53
*Res naturales à quibusnam accipiant materiam, & formam.* 353
*Res omnes, prout habent eſſe ſimpliciter in prædicamentis, carent exiſtentia, habentque tantummodo eſſentiam, & quidditatem.* 496
*Rotunda figura cur tanquam propria cælo tribuatur.* 243

S

*SAnguis alimentarius, qui per venas ad corpus nutriẽdum perlabitur, non eſt ſimplex humor.* 396
*Sanguis prout à reliquis humoribus ſecretus eſt, non eſt corpus ſimplex.* ibid.
*Saporis generationi quæ neceſſaria ſint.* 296
*Sceleſtiſſimi quique viri mortalem humanum animũ ſtatuerunt: ſanctiſſimi verò homines, non ſolùm vt Theologi, ſed etiam vt Philoſophi eundem immortalem exiſtimarunt.* 466
*Scientia habitus quomodo comparandus.* 450
*Secundæ ſubſtantiæ habere poſſunt metaphyſicam, aut intentionalem compoſitionem, phyſicam verò nequaquam.* 285
*Semen poteſtate animatum eſt.* 352
*Semper fuiſſe, & ex nihilo factum eſſe repugnat.* 101
*Senarij numeri virtutes.* 197
*Senarius numerus nihil habet virium ad prolem edendã, ſi eum à rebus numeratis ſeiungas.* 205
*Senſibile dupliciter accipitur* 305
*Senſus an reperiantur in cælo.* 229
*Senſus animalibus cur à natura dati.* 308
*Senſus non poteſt illam ſingularis vnitatem cognoſcere, qua in eſſe ſingularis conſtituitur.* 481
*Sepcenarij numeri vires.* 195
*Sepcenarij numeri bonitas.* 197
*Septenarium numerum, tãquam numerum multitudinis recipit phraſis Hebræa.* 206
*Septimeſtri partus cur vitales.* 204
*Septuaginta ſeniores qua ratione certos pſalmos certis numeris ſignauerint.* 208
*Serpentes ſi cer arundine percutiãtur, ſtupore affici, quarta verò percuſſione reuiuiſcere, vt Pythagorici recentiores aiunt, commentitium eſt.* 205
*Sex poſitionum differentiæ rebus tantum animatis verè conueniunt; inanimatis autem per quandam relationem.* 239
*Sex poſitionum differentiæ in animalibus vnde ſumantur.* 240
*Sex poſitionum differentiæ in rebus inanimatis.* ibid.
*Sex mutationum ſpecies.* 587
*Sexus in numeris nullus re vera datur, atque adeò nulla virtus, quà mares, aut quà fœminæ ſint.* 204
*Si daretur diuinum animal, organis illud neceſſariò egeret, quatenus animal.* 242
*Si mundus eſt æternus, non poteſt habere determinatus numerus animarum, hactenus procreatarum.* 449
*Simplicium corporum numerum via ſimplicis motus in libris de cælo Ariſtoteles indagauit.* 588
*Simplicius tria in cælo diſtincta cõſtituit, Intelligentiam, Animam, & Naturam.* 232
*Singulare Logicis quid ſit.* 477
*Singulare quomodo à metaphyſicis definiatur.* ibid.
*Singulare tàm in natura corporea, quàm in natura ſpirituali reperiri poteſt.* ibid.
*Singulare duplex, vagum, & ſignatum.* ibid.
*Singulare ſignatum vel vt vnum per ſe, vel vt vnum per accidens conſiderari poteſt.* ibid.
*Singulare priùs natura in eſſe ſingularis conſtitutum eſt, quàm accidentibus ſit affectum.* 485
*Singulare iam conſtitutum abſque accidentibus conſiderari poteſt.* ibid.
*Singulare, ex Græcorum ſentẽtia, directè ab intellectu noſtro cognoſcitur.* 485
*Singulare quodlibet exiſtens, Deo excepto, habet neceſſariò materiam metaphyſicam, non tamen eſt neceſſe, vt habeat materiam phyſicam.* 512
*Singulari nihil eſt magis intimum, quàm porpria vnitas.* 480
*Singularis notitia intellectui facilior, quàm notitia vniuerſalis.* 485
*Singularis notitia lineæ rectæ, vniuerſalis verò lineæ reflexæ ab Ariſtotele comparatur.* ibid.
*Singularium rerum ſpecies intelligibiles propriæ, in intellectu reperiuntur.* 483
*Sola remiſſio in qualitatibus ſatis eſt, cur elementa non agant in miſto ſecundum totam ſuã potentiam.* 383
*Speciei intelligibilis generatio.* 476
*Species intelligibilis rei ſingularis eſt perfectior ſpecies qua ab intellectu agente, & à phantaſmate gigni poſſit.* 484
*Species deſcendit in indiuidua, per differentias indiuiduales, quemadmodum genus in ſpecies, per differentias ſpecificas.* 517
*Spiritus tàm in paruo, quam in magno animali eſt animæ inſtrumentum.* 221
*Stoicorum fabula.* 225
*Suaſoriæ rationes pro animæ immortalitate comprobanda.* 465
*Subiecti neceſſitas in qualibet ſcientia.* 1
*Subiecti formalis conditiones duæ.* 2
*Subiecti materialis conditiones quinque.* 2
*Subiecti definitio abſolutiſſima.* 2
*Subiectum ſciẽtiæ appellatur etiam materia, circa quã.* 2
*Subiectum ſcientiæ an differat à ſcopo, ſeu Autoris conſilio.* 3
*Subiectum ſcientiæ triplex.* 2
*Subiectum ſcientiæ aliud materiale, aliud formale.* 2
*Subiectum ſcientiæ non ſatis eſt, vt ſit analogum: ſed coniunctam habere debet vniuocationem.* 18
*Subiectum cuiuslibet ſcientiæ tria continet.* 186

Subie-

*Subiectum enim libet ſcientiæ quadruplex.* 191
*Subiectum proximum accidentium materialium eſt totũ compoſitum.* 369
*Subſtantia non ſuſcipit magis, nec minus, quomodo propoſitio intelligenda.* 385
*Subſtantia quomodo habeat, & quomodo non habeat cõtrarium.* 286
*Subſtantia recipit quidem in ſe qualitates contrarias, contrarietate poſitiua; ei tamen nihil eſt contrarium, niſi contrarietate priuatiua.* 288
*Subſtantia cur magis, & minus non ſuſcipiat.* ibid.
*Subſtantia accidentibus nudata, ſenſibus non ſubijcitur.* 301.
*Subſtantia compoſita eſt proximum ſubiectum accidentium ſenſibilium: prima verò materia eſt proximum ſubiectum formarum ſubſtantialium.* 304
*Subſtantia materialis quomodo per ſe ſenſibilis ſit.* 306
*Subſtantia quomodo ſubſtantiæ contraria ſit.* 315
*Subſtantiale compoſitum triplex.* 315
*Subſtantiales elementorum formæ, cùm non habeant contrarium, remitti non poſſunt.* 382
*Subſtantiales rerum differentiæ latent nos.* 265
*Subſtantiales formæ, quæcunque illæ ſint, contrarium nõ recipiunt.* 283
*Subſtantiales differentiæ inter ſe contrariæ ſunt* ibid.
*Subſtantiales differentiæ nec in abſtracto, nec in concreto magis, & minus recipiant.* 291
*Subſtantiales elementorum formæ quænam ſint.* 329
*Subſtantialis elementi forma quomodo certum aliquem, & determinatum qualitatis gradum expoſcat.* 293
*Subſtantialium differentiarum ignoratio demonſtrationem non tollit.* 325
*Subſtantiæ, atque pariter accidentia in abſtracto, & quo ad eſſentiam magis, & minus non ſuſcipiunt.* 291

*T*

*Tactus quomodo per accidens nutrimentum percipiat.* 301
*Tarantulæ venenum, ſecũdum recentiores Pythagoræos harmonicis numeris curatur.* 197
*Tarantulæ ictus non numerus, ſed aſsidua, & vehemens corporis agitatio ſanat.* 206
*Temperamenti mutatio quomodo temporis prolapſione contingat.* 392
*Terminus primus, & proximus generationis eſt forma: terminus verò totalis eſt compoſitum ipſum.* 292
*Ternarij numeri vires.* 196
*Ternarij numeri proprietates, & dignitates variæ.* 197
*Ternarius numerus perfectionis numerus eſt.* 209
*Teſtimonium euidentiſsimum, quo oſtenditur, Ariſtotelẽ ex induſtria ſuam de animæ immortalitate ſententiam occultaſſe.* 461
*Theologi cur ad confirmandos articulos fidei interdum rationes adhibeant.* 464
*Theophraſtus Ariſt. diſcipulus, & conſanguineus.* 437
*Tres gradus intellectus humani.* 441
*Tres animæ ſpecies, Vegetalis, Sentiens, & Rationalis, poteſtate in ſeminibus continentur; non tamen eodem modo.* 444
*Tria coæterna apud Platonem.* 220

*V*

*Varro quo nomine appellauerit differentias indiuiduales.* 516
*Vegetalis animæ tres facultates.* 226
*Verba nullam habent agendi virtutem, quà verba ſunt, ſed interdum dæmonum paſſione.* 203
*Veritas debet eſſe ſcopus cuiuſcunque ſcriptoris.* 433
*Verum eſſe non põt, quod fidei catholicæ contradicit.* 81
*Verum principium ſecundæ partis naturalis philoſophiæ vndenam ſumendum ſit.* 191
*Verus modus productionis animæ rationalis ab Ariſt. elicitur; tametſi planè ab eodem nõ fuerit expreſſus, neq; penitus cum eius principijs conſentiat.* 427
*Verus ordo, quẽ intellectus in intelligẽdo conſeruat.* 485
*Veteres Chaldæi mundi æternitatem defenderunt.* 80
*Veteres Philoſophi cur abſque vlla ratione mundum in temporis initio conditum aſſeruerint.* 81
*Veteres, ac recentiores Pythagorici, & Platonici præcipui, qui numerorum ſcientiam tenuerunt.* 194
*Via, & ordo pro acquirenda principiorum notitia.* 30
*Vigeſimus numerus cur infauſtus.* 208
*Violentum nihil eſſe poteſt, quod ſit ſecundum beneplacitum primæ cauſæ.* 118
*Virtus hominis, & cuiuſcunque generantis quouſque in ipſamet generatione extendatur.* 427
*Vltimæ rerum differentiæ latent nos, ideò earum loco in definitionibus, proprietatibus vtimur.* 325
*Vnde nam ſumendum ſit initiũ naturalis philoſophiæ.* 13
*Vnio animæ, & corporis alia in cœlo, alia in mortalibus.* 247.
*Vnio intellectus cum phantaſmatibus impropria eſt, ſicut luminis cum coloribus.* 413
*Vnio vera, & propriè dicta datur inter illa, quæ ſe habent inuicem vt actus, & potentia.* ibid.
*Vnitas ſola ſimpliciſsima eſt.* 195
*Vnitas duplex, identitatis, & vnionis.* 248
*Vniuoci, æquiuoci, & analogi nominis definitiones.* 6
*Vniuocum, & æquiuocum nullum admittunt mediũ ratione tamen ſignificationis.* 8
*Vnum ſumitur quatuor modis.* 428
*Voces extremæ, aut ſoni, cur auditui moleſti ſint; temperati verò ſuaues.* 204
*Voluntas diuina eſt cauſa potiſsima eorum, quæ à Deo extrinſecus efficiuntur.* 86

*Z*

*Zabarella acerrimus Auerroicæ ſententiæ propugnator, de modo, quo elementa ſeruantur in mixto.* 378
*Zimaræ, Ianduni, & Franciſci Piccolominei laus.* 168

F I N I S.

## Errata, quæ in hac prima impreſſione contigerunt, ſic corrigantur.

*Prior numerus paginam, poſterior lineam, † marginem indicat.*

a,29 excedat,32,eſt. 4,21 elucidandam. 23 ceu. 48 accepit,cùm 3 lib.Phy.dixit,motum. 52,eum. 5.† quæ in re.
ibidem, poteſt. 8.† profecta, 13 † conſideratio. 15,34 Ariſto ne. 15,45.quod. 16 † autori. 16,12.ſignificaret.
26 deſcendere. 20,4 aptiſſimam. 18 reapſe.23.† imperfectior eſt,23,5 imperfectiorē.13 priuſquàm. 27,46.nan-
ciſcitur. 30.† pri. 32.† eadē. 33,† efficacitatem.ibid Scoti &,l.Scotici. 34,4 rei,rei.39 afficiatur. 35,32 notitia.
36,17 ſenſibili. 37,10 cupiens. 39,3.diſpoſitio.21 firmari.41 quam. 39,† in diſputatione. 41,30 nequit. 49 & iā.
42,50 pars. 44,† Philoponi. 47.44 reſpondebat. 49,48 relinquit. 50 † verò. 51,†poſuit.editam.52,27 indeter
minatam.54,18 æſtu. 55,† neceſſaria cognitio. 55,10 ſubſiſtentia. 51 ſignificat. 56,11 per te. 60,4 diſſenſio. 61,
1,quin. 62,33 probemus. 65,46 denominatiuè. 67,47 procreantur. 70,32 curſoribus. 71,17 caput opinionis Za
barellæ. 72,24 actum. 26 cum. 73,† rem. 74.49 acu' 75,52 poſſunt. 76,48 æui. 76,50 in primo. 77,† eſt etiam.
30 coeſſentialis. 80,35 officit. 81,25 inſculpſerit. 42 ſolui nullo negotio poſſunt. 83,32 quæque. 84,12 prærroga
tiua. 85,10 ſolubiles. 29 ortu. 87,† diſtulerit. 17 non inuidum,lege inuidum. 27,effectrice. 89,36 veſtigari. 91,
26 effectione n. 93,7 externæ. 94.11 ſelegi. 95,† Henrici. 100,34 vt. 49 æuum,tempus æuum,& tempus. 102,24
qua. 104,28 intelligemus. 105,† quæſtionis. 106,11 indicat. 109,23 credidit. 111,19 reperiri. 113,49 dele,non.
114,29 noluiſſe. 115 41 procreatione. 43 eodem modo. 120,† pro hac ſententia. 121,18 concomitantiam. 121,
37 nimium, 122,30 depoſcit. 127,14 conſulant. 128,42 abiicienda. 131,50 exercitus. 137,1.alibi. re,rem. 2,de-
le,nq.146,12 apertè. 18 addicent. 155,50 autoritati. 158,46 motu. 166,48 ea. 166,† infinitæ. 167,12 in medium
afferunt, 14 validiſſimas, 39 facturos. 40 ad. 170,5 expromit. 171.† infinitæ. 175,5 ſintne validæ. 181,30 ibi.
182,15 animatum aut eſt homo. 184,30. conſiderauit. 185,20 nemine. 188,27 à corpore. 189.† vſque ad finem.
193,26 in tertia. 194,19 numeris. 26 obſcuritas. 194,† de animalium ſolertia. 195,34 accedenri. 196,4 argumen
tentur. 197,5 quieuit. 24 choros diſtinctas. 198,6 incluſum. 200,48 tantam. 200,† iciat. 201 † quid eſt. ibid.cel
ſum. 204,32.victu. 205,6 omniaque. 205,† natura. 211,31 à qua eſſe, 216,† in qua. 219,26 procreentur. dele,ge-
nerentur. 28 an ima hæc. 221,† ſeruatur. 222,23 Re vera. 223,18 cælo vim. 224,† conformationes. 225,13 ſi-
cut enim. 226,27 vultui. 229,13 in eodem. 230',43 ſecludas. 233,† Ad ipſum. lege, Id ipſum. 237,3 opi-
niones. 240,† magis ab oriente. 242,45 ne labefactari. 243,† & propriam. 244,† motore. 245,46 vnum.
246,12 ſolè naturæ. 47 generare. † deſtruct. 251,† eorum. 256,52 ſed priuatio,& forma ſunt principia rerum
naturalium,ergo oportet primas formas eſſe contrarias. 258,36 indiuiſibiles. 263,† diſputationis. 265,20 nun
cupari. 50 qualitatis 266,† definitionis. 268,13 generaretur. 273,48 diuerſam. 275,18 victus. 275,† differen
tiam. 280,41 eſſentiam caiſtentem. 283,29 oppoſitæ. 41 vnam. 46 expoſitionē. quantitati. 287,10 dele iam.
288,† priuatiua, dele poſitiua. 290,23 allatam. 292,† & proximus. 293.40 vequalitas. 294,24 abſque vlla.
300,29 ſe ſe. 301,1 effectui. 311,28 afficientem. 313.32 propius. 317.† verè. 318,† ſubiecto præcipuo. 319,19.
aliarum. 51 ſi aliarum. 322,† quarum altera. 323,35 fouet. 324,47 dictitare. 333,7 conabor. 338,1 duplici.
339,1 ipſæ. 340,26 ex alterutris. 342,3 vlla, 29 oppoſita. 48 non quin. 343,10 & afficit. 344,21 qua, 352,†
producit. 353,44 eandem. 354,14 edutur,lege,editur, 30 eaica,lege,exempli cauſa. 41 Cælo,lege. à Cælo,
355,† poſt, lege, eſt. 357,20 intellectiuæ. 34 habeant. 367,49 vt. 368,38 materialium. 376,41 præcipuæ.
377,9 Lynceus. 32 ſubſcripſit. 377,† formas, 378,1 Auerrois. 4 eandemque. 378,21 ſubſtantia. 382,† quin
pereant. 383,8 carentes. † ſubſtantiarum. 384,17 ſubſtantia. 386,36 elementum. † medium. 387,25 mutatio-
num, 49 autores. 390,11 dari. 47 victa. 51 an potius. † elementariatum. 392,16 mutari. † inhiberi. 394.11 de-
labantur. 395,25 poſſim. 47 cohæreat, † confutationi. 396,† elemento. ibid.alimentarius. ibid.qui per venas.
397, abire. 399,1 ſubtili. 2 com.lege 10. 32 ſubſiſtentia. 402,† obniau. 403,7 demonſtraui. † reperiantur.
405,26 non recedens. 48 eandem. 409,29 aduerſari. 39 conſtitutum eſt. 411,13 referri. 412,45 inſolubilique.
414,7 eam. 21 poſſemus. 45 illi. 415,51 coaleſcat. 417,36 lubens, 418,† endelechia. 419,42 queant. 420,6 cō
flatum. 41 enitar. 421,21 accidit. 423,41 in corpora. 425,† non diſtinguitur. 426,19 & celei. † ſuſtinendi,ſol-
uentur. 427,32 æternum. 44 Hæc. † animali.ibid cæterarumque. 430,† vberior. 434,35 perennes. † ſtatuerũt.
440,1 quid. 4 ſi hæc. 441,38 cum. † immortalis. 446,37 animæ. 48 &. † ferunrur. 447,† anima. 448,42 ſecun
dum. 43 veritatem. † producendam. 449,16 potius. 451,17 fuirque. 452,50 vllam. 454.† cap. 19. 455,14 la-
baſcunt. † in materia. 456,1 editam. 457,22 tractauimus 26 lib.4. 458,2 ſi diffuſè. 459,5 aliquid. 29 affectio-
nes. 52 addicta † cur anima. 460,5 quo. 461,4 detegere. † Antorii ſententiæ confirmatio. 462,2 expleri 18.
mulctatus. 463,2 incuriam. 6 indicta. 8 tum. 22 applauſu. 45 ſcriptori. 465,16 deſtituitus. 37 aliquot. † aduer-
ſari. 466,33 cur id tanquam. 467,13 Hunc. 20 qui quò. 471,† concluſione. 471,8 locutus eſt. adde,ſed diuinū.
475,31 arctius. 41 habeo. † opem. 478,28,ſemetipſum. 483,20 præcedat. 24 riſibilis. 26 quin, 50 defert. 484,
26 habes. 487,34 omnes,deeſt conuenit: nam generi ſpecies,& ſpeciei indiuidua ſubiiciuntur. 51 rationaliiaiè.
488,14 natura. 491,49 fit. 492,18 denominatiuè. 26 naturæ. 495,39 eius. 496,† habent, carent. 497,48 ergo
id. 498,† quære. 500,3 poteſt. 20 interiorem. 37 &, eſt. 501,9 cùm. 505,11 determinata. 33 conſenuit.
510,† vniuerſale, lege vnum. 511,18 atqui. 22 qua plura. † propoſitio. 516,36 phyſicè, niſi quatenus eſt ens
actu,eſt autem ens actu phyſicè. 521,50 ab eodem. 523,41 ſolutu. 42 abduxit. 525,46 latitant. 529,46 gratia.

1009100